SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Id est

MEDICINAE SYSTEMA

A

VENERABILI D'HANVANTARE

DEMONSTRATUM


A

SUŚRUTA DISCIPULO COMPOSITUM.

Nunc primum ex Sanskrĭta in Latinum sermonem vertit, introductionem, annotationes et rerum indicem


adjecit

Dr. Franciscus Hessler.



ERLANGAE apud FERDINANDUM ENKE.

MDCCCXLIV.



SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Tom. I.

SÚTRAST'HÁNA ET NIDÁNAST'HÁNA.



*

Praefatio.

Antiquissimi Indi medicinae originem ad Deos retulerunt auctores, corporisque sanandi artem Caelicolarum inventioni consecrarunt. Itaque apud illos sanandi scientia religionis pars habebatur, ut et morborum sanatio et rerum divinarum curatio iisdem sapientibus mandaretur. —

Hic Áyurvédas, a Venerabili D'hanvantare demonstratus et ab ejus discipulo Suśruta compositus ad sacra vetustissimorum Indorum scripta (Véda) receptus est. —

Priscis Indis fabulose multa de D'hanvantaris et Suśrutae aevo referentibus nec assentire, nec eos refellere hic in animo est. Sed satis inter doctos constat, miscendo humana divinis, ultimam et rerum et personarum antiquitatem conspicuam esse. Quamquam vero lis, quo temporis momento antiquissimae Indorum literae incipiant, adhuc sub judice est, attamen viri doctissimi hujus Áyurvédae aetatem non post millesimum annum ante Christum natum constituere. Quare non assentior illis doctis quibusdam viris, qui hunc Suśrutam recentioribus temporibus adjudicarunt, qui vero nihil penitus

habent, quo suam sententiam tueri possint. Nihil dicam de stylo **Védantico**, qui in **Sus'ruta** est antiquissimus. Istos, ultimam antiquitatem Graecis omnino attribuentes, refellere potest illa praeclara **Platonis** divini sententia in Timaeo: Ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστέ, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Ἀκούσας οὖν, πῶς τι τοῦτο λέγεις; φάναι. Νέοι ἐστέ, εἰπεῖν, τὰς ψυχὰς πάντες, οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε, δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. —

Hunc **Sus'rutam** interpretatum ut in lucem emittam, haud vulgaribus causis adducor, quarum primae sunt magna incrementa quotidie allata Historiae medicae, cui vero usque adhuc deest Principium, i. e. **antiquissima Medicina Sanskrĭta**, antehac avia nulliusque pede trita. Idcirco hic meus labor profecto omnibus erit optandus. Sin vere auguror, non futurum est hoc opus inutile iis, qui antiquissimi hujus auctoris lectione delectantur et uberrimum capere fructum ex ea volunt. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim! —

Inter multitudinem **Sanskrĭtorum** librorum, qui memoriae sunt traditi, plures de **Medicina** scripti inveniuntur, in quibus vero **Sus'rutae Áyurvédas** ob vetustatem, ob rerum medicarum varietatem et copiam maxime excellit, et, nisi me amor suscepti laboris fallit, cum ipso **Hippocrate** de principatu contendit. Propterea, allaturus aliquid ad medicarum doctrinarum Historiam, hisque doctrinis pro virili parte serviturus et medicorum artem supellectilemque aucturus et locupletaturus, multas per noctes sudare non recusavi. En meas quasi lucubrationes, quas perire nolui! Equidem certe non majus laboris mei praemium a lite-

ratis peto, quam ab intelligentibus viris, aequisque harum rerum aestimatoribus, ingentis operis moles et difficultas, quae prae se ipsa, me tacente, plus satis loquitur, requirere potest. —

Multi certe mirabuntur, mihi in medicina facienda occupatissimo quid venerit in mentem, Suśrutam hunc tractare ut vellem, opus ob antiquitatem et obscuritatem perpaucis familiare. Erunt sane quidam, qui me objurgent, inanem meum laborem futurum admonentes. De antiquissima enim Indorum Medicina variae sunt et discrepantes doctissimorum virorum sententiae, praesertim eorum, qui in magna hujusce rei ignoratione versantur. Hoc enim antiquissimum medicinae systema nec satis notum est nostratibus, quamvis cognitione dignissimum. —

In antiquissimis autem edendis operibus maxime primo interpreti nitendum est, ut fidus verbum verbo reddat. Ob eam rem latina usus sum lingua, quae tantopere Sanskrĭtae formam et imaginem refert, ut permagna inter illas similitudo in ipsa verborum constructione intercedat. Sed viris elegantioribus, latinitatis asperitatem in hac interpretatione vituperantibus, libere respondeo, me potius vim Sanskrĭtis vocibus subjectam interpretari, quam eleganter scribere voluisse. Praeterea maxime nitebar, Archetypi colores ut servarem, quo potissime factum est, ut limatius scribendi genus consectari haud possem. —

Maximas Academiae scientiarum Regiae, quae Monachi est, gratias ago, quae meum scribendi studium vehementius incitavit, hunc meum laborem recensuit, valde probavit et sua adsensione hanc editionem adjuvit. —

Reliquum est, ut Vos, viri doctissimi totius orbis, invocem, ut me juvetis et delictis veniam detis! Quam difficile enim sit, adeo accurate antiquissimum, adhuc inauditum, opus interpretari, ut nulla subsit ambiguitas, multa aliorum interpretum exempla testantur. Sin mei incepti fautores eritis, tendam eo, ut meus hic labor susceptus prosperum exitum consequatur. —

Totum Áyurvédam in tres partes distribui, quarum prima est de Sútrast'hána (Principiorum medicorum doctrina) et de Nidánast'hána (Pathologia); altera de Śárírast'hána (Somatologia), Chikitsitast'hána (Therapia) et Kalpast'hána (Antidotorum doctrina); tertia de Uttaratantra (Ultimo tractatu). —

Introductionem, annotationes et rerum indicem ultimo volumini adjuncturus, fusiusque ibi Suśrutae Áyurvédae systema atque aetatem edisserturus sum. — Integra Suśrutae interpretatione in tribus tomis peracta, textum Sanskrĭtum purgatum in duobus voluminibus publici juris faciam.

Scr. Wemdingae, idibus Juliis,
MDCCCXLIV.

Dr. F. Hessler,
medicus publicus.

SÚTRAST'HÁNA.

ID EST

PRINCIPIORUM LIBER.

**

Notanda.

I. Citationis signa („—.“), huicce versioni saepius intersita, indicant, Archetypi Sanskrĭti doctrinas ibidem distichis (Ślokis) esse expositas. —

II. Ubi pro Dévanagaricis (Sanskrĭtis) literis latinas substitui, ibi systema doctissimi viri Sir Wm. Jones secutus sum.

III. Sanskrĭta plantarum arborumque nomina alii aliter interpretantur; mihi vero potissimum viri, rei herbariae Indicae peritissimi, Roxburgh et Ainslie, et Amara-Kosha, edit. Colebrooke, auctores fuere. —





Caput I.

Honos Brahmae, creaturarum Domino, Aśvinibus, Balae occisori (Indrae), D'hanvantari, Suśrutae et ceteris!

Nunc vero de Védae origine caput expositurі sumus, sicut Venerabilis D'hanvantaris alloquutus est Suśrutam.

Tunc revera venerabilem, immortalium excellentissimum, a Rĭshium turbis circumdatum, in eremitarum sede versatum Káśirájam, coeli ministrum D'hanvantarem Suśrutas et ceteri, honestate, liberalitate, villosis stragulis, excellentia, manuum fortitudine et urbis portis servati, allocuti sunt:

O Venerabilis! Somaticis et psychicis, adventiciis et a propria natura profectis morbis variisque doloribus mortem obeuntes homines, dominos et non dominorum more vitam degentes, prope intuitis nobis moeror in animo est. Horum, salutem desiderantium, morbi sedamen, animique vitae auxilium, creaturas sanandi causâ Áyurvédam hic demonstratum audire cupimus. Servavit hunc (D'hanvantarem) exoptata generosaque fortuna. Propterea Venerabilem aggressi sumus discipuli.

His respondebat Venerabilis:

Salus vobis! In omnibus rebus sane edocendi instruendique discipuli sunt.

Hic revera Áyurvédas est, quod Upáńgam At'harvavédae, non procreatis adhuc hominibus, ślokarum centum millia, capitumque millia continens, confecit Svayamb'hús (Brahmas). Inde, exiguam vitae durationem, exiguumque hominum intellectum intuitus, amplius octuplice ratione illis dona contulit hoc modo:

Śalya, Śálákya, Káyachikitsá, B'hútavidyá, Kaumârab'hrĭtya, Agadatantra, Rasáyanatantra, Vajíkarańatantra.

Nunc vero hujus Ańgae signorum breviarium.

Ibi Śalya, variorum graminum, lignorum, lapidum, pulverum, metal-

lorum, terrarum, ossium, pilorum, unguium, puris, internorum embryonum, spinarum extrahendarum doctrina; instrumentorum, scalpellorum, causticorum, cauteriorum, vulneraque explorandi doctrina est.

Śálákya, supra claviculam sedem habentium morborum, aures, oculos, os, nasum et cetera aggressorum malorum sedandorum doctrina est.

Káyachikitsá, totum corpus aggressorum morborum, febrium, diarrhoearum, haemorrhagiae biliosae, pneumophthisis, delirii, epilepsiae, leprae, urethritidis gonorrhoicae ceterorumque morborum sedandorum doctrina est.

B'hútavidyá, Deorum, Asurarum, Gand'harvarum, Yaksharum, Rakshasorum, Pitrĭum, Piśácharum, Nagarum, Graharum, ceterorum perditorum Daemonum, placationis actione, oblationum confectione, reliquis rebus, sedandorum doctrina est.

Kaumárab'hrĭtya, infantium nutritionis, puerperarum lactis, vitiorum in humoribus purificandorum doctrina; a corrupti lactis impetu ortorum morborum sedandorum doctrina est.

Agadatantra, serpentum, insectorum, aranearum, scorpionum, murium et ceterorum, venenosi morsus signorum doctrina; variorum venenorum compositionis, venenum delendi et sedandi doctrina est.

Rasáyanatantra, aetatem stabiliens, vitae mentisque firmitatem efficiens, morbosque amovens doctrina est.

Vájikarańatantra, exigui, corrupti, exsiccati, tenuis seminis virilis, crudae et aquosae viae emendationem, multorumque hominum generationem efficiens, hilariterque generandi doctrina est.

Sic hic Áyurvédas, octo membra continens, demonstratur.

Nunc vero cui quid dicatur? Hi dixerunt:

Nos omnes, Śalyae doctrinae originem faciendo, doceto Venerabilis!

Hic vero dixit: Esto!

Hi dixerunt amplius Venerabili:

Nostri unum desiderantium intentionem intuitus Suśrutas, Venerabilem te interrogaturus est; illi vero quod demonstratur, nos quoque accipiemus.

Ille ibi dixit: Esto!

Care Suśruta! hic revera Áyurvédae origo est, in morbos delapsorum morbi liberatio, validique tutela. Aetatem in illo Véda cognoscit, illoque aetatem adipiscitur homo. Sic Áyurvédas. Hujus membrum praecipuum primum sacram scientiam, perceptibilibus praemissis et conclusionibus non circumscriptam indicatam, intellige! Illud enim membrum (Ańga) primum ante vulneris inflicti ortum, anteque sacrificii capitis conjunctionem (reunionem) fuit. Auditur enim, a Rudra sacrificii caput fissum esse. Deinde Dii, Aśvines duos aggressi, dixerunt: Venerabiles, nobis optimi vos eritis! Venerabilibus vobis sacrificii caput conjungendum (reuniendum) est. Hi duo

dixerunt: Sic esto! Tunc horum opere Dii Indram sacrificii parte sibi conciliavere. Ab Aśvinibus sacrificii caput conjunctum est.

Inter octo vero Áyurvédae commentationes hoc Śalya sane majus aestimatum est, quam celeris operis confectio, qnam instrumentorum, scalpellorum, causticorum, cauteriorum efficacitas, quamque omne commentationum genus. Jdcirco hoc Śalya aeternum, purum, caeleste, gloriosum, longaevitatem dans, exsistentiamque efficiens.

Brahmá dixit deinde: Creaturarum Dominus adivi; idcirco Aśvines de Aśvinibus, Indras de Indra, Ego vero per me dare debemus petentibus, creaturarum salubritatis causâ.

Est hic ślokas:

„Ego enim D'hanvantaris, primus Deus, debilitatis, morborum mortisque ereptor inter Immortales sum. Śalyae membrum, membris aliis praeditum, nactus sum, coelum in substantia hic demonstraturus."

In hac doctrina (śástra) quinque magnorum elementorum et animarum complexio homo appellatur. In hoc est actio; is est stabilitas. Propter quam mundi duplicitatem? Mundus enim duplex est, stabilis et mobilis; dupliciter etiam animatus, igneus et placidus; ob ejus vero substantialitatem quintupliciter animatus. In mundo quadruplex animantium turba est: A calore orta, ovipara, a germinibus orta, vivipara appellata. In mundo homo summum est; ejus exornatio alia est. Itaque homo durabilitas est. Ejus morbi cum doloribus conjuncti vocantur. Hi morbi quadruplices sunt: Adventicii, somatici, psychici, a propria natura profecti. Morbi adventicii laesionibus effecti sunt; somatici a cibo et potu orti, aëris, bilis, phlegmatis, sanguinis statu morboso inaequalitateque effecti; psychici vero, ira, moeror, metus, gaudium, afflictio, invidia, exsecratio, humilitas, hostilitas, amor, cupiditas et ceteri desiderio, odio dissidioque fiunt. A propria natura profecti sternutamentum, sitis, decrepitudo, mors, somnolentia, et ceteri sunt. Hi morbi ipsi in animo et corpore stabiles sunt. Purgatio, sedatio, victus, motio, simul adhibita, hos refraenandi conditiones sunt.

Animantium iterum radix victus est, roborisque, coloris, caloris etiam vitalis. Hic victus in sex gustus redactus est. Gustus iterum in substantiis inhabitant. Substantiae iterum vegetabilia sunt. Haec duplicia sunt: stabilia ac mobilia. Inter haec stabilia quadruplicia sunt: arbores non florentes, arbores florentes, plantae reptantes, plantae annuae. In his sine floribus frugiferae sunt arbores non florentes; — floriferae et frugiferae sunt arbores florentes; — se expandentes et fruticosae sunt plantae reptantes; — in fructibus et maturitate versatae sunt plantae annuae.

Mobilia vero quadruplicia sunt: Vivipara, ovipara, a calore

orta, a germinibus orta. His pecora, homines, animalia rapacia, ceteraque, vivipara sunt; aves, reptilia, serpentes, ceteraque, ovipara; vermes, insecta, formicae et cetera, a calore orta; scarabaei majales, ranae, et cetera, a germinibus orta sunt.

De stabilibus cortices, folia, flores, fructus, radices, bulbi, extracta, oleorum sedimenta et cetera utilia sunt; — de mobilibus cutes, ungues, crines, sanguis et cetera. —

Terrea vasa, aurum, argentum, gemmae, margaritae, arsenicum, terrae genera, crania et cetera, — sol, procellae, malaciae, solis candor, umbrae, lunae lumen, tenebrae, frigus, calor, pluvia, dies et nox, semilunium, mensis, bimensis, semestre tempus et ceterae anni temporum differentiae, — hae ipsae quoque, a propria indole ortae, humorum corruptorum accumulationes, — ira, sedatio et ultio — causae morbos efficientes sunt.

Sunt hic ślokae:

„Corporalium morborum illa classis quadruplex est: in accumulatione, ira et sedatione origo declarata est a medicis.

Adventicii vero qui morbi sunt, ii dupliciter incidunt: in animum alii, alii in corpus. Eorum vero duplex est sanatio: corpus obruentium morborum corporalis curatio; psychicorum vero sermo et cetera exoptata classis, voluptatem afferens.“ —

Sic hae quatuor pilae, homo, morbus, medicamentum et curationis tempus, breviter expositae sunt.

Hic hominis respectu, ejus origo, substantia, numerus, indoles et cetera indicta sunt, — ejus membra, sentiendi instrumenta, cogitationes, — cutis, caro, vasa, tendines et cetera.

Morbi respectu, ab aëre, bile, phlegmate, sanguine, statu humorum morboso, inaequalitate orti omnes sane morbi expositi sunt.

Medicamenti respectu, substantiarum, qualitatum, saporum, virium, maturitatis, efficacitatis demonstratio est.

Curationis respectu, sectio et cetera, inunctio et ceterae operationes expositae sunt.

Temporis respectu, omnium operationum temporis demonstratio est.

Est hic ślokas:

„Origo medicinae illa breviter declarata est. Centum viginti capita sunt ejus expositio.“

Illa centum viginti capita in quinque libris sunt: in Sútrast'hàna (Principiorum libro), Nidàna (Pathologia), Śàríra (Anatomia), Chikitsita (Therapia), Kalpa (Antidotorum doctrina). — In Uttaratantra (Ultimo tractatú) propter rerum praestantiam explicando reliqúas res exponemus.

Est hic ślokas:

„A Svayamb'hú (Brahma) revelatum hunc aeternum Védam, a Káśis

Domino (D'hanvantare) illustratum, qui legit, pure agens in terra, honoratus a regibus, is post quinque vitalium spirituum interitum ad Sakrae (Indrae) mundi habitatores adeat."

Caput II.

Nunc vero de discipuli inauguratione caput exposituri sumus.

Bráhmańarum, Kshattriyarum, Vaiśyarum quempiam, nobili stirpe, juventute, dispositione, vigore, puritate, sacris doctrinis, modestia, vi, robore, sacrificio, oblatione, memoria, intelligentia, famaque praeditum, tenui lingua, tenuibus labiis, dentibus, fronte, recta facie, oculo et naso instructum, propensum animum et vocem habentem, molestias tolerantem discipulum medicus inauguret; ideo contrarias qualitates habentem ne inauguret. Inaugurandus vero est Bráhmańas sub faustis, dies lunares efficientibus, Muhúrtarum astris, in fausta regione, in pura planaque. Quatuor cubitos longum, quadrangulum, planum quadratum cum medicus obliverit fimo vaccino, Poâ cynosuroide obtexerit; floribus cum granis paratis ac gemmis Deos honoraverit, Bráhmańas medicosque; ibi cum sacra signa dederit, adsperserit, ad meridiem Bráhmańam locaverit et ignem fecerit Mimosae ferugineae, Buteae frondosae, Pini Dévadáru, Aegles marmeli, Fici glomeratae, Fici indicae, Fici caricae et Bassiae latifoliae surculis, lacte coagulato, melle et butyro clarificato oblitis: Curcumae Zanthorrhizi sacrificali ritu, sacro praescripto, vase sacrifico, butyri clarificati sacrificia offerat. — Mysticis Deorum nominibus et mysticis tribus verbis deinde ad Deum Rĭshesque sacrificalem inclamationem instituat, discipulumque idem facere jubeat. —

Bráhmańas trium tribuum (ordinum) inaugurationem conficere potest; Kshattriyas duarum; Vaiśyas Vaiśyae. Śúdram quoque, bona progenie et virtute praeditum, Mantris orbatum, non inauguratum, Védas perlegere doceat medicus. — Sic quidam dicunt. — Deinde igne ter circumlato, igni propinquum discipulum alloquatur medicus:

Amore, iracundia, cupiditate, stultitia, arrogantia, superbia, invidia, asperitate, perfidia, inertia ac lucri cupiditatibus relictis, — brevibus unguibus et capillis praeditus, munda et odorata veste indutus, veritati addictus, Brahmacharyas inclinato capite venerandi studiosus necessarie esse debes. Mea cogitatione, statione, gressu, somno, sessione, epulatione, lectione praecipuus factus, in meis exoptatis salutaribus rebus versari debes. At aliter si vives, injusta fit infructuosaque tua scienta, neque celebritatem adipisceris. Ego vero, te simul vivente, si aliter decernam, peccataque colam, infructuosa quoque mea scientia sit. —

Bráhmańae, Guri, pauperes, amici, ascetae, inclinato corpore salutantes, probi adespotique aggressi aeque ac nostri consanguinei nostris medicamentis curandi sunt. Sic probum est. — Venatores, aucupes, scelerati, peccata facientes non curandi sunt. Sic scientia lucet, amicos, gloriam, virtutem, divitias amoremque adipiscitur medicus.

Sunt hic ślokae:

„In Kr̆shńa octavus dies est; in hoc septimo lunationis astro dies duo sunt; in Kr̆shńa alio sic dici duplex diluculum est. — In intempestivi fulguris, nimborum et tonitruum strepitu proprius religiosus ritus (Tantra) est. — In publica calamitate, damno, procella, angore, in itinere ad sepulcrum, in diurnis sacrificiis, in magna festivitate, in portentuosis visionibus non legendum est in aliis libris, in quibus Bráhmańae non legunt; neque semper impio (in his legendum est)."

Caput III.

Nunc vero de capitum traditione caput exposituri sumus.

Supra relata sunt centum viginti capita in quinque libris. Sútras-t'hána (Principiorum liber) capita quadraginta sex, Nidána (Pathologia) sedecim, Śárira (Somatologia) decem, Chikitsita (Therapia) quadraginta, Kalpa (Antidotorum liber) octo, Uttara (Ultimus tractatus) sexaginta sex capita continet.

(Sequuntur hoc loco singulorum totius operis capitum summaria, quae, Suśruta integro peracto, indicis vice adjiciemus). —

„Sic haec sacra, octo membra (Ańga) complectens doctrina a Deo manifestata est. Religiosi, scientiam perscrutati, vitae datores in terra fiunt."

Qui medicus hoc necessario legendum, et operationes necessario faciendas perlegerit, is, amborum gnarus, rege dignus est.

Sunt hic ślokae:

„Qui universae doctrinae gnarus, operationum vero imperitus est, is conturbatur aegrotum aggressus, sicut timidus miles, pugnam ingressus. Qui porro in operationibus bene versatus, ob effraenationem vero doctrina orbatus est, is inter probos honorem non adipiscitur; regis enim caedem efficere potest. Ambo hi dimidium artis (Védae) tenentes inepti et impares suis operationibus sunt, sicut aves unâ ala instructae. Herbae medicae, ambrosiae similes, ensi, fulmini et veneno similes fiunt, ab imperitis adhibitae. Itaque istos evitet aegrotus! Qui secandi, inungendi et ceterarum operationum inscius est, is populum interficit, ob avaritiam humilis medicus, in regemque peccans. Qui vero amborum gnarus, sapiens ille artis perfectioni par est. In pugna est occidendi actio, sicut birotum essedum."

Nunc care, quando hoc illudque perlegendum sit, percipe a me dictum! Purum, amictu indutum, inconfusum, studiorum tempore perfunctum discipulum, quatenus possibile est, magister (Gurus) pedem, versum, distichum (ślokam) doceat. Hi porro pedes, versus et disticha gradatim sunt consideranda; plane, articulate loquatur, menteque legat; ne celeriter, ne tarde, indubitate, ne de naribus, distincte et literaliter, ne tristi colore, ne oculis, superciliis, labiis et manibus impatientibus, valde perfecte, ne nimis acutis, ne nimis gravibus accentibus legat, ne interea ad aliquid digrediatur, dum ipsi legunt.

Sunt hic ślokae:

„Purus magister, eximius, dexter, inertiae et torporis expers, praelegat, quo praecepto discipulus ad doctrinae (Śástrae) finem veniat. De vocis excellentia, rerum cognitione, confidentia, operationum dexteritate, exercitatione et perfectione adnitatur discipulus, studiorum (Ad'hyayana) finem consecuturus.“

Caput IV.

Nunc vero de perceptione caput exposituri sumus.

Perlecta autem doctrina (Ad'hyayana), neque vero percepta ea circa sententiam, sicut asini oneratio Sirio myrtifolio, defatigationem efficit.

Est hic ślokas:

„Sicut asinus, Sirii myrtifolii onus trahens, oneris conscius est, neque vero Sirii myrtifolii, sic scientias (śástra) multas perlegentes, in sententiis vero stupidi, asinorum more trahunt. Quapropter centum viginti capita, pedes, versus, disticha (ślokae), semidisticha docenda audiendaque sunt. Quoniam substantiae, gustus, qualitates, vires, maturitates, corrupti humores, corporis elementa, excretiones, intestina, organa, vasa, tendines, articuli, ossa, embryonum originis substantia, quantitates et partes tam subtilia sunt; occultorum aculeorum extractio, vulnerum exploratio, fracturarum repositio, sanabilis dubiaque curatio, sic morborum cetera alia genera, quae millenatim commemorata sunt, hominis claro profundoque intellectu praediti mentem adeo perturbare possunt, quanto magis exiguo intellectu praediti. Idcirco necessario pedes, versus, disticha et semidisticha docenda audiendaque sunt. Ob potestatem materiarum, ad alias doctrinas et res sensibus subjectas pertinentium, in hoc terrestri mundo occurrentium, pro harum cognitionibus etiam expositio audienda est. Itaque non hic in una doctrina omnium doctrinarum complexus effici potest.

Sunt hic ślokae:

„Unam doctrinam perlegens non intelligit doctrinae sententiam. Itaque per-

quam doctus medicus doctrinam dignoscat. Qui medicus, doctrinam ex magistri ore sonantem cum saepius assumserit colueritque, opus facit, ille medicus est; alii vero praedones sunt. In honestate novum stragulum, famam eminentem, reliquarum in Śalya tractationum radices demonstret magister."

Caput V.

Nunc vero de primis rebus prehendendis caput exposituri sumus.

Triplicem circa morbos operationem demonstraturi sumus: anteriorem operationem, praecipuam operationem, et posteriorem operationem.

In hac doctrina (śástra), propter praestantiam operationis per scalpellos, operationem per eos eorumque numeros nunc primum demonstraturi sumus.

Haec operatio per scalpellos octuplex est hoc modo: incisio, resectio, scarificatio, punctio, exploratio per specilla, extractio, derivatio, suturarum confectio.

Porro cujuscunque operationis cupido medico prius praeparanda sunt: instrumenta, scalpelli, causticum, cauterium, turundae, cornua (cucurbitae), hirudines, cucurbitulae (alábú), Eugenia jambu, combustibile erioxylon (moxa), lintea, fila, folia, ligamenta, mel, butyrum clarificatum, adeps, aqua, oleum Sesami orientalis, emollientia et adstringentia unguenta, sedimenta, flabellum, frigida et calida aqua, caccabus et cetera, famulique grati, stabiles et firmi.

Deinde in faustis dies lunares efficientibus Múhurtarum astris lacte coagulato, tosto frumento, cibo, potu et gemmis Agnem, Bràhmaṅas medicosque cum honoraverit, aegrotum, oblatione, faustitate et benedictione perfunctum, leviterque epulatum, et ad orientem vultum vertentem, eum considere jusserit medicus, ad occidentem vultum vertens articulos, vasa, tendines, ligamenta, ossa, nervos cum adstrinxerit, prehendens aptum scalpellum immittat usque ad puris conspectum; simul vero extrahat scalpellum celeriterque.

In magnis vero maturitatibus duos tresve digitos alta scalpelli plaga indicata est. Ibi longa, ampla, aequalis, bene divisa vulneris habitudo sit.

Sunt hic ślokae:

„Longum, amplum, bene divisum, protectum et opportuno tempore effectum vulnus in operatione laudatur. Fortitudo, celeris actio, scalpelli acies, nullus sudor et tremor, imperturbatio medici in scalpelli operatione laudatur."

Uno vulnere celeriter inflicto, interiorem partem cum non cognoverit et non perspexerit medicus, alias incisiones faciat.

Est hic ślokas:

„Quoquo meatum medicus animadvertit, ubicunque confluxus est, ibi incisionem faciat, ne corruptio existat."

Hic in ciliis, genis, temporibus, in fronte, in oculorum cavis, labiis, in gingiva, fovea axillari, abdomine et inguine obliquâ incisio indicata est.

„Lunae orbis instar incisiones in manibus et pedibus, semilunari formae similes in ano et pene faciat prudens medicus."

Alio modo autem ob vasorum et tendinum incisuram ultra modum dolor, mox vulneris tumor et carnis bulbi apparent. In torpido embryone, in abdominis tumore, in haemorrhoidibus, in lithiasi, in ani fistulis et oris morbis aegroto jejuno operationem applicet medicus. Deinde, scalpello remoto, aegroto frigidis aquis sedato, undique vulnere digitis expresso, purificato, adstringentibus fluidis abluto et aquâ abstersa, Sesami orienialis sedimento, melle et butyro clarifirato illitum et cum remedio conjunctum linamentum imponat. Deinde olei sedimento cum obduxerit, neque nimis mollem, neque nimis asperam Lacertae scinci pellem superimposuerit, linteâ fascia deliget, dolores Rakshasasque occidentibus suffimentis suffumiget vulnus, Rakshasasque occidentibus Mantris (hymnis) tutamentum efficiat. Tum Bdellii, Aquilariae ovatae, Shoreae robustae resinae, Acori calami et Sinapeos albae pulveres continentibus, cum sale fossili et Meliae azidaractae folio commixtis et cum butyro clarificato conjunctis suffimentis suffumiget. Butyri clarificati residuo aegroti spiritus vitales medicus sustineat. Ex hydria vero aquâ hausta, conspergens praeservationis negotium faciat, ut dicturi sumus.

„Krĭtyarum occidendarum, pariterque Rakshasorum perterrendorum causâ tutamenti negotium facturus sum Bràhmá; hoc credendum est! Quivis Nágae, Piśáchae, Gand'harvae, Pitres, Yakshae, Rákshasae te aggrediuntur, Brahmá et ceteri eos semper occidunto! In terra, in aëre qui ambulant noctambuli daemones, in coeli regionibus domicilia habitantes, illique adorati Munes, Bráhmanici et divini regum Rĭshes, montes, omnes fluvii, omniaque maria servanto te! Agnis servato tuam linguam, sic Váyus respirationem. Luna totius corporis aërem vitalem, aërem vitalem per anum tonitralis nubes conservato! Capitis aërem vitalem fulmina servanto! Abdominis aërem vitalem tonitrua! Vim Indras, Balae dominator; Manus cogitat animum. Amores servanto Gand'harvae! Existentiam Indras servato! Intelligentiam tuam Varunas! Rex maritimus umbilici orbem! Oculum Sol! Coeli plagae aures! Luna servato tuam mentem! Astra semper formam! Umbram tuam servanto Noctes! Fluxum seminalem vero aquosae promovento Aquae! Pilos herbae annuae! Aether sensuum organa servato! Corpus tuum Terrae! Vaiśvanaras caput servato! Vishńus tuum robur! Divinum spiritum Deorum optimus Brahmá! D'hruvas supercilia!

Haec enim praecipue in corpore tuo sempiterna numina sunt; haec te aeterne servanto! Diuturnam aetatem consequere!

Salutem tibi venerabilis Brahmá, salutem Dii, salutem tibi Luna et

Sol, salutem Náradas et Parvadas, salutem etiam Agnis et Váyus, salutem Dii cum Indra incedentes, a progenitoribus oriundi, danto! Tutamenta, salus et aetas tua augentor! Terrores tuos hi sedanto! Semper sis expers miseriae!

Sic Deorum invocatio.

Sicut his Védicis Mantris (hymnis), Krĭtyarum morbos delentibus, tu per me tutus es factus, ita diuturnam aetatem consequere!"

Deinceps aegrotum tutum factum domum ingressus medicus diaetam doceat. Tum tertio die solutum vulnus iterum liget linteâ ligatura, neve hanc postero die festinans solvat. Propter solutionem secundo die incurvatum vulnus diu ascendit, vehementerque morbosum fit. Porro vitia humorum, nigrum sanguinem et cetera intuitus medicus adstringentium unguentorum, ligaturae et victus praecepta det. Ne vero festinans internum vitium formet. Is enim, aberratione quamvis parva internam congeriem efficiendo, plus etiam destruit.

Sunt hic ślokae:

„Idcirco interne et externe bene purificatum vulnus formet. Orto autem vulnere, indigestionem, defatigationem, coitum et cetera, gaudium, iracundiam et metum evitet aegrotus usque ad stabilitatis initium. Priore hieme, posteriore hieme et vere resolvat tertio quoque die; autumno, aestate et pluviali tempore, altero quoque die prudens medicus. In morbis malignis medicus hanc regulam ne poscat, sed, sicut in incensa domo, celeriter opem ferat.

Qui dolor, a scalpelli immissione acer ortus, hominis corpus vexat, ille butyro clarificato, tepido, liquiritia et melle commixto, ad sedationem pervenit."

Caput VI.

Nunc vero de anni temporem ratione caput exposituri sumus.

Kálas (tempus), venerabilis Svayamb'hús non originem, non medium, non occasum habens, gustuum interitum et successum efficiens, in circumscriptione, vitam et mortem hominum complectente, et exigua perido non evanescit. Kalas numerat vel computat creaturas. Ex ejus anno venerabilis Sol itineris differentiâ oculorum nictationes, momenta, minuta, horas, dies, noctes, dimidios menses, menses, bimenses, semestria tempora, annos et aevorum (Yuga) periodum efficit. Velox et immutabilis emanationis mensura est oculorum nictatio. Quindecim oculorum nictationes sunt unum momentum. Triginta momenta sunt unum minutum. Viginti minuta sunt una hora. Minutum vero decem partes habet. Triginta horae sunt dies et

nox. Quindecim dies et noctes sunt dimidius mensis. Haec duo, plenilunium et interlunium sunt unus mensis. Porro Januarius cum Februario et ceteri duodecim menses, bimestre anni tempus efficiendo, sex anni tempora fiunt. Haec sunt: posterior hiems, ver, aestas, tempus pluvium, autumnus, anterior hiems. Horum menses Tapas et Tapasyas (Febr. et Mart.) sunt posterior hiems; mellificationis bimensis (April. et Maj.) est ver; Śuchis et Śukras (Jun. et Jul.) sunt aestas; Nab'has et Nab'hasyas (August. et Septembr.) sunt tempus pluvium; Ishas et Úrjas (Octobr. et Novem.) sunt autumnus: Sahas et Sahasyas (Decembr. et Jan.) sunt anterior hiems. Haec ipsa, scilicet frigus, calor et pluvia, sunt lunae et solis phaenomena ex temporis partium effectu. Semestria tempora duo sunt meridionale et septentrionale. Horum meridionale est tempus pluvium, autumnus et anterior hiems. In his venerabilis Luna irrigat, acidi, salsi et dulces sapores validi fiunt, ultra ultraque omnium animantium robur increscit. Septentrionale est posterior hiems, ver et aestas. In his venerabilis Sol irrigat, amari, adstringentes et pungentes sapores validi fiunt, ultra ultraque omnium animantium robur minuitur.

Est hic ślokas:

„Luna humectat terram, Sol autem exsiccat. His ambobus vero congressis, Ventus tuetur creaturas."

Sed revera semestria duo conjuncta sunt annus. Horum vero quinque Yugam nomen accipiunt. Hoc vero ab oculorum nictationibus incipiens et in Yugam desinens tempus, rotae instar se volvens, temporis rota appellatur. Sic quidam dicunt.

Hic vero tempus pluvium, autumnus, anterior hiems, ver, aestas, posterior hiems sex anni tempora sunt, — corruptorum humorum, congestionum, irritationum et sedationum causae. Haec anni tempora vero, bimestri a plenilunio prope Pegasi alas incipiente, explicata sunt hoc modo:

Plenilunium prope Pegasi alas et plenilunium in Arietis capite est tempus pluvium.

Plenilunium prope Plejades et plenilunium in Orionis capite es. autumnus.

Plenilunium in δ Cancri est in α, γ, ζ, η, ν Leonis est anterior hiems

Plenilunium in δ Leonis et in Virginis spica est ver.

Plenilunium in meridionali Libra et plenilunium in α Scorpionis est aestas.

Plenilunium in δ Sagittarii et plenilunium in α, β, γ Aquilae est posterior hiems.

Porro temporibus pluviis plantae annuae recentes et minus validae sunt; aquae non pellucidae, terrâ et limo abundantes. Hae assumtae in aëre nubibus expanso, et in terra aquis irrigata, ab hominibus humectato corpore,

frigido aëre et condensato igne praeditis, comburuntur; ob combustionem delent bilis cumulum. Hic cumulus autumno in atmosphaera tenuibus nubibus praedita exsiccatur, in luto a solis radiis deploratus biliosos morbos gignit.

Hae plantae annuae ob temporis circuitum circumeuntibus viribus praeditae sunt. Efficaces priore hieme sunt; aquae pellucidae, gratae et ultra modum graves. Hae assumtae ab hominibus, ob tardam solis radiationem frigido aëre et condensato corpore praeditis, non combustae sunt; ob pinguedinem, frigus, pondus et unguedinem cumulum phlegmatis delent. Hic cumulus vere a solis radiis deploratus, minus condensatis corporibus praeditorum hominum phlegmaticos morbos gignit.

Hae plantae annuae aestate exsuccae et asperae, aquae vero ultra modum leves sunt. Hae assumtae ab hominibus corpore per solis ardorem exsiccato praeditis ob asperitatem, levitatem et pelluciditatem delent aëris cumulum. Hic cumulus posteriore hieme ultra modum in terra aquis irrigata humectatis corporibus praeditorum hominum, a frigido aëre et pluvia profectus, aërosos morbos gignit.

Sic hic corruptorum humorum cumulus irritationis origo appellatur.

Porro tempore pluvio, anteriore hieme et astate accumulatorum corruptorum humorum, autumno, vere et posteriore hieme irritatorum remotio efficienda est.

Biliosorum morborum sedatio anteriore hieme, phlegmaticorum astate, aërosorum autumno conveniens est.

Sic hae cumulorum et irritationum sedationes expositae sunt. —

Hic antemeridiano diei tempore veris phaenomenon, medio die aestatis, postmeridiano tempore posterioris hiemis, vespertino tempore pluvii anni temporis, matutino tempore hiemis animadvertat medicus.

Diem et noctem aeque ac pluviam frigoris, caloris et pluviae phaenomenis praeditas esse, ex corruptorum humorum cumulis, irritationibus et sedationibus medicus cognoscat.

Porro, non corruptis anni temporibus, non corruptae herbae annuae et aquae sunt. Hae assumtae vitalitatem, longaevitatem, vim, firmitatem et lumen vitale efficiunt. Harum exitia invisibiliter efficiuntur. Frigus, calor, aër et pluvia plane perversa ptantas annuas et aquas corrumpunt. Ex harum assumtione variorum morborum apparentia vel epidemia oriri potest. Jam vero incorruptarum plantarum annuarum et aquarum assumtio aliquando, incorruptis etiam anni temporibus, Krĭtyarum, Piśâcharum et Rakshasarum iracundiis et injuriis, comminuit homines. —

Quae regio venenosarum herbarum et florum odore, ventis adducto, invaditur, ibi, corruptis humoribus procreatis, homines praecipue tussi, anhelitu, vomitu, catarrhis, capitis morbis et febribus, aut a planetarum et

astrorum cursu, aut a domo, uxoribus, somno, sessione, itione, vectione et gemmarum, margaritarum, regalium insignium et maledictionis signo ortis, vexantur. Hic institione, relictione, tranquillitate, actione, abundante cogitatione, bonae fortunae invocatione, holocausto, Deorum oblatione, ad Guros manuum implicatione et veneratione, devotione, observantia religiosa, clementia, donis, sacrificatione, promissis ad Deos, Bràhmanàs, Guros et alios salus efficienda est. —

Inde in posterum anni temporum incorruptorum signa demonstraturi sumus.

„Ventus nimis septentrionalis aggressus; pulvere et exhalatione turbatae regiones; obductus pluviis sol; cum frigore conjunctae aquarum sedes; superbae aves aquaticae, rhinocerotes, bubali, arietes et elephantes; Symplocos racemosa, Panicum italicum et Rottleria tinctoria florentia anteriore hieme adsunt.

Posteriore hieme nimium frigus; ventis et pluviis perturbatae coeli plagae adsunt.

Omnia reliqua signa sapientibus dignoscenda sunt ex anterioris hiemis similitudine.

Regiones verno tempore clarae, sylvis exornatae, Buteâ frondosa, Nelumbio specioso, Mimusopse elengi, Manjifera indica, Jonesia asoka et ceteris floribus ornatae, Kokilis et apium examinibus sonorae, animum rapientes, meridionalibus ventis perspiratae, amoenae visu et germinibus splendidae sunt.

Aestate calidus est celer sol; ventus africus (Nairĭtas) ingratus; terra perusta; fluvii tenues; coeli plagae quasi inflammatae, circumvaga Anatum Casarcarum paria; ob aquam bibendam perturbatae Antilopae; delapsi surculi, gramina, convolvulae plantae; exfoliatae arbores animadversae sunt.

Posteriore hieme atmosphaera instructa est nubibus occidentali vento laceratis, imbribus fulgure collustratis, tumultuosisque fragoribus; terra mollibus et violaceis graminibus dives, coccinellis splendida, Nauclea cadamba, Ixora banduca, Echite antidysenterica, Shorea robusta et Pandano odoratissimo decorata est.

Pluviis temporibus fluviis, aquis et stagnis arva et arbores laesa; paludes palmis (Protp'hulla), Nymphaeâ esculenta, Nymphaea coerulea splendidae; terra in interiore fundo excavata et multis fructibus ornata; coelum non valde strepante pluvia, nubibus incluso sole et planetis praeditum est.

Valde calidus autumno sol; albis nubibus pellucidum coelum; sic lacus aquae undis, anseres jactantibus exornati; in profundis, altis et planis locis limo et aridis arboribus impleta terra, Barleriâ caerulea, Pentapete, Saccharo spontaneo et Terminaliâ alata tomentosa exornata est.

Anni temporibus valde secundis, aut adversis, aut iniquis, corrupti hominum humores per suas qualitates irritantur.

Rapiat medicus vere phlegma, bilem autumno eripiat, pluvio tempore sedet aërem, priusquam morbus erumpat."

Caput VII.

Nunc vero de instrumentorum praeceptis caput expedituri sumus.

Centum et unum instrumenta, manumque, tanquam instrumentorum praestantissimum, recipe. Quam ob causam? Quia sine manu instrumentorum inertia est propter dependentiam actionum instrumentorum.

Hic animum et corpus dolore afficientes sagittae, harum extrahendarum methodus et instrumenta.

Instrumentorum sex genera sunt hoc modo: uncinata instrumenta, forcipum instrumenta, palmiformia instrumenta, tubulata instrumenta, hamata instrumenta et secundaria instrumenta.

Porro viginti quatuor uncinata instrumenta, duo forcipum instrumenta, duo etiam palmiformia instrumenta, viginti tubulata, viginti octo hamata, viginti quinque secundaria instrumenta sunt.

Instrumenta plerumque ferrea sunt, aut his similia, si ferrea desunt.

Rursus instrumentorum rostra plerumque rostris ferarum et rapacium avium, ad varia genera pertinentium, similia sunt. Idcirco ea illorum formae, legi, instructioni et aliorum instrumentorum conspectui convenienter faciat faber

„Instrumenta pura, acutis et subtilibus rostris praedita, valde firma, bene formata, bene prehendentia faber faciat."

Uncinata instrumenta octodecim transversos digitos longa, leonis, tigris, lupi, hyaenae, ursi, pantheris, felis, canis aureae, antilopae, elephantis, pavonis, cornicis, ardeae, ossifragi, picae, galli, leporis, accipitris, ululae, hieracis, falconis, vulturis, rubetrae, lanii malabarici ungulis et auribus similia, infragilia, felicibus rostris instructa, pulvillorum generibus parvis ligata, in radice unci instar inflexo manubrio praedita, ossium occultarumque sagittarum extrahendarum causâ demonstrantur.

Duae forcipes, denticulata et non denticulata, sedecim digitos transversos longae, cutem, carnem, vasa et tendines ingressarum sagittarum extrahendarum causâ demonstrantur.

Duo palmiformia instrumenta, duodecim digitos transversos longa, piscium palati instar unâ palma vel duabus palmis instructa, ex aurium et nasi tubis extrahendarum sagittarum causâ demonstrantur.

Tubulata instrumenta multimoda, multipliciter adhibenda, simplici orificio et duobus orificiis instructa, aures ingressorum spiculorum extrahendorum causâ et morborum inspiciendorum causâ, imbibendi causâ, laborandi, ex tempore medicamenta praeparandi causâ, auditorii meatus latitudine praedita, aut pro applicatione lata et longa demonstrantur.

Fistularum ani, haemorrhoidum, ophthalmiae, vulnerum (ulcerum), alvi, ventris et urinae, tumorum, aquosae abdominis intumescentiae, vaporis, inclusae expansionis, obstructi ani instrumenta insuper indicabimus, scilicet cucurbitarum (Alábu) et cornuum instrumenta.

Hamata instrumenta etiam multimoda, varie applicanda, et pro applicatione lata et longa sunt. Inter haec lumbrico, sagittarum pennae, serpentum capiti, hami cuspidi similia duo instrumenta, explorandi, indagandi, labefactandi et extrahendi causâ, demonstrantur; pisi siliquae congruis cuspidibus instructa duo, paululum inclinatis verticibus praedita, aures ingressorum spiculorum extrahendorum causâ demonstrantur; sex diadematibus ex erioxylo factis similia, pro detergendi negotiis; tria cochleari similia, excavato ore instructa, essentiarum et medicamentorum praebendorum causâ; tria alia Eugeniae Jambu fructui similibus oribus instructa; tria uncinatis cuspidibus praedita; sex in ignis actionibus non destruenda; ex naso tuberum extrahendorum causâ unum, coxae ossis lamellae congruum, oris cavitate et acutis labiis instructum; collyrii applicandi causâ unum pisi globulo simile a duobus lateribus, floris calici simili vertice instructum; urinae viarum purificandarum causâ unum, sicut Jasmini grandiflori florum petiolus in verticis fine globulo instructum.

Secundaria instrumenta vero sunt restes, crines plexi, fasciae, corii lora, arborum cortices, convolutae plantae, lintea, ossicula, terra, calculi, mallei, manuum et pedum palmae et digiti, lingua, dentes, ungues, os, crines, equorum strata, arborum ossicula, in sylvam vectio, gaudium, magnes lapis, cameli, causticum, cauterium et medicamenta.

„Haec in corpore toto, sicut in corporis membro, articulo, intestino, vaseque ad praeceptum adhiberi jubeat medicus."

Instrumentorum vero opera: dissectio, expletio, vinctura, indagatio, versatio, labefactatio, circumversio, perforatio, vastatio, viarum purificatio, evulsio, extractio, collyriorum applicatio, adlevatio, inclinatio, fractio, commotio, suctus, exploratio, laceratio, rectitudinis effectio, ablutio, inflatio, tersus, — sunt viginti quatuor.

„Sua sapientia autem discernat intrumentorum opera sapiens. Ex innumerabili dubitatione instrumentorum dijudicatio existit."

Hic nimis crassum, infirmum, nimis longum, nimis breve, non tenax, inique tenax, incurvum, laxum, nimis altum, exile in lamella, exile in mucrone et exile in ligamento duodecim instrumentorum vitia sunt.

„His vitiis liberatum et octodecim transversos digitos longum instrumentum a medico comprobatum cognoscendum est; hoc enim in operationibus adhiberi jubeat.

Visibilem sagittam instrumentis, leonis ore et cet. instructis, occultam vero ardeae rostro et cet instructis extrahat tarde, ferri insertionem respiciens.

Quia circumvertit medicus apteque agitat sagittam et captam extrahit, ideo in instrumentis ardeae rostro similis qualitas sit, incorrupta in omnibus locis.“

Caput VIII.

Nunc vero de scalpellorum consideratione caput exposituri sumus.

Viginti scalpelli sunt hoc modo: ensiformis scalpellus, serratus, erectis foliis similis, unguium cultro similis, annulis signatoriis similis, Loti foliis similis, ad dimidiam partem acutus, acui similis, Poae cynosuroidae foliis similis, Saráris rostro similis, in medio rostratus, Turdi ginginiani rostro similis, triceps, securi similis, oryzae aculeo similis, subulae similis, Calami rotang foliis similis, hamo similis, squatinae dentibus similis, specillo similis. —

Ensiformes et serrati scalpelli in incissione et scarificatione versantur; erectis foliis, unguium cultro, annulis signatoriis, Loti foliis similes, ad dimidiam partem acuti in incisione et resectione; acui, Poae cynosuroidae foliis, Turdi ginginiani rostro et Saráris rostro similes, in medio rostrati et tricipites in incissione sanguinis; securi, oryzae aculeo, subulae, Calami rotang foliis et acui similes in perforatione; hamo, squatinae dentibus similes in attractione; specillo similes in exploratione et indagatione; acus in suendo.

Horum vero ex praescripta adhibitione celere remedium in operationibus indicabitur.

Erecto folio similem scalpellum in divisione, petiolorum et fructuum divisionibus simili, capiat medicus. Incissiones sic omnes.

Erecto folio similem et ensiformem scalpellum capiat medicus paululum expansa manu in scarificatione. Saepe petioli cuspide amovenda sunt fluida (sanguis et cet.).

Praecipue infantium, senum, parvulorum, timidorum, feminarum, regum et regis filiorum sanguinem tricipite scalpello mittat medicus.

In palma manubrium occultans, oryzae aculeo similem scalpellum pollice et digito indice capiat.

Securi similem scalpellum, in sinistra manu positum, et alterius manus digito medio et pollice stabilitum, feriat.

Subulae similem, serratum et specillo similem scalpellum in radice, ceteros vero ad praescriptum capiat.

Per scalpellorum nomina etiam eorum figurae plerumque expositae sunt.

Porro unguium scalpelli et specillum, octo transversos digitos longa, et acus indicabuntur.

Hamo et squatinae dentibus similes scalpelli, incurvatis mucronibus instructi, Daturae metel et primorum Hordei hexastichi foliorum cacumini similes sunt.

Specillo similes ad lumbricorum formam mucronem habent.

A digiti indicis cacumine usque ad pollicis cacumen spithamam longus est annulo signatorio similis scalpellus.

Saráris rostro congrui scalpelli, decem transversos digitos longi, forfici similes indicantur.

Reliqui vero sex digitos transversos longi sunt. —

Scalpelli faciles prehensu, probo ferro fabricati, valde acuti, bene formati, bene purificati, ne rostra et cuspides terribilia sint. Sic scalpellorum perfectio.

Porro incurvum, hebes, fractum, aspere acutum, nimis crassum, nimis exiguum, nimis longum, nimis breve, sunt octo scalpellorum vitia. Horum perversam hanc qualitatem tollat, serrâ excepta, quae est aspere acuta, ossium praecidendorum causâ.

Porro scalpelli acies in resectionibus sit barbae caesariem longa; in scarificationibus dimidiam barbae caesariem; in perforationibus et derivationibus capillum longa; in incissionibus dimidium capillum.

Scalpellorum irrigatio est triplex: in lixivio, in aqua et in oleo Sesami orientalis. In lixivio irrigatus scalpellus adhibetur in sagittis, telis et ossibus resecandis; in aqua irrigatus in carne incidenda, resecanda et dilatanda; in oleo Sesami orientalis irrigatus in vasis, nervis et tendinibus incidendis.

Scalpellorum exacuendorum causâ lenis lapis Phaseoli radiati colore praeditus, et aciei asservandae causâ Bombacis heptaphylli folium adhibetur.

Est hic ślokas:

„Quando bene acutus scalpellus, crinem findens, bene asservatus est, tum bene prehensum medicus ex praescripto in operationibus adhiberi jubeat."

Post scalpellos vero Bambusa arundinacea, crystallum, vitrum, rubinus, hirudines, cauterium, causticum, ungues, Gojí, Nycthantis arboris tristis et Sacchari spontanei folia, Capparis aphylla et digiti adhibentur.

„Apud parvulos, scalpellis perterritos, et in scalpellorum absentia, quatuor genera, a Bambusa arundinacea incipientia, in incidendo et resecando adhibeat sapiens. In adducendis, incidendis et resecandis pro facultate unguem adhibeat. Praeceptum caustici, cauterii et hirudinum posterius tradetur.

Qui morbi os, oculos et palpebras invaserunt, illos Gojí, Nycthantis arboris tristis et Sacchari spontanei foliis derivet medicus. In explorationibus, specillo deficiente, setae, digiti et surculi apta sunt.

Hos scalpellos puros, acutos et ferreos a fabro in fabricationibus perfecto et operationum gnaro excudi jubeat medicus. Applicationum peritum medicum successus sequitur semper. Quocirca notitia scalpellorum ab initio semper acquirenda est."

Caput IX.

Nunc vero de exercitationis praecepto caput expadituri sumus.

Omnibus doctrinis quamvis instructum discipulum exercitationes faciendas doceat magister. In incisionibus et cet., in inunctionibus et cet. operationis viam demonstret. Perquam edoctus enim, deficiente exercitatione, in operationibus inexercitus est.

Hic in floribus, fructibus, Cucurbita lagenari, Kalindaceo plumbo, Cucumeri utilatissimo, Cucurbita pepone et ceteris, incisionum genera ostendat, sursum versas incisiones circumcisionesque demonstret; in folliculo, panni sacco et ceteris aquâ et luto impletis resecandi exercitationem; in crinita animalium cute expansa scarificandi; in mortuorum animalium vasis et in Nymphaearum caerulearum caulibus tubulatis perforandi; in teredine necata, in lignorum, Bambusae arundinaceae et Arundinis karkae caulibus tubulatis, et in aridae Cucurbitae lagenaris cavis explorandi; in Artocarpi integrifoliae, Momordicae monadelphae et Aegles marmeli fructibus et medullis, in mortuorum animalium dentibus extrahendi; in Bombacis heptaphylli capsulis cerâ oblitis sanguinis mittendi; in tenuis cutis et panni margine, in mollis corticis margine suendi; in farcti cameli et hominis membrorum et organorum formis deligandi exercitationem; in molli carne, in ovis et in Nymphaearum caerulearum caulibus tubulatis aurium conjungendarum et deligandarum exercitationem; in mollis carnis frustis cauterii et caustici applicationem demonstret magister; in defluxione ex lateribus fictilis aquâ impleti, in Cucurbitae lagenaris orificiis et cet. circa oculorum laesiones, abdominis vulnera vexationesque exercitationem demonstret.

Sunt hic ślokae:

„Sic prudens, in reliquis exercitationi aptis rebus ad praescriptum exercitationem instituens, non conturbatur in operationibus. Itaque medicus, prosperitatem in scalpellorum, caustici et cauterii operationibus desiderans, in quacunque re fas est, ibi exercitationem instituat."

Caput X.

Nunc vero de acus immissione caput exposituri sumus.

Medico in doctrinis (Tantra) bene versato, doctrinarum materiis assidenti, operationes intuito, exercitatione defuncto, scientiarum (Śástra) causâ celebrato, regali permissione praedito, parvos ungues et capillos habenti, puro, alba veste induto, umbella instructo, baculum in manu tenenti, modesto, non ornamentis elato, persapienti, feliciter nominato, non fraudulento, creaturis amico et bene sociali acum immittere licet.

Inde cum faustis nuntiis, signis, ominibus et fortuna desiderabili aegroti domum medicus aggressus et ingressus aegrotum inspiciat, manu tentet et interroget. Tribus his diagnoseos subsidiis morbi plerumque agnoscendi sunt. Sic quidam dicunt. Hoc vero non omnino sic se habet. Sextuplex enim morborum diagnoseos subsidium est, hoc modo: per quinque sensus, auditum et cet., et per interrogationem.

Tactu sensu dignoscenda sunt frigus, calor, tenuitas, crassities, mollities, durities et cetera in febribus, tumoribus et ceteris.

Visu sensu dignoscenda sunt corporis incrementum et decrementum, aetatis signa, virium colorisque mutationes et cetera.

Gustatu sensu dignoscendae sunt in urina et ceteris saporum differentiae.

Olfactu sensu dignoscendae sunt in letalibus symptomatibus et ceteris vulnerum et aliorum morborum olfactoriae differentiae.

Interrogatione dignoscat regionem, tempus, stirpem, veram morbi originem, doloris altitudinem, vim, bonam digestionem, aëris, urinae excrementorum et menstruorum processum et cessationem, temporeque infossas ceteras differentias.

In diagnoseos subsidiis inter se similibus ex eorum stabilibus decernat medicus.

Est hic ślokas:

„Falso enim visi morbi, perverse appellati et perverse reputati perturbant medicum."

Sic intuitus morbos curabiles curet, dubios declinet, incurabiles ne suscipiat, per anni circuitum increscentes plerumque relinquat medicus. Porro morbi quamvis sanabiles sua conditione difficillimi curatu fiunt hoc modo: — Bráhmańarum, dominatorum, feminarum, infantium, senum, timidorum, regum, servorum, aleatorum, emaciatorum, eruditorum, morbosa dispositione praeditorum, pauperum, avarorum, iracundorum, stultorum, independentium curationem meditatus instituens, virtutem, divitias, caritatem et gloriam medicus adipiscitur.

Est hic ślokas:

Foeminarum risum, colloquium jocumque medicus amoveat, dataque ab his. Non assumendum est aliud, ac cibus ad medici electum."

Caput XI.

Nunc vero de lixivii caustici coquendi praecepto caput expositurisumus.

Scalpelli, et post scalpellos lixivium causticum praestantissimum est ob incidendi, findendi et scarificandi effectionem, ob trium humorum corruptorum destructionem, ob usumque in variis operationibus. Ideo lixivium causticum (kshára) a destruendo (kshar) vel vulnerando derivatur.

Propter variarum plantarum multitudinem trium humorum vitia lixivium delet; ob pelluciditatem gratum est. Hujus grati et excellentis lixivii vis in urendo, maturando, dissecando et cet. non circumscripta est. Id revera ob ignearum plantarum turbam et multitudinem pungens, calidum, acutum, maturans, liquefaciens, purificans, animum perturbans, exsiccans, stabiliens, scarificans, helminthiasin, phlegma, lepram, venenum et adipem occidens, semenque virile admodum adjuvans est. Duplex est, cicatricans et potabile. Ibi cicatricans in lepra, morbo pediculari, in impetiginibus, papulis, guttis leprae rotundis, ani fistulis, in ophthalmia, malignis vulneribus, ulceribus fistulosis, minutis in cute maculis, lentiginibus, contemptibilibus genarum maculis atris, parvis verrucis, externis phlegmonis, insectorum venenis et in haemorrhoidibus indicatur. In septem oris morbis, — in uvula, in superiore linguae parte, in corruptis dentibus, in balbutie, in tribus anginis, — etiam post scalpellos praestantissimum declaratum est. Potabile vero in veneficio, splenis incremento, abdominis intumescentiis, in calore, in colicis passionibus, in indigestione, inappetentia, ischuria, calculorum morbo, lithiasi, interioribus phlegmonis, in insectorum veneficio et in haemorrhoidibus adhibetur.

Insalubre vero est aegrotis haemorrhagiâ biliosa tentatis, febricitantibus, ex bile laborantibus, infantibus, senibus, emaciatis, vertigine, stupore, lipothymia et caecitate affectis. Sic etiam in aliis morborum generibus.

Lixivium vero non recte decoctum effundat medicus.

Lixivii prolixa demonstratio alibi.

Lixivium causticum triplex est: mite, mediocre, acre.

Lixivium paraturus medicus purus autumno magnam caeruleam Bignoniam indicam, in montis radice ortam, cum adusserit, fausto die et in regione fausta natam, non laesam et aetate media praeditam suffimentis cum coluerit et postero die cum abripuerit; precario hymno (Mantra):

„Ignis potentia, magna potentia, ne tua potentia pereat! hic nempe sta, „eximia! meum negotium geres; meo negotio gesto, postea Indrae coelum (svarga) intrabis,“

mille albos et rubros flores sacrificet. Particulatim eam cum adornaverit, abripuerit, in non ventosa regione collegerit, lateres et lapides deposuerit, Sesami orientalis culmis incendat. Tum, igne sedato, hunc cinerem cinerisque calculos separatim capiat.

Hoc modo etiam Echiten antidysentericam, Buteam frondosam, Shoream robustam, Erythrinam fulgentem, Terminaliam belericam, Cassiam fistulam, Symplocon racemosam, Asclepiadem giganteam, Euphorbiam antiquorum, Achyranthem asperam, Bignoniam svaveolentem, Galedupam arboream, Justiciam gandcrussam, Musam paradisiacam, Plumbaginem Zeylanicam, Caesalpiniam bonducellam, Jasminum angustifolium, Nerium odorum, Echiten scholarem, Premnam spinosam, Abrum precatorium et Trichosanthem dioecam cum radicibus, fructibus, foliis et ramis comburat.

Deinde cineris Dronam unam cum sex Dronis aquae aut totidem urinae medicus cum commiscuerit et viginti unam quantitates affuderit, in magno aheno tarde capulâ agitans coquat. Hoc quando fit pellucidum, rubidum, acre et fluidum, id deponat, in magno panno percolet, et, residuo dimisso, iterum in igne coquat. Tum de cineris aqua Kundinam aut super dimidiam partem abducat. Deinde foci calculos, cineris calculos, aquae decoctionem et concharum umbilicos cum igniverit, in ferrea patera in illam cineris aquam immerserit, contriverit, et cum hac quantitatem concharum umbilicorum et ceterorum, duo Drona et octo Palas metientem, commiscuerit, semper hoc agitans coquat prudens. Hoc, ne nimis condensum, neve nimis extenuatum fiat, adnitatur. Tum hoc coctione peractum praecipitandum curet et hujus dimidium in ferrea hydria, contecto orificio instructa, custoditum asservet.

Hoc sic commixtum, coctum et in ordinem redactum mite lixivium causticum est.

In commixtione prout receptae sunt Danti, Antheri tuberosi, Plumbaginis zeylanicae, Commelinae salicifoliae, Caesalpiniae bonducellae, coralliorum, Salviniae cucullatae, Muriatis sodae impurae, Alkali, Daturae metel, Mimopsis kauki, Asae foetidae, Acori calami et nucum indicarum partes aequales subtiliter pulveratae, unam Suktim metientes, commixtionis qualitas efficitur.

Haec sic commixta et cocta Alkalia acria sunt. Pro morborum vehementia eorum applicatio est.

In exigua lixivii vi cineris aquam affundat, vim efficiendi causâ.

Sunt hic ślokae:

„Ne sit nimis acre, ne nimis mite, sit vero album, subtile, fluidum,

destillatum, salubre et volatile lixivium causticum, octo his qualitatibus praeditum. Nimia mollitudo, frigus, calor, acritudo, tenuitas, fluentia, crassities, cruditas et substantiarum inopia vitia sunt."

Deinde medicus, lixivio caustico confecto, cum aegrotum considere jusserit in non ventosa, non calida et non praeclusa regione, primo colligere debet dicto praecepto comparatas res necessarias.

Deinde, aegroti conditione inspecta, contacta, descripta, exquisita, et per penicillum lixivio caustico instillato, hanc centum verborum summam respiciat:

„In hoc aggresso morbo nigritudo ustionis signum est. Ibi acidorum classis conjuncta cum butyro clarificato et liquiritia sedans est. Si vero ob firmam radicem (corporis elementum) pars lixivio caustico usta non destruitur, tum medicus hoc unguentum totum recipiat: — acide fermentatorum oryzae granorum, olei Sesami orientalis et liquiritiae aequales partes cum contriverit, de hoc illinat.

Olei sedimentum cum liquiritia butyroque clarificato commixtum, sic cum gustu acido, acri et perquam calido conjunctum, vulnera perturbat.

Butyro per ignem clarificato simile lixivium causticum quomodo sedationem efficit? Hoc modo; si tibi videtur, care, enarratum a me cognosce! Aciditate omnes sapores in lixivio caustico sane privari possunt. Pungens gustus plurimum salis fossilis saporem habet. Cum aciditate conjunctus ille acer et salinus sapor dulcedinem suscipit, ultra modum acrem indolem relinquit, et ob dulcedinem sedationem nanciscitur ignis, aquis quasi perfluxus."

Porro in recte cocto lixivio morbi sedatio, levamentum indolentiaque; in vitiose cocto dolor, scabies, frigus et morborum incrementum; in nimis usto calor, effervescentia, rubor, destillatio, corporis pruritus, fatigatio, sitis, lipothymia et mors sunt. Lixivio vero caustico ustum vulnus, prout vitium et prout morbus postulat, medicus efficiat.

Neque vero hi lixivio caustico curandi sunt: infirmi, infantes, senes, timidi, in omnibus membris tumidi, ex abdominis tumore et haemorrhagia biliosa laborantes, gravidatae, menstruantes, vehementibus febribus affecti, urinariis affectionibus obnoxii, in pectore vulnerati, emaciati, siti et lypothymia correpti, eunuchi, diarrhoeici, vomiturientes et fructum in utero gerentes. Sic in organorum, vasorum, tendinum, nervorum, articulorum, juvenilium ossium, cranii suturarum, gutturis, umbilici, digitorum, internarum partium tumoribus, in sensuum organis exigua carne praeditis et in oculorum regionibus, excepto palpebrarum morbo, ne det lixivium causticum. Porro in morbis lixivio caustico quamvis curabilibus tumido corpore vexatum, ex ossium doloribus laborantem, cibus aversantem, cordis, articulorum doloribus correptum aegrotum non sanat lixivium causticum.

Est hic ślokas:

„Veneno, igni, sagittae, fulmini et morti simile lixivium causticum est exigua mente adhibitum; hoc vero a sapiente omnino adhibitum morbos terribiles brevi tempore depulsare potest.“

Caput XII.

Nunc vero de ignis usu praeceptum expositiuri sumus.

Lixivio caustico gravior ignis in operationibus demonstratus est propterea, quod morbi igne adusti non rursus apparent et quod morbos medicamentis, scalpellis et lixivio caustico insanabiles sanat.

Sed ustionis instrumenta haec sunt: Piper longum, caprarum excrementa, vaccae dentes, Saccharum sara et Vangueria spinosa in morbis cutem aggressis adhibentur; Eugenia Jambu, Bryonia grandis et varia ferra in morbis carnem aggressis; aqua, Saccharum officinarum et oleosae substantiae in morbis vasa, tendines, articulos et ossa agressis. Ignis (cauterii actualis) actionem omnibus anni temporibus medicus instituat, exceptis autumno (Septembr. et Octobr.) et aestate (Jun., Jul.). In letali, per ignis usum sanabili, morbo medicus cum remediale praeceptum instituerit, in omnibus morbis et omnibus anni temporibus mucosum cibum epulati aegroti operationem instituat. In languida alvo, lithiasi, in fistulis ani, haemorrhoidibus et in oris morbis jejuni aegroti operationem instituat.

Porro quidam duplicem ignis usum esse dicunt, cutis ustionem et carnis ustionem. Neque vero in vasis, tendinibus, articulis et ossibus contraindicatus est ignis.

Porro crepitus apparentia, malus odor, cutis contractio in cutis ustione; columbae domesticae color, parvus tumor, dolor, sicca et contracta vulneratio in carnis ustione; nigra editaque vulneratio et destillationis cohibitio in vasorum et tendinum ustione; aspera fuscitas, violens et dura vulneratio in articulorum et ossium ustione est.

In capitis morbis et oculorum malis urat medicus in superciliorum, frontis et temporum regionibus. In palpebrarum morbis, oculi bulbo humidis pannis obtecto, palpebrarum cilia cavaque urat. In perquam vehemente cutis, carnis, vasorum, tendinum, articulorum et ossium morbo, in aëre organico, in ulcere erecta, dura sopitaque carne praedito, in articulorum nodis, in haemorrhoidibus, in insensili tumore, in ani fistulis, in immatura elephantiasi, in cutis inflammatione, in corporis maculis, in intestinorum tumoribus, in articulorum et vasorum incisionibus et ceteris, in vehementibus sanguinis ex vasis eruptionibus ignis usum instituat.

Jam vero pro morborum sedis divisione ignis usus quadrupliciter dividitur hoc modo: annulus (moxa), instillatio (aqua fervida), linealis ustio et impressa ustio sunt ustionis genera.

Est hic ślokas:

„Itaque medicus, cognita invaletudinis sede, hominis organis, vehemente et non vehemente morbo, annique temporibus perspectis, ignis usum adhibeat."

Deinde, ustione omnino peracta, melle et butyro clarificato fiat inunctio. Sed hos ab igne liberet: fellifluum, interiori haemorrhagiae obnoxium, ex perforatis intestinis laborantem, sagittam adhuc non ereptam gerentem, imbellem, infantem, senem, timidum, multis vulneribus vexatum et non calefaciendos. —

In posterum vero ustionis signum indicaturi sumus.

Mollem asperamve substantiam ingressus ignis comburit. Igne fervefactum oleum, quia tenuia vasa assequitur, cutem et cetera aggressum comburit. Itaque in ustione per oleum morbi majores evadunt.

Existit vero ustio simplex, dura ustio, completa ustio et nimia ustio; quadruplex igitur per ignem ustio.

Quod valde decolor uritur, hoc simplex ustio est. Ubi tumores vehementes, cutis inflammatio, aestus, rubor, maturatio et dolores exsurgunt et sero sedantur, hoc dura ustio est. Completa ustio, non adhuc eloto Borassi flabelliformis fructus colore praedita, bene constituta et priore signo instructa est. In nimia ustione carnis consumtio, nembrorum disjunctio, vasorum, tendinum, articulorum et ossium destructio ultra modum, febris, aestus, sitis et lipothymia phaenomena fiunt. Cujus vero vulnus diu exsurgit, id auctum et decolor fit.

Hoc est quadruplex ustionis signum per ignem, hujus scilicet actione effectum.

Sunt hic ślokae:

„Irritatus hominis sanguis valde irritari potest igne. Ideo hujus impetu illius bilis erumpit. Aequales enim duae vires, gustus et substantia, ignis impetu, hominis vehementes dolores efficiente, comburuntur, tumores celeriter oriuntur, febris sitisque augentur.

Aegroti usti sedandi gratia curatio indicatur.

Cauterizati aegroti ustio per ignem efficienda est; calor sic remedium est.

In corpore maxime sudante exsudatus est sanguis; naturaliter enim aqua frigida est, sanguis vero valdae se movet; itaque exhilarat calor, neque vero unquam frigus.

Frigidam et calidam curationem in dura ustione medicus rursus instituat. Butyri clarificati inunctiones et adpersiones frigidas faciat.

In completa ustione vero vaccino lacte, Ficu infectoria, Sirio myr-

tifolio, calce, ambrosiis cum butyro clarificato unguentis inunctionem instituendam medicus curet. Porcorum et bubalorum fluidis contritis axungiis illum illinat. Bilis et phlegmones instar ille semper calidus fieri potest.

In nimia ustione, degeneratis carnibus sublatis, frigidam curationem medicus instituat oryzae et Amaranthi polygami seminibus a palea separatis; Diospyri glutinosae fructuum cortice paratis unguentis cum butyro clarificato commixtis vulnus illinat; aut Menispermi cordifolii foliis humectatis obtegat et curationem completam medicus efficiat, sicut in bilis discessu. Ceram cum melle, Symplocon racemosam, Shoreae robustae resinam, Rubiam manjistam, Sirium myrtifolium et Sansevieram zeylanicam cum medicus contriverit, butyrum clarificatum coquat. Omnium igne coctarum mixturarum haec praestantissima est.

In olei ustione curationem praecipue asperam esse reputet.

In posterum fumo laesi hominis signum indicaturi sumus.

Suspirium petit sternutatque aegrotus ultra modum, vehementer anhelat et tussit; in oculis circularis inflammatio et rubor oritur; simul fumum exhalat; odorem alium, pariterque omnes sapores non dignoscit. Ejus auditus interit. Siti, aestui et febri obnoxius vexatur et animi deliquium patitur.

Fumo laesus sic se habet.

At audi ejus remedium!

Butyrum, sacchari officinarum succum, acinum vinaceum, aquam, sacchari aquam, dulces et acidos sapores pro vomitu dari medicus jubeat. Vomentis stomachus purus fit, fumique odor deletur.

Hoc praecepto tabes, tussis, febres, aestus, animi deliquium, sitis, inflatio, anhelitus catarrhusque horribilis dulcibus, salinis acidisque plantis ore sumtis cessant. Omnino sensuum actiones prehendit, aegroti menti favet, capitis puritatem ei dat medicus scientiarum meditatione gnarus; hujusque hominis visus, caput et collum purificantur. Ne calefacientem, sed levem et gratum cibum illi porrigat.

In aegroto frigoribus, pluviis et ventis laeso calor gratus comprobatur. Sic pro aegroto per nimium ardorem usto salus nunqam existit.

Per Indrae fulminis ignem usto et adhuc viventi homini succurat medicus unguentorum inunctionibus, adspersionibus et illitibus.

Caput XIII.

Nunc vero de hirudinibus adhibendis caput exposituri sumus.

Regum, opulentorum, infantium, senum, timidorum, emaciatorum, feminarum, tenerorumque gratia mitissimum sanguinis detrahendi subsidium hirudo indicata est.

Aëre, bile et phlegmate corruptum sanguinem pro computatione cornibus, hirudinibus et cucurbitulis detrahi medicus jubeat, aut propter crassam et frigidam asperitatem omnia (genera corruptorum humorum) per omnia (derivandi subsidia).

Sunt hic ślokae:

„Calidum, suave et gratum boum cornu dictum est. Itaque ex aëre laboranti salubre hoc est in sanguinis detractione.

In frigore habitantes hirudines, in aqua existentes, suaves sunt. Itaque ex bile laboranti salubres hae sunt in sanguinis detractione.

Cucurbita pungens, aspera et acris dicta est. Itaque ex phlegmate laboranti salubris haec est in sanquinis detractione.“

Ibi in scisso loco cornibus, tympano per tenuem pannum obducto similibus, sanguinem suctu detrahat, intusve lampadem habente cucurbita.

Jaláyukae (jala + áyu = ὑγρόβιοι) nominantur: „per aquosos menses vitam degentes.)“ Jaláyukae (hirudines) etiam Jalaukasae (jala + okas) nominantur: „in aquis domicilium habentes.“

Hae hirudines duodecim sunt; harum sex sunt venenosae, et totidem veneni expertes sunt.

Venenosae hirudines sunt atrae, variegatae, hydris similes, iricolores, maculatae et Sirio myrtifolio similes.

In his atramenti pulveris colore praeditae et capitones sunt atrae. Sicut loricatus Cyprinus chrysoparius longae et rimoso elatoque abdomine instructae sunt variegatae. Pilosae, magno latere praeditae et nigro ore instructae sunt hydris similes. Sicut iris sursum euntibus lineis pictae sunt iricolores. Paululum nigrae Curcumae similes et sicut variegatorum florum genera pictae sunt maculatae. Ut boum testiculi in inferiore parte, ut bis natorum genus (aves), rostro praedita est Sirio myrtifolio similis hirudo.

In homine ab his morso nimia in morsu intumescentia, prurigo, lipothymia, febris, aestus, vomitus, torpor et tabes existunt symptomata. Ibi magna invaletudo potionibus, inunctionibus, operibus ad olfactum pertinentibus et ceteris curanda est.

Iricolorum morsus incurabilis est. Sic hae venenosae hirudines et curationes expositae sunt. —

Nunc vero veneni expertes hirudines: subfuscae, badiae, squatinae ore instructae, muribus similes, amphisbaenae ore instructae et Symploco racemosae similes.

In lateribus sicut arsenicum rubrum tinctae et in posteriore parte grato Phascoli mungonis colore praeditae subfuscae sunt. Paululum rubrae, rotundo corpore praeditae, badiae et celeriter ambulantes sunt badiae. Colore hepatico praeditae, celeriter sugentes et longa acutaque ora habentes sunt

squatinae ore instructae. Murium generis colore praeditae et ingratum odorem habentes sunt muribus similes. Phaseoli mungonis colore praeditae et amphisbaenae instar rostratae sunt amphisbaenae ore instructae. Gratae, Costi speciosi colori similes et octodecim digitos transversos longae sunt Symploco racemosae similes et in pecorum pretio.

Sic hae veneni expertes expositae sunt. Earum regiones sunt Yavana, Páńḋya, Sahya, Pautana et cet.

In his magno corpore instructae, robustae, velociter exsugentes et magnivorae veneni expertes praecipue sunt.

Porro hirudines a venenosorum piscium, insectorum et ranarum urinis, faecibus et putredine, limosisque aquis ortae venenosae sunt. Hirudines vero a Nelumbii speciosi, Nymphaeae caeruleae, Nymphaeae esculentae, Nymphaeae loti, Kuvalayae, Nymphaeae albae et Valisneriae octandrae putredine clarisque aquis ortae expertes veneni sunt.

Est hic ślokas:

„In regionibus incedentes illae, suaveolente aqua praeditis, neque vero impurae incedentes, neque in luto dormitantes exoptatae sunt."

Earum capturam irrigato corio aliisve subsidiis medicus instituat. Sed eas in nova et magna hydria, aquosum stagni piscinaeque limum nacta, deponat. Earum cibandarum causâ sumat Valisneriam octandram, suillam carnem, aquaticosque bulbos contritos; cubilis causâ gramen et aquatica folia. Post biduum triduumve aliam aquam cibumque det; septimo quoque die illas in hydriam aliam indat medicus.

Est hic ślokas:

„Corpulentae in medio, vexatae, amplae, tarde se moventes, non admordentes, paululum sugentes venenosaeque inhonoratae sunt."

Sed aegrotum hirudinum suctu curabilem cum medicus sedere vel considere jusserit; doloreque ejus morbosam sedem affecerit terrae vaccinique stercoris pulveribus, si indolor est; hirudinesque prensas, Sinapis dichotomae et Indigoferae tinctoriae sedimentis et aquis in corpore oblitas et in media hydria per momentum collocatas, cum indefatigatas esse cognoverit, tum per illas morbum tollat.

Subtili, albo et madido erioxyli panno hirudines cum medicus involuerit, earum os develet; non admordenti hirudini lactis sanguinisque guttam det, vel scalpello stigmata faciat. Si vero non adhuc admordeat, tum aliam admordentem curet. Quando autem, ore equi ungulae simili formato corporeque incurvato, aggreditur, tum eam admordere sciat. Admordentem autem, madido panno involutum, teneat et humectet.

Sin in morsu dolores et pruritus apparent, eam purum exsugere medicus sciat. Purum vero exsugentem abducat. Sed a sanguinis odore ne abripiat hirudinis os, sed salis fossilis pulvere eam adspergat. Delapsam hi-

rudinem, oryzâ trita in corpore conspersam, oleo Sesami orientalis et sale fossili in ore oblitam, et sinistrae manus pollice et digito in cauda captam, dextrae manus pollice et digito tarde et recte exprimat usque ad os, et evomentem efficiat tamdiu, quamdiu omnino vomitus signa adsunt. Omnino hirudo cum evomuerit, in hydria deposita et edendi cupida incedat. Quae vero languescit, neque se movet, illa difficulter evomit; eam rursus omnino evomentem efficiat medicus. Difficulter evomentis hirudinis morbus est incurabilis, et sensus torpor oritur. Facile evomentem antea, care, imponat medicus! Sanguinis convenientiam dissolutionemque intuitus hirudinum vulnera melle amoveat et frigidis aquis conspergat, aut liget vulnus, et adstringente, dulci, oleoso frigidoque linimento illinat.

Est hic ślokas:

„Hirudinum domicilia, capturam, generationes, nutrimentum incessumque qui noscit, is morbos per illas curabiles vincere valet.“

Caput XIV.

Nunc vero de sanguinis qualitate caput expositurì sumus.

Jam vero ille quinque elementa continentis, quadruplicis, sex sapores continentis, duplici aut octuplici vi instructi, variis qualitatibus praediti assumti alimenti, omnino digesti, perquam subtilis succus, qui vi vitali factus est, chylus appellatur. Hujus vero locus cor est. Is ex corde viginti quatuor arterias cum emiserit, sursum euntes decem, decem deorsum euntes, quatuor oblique euntes, totum corpus in dies exhilarat, auget, sustentat, movet vivificatque invisibili causa effectiva.

Chyli, corpus percurrentis, motio percipienda est ex conclusione per decrementum, incrementum et conversionem. In illo totum corpus, omnia membra, vitia humorum, corporis elementa, secretiones et intestina penetrante chylo cognoscendi desiderium est, quid sit illa placida vis vitalis?

Chylus revera dicitur motione esse praeditus; inunctione, vivificatione, exhilaratione, conservatione et ceteris actionibus placidus intelligitur.

Chylus revera aquosus est; hepar et lien assecutus ruborem adipiscitur.

Sunt hic ślokae:

„Colorati et vi praediti humores in hominum corporibus, non interfecti a puro, sanguinis vocantur. Ex chylo etiam feminae sanguis, menstrua appellatus, procedit, qui ab anno aetatis decimo prodit, et quinquagesimo cessat.“

Menstrualis vero sanguis est igneus ob ignis generationem in utero. Sanguinem quinque elementa continentem, alii praeceptores (ájáryae) vitam esse dicunt.

„Expansio, motio, rubor, celeritas, levitas, pariterque terrae ceterorumque elementorum qualitates conspiciuntur etiam hic in sanguine.

Ex chylo sanguis, inde caro, ex carne tela cellulosa generatur, ex tela cellulosa os, inde medulla, ex medulla seminis virilis origo.

Horum corporis elementorum exhilarator est chylus ex cibo et potu.

Hominem a chylo ortum esse medicus cognoscat; chylum ex cibo et potu intente conservet sapiens indefessusque in doctrina medicus.

Porro in chyli motu corporis elementa fiunt; itaque etiam in dies se movet chylus. Is revera per tria quaeque millia et quindecim Kalarum in unoquoque corporis elemento perdurat.

Sic per mensem chylus fit semen virile et feminarum menstrua.

Est hic ślokas:

„Octodecim millia numerorum in hac computatione nonaginta Kalae indictae sunt a libero et servo.“

Hic chylus, soni, luminis et aquae expansionis instar, per minutum intervallum percurrit sane totum corpus. Stimulantes vero plantae assumtae, ob propriae vis et qualitatis excellentiam, ad evacuationis similitudinem, celeriter semen virile evacuant. Veluti enim odor in floris calyce versatus neque dici potest: „ibi est,“ neque: „non ibi est“; sic autem existentium rerum manifestatio se habet. His enim creatis, totum se non manifestat ob rerum subtilitatem. Veluti hic odor, foliis et filamentis expansis, temporis intervallo manifestationem subit, sic juvenum quoque post pueritiae decursum, semen virile apparet, deinde pubis series et cet., tum menstrua et ceterae feminarum distinctiones. Menstruis se colligentibus, sensim sensimque uberum, uteri sedis et vulvae incrementum existit. Ille vero ex alimentis chylus ob senum decrepitam et non digerentem corporis constitutionem satiatus est.

Haec corporis elementa, quia corpus sustentant, sic appellantur. Horum decrementum et incrementum in sanguine causam habent. Ideo hunc electum explicaturi sumus.

Sanguis spumosus, nigricans, caeruleus, asper, tenuis, velociter iens et immobilis, aëre corruptus est.

Sanguis fuscus, flavidus, subviridis, badius, crudae carnis odore ingrato praeditus, formicarum et muscarum motu instructus, bile corruptus est.

Sanguis, aquae calcis rubrae similis, unguinosus, frigidus, durus, ductilis, diu fluens, carnis particulis similis, phlegmate corruptus est.

Sanguis, omnibus his signis praeditus, praecipue ut fermentatae oryzae aqua foetens, morboso trium humorum statu corruptus est.

Per biliosum sanguinem nimis niger sanguis est. —

Sanguis duorum corruptorum humorum signis praeditus hoc loco omissus est. —

Sanguinis vitam alibi tractabimus. —

Sanguinem non laesum, non decolorem et in naturali statu versatum cognoscat medicus coccinellae esse similem. —

Phlebotomiam alibi tractabimus. —

Sed non phlebotomanda sunt: emaciati tumiditas in toto corpore, ab acido alimento orta; ictericorumque, haemorrhoicorum, hydropicorum, phthisicorum et gravidarum tumores.

Porro sanguinis mittendi negotium per scalpellum duplex est: exploratio et vasis perforatio.

Acutum, non impurum, subtilem, aequum, non humectatum, non exilem, organa, vasa, tendines et articulos non corrumpentem scalpellum medicus celeriter immittat. Nubilo et malevolo die, in frigore ventoque, homini non exsudanti, jejuno ob hujus prolapsionem, sanguinem ne mittat, exiguumve mittat.

Est hic ślokas:

„Sopore, lipothymia et lassitudine afflictorum, aëre, excrementis et urina completorum, somnolentia oppressorum et timidorum hominum sanguis non procedit."

Ille corruptus sanguis non detractus pruriginem, tumorem, rubedinem, aestum, coctionem et dolores praecreare potest. In perquam calidis, perquam exsudantibus, perquam perforatis et stupidis hominibus detractus sanguis valde procedit. Sanguis ultra modum progressus capitis cruciatum, torporem, agitationem, obcaecationis apparentiam, corporis elementorum interitum, flatum, laterum dolorem, singulorum membrorum morbum, sitim, aestum, singultum, catarrhum, anhelitum, icterum et mortem adducit.

Sunt hic ślokae:

„Idcirco ne frigido, ne nimis calido, ne nimis exsudanti, ne nimis calefacto, sed fermentatae oryzae aquam bibenti homini medicus sanguinem detrahat.

Apte progressus sanguis quando ipse consistit purus, tum cognoscat medicus, illum apte missum esse.

Levatio, doloris sedatio, morbi paroxysmi interitus et mentis claritas apte missi sanguinis signa sunt. Cutis vitia, articulorum nodi, tumores et quicunque morbi a sanguine orti apud medicos in sanguinis detractione bene versatos nunquam existunt."

Sed revera non procedente sanguine, Elettariâ cardamomo, Calamo fasciculato, Datura fastuosa, Costo arabico, Tabernaemontana coronaria, Cysampelo hexandro, Pino Dévadáru, Embelia ribe, Plumbagine zeylanica, specie e Pipere nigro, Pipere longo et arido Zingiberi, domestica fuligine, Curcuma longa, Asclepiadis giganteae surculis, Galedupae arboreae fructibus, pro receptione tribus, quatuor aut omnibus pulveratis, Sinapis dichotomae oleo et sale fossili irrigatis, vulneris hiatum medicus fricet; — tum omnino sanguis procedit.

Sed sanguine supra modum progresso, Symploco racemoso, Glycyrrhiza glabra, Panico italico, Pterocarpo santalino, calce rubra, Shoreae robostae resina, Collyrio (rasánjana), Bombacis heptaphylli floribus, conchis, ostreis, Phaseolo radiato, Hordeo hexasticho et Tritico aestivo pulveratis vulneris hiatum lente contritum digito extremo comprimat, et Shoreae robustae, Terminaliae alatae glabrae, Mimosae foetidae, Asclepiadis geminatae, Grisleae tomentosae et Pentapterae arjunae corticibus contritis, vel linteo combusto, Sepiae ossis et laccae pulveribus, sic indicatis vulneris deligandi snbstantiis, stricte deliget.

Refrigerationis respectu gramineis alimentis et frigidis habitationibus, aspersionibus et illitibus utatur. Caustico vel cauterio urat locum indictae perforationi proximum aut illud supra modum procedens vas perforet medicus. Herbarum refrigerantium et ceterarum decoctionem vel ex saccharo et melle syrupum bibi jubeat; antiloparum nigrarum, anserum, arietum, leporum, bubalorum et porcorum sanguinem cum lacte et pisorum jusculis et succis valde blandis comedendum curet, phaenomenisque convenienter occurrat.

Sunt hic ślokae:

„Propter corporis elementorum interitum tardus in sanguine descripto oritur ignis; itaque aër summam irritationem intente adit. Idcirco non perquam frigidis, levibus, gratis, sanguinem augentibus, paululum acidis aut nullis acidis alimentis aegrotus utatur. —

Quadruplex est sanguinis cohibendi subsidium: vinctura, exsiccatio, maturitas et ustio. Vulnus emplastro conjungitur; sanguinem exsiccat frigus; cinis maturat; ustio vasa corruganda curat.

Non arescente sanguine, fasciam medicus adhibeat. Fasciâ vero decidente, maturitate utatur. Subsidiis his tribus medicus ad praeceptum operetur; his autem nihil proficientibus, ustio praestantissima desideratur.

Sanguine vitia humorum relinquente, morbus non praetergreditur; vitiis autem liberato, stabilem impetum morbus facere non potest. Corporis radix sanguis est; sanguine enim corpus sustentatur. Propterea nisu conservandus est sanguis, in vita quasi stabilitas.

In phlebotomati aëre irritato aspersionibus frigidis et cet. medicus utatur; tumorem dolorosum calido butyro clarificato aspergat.“

Caput XV

Nunc vero de corporis elementorum et secretionum vitiis, decrementis et incrementis dijudicandis caput expondituri sumus.

Corruptorum corporis elementorum et secretionum origo corpus est Ideo horum signum, quod hic explicatur, percipe!

Motionis, turgoris, expletionis, distinctionis et sustentationis signo praeditus est aër; quintupliciter distributus corpus sustentat.

Colorem, coctionem, splendorem, vim vitalem, intellectum et calorem facit bilis; quintupliciter distributa ignis effectu beneficium affert.

Articulorum conjunctionem, inunctionem, perturbationem, expletionem, virium stabilitatem facit phlegma; quintupliciter distributum aquae effectu beneficium affert.

Chylus exhilarat, sanguinisque nutrimentum efficit; sanguis colore clarus est, carnisque nutrimentum vivificat; caro corporis et telae cellulosae nutrimentum efficit; tela cellulosa inunctionem et sudorem, firmitatem et nutrimentum ossium; os corporis sustentationem et medullae nutrimentum; medulla voluptatem, inunctionem, vim, seminis virilis nutrimentum et ossium impletionem efficit; semen virile firmitatem, motionem, voluptatem, corporis robur, gaudium et generationem; faeces stabilitatem et aëris ignisque sustentationem; urina abdominis expletionem et irrigationem; sudor cutis mollitiem madore; sanguinis signo praedita menstrua embryonem; embryo embryonis signum; lac in uberibus incrementi originem et alimentum efficit.

Harum secretionum conservationem medicus ex praescripto instituat. —

Porro consumtarum secretionum signi indicaturi sumus.

Harum vero consumtio a nimia lavatione, nimia sedatione, acceleratione, retentione, inconveniente cibo, animi vexatione, fatigatione, inedia et nimio coitu oritur.

Ibi in aëris consumtione torpida motio, pauciloquium, parvum gaudium et conturbata cognitio; in bilis consumtione torpida caloris incensio et splendoris inopia; in phlegmatis consumtione asperitas, aestus internus, umbilicalis regionis aliarumque regionum et capitis inanitas, articulorum laxitas, sitis, infirmitas et insomnia existunt. Ibi producentes et augentes substantiae sane sunt remedium.

In chyli consumtione cordis anxietas, tremor, inanitas et sitis; in sanguinis consumtione cutis asperitas, acidorum et frigidorum appetentia vasorumque laxitas; in carnis consumtione podicis, faciei, labiorum, genitalium, magnorum uberum, zonulae regionis, pedis dorsi, abdominis et cervicis exsiccatio, asperitas doloresque, membrorum tabes, nervorum laxitas; in telae cellulosae consumtione splenis incrementum, articulorum inanitas, asperitas et tenerae carnis appetentia; in ossium consumtione ossium dolor, dentium unguiumque fractura et asperitas; in medullae consumtione parva seminis virilis productio, condylorum hiatus, ossium dolor et inanitas; in seminis virilis consumtione penis et testiculorum afflictio, impotentia in coitu, post longum tempus seminis emissio, in emissione parvi rubidique seminis conspectus existunt. Ibi producentium et augentium substantiarum usus est remedium.

In excrementorum consumtione cordis et laterum dolor, crepantis aëris adscensio, in abdomine angustia; in urinae consumtione abdominis inferioris dolor et exigua minctio existunt. Ibi quoque producentes et augentes substantiae sunt remedium.

In sudoris consumtione rigidorum pilorum debilitatio, cutis ariditas, tactus pravitas, sudoris interitus existunt. Ibi inunctio et sudorem augentium sustantiarum usus.

In menstruorum consumtione non eorum conveniente tempore apparentia et paucitas, uterique dolor. Ibi lavatio, igniferarum substantiarum ex praescripto usus.

In lactis consumtione uberum laxitas, lactis absentia paucitasque. Ibi phlegma augentium substantiarum usus.

In embryonis consumtione embryonis immobilitas et non abdominis sublatio. Ibi abdomini convenientia pisina jura, pro abdomine lactis usus et purorum alimentorum. —

Porro nimis auctorum corruptorum corporis elementorum et secretionum signum indicaturi sumus.

Horum incrementum a producentium et augentium substantiarum usu oritur.

Ibi in aëris incremento cutis asperitas, debilitatio, vexatio, artuum tremor, caloris desideratio, somni interitus, exiguum robur, perturbata alvi dejectio; in bilis incremento flavus splendor, aestus, frigoris desiderium, exiguus somnus, animi deliquium, virium privatio, sensuum infirmitas, flavae faeces, flava urina et flavi oculi; in phlegmatis incremento albedo, frigus, rigiditas, gravitas, lassitudo, torpor, somnolentia, articulorum et ossium disjunctio existunt.

Chylus nimis auctus cordis madorem et irrigationem adducit; sanguis nimis auctus membra et oculos sanguine suffusa et vasorum impletionem; caro nimis aucta in podice, facie, labiis, genitalibus, magnis brachiis et cruribus incrementum et ponderosam corporis staturam; tela cellulosa nimis aucta adipalem membrorum constitutionem, abdominis laterumque incrementum, catarrhum, anhelitum et cet., malumque odorem; os nimis auctum nimiam ossificationem et nimium dentium incrementum; medulla nimis aucta omnium membrorum et oculorum gravitatem; semen virile nimis auctum seminis calculos nimiamque ejus emissionem; faeces nimis auctae tumorem in abdomine et colicam; urina nimis aucta identidem urinae profluvium, abdominis inferioris dolorem et inflammationem; sudor nimis auctus cutis malum odorem et pruriginem; menstrua nimis aucta membrorum frictum, nimium sudoris profluvium, infirmitatem; lac nimis auctum uberum incrementum, identidem lactis profluvium et dolorem; embryo nimis auctus abdominis nimium augmentum et tumorem efficit.

Harum secretionum auctarum purgationem et dejectionem consumtioni non oppositis curationum generibus apte medicus instituat.

„Prius quodque corporis elementum nimio incremento augere potest remotius quodque; idcirco nimis auctorum corporis elementorum diminutio salubris est.“

Virium signum et virium consumtionis signum deinceps indicaturi sumus.

Hic a chylo incipientium et in semine virili desinentium corporis elementorum summus splendor est revera vitalitas. Haec etiam vis vitalis appellatur ex nostrae doctrinae (śástra) argumentatione. Ibi in vi vitali firma et aucta caro, omnis motio, sui ipsius defensio, vocis et coloris claritas, et externorum internorumque sensuum instrumentorum ad suas functiones accessus efficitur.

Sunt hic ślokae:

„Vitalitas lunae indolem habet, suavis, pura, refrigeratoria, stabilis, mobilis, distincta, mitis, odorato solo similis, vitae altare praestantissimum est; hominum corporis membratura ab illa penetrata est. In illius absentia destruuntur hominum corpora. Laesione, consumtione, ira, moerore, profunda meditatione, fatigatione et fame vitalitas interit, ob has causas ex corporis elementis impetratis egressa. Itaque splendor extinctus homines collabentes efficit.“

Vitalitatis interfectae collapsus, calamitas et occasus sunt signa. Articulorum disjunctio, membrorum tabes, humorum collapsus, functionumque cohibitio in vitalitatis collapsu; immobilia et gravia membra, aëris tumor, coloris separatio, languor, lassitudo et somnolentia in calamitate; lipothymia, carnis consumtio, mentis error, delirium et mors in occasu sunt.

Sunt hic ślokae:

„Tria vis vitalis vitia indicata sunt: ejus calamitas, collapsus et occasus. Disjunctio et tabes articulorum, humorum delapsus, defatigatio et disturbatio functionum sunt vis vitalis collapsae signa. Gravitas, immobilitas, in membris languor, coloris separatio, lassitudo, somnolentia, aëris tumor sunt vis vitalis calamitate affectae signa. Lipothymia, carnis consumtio, mentis error, delirium, amentia, supra dicta signa et mors sunt in vis vitalis occasu.“

Ibi in collapsu et calamitate curationum generibus non perversis vim vitalem medicus restituat. —

Splendor vero regulatim maturescentium corporis elementorum ignifer manifestatus et interne versatus, ex oleosa substantia ortus, praecipue feminarum adeps est. Hoc splendore lenitas, mollities, lenes et parvi pili, vis, visus, stabilitas, maturitas, pulchritudo et lux fiunt. Ille splendor adstringentibus, amaris, frigidis, asperis et obstruentibus substantiis, impetu, lae-

sione, coitu, fatigatione, morbis et vexationibus destruitur. Hujus quoque asperitas, coloris separatio, afflictio et obscuratio in ejus collapsu; debilitatio, torpida calefactio, deorsum et oblique versus lapsus in ejus calamitate; visus, caloris et vis vitalis privatio, aëris commotio et mors in ejus accasu sunt.

Ibi in splendoris occasu oleosas substantias, potus, inunctiones, illitus, aspersiones, gratos et leves cibos praebeat medicus.

Sunt hic ślokae:

„Homo corporis elementorum et secretionum vitiis emaciatus, vi vitali quoque emaciatus, suam regenerationem et incrementum efficientem cibum et potum desiderat.

Quodcunque enim ex alimentis ortum emaciatus homo appetit, hoc illove assumto, hanc vero illamve corporis elementorum consumtionem propulsat. Cujus hominis autem aër, corporis elementorum consumtione, conscientiam, actionem et debilitatam vim vitalem deleat, is sanari non potest."

A chylo originem trahit corpulentia et macies.

Phlegmatico alimento inservientis hominis, nimio esui addicti, indefessi et diuturno somno dediti chylus ex nutrimentis sane crudus dulciorque est; corpus ordinatum ex nimia pinguedine telam cellulosam generat. Haec nimiam corpulentiam affert. Hominem vero nimis corpulentum debilis respiratio, sitis, sternutamentum, somnolentia, sudor, membrorum odor malus, remissio lassitudoque et infantia celeriter aggrediuntur.

Ob mollitiem telae cellulosae (adipis) in omnibus functionibus impotens homo est; ob motionem, phlegmate et telâ cellulosa cohibitam, parvus coitus existit; ob praeclusam viam reliqua corporis elementa non adveniunt; inde supra modum exilis respiratio existit; homo urinales affectiones, accumulationes, febres, fistulas ani, phlegmonas internas, aëris morbos, — quemlibet ex his morbis adeptus, in quinque naturae elementa transit; omnes porro ejus morbi vehementes evadunt; deinde ob praeclusam viam humorum producendorum conditionem demere potest. Orto vero hoc statu, bituminis, bdellii, vaccinae urinae, myrobalanorum, ferri pulverati, collyrii, mellis, Hordei hexastichi, Phaseoli mungonis, Paspali scrobiculati, Panici frumentacei, Cordiae latifoliae et ceterarum durarum conterendarumque substantiarum usus ex praescripto, labor et in abdomine scarificationis usus indicatus est. —

Porro ventoso alimento inservientis hominis chylus, nimio labore, coitu, studiis, timore, moerore, profunda meditatione, nocturna vigilia, siti, sternutamento, adstringente et parvo alimento et ceteris exsiccatus, ob paucitatem corpus inordinatum non exhilarat. Itaque macies efficitur. Homo nimis macer in sternutamento, siti, frigore, calore, ventis, pluviis et tolerationibus suscipiendis impatiens aërisque morbis subditus est, et in suis

laboribus exilem habet respirationem. Anhelitum, catarrhum, pneumophthisin, lienis affectiones, abdominis tumores, digestionis interitum, glandularum abdominis indurationem, haemorrhagiam biliosam, — quemlibet ex his morbis nactus homo mortem obit; omnes autem ejus morbi vehementes evadunt. Deinde ob exilem respirationem suae respirationis conditionem demere potest. Orto vero hoc statu, Asclepiadis roseae, Physalis flexuosae, Convolvuli paniculati, Hedysari gangetici, Asparagi racemosi, Sedae cordifoliae, Sedae rhombifoliae, Hedysari lagopodioidis et dulcium aliarum plantarum usus; lactis, oxygalactis, butyri clarificati, carnis, domesticae oryzae, Hordei hexastichi triticique, diurni somni, sacrae observantiae, inertiae et abdomen nutrientium substantiarum usus indicatus est.

Qui porro duobus alimentorum generibus uti potest, ejus chylus ex cibis corpus ordinatum et aequalia corporis elementa coacervat. Ob corporis elementorum aequalitatem homo mediocri corpore praeditus fit, in omnibus functionibus potens, sternutamentum, sitim, frigus, calorem, pluviam et solis ardorem perferens, validus et semper servabilis est.

Sunt hic ślokae:

„Ultra modum vituperati sunt hi duo homines: corpulentus et macer; eximius vero est mediocri corpore praeditus homo; macer vero ante corpulentum honoratus est.

Humorum vitium irritatum corporis elementa projicit sua vi, sicut clarus ignis sua vi aquam in ahenum ingressam. Ob signorum absentiam et corporis instabilitatem ejus corruptorum elementorum et secretionum mensura non cognoscitur. Horum aequalitas a medicis conservatur; quae vero praeter sanitatem nullâ alia causa explicari potest. Medicus vero peritus, humorum et aliorum inaequalitatem, hominem impellucido organismo praeditum intuitus, conclusione perspiciat. Aequalibus humoribus, aequali calore, aequalibus corporis elementis, secretionibus et functionibus, claro spiritu, claris sensibus et clara mente praeditus homo sanus appellatur. Sanum conservet, insani vero elementa et secretiones ejiciat impellatque prudens medicus tamdiu, quamdiu homo, alias sanus, morbo tentatus sit."

Caput XVI.

Nunc vero de aurium perforatione et ligatura caput exposituri sumus.

Tutamenti et ornamenti causâ medicus infantis aures perforet sexto septimove mense, lunae dimidiae tempore, in faustis, dies lunares efficientibus, Muhúrtarum astris.

Medicus infantem, peractis prosperis benedictionibus faustum, et in nutricis gremio depositum, infantium ludis blandiens cum illexerit et ejus lobulum sinistra manu attraxerit, in cavo a Diis creato et solis radiis illuminato tarde dextra manu directe perforet per acum valde acutam; prius dextrum pueri lobulum, posterius sinistrum puellae. Erioxyli turundâ imposita, omnino perforatum lobulum crudo oleo Sesami orientalis conspergat. Ex sanguinis multitudine doloreve lobulum loco inepto perforatum esse, ex horum vero symptomatum absentia apto loco perforatum esse, medicus cognoscat. Ibi ab inscia pertinacia in perforatis vasis nigricantibus (venis), reconditis (vasis lymphaticis), et rubris (arteriis) symptomata oriuntur. In nigricante vase febris, aestus, tumor et dolor; in recondito dolor, febris et nodi; in rubro rigor in tendine musculi trapezii, delapsus, capitis occupatio et aurium dolores fiunt. Medicus in his apte sanet.

Post perforationem acu perverse incurvata et incomprobata institutam, perturbatiorem turundae statum, corruptorum humorum irritationem, vel post non probandam perforationem ubi furor dolorve fit, ibi, turundâ amota, celeriter mellitis substantiis, ovis, radicibus et Rubiae manjisthae, Hordei hexastichi Sesamique orientalis oleosis sedimentis, cum melle et butyro clarificato mixtis, medicus illinat tamdiu, donec lobulus bene confectus sit; bene confectum lobulum rursus perforet.

Praeceptum vero supra traditum est.

Tertio quoque die majorem turundam, conspersionemque medicus applicet.

Sed in aure, deficientium humorum symptomatibus affectâ, incrementi gratiâ eam leviter increscentem efficiat.

Est hic ślokas:

„Sic aucta hominum auris bis perforatur, vitiorum humorum causâ, vel ob laesionem. Ejus ligationem ex me audi!"

Hic summatim quindecim aurium ligandarum genera sunt, hoc modo: circulariter ligans genus, ut Nymphaea caerulea divisum, circumdans, perpetuale, ad genam et aurem iens, adventicium, perforatum, compositum, auris portam conjungens, ad dimidium auris portam conjungens, contractum, aurem relinquens, aurem tegens, auris panno simile, corniculum labiis simile. —

In his ad aequaliter latos et longos duos lobulos pertinens ligationis genus, est circulariter ligans; ad aequaliter rotundos et longos duos lobulos pertinens, est ut Nymphaea caerulea divisum; ad aequaliter breves et rotundos duos lobulos pertinens, est circumdans; ad unum interne longum lobulum pertinens, est perpetuale; ad unum externe longum lobulum pertinens, est ad genam et aurem iens; a duobus lateribus ad nullum lobulum pertinens, est adventicium; ad sedili similem lobulum a duobus lateribus pertinens et teneris filiabus accommodatum, est perforatum; ad

crassum, parvum, aequalem et inaequalem lobulum pertinens, est compositum; ad unum interne longum et ad alterum parvum lobulum pertinens, est portam auris conjungens; ad unum externe longum et ad alterum parvum lobulum pertinens, est dimidiam auris portam conjungens.

Hae decem aurium ligandarum species perfectae sunt. Harum ligationum genera suis nominibus plerumque indicta sunt.

Contractum et cetera quinque ligationis genera sunt imperfecta.

Ibi ad siccum meatum auditorium externum et ad unum tabescentem alterumque parvum lobulum pertinens, est contractum; ad non elatum et in marginibus tenui carne praeditum lobulum pertinens, est aurem relinquens; ad tenuem, inaequabilem et parvum lobulum pertinens, est tegens aurem; ad incurvatum, dura carne extensisque vasis praeditum et tenuem lobulum pertinens, est auris panno simile; ad decarnatum, contractum, mucronatum et parvo sanguine praeditum lobulum pertinens, est cornicum labiis simile.

In ligationibus vero tumori, aestui, rubori, suppurationi, accumulationi et vexationi obnoxii successu carent.

Sunt hic ślokae:

„Cui duo auris lobuli non oriuntur, illius sedile auris in aequali medio medicus cum perforaverit, augeat. In externo lobulo longo conjunctio interna fiat; in interno lobulo longo externa conjunctio indicata est. Qui vero unus lobulus crassus, magnus et firmus est, illum dupliciter incisum et perforatum superne conjungat.

A gena cum inciderit medicus, ex carne viva annexa auris lobulum, lobuli inopiae causâ efficiat, legaliter incidendo."

Deinde medicus, cujuscunque ligaturae instituendae cupidus, necessarium apparatum, in capite „de praecipuis praeparandis" indicatum, praesertim praeparet: liquorem, essentiam, lac, aquam, oryzam fermentatam et cranii pulverem.

Porro puellâ puerove in capillorum finibus ligato, parce epulato et ab aptis hominibus suaviter prehenso, medicus ligaturam accipiat, incisionibus, resectionibus, scarificationibus et perforationibus convenientibus aurem tentet, sanguinem intueatur, ejusque corruptionem et incorruptionem. Postea, sanguine per aërem corrupto, oryzis fermentatis et aquâ calida, — sanguine per bilem corrupto, aquis frigidis et lacte, — sanguine per phlegma corrupto, spirituosis liquoribus et calidis aquis aures lavet medicus, denuo abstergat, neque altam, ne deficientem, ne inaequalem aurium conjunctionem efficiat, desinente sanguinatione aurem liget. Deinde, auribus butyro clarificato dulci oblitis, erioxylo et linteo aliave re circumdatis ex praescripto, neque humectate, nec laxe ligatis et cranii pulvere adspersis, medicus diaetam edoceat, et ad praeceptum, de dupliciter perforandis auribus traditum, curet.

Sunt hic ślokae:

„Agitationem, diurnum somnum, fatigationem, nimiam cibationem, coitum, ignis calorem, sermonem et lassitudinem dimoveat medicus, crudoque oleo Sesami orientalis aspersionem per tres dies instituat. Tum post tres dies oleo Sesami orientalis illitum erioxylum abducat."

Ne vero aurem impuro, nimis profluente aut exiguo sanguine praeditam liget. Auris enim, sanguine per aërem corrupto, turgida et circumfusa est; sanguine per bilem corrupto, aestu, coctione et rubore dolorifica est; sanguine per phlegma corrupto, rigida et pruritiva est; sanguine nimis profluente, livide tumida, emaciata et pauca carne praedita est, incrementumque non efficit. Quando auris recte evecta, expers symptomatum et bono colore praedita est, tum illam sensim sensimque medicus augeat. Auris vero aliter se habens, irritatione, aestu, coctione, rubore et dolore praedita rursus resecetur. Tunc ejus incorruptae augendae causâ inunctio fiat hoc modo. Alligatoris, falconis, aliarum avium et bubali liquida adipe et medulla, lacte, butyro clarificato et oleo, ex Sinapi alba orto, pro proportione additis, Asclepiadis giganteae, Solani trilobati, Pavoniae odoratae, Sidae cordifoliae, Panici dactyli, Achyranthis asperae, Physalis flexuosae, Hedysari gangetici, Convolvuli paniculati, Valisneriae et dulcium substantiarum infusionem oleumve cum medicus concoxerit, bene asservatum superimponat.

„Sudore liberatam aurem illo unguento liget. Deinde symptomatum expers auris omninoque robusta increscit. Cum Hordei hexastichi, Physalis flexuosae et Siponanthi indicae oleis, Asparago racemoso, Physsli flexuosa, lacteis et ovorum cibis victus salubris est. Oleum Sesami orientalis decoctum lacteum post inunctionem lobulorum incrementum efficit. Quae vero aures non crescunt hoc praecepto ligatae, earum in regionibus cantho oculorum externo adjacentibus investigationem instituat medicus; ne vero externam incisionem faciat, nam calamitates exinde sempiternas oriuntur. Quae vero auris cavamine praedita, bono meatu instructa, firme conjuncta, aequalis, immobilis, recte adulta, doloris expers est, eam medicus auget lente. Inconcinnae vero auris ligaturae peritis cognoscendae sunt. Utcunque auris penetrata sit, ita eam medicus liget. —

Hominum morbos, in aurium lobulis sitos iterum indicaturus sum, Suśruta!

In auris lobulo irritata sunt tria: aër, bilis et phlegma.

Duo vel potius unita haec tria varios morbos efficiunt.

Tuber, rigiditas et tumor in lobulo adsunt, orto ab aëre vitio; aestus, tuberum ortus, tumor et coctio, orto a bile vitio; prurigo, tumida durities, gravitas, orto a phlegmate vitio. Vitia humorum medicus cum purificaverit, eorum sanationem perspiratione, frictione, adspersione, illitu, sanguinis missione, mitem curationem nutrientibus alimentis convenienter efficiat.

Qui sane intelligit vitia humorum, eorum sanationem efficere valet.

Porro nominatis signis lobulorum symptomata indicaturus sum.

Adrosa, comminutaque, livida, pruritu vexata, valde dolorosa, pruriginosa, nodosa, Eugeniae jambu fructui similis, profluens, aestuosa auris est. Horum symptomatum curationem ordinatim audi!

Achyranthes aspera, Shoreae robustae resina, Bignoniae suaveolentis et Artocarpi lacuchae cortices in adrosa aure unguentum sit, oleumque ex his coquat medicus.

Cassiam fistulam, Morungam guilandinam, Caesalpiniam bonducellam, Alligatoris medullam, ejusque adipem, porcinam, vaccinam antilopinamque bilem et butyrum clarificatum componat, unguentum in comminuta aure det, oleumque ex his compositum.

Convolvulum turpethum floribus albis, Curcumam zerumbet, Convolvulum turpethum floribus nigris, Panicum dactylum, Amaranthum polygamum in livida aure unguentum medicus det, oleumqne ex his confectum.

Acnid'him, Collyrium, aquam calidam, fermentatae oryzae aquam medicus det unguentum in aure pruriginosa, oleumque ex his confectum. Vulnerato dandum est hoc oleum a dignoscente medico.

Ex Liquiritia, Kshírakákolí, Bryonia grandi et ceteris decoctum, Alligatorisque, porcorum et serpentum adipes adhibentur in aure aucta. Hoc quoque unguentum medicus det in illinenda aure dolorosa.

Prapauńdaríkam, Liquiritiam, Mimosam pudicam, Grisleam tomentosam, oleumque ex his decoctum intellige remedium auris, pruritu vexatae.

Echiten frutescentem, Hedysarum lagopodioidem, lac caprinum et sal fossile, scilicet unguentum ex his confectum, medicus det, oleumque ex his paratum, in aure nodosa. Sed ex auris nodo antea sanguinem detrahat; deinceps, nodo remoto et salis fossilis pulveribus contrito, unguentum porrigat. Lobulo scarificato et sanguine deterso, pulveribus Symploci racemosae adpergat aurem, Eugeniae jambu fructui similem, lacteque ejus sanguinem eliciat, tum purificatam eam illinat.

Menispermum glabrum, Bassia latifolia et Liquiritia cum melle sunt unguentum in profluente aure dandum, oleumque ex his confectum.

Quinque corticibus contritis et cum Liquiritia butyroque clarificato permixtis, Pentapterâ tomentosa et ceteris cum butyro clarificato mixtis, aurem aestuosam medicus illinat. —

Nunc vero fissi nasi convenienter conjungendi praeceptum traditurus sum.

Nasi mensuram habens folium de plantis, e terra adscensis, cum carpserit, pro hac mensura a genae latere partem fulti folii absciderit, deinde vero constrictum nasi apicem raserit, celeriter aptis vinculis hunc vinciat medicus non demens. Nasum duobus juncis omnino convenienter vinctum intuitus,

deliget, sublevet et illinat cum Pterocarpi santalini et Glycirrhizae glabrae linimentis. Nasum cum operuit, omnino erioxylo et albo oleo ex plantis oleosis saepius madefaciat. Hydriam ebibere debet ille homo aetate provectus; corpulentus ille alvum movere debet ex praescripto.

Orta conjunctione adglutinata, illud folium ad dimidiam partem rursus excidat. Defectam carnem iterum augere contendat et nimis auctam aequalem faciat.

Qui praeceptum, ad labii defecti unionem juncorum ope pertinens, sicut nasi conjunctionem, noscit, ille reges facere potest."

Caput XVII.

Nunc vero de immaturitatis et maturitatis exploratione caput exposituri sumus.

Ex tumoribus exorti esse nodi, phlegmonae internae et ceteri morbi multigeni referuntur. Inter hos tumor varius, amplus, nodosus, aequus aut iniquus, in cute et carne situs, congestis humorum vitiis instructus, et ex una corporis regione exortus esse dicitur. Tumor sextuplicem originem trahit: ab aëre, bile, phlegmate, sanguine, trium humorum corruptione et accidentia ortus est. —

Tumoris signa, ad humores corruptos pertinentia, formas et colores exposituri sumus.

Ibi aëris tumor furvus aut nigricans, asper aut mollis est. Inde instabiles vexationes et ceterae dolorum species oriuntur.

Bilis tumor flavidus, mollis, aut rubicundus est. Inde celeris alvi dejectio, cutis ardor et ceterae dolorum species oriuntur.

Phlegmatis tumor pallidus albusve, solidus, frigidus et unguinosus est. Inde tarda alvi dejectio, pruritus et ceterae dolorum species oriuntur.

Tumor a trium humorum corruptione ortus, omnibus coloribus et doloribus praeditus est.

Tumor a sanguine ortus, ut tumor biliosus, nimis nigricans est.

Tumor accidentalis habet bilis sanguinisque signum et ruber apparet.

Tumor, quando externis et internis curationum generibus, propter sanationis contrarietatem et corruptorum humorum magnitudinem, cohiberi non potest, tum ad maturitatem se convertit.

Immaturi, maturescentis et maturi tumoris indicium hic referendum percipe!

Torpida calefactio, cutis colorata, frigida intumescentia, rigiditas, torpidus dolor et exigua intumescentia sunt immaturi tumoris indicia demonstrata.

Aculeis quasi pungitur aegrotus, magnis rubris formicis quasi mordetur, hisque quasi impetitur, scalpello quasi inciditur, lanceolis quasi scinditur, baculo quasi percutitur, manu quasi cruciatur, digito quasi agitatur, aestuat et coquitur quasi cauterio et caustico; calor, cutis ardor et aestus, scorpionumque ictus quasi oriuntur; in stando, sedendo et dormiendo sedationem aeger non consequitur; ventris borborygmis similis expansusque tumor, cutis decoloratio, tumoris incrementum, febris, aestus, sitis, cibique fastidium sunt maturescentis tumoris signa.

Dolorum sedatio, pallor, exigua intumescentia, rugarum apparentia, cutis extenuatio, signum digito impresso profundum et rursus sublatio fit, sicut in abdomine aquae congeries; suppurationis margo solus dolet; vel, margine impresso, identidem dolor, pruritus sublatioque; morbi symptomatum cessatio cibique appetitus sunt maturati tumoris signa.

In morbis vero a phlegmate ortis, vel in quibusdam morbis a laesione ortis, quia profunde incedunt, incompletum maturitatis signum intuitus, et de maturitate immaturitateque medicus dubitans in errorem rapitur. Ubi enim cutis colorata, frigida intumescentia, crassities, parvus dolor, lapidisque instar durities est, ibi in errorem rapi medicus potest.

Sunt hic ślokae:

„Medicus, qui immaturum, maturescentem et omnino maturum tumorem dignoscere valet, ille doctus medicus est; reliqui praedones sunt.

Sine aëre non existit morbus; maturitas sine bile non existit; non sine phlegmate pus. Propterea, tribus humorum vitiis conjunctis, tumores maturo tempore maturantur.

Temporis intervallo bilem progressam ex sententia cum effecerit, aëremque et phlegma devicerit, tum sanguinem maturat haec maturitas, ab aliis sapientibus aestimata secunda.“

Immaturo tumore inciso, carnis, vasorum, tendinum, ossium, articulorum ultra modum corruptio, nimium sanguinis profluvium, dolorum apparentia, laniatio, variae phaenomenorum formae, vulnerisque phlegmone interna oriuntur.

Quando timore et errore medicus, de maturitate et immaturitate dubitans, morbum diu negligit, tum morbus, pure profunde descenso, exitum non consecuto, post propriam sedem perfossam magnum iter ad coxam gresso, fistulâque orta, vix sanabilis, aut insanabilis, est.

Sunt hic ślokae:

„Qui immaturum tumorem inscienter dissecat et qui maturum negligit, hi duo inconsiderate agentes Śvapachae (homines humillimi de plebe) credendi sunt.

Ante operationem per scalpellos medicus caro aegroto cibum praebeat, et vini potatori, qui dolores perpeti non potest, vinum calidum porrigat. Non animi deliquium patitur aegrotus epulatus; ebrius scalpellum non anim-

advertit. Itaque necessario in morborum dictorum operatione epulandum est. Interna enim hominum vitalitas, externae vitalitatis qualitatibus praedita, corpus ex quinque elementis constans manifesto sustentat.

Parvus vel magnus tumor, qui, curatione carente, erectus, large radicatus, iniquus et combustus maturitatem adit, ille dolores affert, submersis humorum vitiis affectus.

Si medicus inunctionibus, sanguinis detractionibus et alvi dejectionibus applicatis tumorem omnino sedare non potest, celeriter tumor maturetur, pariterque exigue radicatus, coacervatus superne, et editus qui est. Sicut ignis, vento commotus, aridum gramen aggressus vehementer comburit, sic etiam pus non proveniens carnem, vasa et tendines perrodit. Primum tumoris relaxationem, secundo aspersionem, tertio emplastri applicationem, quarto incisionem, quinto purificationem faciat, sexto tumoris disturbatio desideratur. Haec sunt praecepta de ulcere (vulnere) tradita. Septimum est aegrotationis depulsio."

Caput XVIII.

Nunc vero de ulcerum (vulnerum) inungendorum et deligandorum praecepto caput exposituri sumus.

Inunctio est prima operatio; ea omnibus tumoribus communis et praestantissima est. Hoc remedium indicaturi sumus. Deinde vinctura praecipuum est. Ab hac puritas, ulcerationis disturbatio, ossium et articulorum firmitas oritur.

Contra pilos illinat medicus, ne vero in pilorum directione. In inunctione contra pilos enim omnino medicamentum consistit et poros intrat; sudoris ductibus et vasorum orificiis suam efficacitatem sonsequitur. Ne vero medicus arescenti unguento indulgeat, quia alibi vexationem efficit. Aridum unguentum enim est inoptabile et corrosivum.

Unguentum triplex est: linimentum, malagma et unguentum. Horum differentia haec est: linimentum est frigidum, tenue, non siccativum et siccativum. Malagma vero est calidum aut frigidum, densum, sed non valde siccativum. Mediocre unguentum est.

Porro sanguini et bili salubre est unguentum; malagma aërem et phlegma sedans, sustentans, purificans, disturbans, tumores et dolores delens est. Hujus adhibitio in ulceribus (vulneribus) et aliis morbis locum habet. Quod vero in ulceribus adhibetur adstrictorium unguentum dictum, illud potius oleosum sedimentum vocatur. Per hoc sanguinis profluvii adstrictio, mitigatio, foetidae carnis amotio, internorum vitiorum remotio et ulceris (vulneris) purificatio fit.

„Tumoribus non combustis salubris esse potest inunctio, humores sedans, aestum, pruritum et morbum delens, cuti inserviens, excellens, carni et sanguini inserviens, aestum sedans, optima, dolores et pruritum destruens.

Qui morbi in organorum vitalium regionibus et hominum genitalibus oriuntur, pro horum purificatione inunctionem instituat medicus.

Tres partes continens oleamen in bilioso statu, quatuor partes continens in statu cum aëre affecto, octo partes continens in phlegmatico statu medicus praebeat.“

Unguenti quantitatem, flaccidae bubalinae cutis altitudini parem esse, demonstrant.

Ne vero medicus unguentum noctu adhibeat, neve crepusculo. Ex salubri calore non egrediente morborum evolutio fit.

„In morbo per malagma curabili inunctio interdiu salubris est, praecipue in morbo, a bilis et sanguinis corruptione orto, et in venenato. Ne vero medicus combusto unguento unquam utatur. Superfluum unguentum ne unquam dari jubeat; calorem enim, dolorem et aestum ex congerie producere potest. Ne huic unguento malagma rursus dari jubeat. Ob siccitatem unguentum invalidum dictum est, et inoptabile esse debet.“

Nunc vero ulcerum (vulnerum) deligandorum materias (subsidia) indicaturi sumus.

Linteolum, carbassus, telae laneae, bombycini panni, fila, fasciae, corium, interna arborum cortex, Cucurbita lagenaris, ex corticibus fila, a Bauhinia variegata restes, instrumenta ferrea.

Horum, morbo et tempore respectis, applicatio locum habet.

Antea vero illorum demonstratio.

Ibi ovata, restiformia, decussata, convolventia, sublevantia, orbicularia, contegentia, geminata, spondae similia, filiformia, constrictiva, umbellae similia, conjunctiva, testudinata, idcirco quatuordecim vinculorum genera sunt.

Vinculorum nominibus etiam formae plerumque explicatae sunt. Hic ovatum vinculum medicus in pollicis et digitorum articulis adhibeat; restiforme in contracto membro; in articulis, in nasi radice, in superciliis, uberibus, in interna palma et in auribus decussatum; involvens in brachiis; in cervice et pene sublevans; in rotundo membro orbiculare; in policis, digitorum et penis apicibus contegens; in geminis vulneribus (ulceribus) geminatum; in maxillis et genis spondae simile; in hirquis externis filiforme; in dorso, abdomine et pectore constrictivum; in capite umbellae simile; in mento, naso, labio, humero et abdomine inferiore conjunctivum; supra claviculam testudinatum.

Quodcunque vinculum in quacumque corporis regione peraccommodatum

sit, id illi medicus applicet; sursum, deorsum et flexuose deligandi negotium instituat. Deinceps materiis singulatim datis, sinistra manu circumdatum, rectum, non curvum, non contractum, mollem pannum adaptando deliget. Ne supra vulnus (ulcus) faciat nodum, neve dolorificum. Ne cum medicamento liquido, nimis oleoso, nimis aspero et inaequabili deliget, quia a nimio oleamento mador, ab asperitate sejunctio, a mala collocatione ulceris (vulneris) viarum friatio oritur.

Porro ad ulcerum (vulnerum) sedem vincturae differentia triplex est: arcta, modica, laxa.

„Comprimens, non destruens arcta; respirationi commoda laxa commemorata; non arcta et non laxa modica vinctura declarata est."

In natibus, in abdominis cavitate, in fovea maxillari, in regione iliaca, in pectore et capite arcta; in brachiis, in facie, in auribus, in jugulo, in pene, in scroto, in dorso, in lateribus, in alvo et pectore modica; in oculis et articulis laxa vinctura locum habet.

Biliosum aegrotum arctae vincturae loco modice, modicae loco laxe, laxae loco minime medicus deliget; sic etiam sanguine corrupto affectum deliget. Phlegmaticum aegrotum laxae vincturae loco modice, modicae loco arcte, arctae loco arctius deliget; sic etiam aëre corrupto affectum aegrotum deliget.

Ibi biliosum aegrotum autumno et aestate alterno quoque die medicus deliget; sanguinosum et phlegmaticum hieme et vere tertio quoque die; sic etiam aëre impletum aegrotum.

Sic investigata re, vincturae mutationem moliatur medicus.

Aegroto pro modicis et laxis vincturis arcte vincto, liquidorum medicamentorum frustratio, tumorum et dolorum apparentia oritur. Aegroto pro arctis et modicis vincturis laxe vincto, liquidorum medicamentorum delapsus, ob vinculi difficultatem ulcerum (vulnerum) viarum friatio oritur. Aegroto pro arctis et laxis vincturis modice vincto, bonae qualitatis absentia fit. Aegroto non perverse vincto, dolorum sedatio, sanguinis placatio et mitigatio fit. Aegroto non vincto, tabanis, culicibus, graminibus, lignis, lapidibus, pulvere, frigore, aëre, solis calore et ceteris rebus laeditur ulcus (vulnus), variis doloribus vexatum corruptionem subit et inunctio ceteraque in illo exsiccationem adeunt.

„Friatum, agitatum, fractum, disjunctum, valde collapsum, in ossibus, tendinibus et vasis dilaceratum ulcus (vulnus) vinctura celeriter se erigit; ulcerosus (vulneratus) etiam laete dormit, laete incedit et consistit; in lecto et sedili laete versati ulcus (vulnus) statim se erigit."

Non deliganda sunt ulcera (vulnera) bile et sanguine vitiata, a venenoque orta, quandocunque tumore, aestu, suppuratione et rubore devicta, lixivio caustico et igne adusta, ob maturitatem irritata et vitiata carne affecta sunt.

„Leprosorum, igne adustorum, mellitoque diabeta affectorum aucta, auricularia et murium veneno venenata ulcera (vulnera) ne deligentur in terribili carnis et ani suppuratione. Suo consilio discernat instituendas et non instituendas deligationes prudens medicus. Corporis regionem, humorum vitia et ulcus (vulnus) medicus cum dignoverit, et ulceris (vulneris) gnarus anni tempora reputaverit, deinceps vincturas applicet.

Sursum, flexuose, deorsum deligandi negotia triplicia commemorata sunt.

Quomodo vero vincitur vinculum plane hic indicaturus sum.

Materiis singulis, molli panno, liquido et non nimis oleoso medicamento datis, vincturam medicus moliatur. Nimia adeps madefacit, aspera vexat, oleamine conjuncta perturbat, male collocata ulceris (vulneris) viam friat.

Aequabile ulcus (vulnus) medicus efficiat, muniat et effluvium perficiat. Utcunque ulcus (vulnus) cognoverit, vincturam medicus adhibeat. In ulcere orto a bile aut sanguine semel circumliget eruditus medicus; saepius in ulcere orto a phlegmate et aëre. Palmâ cum compresserit ulcus, tum effluvium recte perficiat. Omnia vincula obtecta et fascias applicet. Ut in labii reunione commemoratum praeceptum demonstratum est a medico, sapientia et circumspectione instructo, sic etiam a docto in ossibus.

Surgentis, considentis, lectumque adeuntis, variis vehiculis proficiscentis ulcus (vulnus) non corrumpitur. Quae ulcera in carne collocata, cutem aggressa, articulos, ossa et intestina consecuta, vasa et tendines aggressa, submersa, profunda et omnino inaequalia sunt, haec enim sine vinctura sanari non possunt.“

Caput XIX.

Nunc vero de ulcerosorum (vulneratorum) sede caput expositurі sumus.

Ulcerosi (vulnerati) praecipuam domum medicus quaerat. Ea domus comprobata et praesertim habitabilis construenda est.

„In comprobata et habitabili domo, in clara et solis candore ventisque liberata morbi somatici et psychici exoriri non possunt.“

In illa domo lectum non angustum, bene obtectum, amabilem, ad orientem caput convertentem et ferro conjunctum faciat.

„Suavem motionem peragat in bene obtecto lecto ulceratus (vulneratus); in orientali regione collocati sunt Dii; ad hos venerandos inclinatum sit caput.“

In illa domo a benevolis, familiaribus et dulciloquis hominibus ex sententia circumdatus commoretur.

„Benevoli, celeriter considentes, familiares et dulciloqui homines celeriter dimittunt fabulis ulcerum (vulnerum) dolores.“

Ne interdiu somni potestati subjectus sit. A diurno somno in ulcere (vulnere) pruritus et membrorum gravitas, tumor, dolor, rubor et effluvium valde oriuntur.

In surrectione, coitu, incessu, ambulatione, clara vociferatione et ceteris motionibus prudens tueatur ulcus (vulnus).

„Stationi, sessioni, ambulationi, in itione nimiae vociferationi ulceratus (vulneratus) ne addictus sit. Homo quamvis robustus surrectioni et ceteris, sessioni, stationi et lecto nimis addictus morbos ob aërem in corpore nancisci potest; propterea haec relinquat.“

Advenientium feminarum spectationem, garrulitatem et tactionem longe evitet.

„Feminarum spectatione et ceteris semen virile nonnunquam emissum profluere potest. Coitum producentia vitia aegrotus sine contactu nanciscitur.“

Recentem Oryzam sativam, Phaseolum radiatum, Sesamum orientale, Pisum sativum, Dolichon biflorum, legumina et viridia olera, acidum sal fossile, Speciem de Pipere nigro, Pipere longo et Zingiberi arido, Saccharum officinarum pulveratum, spirituosos liquores, carnem suillam, arida olera butyrum oleosum, caprarum et bubalorum jusculum, carnem et adipem, frigidam aquam, pulmentum de lacte, Sesamo orientali et oryza, jusculum de lacte, oryza et saccharo, lac coagulatum, lac, lac ebutyratum et cetera evitet.

„Explicata alimentorum classis, quae cum lacte ebutyrato finit et a recente Oryza sativa incipit, illa humorum vitia procreat et dignoscenda est exulcerationem augens.“

Potator vini spirituosum liquorem, foliis Lythri fruticosi et saccharo et cet. paratum, spiritum cum saccharo destillatum, spiritum syrupo sacchari paratum et spirituosos liquores, morbifica, evitet.

„Vinum acidum, asperum, pungens et ardens, vehementer et celeriter epotum, cito ulcus (vulnus) corrumpere potest.“

Ventum, solis candorem, pulverem, fumum, gelu, nimium cultum, nimiam cibationem, ingratam auditionem et adspectionem, invidiam, tolerationem, timorem, iram, moerorem, meditationem, nocturnam vigiliam, inaequalem esum, inediam, somnolentiam, jejunium, loquentiam, fatigationem, stationem, ambulationem, frigus, ventum, perversum alimentum, indigestionem, muscas et cetera opposita evitet.

„Ulcerati (vulnerati), laboribus ceterisque vexati, tenui sanguine et carne praediti hominis cibus omnino non digeritur; ab indigestione vehemens aëris et ceter. perturbatio oriri potest; deinceps tumorem, destructionem, effluvium, aestum et coctionem homo nancisci potest.“

Semper brevibus unguibus et capillis praeditus, pura et alba veste indu-

tus, tranquillitate felicitateque, a Diis, Bráhmańis et Guris impetrata, exornatus esse debet. — At cujus causâ laesiones oriuntur? Circumvagi et multipotentes Rakshasi, Pasupatis, Kuverae et Kumarae comites, carnem et sanguinem concupiscentes, puris causâ ulceratum (vulneratum) aggrediuntur, sanationis gratiâ, vel etiam occisuri aliquando.

Est hic ślokas:

„Illis sanationem amantibus operam medicus det intimo corde; suffimenta, sacrificia, oblationes et cibaria offerat."

Hi vero placati animantem non laedunt. Propterea ulcerosus (vulneratus) semper vigilans, ab hominibus circumdatus in domo, lampade sempiterna, aqua, ense, sertis, funibus, floribus, granis et cet. exornata, successui, felicitati et animo prosperas narrationes audiens, sedeat.

„Successui et cet. prosperis narrationibus in animo laetatus et spei plenus morbi liberati gaudium celeriter adipisci potest."

Relatis in Rĭgvéda, Yajurvéda, Sámavéda et At'harvavéda benedictionum formulis spirituales praeceptores et medici crepusculo et diluculo tutelam efficere debent.

„Sinapis dichotomae et Sapindi saponariae foliis, butyro clarificato et sale fossili duos dies suffitionem faciat decem noctes vigilans."

Anethum sowam, Pimpinellam anisum, Comelinam salicifoliam, Valerianam jatamansem, Bŗahmachárinim, Panicum italicum, Hedysarum lagopodioidem, Hemioniten cordifoliam, Panicum dactylum floribus albis, Agrosten linearem et Sinapim albam capite teneat.

„Oblinat setis ulcus, neve fricet, ne tundat, ne scalpat, jacens se conservet. Hoc praecepto se gerentem aegrotum a principio noctambuli daemones fugiunt, sicut antilopae sylvam a leone invasam. Tritam domesticam oryzam coctam, gratam, parvam, calidam, decoctionis superiorem partem comedens, ferinis carnibus, Amarantho polygamo, Celte orientali, Marsilia quadrifolia, Chenopodio albo, Andropogone shoenantho, Raphano sativo, Solano melongena, Trichosanthe dioeca, Cleome pentaphylla, malis granatis, Phyllanthi emblicae fructibus et salibus fossilibus, sicque aliis bonis qualitatibus, Phaseoli mungonis et cet. jusculo, celeriter ulcus (vulnus) in ordinem redigit.

Grana hordei tosti molita, oryzae alicam, oryzae fermentatae aquam et aquam decoctam aegrotus bibat. In ulcere (vulnere) tumor a contentione, rubor ab insomnia, hae duae affectiones et morbus a diurno somno, hae affectiones et mors a coitu oriuntur. Interdiu non somnolentiae subjectus, in domo terraque, venti experte, incedens ulcerosus (vulneratus), in medici potestate situs, celeriter ulcus (vulnus) suum in ordinem redigit. Sic in sacro praecepto versatus ulcerosus (vulneratus) laetus evadit, vitaeque durationem longam consequitur secundum D'hanvantaris effatum."

Caput XX.

Nunc vero de salubribus et insalubribus rebus caput exposituri sumus.

Quod aëri utile est, illud bili inutile est. Ea de causa nulla substantia omnino salubris aut insalubris est.

Quidam vero sacri praeceptores (Ácháryae) non hoc omnino dicunt. Hic revera demonstraturi sumus, qua ex causa substantiae secundum propriam naturam et compositionem omnino salubres, omnino insalubres, salubres et insalubres sunt.

Hic omnino salubres sunt, secundum sui generis naturam, aqua, butyrum clarificatum, lac, oryza cocta, et cet.

Omnino insalubres sunt in urendo, erodendo, occidendo et cet. versatae substantiae, ignis, lixivium causticum, venenum et cet.

Secundum compositionem aliae substantiae veneno similes sunt.

Salubres vero et insalubres sunt: quod aëri utile, illud bili inutile est. —

Inde pro omnibus animantibus nutrimentorum classis haec demonstratur hoc modo:

Oryza sativa, Oryza praecox, Ganguka, Allium cepa, Glycine debilis, mel, gratum hepar, Terminaliae alatae tomentosae flores et caro, Falco cheela, decarptum malum aurantium, Oryza alba, Oryza montana, Paspalum frumentaceum, Cordia latifolia, Panicum frumentaceum, Triticum aestivum, Bambusa arundinacea, Hordeum hexastichon et cet. Antilopae nigrae, e flavo albae Antilopae, Cervi axis feminini, canis magnis dentibus instructae, Perdicis sylvaticae, Columbae domesticae, Perdicis chinensis, Tetraonis cinereae, Perdicis Francolini, Vartírae, Coturnicum et cet. carnes; Phaseolus mungo, montanus Phaseolus mungo, Makusht'ha, Kaláya, Ervum hirsutum, Cicer lens, Cicer arietinum, Pisum sativum, Cytissus cajan, Satína, Chenopodium album, Marsilia quadrifolia, Celtis orientalis, Amaranthus polygamus, Rubia manjista, vaccinum butyrum clarificatum, sal fossile, malum granatum, Phyllanthus emblica. Haec classis omnibus animantibus omnino utilissima est.

Sic studiosis (Brahmacharyis) ventorum expers lectus, calida aqua, nocturnus somnus et labores omnino utilissima sunt.

Salubres vero et insalubres sunt: quod aeri utile, illud bili inutile est.

Secundum compositionem vero aliae substantiae veneno similes sunt: Ligusticum Ajwaën, Mesuam ferream, Aeschynomenen grandifloram, Capparim aphyllam, Oxalida monadelpham, Echiten antidysentericam, sal fossile, Dolichon biflorum, amurcam, lac coagulatum, oleum Sesami orientalis, repentia, contrita et arida olera, caprinam et ovillinam carnem, vinum, Eugeniae Jambu

fructum, Clupeam cultratam, pisces, Alligatores et porcos ne conjuncta cum lacte homo comedat.

„Morbo, indole, regione, tempore et corporis constitutione respectis, peritus medicus cauterium (ignem) et ceteras substantias pro morbi amotione adhibeat. Ob conditionum interiorum multitudinem, pro morbis etc. medici definitam substantiam non desiderant, sed desiderant in sanitate conservanda. Si inter duo, scilicet venenum et lac, alterum assumitur, medici dicunt, lac omnino salubre, venenum omnino esse insalubre. Sic in substantiis gustu etc. praeditis, in aqua etc., esse omnino salubritatem cognosce, care Suśruta! ne aliter!" —

Inde vero alias secundum compositionem insalubres substantias indicaturi sumus.

Ne cum oryzae sativae granis, adipe, melle, lacte, saccharo officinarum vel Phaseolo radiato porcorum et bubalorum jusculum, carnem etc. comedat; ne cum lacte et melle Asclepiadis acidae olus aut unquam olus edat; frumenta cum spirituoso liquore et fermentata aryzae aqua; Solanum indicum cum Pipere longo et Pipere nigro; caulium contritorum olus, Gallum domesticum et lac coagulatum ne comedat conjuncta; mel et calidae aquae fluidum vehiculum; aut cum bile carnem; liquorem spirituosum, pulmentum de lacte, Sesamo orientali et oryza ac jusculum de lacte, oryza et saccharo ne comedat conjuncta; cum Zizyphi jujubae fructu Sesamum orientale et oryzae aquam; cum piscibus Sacchari officinarum praeparata; cum Saccharo officinarum Solanum indicum; cum melle Raphanum sativum; aut cum Saccharo officinarum suillam carnem; cum melle oppositum; cum lacte Raphanum sativum; Mangiferam indicam, Eugeniam jambu, hystricem, porcum, Alligatorem et omnes pisces, praecipue Clupeam cultratam cum lacte; Musae sapientum fructum cum Borassi flabelliformis fructu, lacte, lacte coagulato vel lacte ebutyrato; Artocarpi lacuchae fructum cum lacte, lacte coagulato, Phaseoli radiati jusculo, melle et butyro clarificato; antea lac vel postea lac ne homo comedat. —

Inde secundum praeparationem perversas substantias indicaturi sumus.

Columbas domesticas oleo Sinapeos dichotomae assas ne comedat homo; Perdicem Francolinum, Pavonem cristatum, Perdicem chinensem, Tetraonem cineream et Alligatorem Ricino communi, Pino Dévadáru et Plumbagine zeylanica paratos, aut Ricino communi et oleo Sesami orientalis paratos ne comedat; in cupreo vase butyrum clarificatum et mel per decem dies igne aut in igne cocta; in piscium decoctione aut in Zingiberis decoctione paratum Solanum indicum; Sesami orientalis sedimento oleoso paratum Basellae rubrae olus; cum nuce indica in suilla adipe tostum frumentum; vulturem per prunas in veru assum ne comedat. —

Inde secundum mensuram perversas substantias indicaturi sumus.

Mellis et aquae, mellis et butyri clarificati, duarum oleosarum substan-

tiarum, mellis et oleosae substantiae, aut aquae et oleosae substantiae, praesertim aërem et aquam continentium duorum fluidorum, mensurae respectu, aequales partes ne comedat homo. —

Inde gustuum copulationes, circa gustum, efficacitatem et digestionem perversas, indicaturi sumus.

Hic dulce et amarum ob gustum et efficacitatem perversa sunt; dulce et salsum, dulce et pungens omnino; dulce et amarum ob gustum et digestionem; dulce et adstringens, acidum et salsum ob gustum; acidum et pungens ob gustum et digestionem; acidum et amarum, acidum et adstringens omnino; salsum et pungens ob gustum et digestionem; salsum et amarum, salsum et adstringens omnino; pungens et amarum ob gustum et efficacitatem; pungens et adstringens, amarum et adstringens ob gustum; — immodice in compositione unitas res, nimis asperas, nimis molles, nimis calefacientes, nimis frigefacientes et reliquas similes homo evitet.

Sunt hic ślokae:

„Sic quoque cetera ob gustum, vim, digestionemque perversa omnino insalubria sunt. — Reliqua sciat medicus salubria insalubriaque esse.

Morbum, sensuum imbecillitatem et mortem sibi consciscit stultus homo, substantias circa gustum, efficacitatem et digestionem perversas comedens. Quodvis alimentum, cum humores quodammodo perturbaverit, corpora destruere non valet, illud, in gustu et ceteris perversum, morbosam affectionem efficere potest.

A perversis alimentis ortos morbos avertit alvi ductio, motio, sedatio, aut antea salubris cultura. Ob propriam indolem aut paucitatem alimentum bona digestione praediti juvenis, et hominum jucundis laboribus robustorum, perversum et falsum esse potest. Laboribus addictus adolescens, puer dilectus, bona digestione praeditus homo et polyphagus morbos, a perversis alimentis ortos, ob consuetudinem aut paucitatem non nanciscuntur.“ —

Nunc ventorum qualitates indicaturi sumus.

„Orientalis ventus dulcis, gratus, mitis, gravis, aestum generans, haemorrhagiam biliosam augens, vulneratorum, veneno corruptorum, ulceratorum et phlegmaticorum morbos praecipue semper augens, a rheumaticis comprobatus, lassis et circa phlegma exsiccatis hominibus vulnerum (ulcerum) irrigationem praecipue augens est.

Meridionalis ventus dulcis, non aestuans, adstringente gustu praeditus, levis, optimus, oculis salubris, vim augens, haemorrhagiam biliosam sedans, aërem non irritans.

Occidentalis ventus albus, asper, acerbus, acutus, unguinosam vim tollens, acutus, phlegma et adipem exsiccans, celeriter vitalitatis interitum efficiens et homines exsiccans.

Borealis ventus gratus, mollis, dulcis, adstringente gustu praeditus,

frigidus et humores non irritans, itaque in natura viventes irrigans, vim augens, ab aegrotis, macie, consumtione et veneno vexatis, praecipue honoratus est."

Caput XXI.

Nunc vero de vulnerum (ulcerum) inquisitione caput exposituri sumus.

Aër, bilis et phlegma procreati corporis causae sunt. His vero non mortuis, infra, in medio et supra penetrantibus, corpus sustentatur, sicut domus tribus columnis. Inde illa (aër, bilis et phlegma) tres columnas medici quidam appellant. Illa vero mortua dissolutionis causae sunt. Itaque illis et sanguine, humore quarto, corpus in ortu, duratione et dissolutione orbatum non est.

Est hic ślokas:

„Nec corpus sine phlegmate est, nec sine bile atque aëre et sanguine, semper enim corpus his sustentatur."

Porro in illorum motione et perseverantia elementum corporis; in illorum calefactione calor vitalis; in illorum amplexu cohaerentia versatur. Horum activis effectis mediis aër, bilis et phlegma formae fiunt. —

Inde corruptorum humorum sedes indicaturi sumus.

Hic, ut breve faciam, aër in coxa et ano asylum habet; supra coxam anumque, et infra umbilicum cocti sedes est; inter cocti et crudi sedem bilis sedes est; crudi sedes phlegmatis sedes est.

Porro quintupliciter humorum corruptorum sedes distribuntur.

Aëris sedem in aëris morbo indicaturi sumus; bilis sedes est hepar et splen, cor, visus, cutis et supra indicata sedes; phlegmatis sedes pectus, caput, gutturis cavitas et supra dicta sedes.

Hae sunt revera humorum corruptorum non mortuorum sedes.

Est hic ślokas:

„Sicut procreatione, assumtione et ejectione luna, sol et aër mundi corpus, sic phlegma, bilis et aër hominis corpus sustentant."

Sciscitandum est, utrum post bilis separationem alius ignis (calor vitalis) existat, an bilis ipsa ignis sit? Hoc loco dicitur: non revera post bilis separationem in bile, calefactionem, coctionem etc. efficiente, ad ignis similitudinem actio conficitur; ea est quasi internus ignis. Exili enim bilis qualitate, per adhibitas substantias bili similes nimis auctâ, ex adhibita frigida curatione et diaeta cernimus hoc: „non revera post bilis separationem alius ignis (calor vitalis) existit."

Bilis, praecipue in medio inter crudi et cocti sedem collocata, invisibili actione quadrupliciter cibum potumque concoquit et separat chylum, vitia hu-

morum, urinam et faeces. Ibi vero sita bilis sua facultate ceteris bilis sedibus et universo corpori per ignis operationem beneficium tribuit. In hac bile coquens (digestivus) ignis esse dicitur. Quae bilis vero in hepate et liene est, in illa rubefaciens ignis esse dicitur; is chyli ruborem efficere dictus est. Quae vero bilis in corde collocata est, in illa effectivus ignis esse dicitur; is expetitae voluptatis effector esse dictus est. Quae bilis in visu est, in illa conspicabundus ignis esse dicitur; is in formarum perceptione electus est. Quae bilis in cute est, in illa splendidus ignis esse dicitur; is inunctionis, conspersionis, lavationis, illitus et ceterorum peractio, substantiarum (cibi et pôtus) coctio (digestio) et tenebrarum illustrator est.

Est hic ślokas:

„Bilis acris, fluida, purificans, furva, flava, calida, pungente gustu praedita, acuta et acida est.“ —

Inde phlegmatis sedes indicaturi sumus.

Crudi sedes supra bilis sedem est; ideo phlegma, ob ejus repugnationem, adscensionem et splendorem, sicut luna solis, quadruplicis alimenti receptaculum est. Alimentum ibi humectatum, divisum et digestum, majorem voluptatem generat.

„A dulcedine, fluentia et madore in crudi sede dulce et frigidum phlegma nascitur. Hoc phlegma ibi situm sua facultate ceteris phlegmatis sedibus et universo corpori per aquae operationem beneficium tribuit. Phlegma in pectore situm sua vi, ex ciborum succo exortâ, columnae vertebralis sustentationem et cordis cruorem firmum efficit; in linguae radice et gutture situm, ob lingualis sensus jucunditatem, in dijudicando gustu omnino versatur; in capite situm, ob inunctionis et exhilarationis praestantiam, sua vi sensibus beneficium tribuit; in articulis situm, ob omnium articulorum copulationem, omnibus articulis beneficium tribuit.

Est hic ślokas:

„Phlegma album, grave, unguinosum, fluidum, frigidum etiam; dulce non combustum, salsum vero combustum commemoratum est.“

Sanguinis sedes est hepar et lien. Is prius expositus, in hepate et liene situs, sanguinis sedibus beneficium tribuit.

Est hic ślokas:

„Non fervidus et non frigidus, dulcis, unguinosus, ruber circa colorem, gravis et crudae carnis odore praeditus sanguis sit; combustio ejus sicut bilis se habet.“ —

Hae sunt revera humorum corruptorum sedes; in his coacervantur humorum vitia. Prius accumulationum causa indicta est. Hic accumulatorum humorum corruptorum indicia sunt: stabilis et impletus stomachus, flavus splendor, tarda calefactio, membrorum gravitas, languor, congestionum effectio et odium.

Hic primum actionis tempus (stadium) adest. —

Inde **irritationes** indicaturi sumus.

Vehemente proelio, nimio labore, coitu, studio, delapsu, ventis, doloribus, percussione, inedia, natatione, trajectione, nocturna vigilantia, onerum bajulatione, in elephantorum et equorum curru vectione, nimia perseverantia ascetica, pungentibus, adstringentibus, amaris, asperis, levibus, frigidis, validis et aridis oleribus, arida carne suilla, phaseolis incultis, Cordia latifolia, Paspalo scrobiculato, Panico frumentaceo, Oryza montana, Phaseolo mungone, Ervo hirsuto, Cytiso cajan, Piso sativo, viciis, Phaseolo radiato, inedia, inaequali esu, nimio esu, aëris, urinae, excrementorum, seminis virilis, vomitionis, catarrhi, vomitus lacrymarumque impetu, impedimentoque, et ceteris generibus aër irritationem subit.

„Aër in frigida atmosphaera et vento, in aestatis fine, praecipue matutino tempore et vespere, corrupto cibo irritatur.“ —

Ira, moerore, timore, fatigatione, jejunio, aestu, coitus exercitatione, pungentibus, acidis, salsis, acribus, calidis, levibus, combustis, oleis Sesami orientalis, amurcis, Dolicho bifloro, Sinapi dichotoma, Lino usitatissimo, viridibus oleribus, Alligatorum, piscium, caprarum et ovium carne, lacte coagulato, lacte ebutyrato, lacte inspissato, sero lactis, fermentatis spirituosis liquoribus corruptis, acescentibus fructibus et jusculis, Asclepiade gigantea et ceteris **bilis** irritationem subit.

„Bilis caloribus aestatis tempore, in temporis pluvialis fini, praecipue meridiano et media nocte senescit et cibo irritatur.“ —

Diurno somno, inertia, desidia, dulcibus, acidis, salsis, frigidis, oleosis et gravibus jusculis de aquosa oryza et hordeo, Nishad'hica carice, Phaseolo radiato, Dolicho catjang, Tritici aestivi et Sesami orientalis farinâ corrupta, lacte coagulato, lacte, — pulmento de lacte, Sesamo orientali et oryza, — jusculo de lacte, oryza et saccharo, — saccharo officinarum, corrupto bubali jusculo, carne et adipe Nymphaeae odoratae et Nymphaeae loti fibris, Scirpo Kysoor, Trapa bispinosa, dulcibus, Ligustici ajwaën fructuum esu, nimio esu et ceteris **phlegma** irritationem subit.

„Phlegma frigoribus frigido anni tempore et vere, praecipue matutino et vespertino tempore alimentorum assumtione irritatur.“ —

Bilis irritationibus, iteratis liquidis, oleosis et gravibus alimentis, diurno somno, ira, igne, solis ardore, lassitudine, laesione, indigestione, perverso nimioque esu et ceteris **sanguis** irritationem subit.

„Quia sanguis sine vitiis humorum nunquam irritatur, idcirco illius tempus secundum vitia humorum reputet medicus in irritatione.“

Ab humorum irritatione stomachi dolores, difficultates, stomachi aciditates, sitis, aestus, in cibis fastidium et cordis mador oriuntur. Hic **secundum actionis** (reactionis) **tempus** adest. —

Deinde **eruptionem** indicaturi sumus.

Humorum his morbosis affectionibus irritatorum, sicut fatui fermenti aquâ pisti multitudo, superfluorum, eruptio fit. Illorum eruptionis origo propter mobilitatem aër est. Existente adhuc spiritus absentiâ, aër enim instinctu plenissimus fuit; instinctus vero est omnium creaturarum principium. Sicut magna aquae multitudo nimis aucta, aggere rupto, cum alia aqua commixta undique exit, sic aliquando humores corrupti, singuli, bini aut universi cum sanguine conjuncti, multimodis erumpunt hoc modo: aër, bilis, phlegma, sanguis; aër et bilis, aër et phlegma, bilis et phlegma, aër et sanguis, bilis et sanguis, phlegma et sanguis; aër, bilis et sanguis, aër, phlegma et sanguis, bilis, phlegma et sanguis, aër, bilis et phlegma; aër, bilis, phlegma et sanguis.

Sic quindecim modis erumpunt (humores corrupti).

„In toto dimidioque membro, aut ubicunque in corpore nimis irritatus est humor corruptus, ibi, sicut pluviali tempore nubes, morbosam affectionem inundat. Humor corruptus non nimis irritatus, dissolutus in suis viis consistit, et hostis, tempore occasionem nactus, irritatur.“

Porro aëris ad bilis sedem gressi curatio bilis curationi similis est; bilis ad phlegmatis sedem gressae curatio phlegmatis curationi; phlegmatis ad aëris sedem gressi curatio aëris curationi similis est.

Haec est sanationis partitio.

Sic irritatorum et erumpentium humorum, scilicet aëris, in deverticulis incessus et inflatio; calor, cutis inflatio, aestus et evaporatio, bilis; inappetentia, indigestio, corporis lassitudo et vomitus, phlegmatis indicia sunt. Hic tertium actionis (tempus) adest. —

Porro congeriem in humorum sedibus indicaturi sumus.

Sic iritati humores, has illasque corporis regiones aggressi, hos illosque morbos generant. Illi quando in alvum penetrant, tum lienis affectus, phlegmonas, in alvo ignis congressum, urinae suppressionem, spasmum, diarrhoeam et cetera generant; abdomen aggressi, urinae difficultates, lithiasin, ischuriam, gonorrhoeam et ceteros morbos; penem aggressi, perversam expansionem, morbos venereos, seminis virilis vitia et ceteros morbos; anum aggressi, fistulas, haemorrhoides et ceteros morbos; testiculos aggressi, intumescentias; sursum ad claviculam aggressi, supernos morbos; in cute, carne et sanguine versati, parvos morbos, lepras et extensiones; telam cellulosam aggressi, tubercula, tumores, insensiles intumescentias, colli glandularum tumores, ophthalmias et ceteros; ossa agrressi, phlegmonas, externos abscessus et ceteros morbos; pedes aggressi, elephantiasin, podagram, rheumatismi exacerbationem et ceteros morbos; universum corpus aggressi, febres, universi corporis morbos et ceteros generant.

Corruptorum humorum sic transgressorum prioris formae apparentiam

circa morbos indicare volumus. Hic, humoribus vitiatis priorem morbi formam ingressis, quartum actionis (reactionis) tempus adest. —

Deinceps morborum conspectum indicaturi sumus.

Tumorum, insensilium intumescentiarum, nodorum, phlegmonarum, extensionum et ceterorum morborum manifestatio incidit. Hic quintum actionis (reactionis) tempus adest. —

Posthac, his (vitiatis et transgressis humoribus) ruptis et ulcerum naturam ingressis, sextum actionis (reactionis) tempus incidit. Febrium, diarrhoearum et ceterorum per longinquum tempus symptoma adest. Hic corrupti humores, aegroto curationis experte, incurabilitatem efficiunt.

Sunt hic ślokae:

„Accumulationem, irritationem, eruptionem, in sedibus congeriem, manifestationem et rupturam humorum vitiatorum qui noscit, ille medicus esse valet.

Corrupti humores, in accumulatione sublati, majores gradus non consequuntur; illi vero in majoribus gradibus fortiores fiunt. Omnibus statibus, aut tribus aut duobus, aut uno irritatus humor iratum alium humorem in contactu aggreditur. In contactu qui (humor corruptus) gravior est, is impugnandus est; reliqui corrupti humores in morboso statu refraenatione (impugnandi sunt). Quia ulcus, exorto humorum vitio, suam materiam exulcerat, neque vero, usque ad corporis (externi) consecutionem, interit, idcirco ulcus appellatur a sapientibus.“

Caput XXII.

Nunc vero de ulcerum profluviis dijudicandis caput exposituri sumus.

Cutis, caro, vasa, tendines, ossa, articuli, intestina et organa vitalia sunt octo materiae ulcerum; ibi est omnium ulcerum collectaculum. Jam vero unicam materiam colligens et cutem findens ulcus facile ad curandum; reliqua ulcera, se ipsa lacerantia, difficilia ad curandum sunt. Porro longum, quadrangulum, rotundum et triangulare ulcus est circa formam. Reliqua vero ulcera, perversis formis instructa, difficilia ad curandum sunt. Omnia etiam ulcera hominum sui compotum celeriter sanantur, a bonisque medicis curata; sui vero impotum, ab ignarisque medicis curata, vitiantur, propter incrementum humorum corruptorum. Nimis opertum, nimis extensum, nimis molle, nimis sublatum, nimis collapsum, nimis frigidum, nimis calidum, rubrum, fuscum, flavum, album ceterorumque colorum ullum habens, horribile, carne, vasis, tendinibus et ceteris impletum, foetido pure fluens, altis viis praeditum, defixum, injucundo conspectu et odore instructum, ultra modum dolorificum, aestu, coctione, rubore, pruritu, tumore et accumulatione affec-

tum, ultra modum vitiati sanguinis profluviis obnoxium, per longumque tempus retentum ulcus; — haec sunt vitiatorum ulcerum genera.

Pro corruptorum humorum elatione sex ulceris generibus divisis, convenienter in remediatione elaboretur.

Jam porro omnia ulcerum profluvia indicaturi sumus.

Hic perfricatis perruptisque cutibus, tumoribus fissis diruptisve, aquae simile est profluvium, aliquantum crudae carnis odore et flavescente colore praeditum.

A carne profectum profluvium butyro clarificato simile, spissum, album, mucosumque est.

A vasis profectum profluvium statim ex perruptis et maturatis vasis nimium sanguinis effluvium habet, sicut aquae ductus per aquae tubos. Puris profluvium ibi bene sejunctum, mucosum, dependens, fuscum, stercorique simile.

A tendinibus profectum profluvium est unguinosum, solidum, pituitae simile et sanguine suffusum.

Si ab ossibus profectum est profluvium, scilicet ab osse pulsato, tumido, fracto vel dilacerato corruptis humoribus, ob horum edacitatem os est exsuccum, sicutque concha elota apparet; profluvium, ibi cum medulla mixtum, sanguinolentum et unguinosum est.

Ab articulis profectum profluvium dolens non procedit, sed inflectione, porrectione, sublatione, demissione, agitatione, tussi et adductione fluit; profluvium ibi mucosum, dependens, cum spuma, pure et sanguine commixtum est.

Ab intestinis profectum profluvium sanguinem, urinam, faeces, pus et aquam effundit.

Ab organis sensualibus profectum profluvium, quia in cute et ceteris partibus inclusum est, hic non exponitur

Porro a cute et ceteris partibus profectorum profluviorum asperitas, fuscitas, et stercoris, lactis coagulati, seri lactis, lixivii caustici, aquae, purgaminis carnis, aquaeque oryzae similitudines ab aëre oriuntur.

A bile vaccinae adipis, vaccinae urinae, cineris, muci concharum, aquae, spiritus destillati, oleique Sesami orientalis similitudines oriuntur.

Ut a bile, sic a sanguine nimis crudae carnis odor oritur.

A phlegmate butyri recentis, Vitrioli martis, medullae, contriti Sesami orientalis, nucis Indicae succi, porcinaeque axungiae similitudines oriuntur.

Ab universis humoribus corruptis Sesamo orientali, nucis Indicae succo, Cucumeris utilatissimi succo, alicae acidae, clarae et splendidae aquae, Panici italici seminibus, hepati et Phaseoli mungonis juri similes colores oriuntur.

Ślokae hic sunt:

„A maturitatis sede (ortum puris posluvium) incurabile et oryzae aquae simile est; lixivio caustico simile profluvium emittendum a sanguinis

sede fluit; a cruditatis sede Pisorum sativorum jusculo simile est, et ab articulatione regionis sacralis oritur.

Medicus profluvia antea contemplatus tum curationem instituat."

Posthac omnium ulcerum vexationes indicaturi sumus.

Dolores, scissiones, pulsationes, fissiones, retentiones, agitationes, murium rattorum adventus, aestus, fractiones, divulsiones, lacerationes, abruptiones, trepidationes, varia tormina, sejunctiones, diffusiones, impletiones, rigiditates, somnolentia, incurvationes, inflectionesque exoriuntur, aut sine causa variorum dolorum apparentia. Ubi identidem adveniunt dolorum differentiae, ibi ulcus ab aëre ortum esse medicus sciat. Ubi calor, cutis inflammatio, aestus et evaporatio adsunt, corpus pruuis laesum quasi coquitur, ubi etiam ustionis incrementum in ulcere, et, veluti lixivii caustici conspersione, dolorum differentiae oriuntur, ibi ulcus a bile ortum esse sciat. Ut biliosum, sic a sanguine ortum cognoscat.

Ubi pruritus, gravitas, somnolentia, intumescentia, parvus dolor, rigiditas, frigusque adsunt, ibi ulcus a phlegmate ortum esse sciat.

Ubi omnium vexationum existentia adest, ibi ulcus ab omnium humorum corruptione ortum esse sciat.

Porro ulcerum colores indicaturi sumus.

Cineris, columbae domesticae et ossium color, variegatus, rubidus et lividus, ab aëre orti ulceris color est; niger et ater a sanguine et bile ortorum ulcerum; albus, adipi similis et gilvus a phlegmate orti; omnibus coloribus praeditum ulcus ab omnium humorum corruptione ortum est.

Est hic ślokas:

„Non solum in ulceribus indicatus est vexationum et colorum conspectus, sed medicus in omnibus tumoribus et morbis, sicut in ulceribus, illum (conspectum) observet."

Caput XXIII.

Nunc vero de curabilium et incurabilium ulcerum scientia caput exposituri sumus.

Hic in juventute versatorum, firmorum, bene respirantium et animosorum ulcera facilia ad curandum sunt; aut ubi in uno homine hae quatuor bonae qualitates sunt, ejus ulcera facillima ad curandum sunt. Poro in juventute versatorum ulcera, ob recentem corporis elementorum indolem, celeriter exoriuntur. Firmorum, ob validam et multam carnem, vasa, tendines, et cetera organa telum emissum non consequitur. Bene respirantium languor doloris cruciatu, cibi cohibitione et cet. non nascitur. Animosorum terror quamvis horribilibus factorum generibus non existit. Itaque horum ulcera ad curandum facillima sunt. Haec vero malignis qualitatibus praedita ulcera in senibus,

emaciatis, exiliter respirantibus et timidis cernenda sunt. Ulcera in podice, ano, vulva, fronte, facie, labiis, dorso, auribus externis, in embryonis receptaculo (utero), abdomine inferiore, clavicula et medio ore sita ad disturbandum facilia sunt. Ulcera ab oculis, dentibus, naribus, hirquis, auribus internis, umbilico, alvo, suturis, uxorum natibus, latere, cavitate abdominis, mammis, feminarum fovea axillari, uberibus et articulorum partibus profecta, porro simul spumam, sanguinem et aërem ferentia et internis telis vexata, in inferioribus partibus sita et in superioribus partibus se efferentia, in capillis finientia, circa ungues exorta, in organis vitalibus, cruribus et ossibus collocata, fistulosa in medio ore, in suturis et inclinatis ossibus sita ad curandum difficilia sunt.

Est hic ślokas:

„Leprosorum, venenis corruptorum, tabidorum et mellito diabeta affectorum ulcera difficulter absolvuntur, et in quorum ulcere ulcera sunt.“

Diffusa, non circumscripta, expansa, inclusa in ano, alvo et in nodis, vermibus vexata, a catarrho orta, in intestinis exorta ulcera; quae in laesionibus aegrotorum, circa cutem vitiatorum, aut urinariis malis affectorum conspiciuntur; testis, calculis, urina, aëre, inauribus, ossiculis, terra, dentium asperitate in gingiva tumida, Vangueria spinosa, Nymphaearum radicibus, monilibus et pipere corrupta; dentes aggressa, extensa, ossa laedentia, pectus laedentia, in nodis ulcera et cet. dubia sunt.

„Sanabilia ulcera in dubium veniunt, dubiaque pariter abeunt in insanabilia. Insanabilia autem hominum incuratorum vitalitatem interficiunt. Dubium aegrotum medicus dignoscat illum, quem curatio sustinere potest; curatione autem cessante, statim destruitur. Impetrata curatio sustinet dubio morbo afflictum, sicut collapsuram domum fulcimentum perfecte subjectum.“

Posthac insanabilia ulcera indicaturi sumus.

Ex carne acervatim egressa ulcera; destillantia; intus pure et dolore vexata; ad equorum bibentium similitudinem protractis labiis instructa; quaepiam callosa sunt; sicut vaccarum cornua; edita et fungosa carne surgentia; alia vitiati sanguinis profluvium habentia, aut sicut dilutum orizae jus profluentia; in medio edita; quaepiam destructa et perforata in circumferentia sunt; ut Canabis sativa et erioxylon tendinibus retiformia; ingrata ad videndum; adipis, telae cellulosae, medullae et cerebri profluvium habentia; a vitiis humorum orta; flava, furva, urinam, faeces et aërem gerentia; in intestinis sita; carne exili praeditorum ulcera quoquoversus vias habentia; minutis orificiis instructa; carnis bullis praedita; crepitum et aërem gerentia; in capite et gutture collocata; carne exili praeditorum ulcera, pus et sanguinem efferentia; cum symptomatibus indigestionis, catarrhi et anhelitus conjuncta; ubi in fisso capitis cranio cerebrum adspicitur, et trium corruptorum humorum signum aut catarrhus anhelitusque apparent.

Sunt hic ślokae:

„Quod ab humorum vitiis ortum et adveniens ulcus adipe, tela cellulosa, medulla et cerebro fluit, id sanari aut non sanari potest. Si ulcus in regione organis vitalibus non sustentata et vasis, ligamentis ossibusque destituta malignum circumit, insanabilis ulceris signum est. Gradatim altitudinem nactum ulcus, tardeque corporis elementa aggressum non eradicari potest, sicut aucta arbor, quae aegra est. Illud ob stabilitatem, magnitudinem, et corporalium elementorum aggressionem propulsat medicamentorum vires, et sanctos hymnos (mantras), sicut malus daemon (grahas).

Porro quod ulcus oppositum est, illud facile ad curandum est. Non fixe radicatum, sicut frutex, facile ad exstirpandum est. Tribus corruptis humoribus non infestatum, fuscis labiis et parvo tubere instructum, aequale, dolorum expers et non profluens ulcus purum appellatur. Cujus orae colori Columbarum domesticarum similes, madore destitutae, callosae, et tuberibus in oris istructae sunt, illud ulcus crescere medicus demonstret. Ulcus certa via instructum, nodorum expers, non tumidum, non dolorosum, cutis calori simile et plano fundo praeditum, omnino certum (sanabile) esse demonstret. Ob corruptorum humorum irritationem, torporem, laesionem, indigestionem, gaudium, iracundiam et timorem ulcus quamvis certum (sanabile) dilaceratur.

Caput XXIV.

Nunc vero morbos explicans caput exposituri sumus.

Duplices morbi sunt: scalpellis sanabiles, et inunctionibus ceterisque curationibus sanabiles. Hic in morbis per scalpellos sanabilibus inunctio et cetera curatio non interdicitur. Sed in morbis per inunctiones et ceteras curationes sanabilibus scalpellorum operatio non instituitur. In hoc praecepto, quod omnibus regulis commune est, omnium morborum summatim complexio efficitur. Antea relatum est hoc: „Cum dolore morbus conjunctus est.“ Hic vero dolor triplex est: a propria natura ortus; ab externa natura ortus; a Diis ortus.

Dolor vero in morbum septemplicem incidit. Morbi rursus septemplices sunt hac ratione: a generationis vi orti; a partus vi orti; ab humorum corruptorum vi orti; a laesionum vi orti; ab anni temporum vi orti; a Deorum vi orti; a propriae naturae vi orti.

Qui morbi a generationis vi orti sunt, ii seminis virilis et menstrui vitiis, lepra, haemorrhoidibus etc. progenerati sunt. Hi quoque duplices sunt: a matre orti et a patre orti.

Qui morbi a partus vi orti sunt, a matris culpa oriuntur; mutili, natu caeci, surdi, muti, minuti etc. nascuntur infantes. Hi morbi iterum duplices sunt: spirituosis liquoribus effecti, et picae culpâ effecti.

Qui morbi ab humorum corruptorum vi orti sunt, a miseriis nati, ex corruptis alimentis et vivendi ratione exorti sunt. Hi rursus duplices sunt: a cruditatis sede orti, et a maturitatis sede orti. Hi iterum duplices sunt: somatici et psychici.

Hi ipsi a propria natura profecti morbi sunt. —

Qui morbi a laesionum vi orti sunt, ii accidentales et a firmo impetu in infirmum hominem facto orti sunt. Hi iterum duplices sunt: armis effecti, et a serpentibus ceterisque effecti.

Qui morbi ab anni temporum vi orti sunt, ii a frigore, calore, aëre, pluvia etc. originem trahunt. Hi iterum duplices sunt: interitis anni temporibus effecti et non interitis anni temporibus effecti.

Hi sunt morbi ab externa natura orti. —

Qui morbi a Deorum vi orti sunt, ii propter injuriam Diis illatam a Bráhmańis et portentis effecti sunt. Hi morbi iterum duplices sunt: fulgure et Indrae fulmine effecti, a Piśáchis ceterisque effecti. Hi rursus duplices sunt: a contactu orti et per atmosphaeram illati. —

Morbi a propriae naturae vi orti, sunt sternutamentum, sitis, decrepita aetas, mors, somnolentia etc. Hi etiam duplices sunt: tempore effecti, et non tempore effecti.

Hic, praecautione (prophyllaxi) existente, exorti morbi tempore effecti sunt; praecautione non existente, exorti morbi non tempore effecti sunt. Hi enim a Diis effecti sunt. —

Haec omnium morborum complexio. —

Omnium vero morborum radix est aër, bilis et phlegma, ob eorum gignendi, fructificandi et proveniendi facultatem.

Sicut enim omne, a commutatione ortum, per universi formam perstans est, et veritatis (satva), ignorantiae (rajas) et obscuritatis (tamas) qualitates ab illo non separantur: sic etiam omne, a commutatione ortum, per universi corporis formam perstans a se non separando, aër, bilis et phlegma subsistunt. —

Ob corruptorum humorum, corporis elementorum et excretionum concursum, et congeriei diversitatem dubitationes de morborum causis fiunt.

Corporis elementis per humorum vitia nimis corruptis, cognitio efficitur: hunc morbum a chylo, hunc a sanguine, hunc a carne, hunc a tela cellulosa (adipe), hunc ab ossibus, hunc a medulla, hunc a semine virili ortum esse.

Ciborum fastidium, inappetentia, indigestio, corporis vexatio, febris, singultus, gaudiorum gravitas, cordis pallor, viarum praeclusio, haemorrhoides,

imbecillitas, corporis languor, praematura robusti hominis canities etc. a chyli vitiis orti morbi sunt. —

Lepra, herpes, congestio, parvae cuticulares pustulae, ecchymosis, melanosis, atrae maculae in facie, alopecia, lienis affectus, phlegmone, induratio glandularum mesentericarum, rheumatismus (aërophorus sanguis), haemorrhoides, insensiles tumores, corporis vexatio, aneurysmata, haemorrhagia biliosa etc., ani, oris et penis inflammationes, a sanguinis vitiis orti morbi sunt. —

Nimia caro, insensiles tumores, haemorrhoides, linguae, uvulae, gingivae, colli et palati mollis tumores, oculorum inflammationes, colli glandularum inflammatio etc., morbi a carnis vitiis orti sunt. —

Tubercula, incrementum (hypertrophia), cervicalium glandularum inflammatio, insensiles tumores, a tela cellulosa labiorum irritatio, mellitus diabetes, nimia corpulentia, nimis sudor etc., morbi a telae cellulosae vitiis orti sunt. —

Nimia ossificatio, nimia dentitio, ossium dolores, arthritis, deformes ungues et ceteri morbi ab ossium vitiis orti sunt. —

Caecitas, animi deliquium, vertigo, nodi, gravitas, crassae radices, magni pedes, lippitudo etc., morbi a medullae vitiis orti sunt. —

Impotentia generandi, tristitia, seminis virilis calculi, fluxus seminalis, seminis virilis vitia etc., morbi a seminis virilis vitiis orti sunt. —

Cutis vitia, accumulatio aut nimia actio sunt congeriei vitia in excretionibus. —

Sensuum inertia, aut perversa actio, sunt congeriei vitia in sensibus.

Sic summa explicata est; prolixas causas et morborum remediationem exponemus (alio loco).

Est hic ślokas:

„Ubi enim irritatorum humorum corruptorum, in corpore circumerrantium, accumulatio est, ibi ab eorum mala qualitate morbus nascitur.“ —

Amplius hic sciscitandum est, utrum aëris ceterorumque fluidorum et febris ceterorumque morborum sempiterna complexio, an separatio sit? Si sempiterna illorum complexio esset, reapse sempiterni aegroti omnes animantes essent. Si vero contrario modo constitueris, aëris ceterorumque fluidorum et febris ceterorumque morborum alibi versatorum symptoma morbosum alibi non existere, quia dicatur, aërem et cetera fluida febris et ceterorum morborum radices esse, hoc verum non est. — Hic solum contenditur, vitiis humorum negatis, febrem et ceteros morbos existere non posse. Sed sempiterna illorum conjunctio non est, sicuti Indrae fulgur, ventus, fulmen et pluvia, aethere negato, existere non possunt; existente etiam aethere aliquando non existunt. Ac secundum causam productio sic existit, sicut undae, bullae et ceterae aquarum differentiae existunt. Sic aëris ceterorumque fluidorum et febris

ceterorumque morborum nec sempiterna complexio, nec separatio est, sed secundum causam etiam productio fit.

Est hic ślokas:

„Morborum mensuram eorumque numerum singulatim in Ultimo tractatu (Uttara Tantra), omnesque vexationes, fusius explicabimus.“

Caput XXV.

Nunc vero de octuplice scalpellorum usu caput expondituri sumus.

„Incidendae sunt ani fistulae; nodus phlegmaticus; melanosis; ulcerum fistulae; insensiles tumores; haemorrhoides; cutis aculeus; ossa et carnem ingrediens spina; furunculus; carnis accumulatio; uvula tumida; tendinum, carnis et vasorum inflammatio ulcerosa; elephantiasis; ani fistulae cum orificiis externis; Ad'hrushas; morbus venereus; carnis tubercula; carnis hypertrophia.

Resecandae sunt phlegmonae internae; alibi omnis generis nodi tres: qui initio extensi, adaucti et diruptioni subjecti sunt; urinae accumulatio; tumores; uberum morbus conquassans; hordeolus; pedum tubera; ulcera fistulosa; aucti morbo hirqui; saepius minores morbi; tumores a palato et dentibus orti; cucurbitulae et citro similes tumores, qui antea maturati sunt; sic abdomen inferius calculorum morbi causâ; et quidam morbi, qui a medulla orti sunt.

Scarificandae sunt quatuor coli inflammationes: pustulae in palato molli, a medulla orti dentium dolores, nodorum fistulae, linguae hypertrophia; haemorrhoides; lepra cum maculis rotundis; carnis tuberculum et carnis sublatio.

Pungenda sunt vasa multimodis; urinae incrementum et ascites.

Exploranda per penicillum sunt fistulosa ulcera; tela; ulcera (vulnera) alta.

Extrahendi sunt calculi tres: dentium et aurium tartarus, calculusque vesicarius; tela; torpidi foetus, faeces in ano congestae.

Derivandae sunt quinque internae phlegmonae, generali ortu non praeditae; leprae, aër morbosus; tumor, qui uno loco ortus est; lobulorum morbi; elephantiasis; veneno corruptus sanguis; insensiles tumores et qui nodi initio extensi sunt; tres morbi: morbus venereus, uberum morbus et bubones; excavatio; in collo bulbosus tumor; spinae; insectorum morsus; dentium obductio cum gingivae tumore; frigore acquisita odontalgia; a bile, sanguine et phlegmate orti labiorum parvi morbi plurifariam.

Suendae sunt in musculis sitae, fissae, valde dilaceratae laesiones; statimque vulnera, quae vacillantes articulos ingressa et lixivio caustico, cauterio actuali venenoque non corrupta sunt, aërem non gerunt, et intus non ferrum telumque habent.

In sequentibus omnino purificatio locum habet: sordes, crines, ungues, etc., osque, quod vacillans est, non extracta, quia haec vulnus (ulcus) valde coquunt, variosque morbos efficere possunt, ideo medicus haec auferat.

Deinceps vulnus correctum et apte institutum consuat medicus tenui filo, aut cortice Oxalidis, cannabinis et lineis filis, tendine aut etiam crine, Sansevierae Zeylanicae aut Menispermi cordifolii fibris; suat lente tortuosas, aut suat terrestribus serpentibus similes, aut suat Cedrelae tunnae similes suturas. Deinde rectum nodum secundum conjunctionem faciat. In loco, parva carne praedito, et in articulatione acus rotunda, duos pollices longa; tres pollices longa triangularis in carnoso loco laudata est. Acus arcuata apta est pro organis vitalibus et fructibus ovisque in utero. Sic has trifarias acus, subtiliter mucronatas, bene compositas fabricandas medicus curet, sicut Jasmini grandiflori petioli in mucrone circulares. Ne in nimis remoto aut propinquo loco acum in operatione demittat; a longinquitate morbosi loci, et a vulneris marginis proximitate acus abducenda est. Deinde linamentis et erioxylo obtectum, bene consutum, vulnus undique cicatricet Panico dactylo, collyriis, liquiritia, Symploci racemosae pulveribus, aut Boswelliae thuriferae thuris pulveribus, aut identidem linamento. Deinceps vulnus apte cum medicus deligaverit, curationem doceat.

Haec octuplex operatio breviter demonstrata est. In Therapia (Chikitsita) omnino fusius de hac re agetur.

Defectus, nimietas, perversitas et membrorum dissectio sunt quatuor in octuplici operatione calamitates commemoratae.

Quando medicus ignorantia, cupiditate, insalubris sermonis usu, timore, perturbatione et aliis similibus rebus scalpellum adhibet, tum diversos effici morbos. Illum, caustico, scalpello, cauterio, medicamentis ultra modum utentem, et incongruentiae addictum medicum vivendi cupidus longe evitet, sicut horrificum venenum et ignem. Illud junctum, scilicet organorum conjunctiones, vasa, tendines et ossa valde laedere, et stultitia praeditum hominem ullo modo spiritibus vitalibus illico orbare potest; vertigo, collapsus, perturbatio, vacillatio, colloquiorum aestuatio, artuum delapsus, animi deliquium, aëris adscensio, horribiles morbi, iique ab aëre orti existunt, carne (cruore) et aqua (sero) splendidus sanguis provenire potest, tum omnium sensuum functionis cessatio.

Sic enim in quinque sensibus laesis breviter signum indictum est.

Deo Indrae, regi, similis ortus sanguis profluere potest, letalesque aër efficit morbos varios, sic dictos, fissis dissectisque vasis. Cujus incur-

vatio, corporis, artuum, membrorumque languor, in laboribus impotentia, tumultuosi morbi diuturnum vulnus (ulcus) exoriuntur, hunc in tendine perforatum hominem interficere possunt.

Tumorum nimium incrementum, tumultuosi morbi, virium interitus, in nodis fissurae et tumores, in laesis articulis immobilitas, in mobilibus articulis articulorum functionis cessatio, symptoma esse potest. Cui terribiles morbi sunt, illi noctibus et diebus existentibus non sedatio est. Sitis et corporis languor tumorque illum in ossibus perforatum hominem interficere possunt.

Peculiariter haec sunt signa, organis vitalibus laesis. Contactum non sentit ille, qui flavescente colore praeditus et in carnis organo laesus est.

Qui maleficus, operationem faciens, scalpello vitam occidit, illum, vitam occidentem, malum medicum, sui compos et longaevitatem concupiscens evitet.

Vitia humorum in perverse adhibito scalpello antea relata sunt. Itaque vitia humorum evitans instituat scalpelli usum. Matri, patri, filiis et propinquis aegrotus diffidat, medico fidem habeat. Abjicit aegrotus se ipsum, neque vero medico diffidit. Idcirco filii loco illum aegrotum praeservet medicus.

Alius morbus una operatione, alius duabus aut tribus, alius quatuor operationibus sanatur.

Virtutem et opes, gloriam ultra modum, excellentiam, venerationem praestantissimam et in Indrae coelo habitationem adipisci potest medicus, sanationem operatione molitus."

Caput XXVI.

Nunc vero de occultarum sagittarum dijudicatione caput exposituri sumus.

Radix etymologica „celeriter ire (śal)," aut „velociter se movere (śval)," celerem motum significat; hujus radicis forma (declinatio) „sagitta (śalya)" appellatur.

Sagitta duplex est: corporalis et accidentalis. Omnium corporum vexationem efficiens, sic hic sagitta demonstratur; ideo sagittarum praeceptum (śástra) hic corporale appellatur. Crines, ungues et cetera corporis elementa, alimenta, excretiones et humores corrupta fiunt.

Accidentalis vero, pro corporalium sagittarum differentia, sagitta appellatur, quatenus ejus materiae dolorem efficiunt.

Dominii signum est in ferreis, arundinaceis, ligneis, corneis, osseisque sagittis, praecipue vero in ferreis; ob ferri usum in pugna, ob ferrorum difficilem resistentiam, ob subtilem cuspidem, ob procul emissae sagittae efficacitatem, telum (śara) quoque Dominator appellatur.

Sagitta vero duplex est: aurita (pennigera) et minuta. Plerumque

ejus species variis arboribus, foliis, floribus et fructibus, serpentumque, bestiarum et avium oribus similes explicatae sunt.

Omnium vero sagittarum, magnarum aut minutarum, quintuplex eundi genus est: sursum, deorsum, retroversum, tortuose, directe.

Quando sagittae post impetus cessationem aut propugnationem in cute etc., in vulneris materiis, vasis tubulatis, sensuum organis, ossibus et eorum cavis, in corporis vaginis et ceteris corporis regionibus remanent, sagittarum signum hic indicatum percipe!

Hoc signum vero duplex est: generale et speciale. Furvum, auctum, tumoribus et doloribus vexatum, identidem sanguinis profluvio praeditum, bullae instar editum, mollem carnem habens vulnus (ulcus) sagittam occultans esse medicus judicet. Generale hoc signum indicatum est.

Speciale vero signum est: si sagitta in cutem ingressa est, decolor tumor existit, longus, durusque; si in carnem ingressa est, tumoris incrementum, sagittae viae non sublatio, doloris impatientia, cutis aestus et coctio; si in vaginis mediis sagitta sita est, cutis aestus et tumoris absentia; si in vasa ingressa est, vasorum inflammatio, dolores et tumor; si in tendines ingressa est, tendinum retis elatio et irritatio, horribilisque morbus; si in sensuum organa ingressa est, in sensuum organis propriae functionis et qualitatis privatio; si in vasis tubulatis sita est, spumosus sanguis et procedens aër cum crepitu egreditur, corporis lassitudo, sitis et cordis palpitatio existit; si in ossa ingressa est, variorum dolorum apparentia et tumor; si in ossium cava ingressa est, ossium impletio, ossium cruciatus et tritura vehemens; si in articulos ingressa est, ut in ossibus, motionis cessatio; si in intestina ingressa est, borborygmi, in urina et faecibus ciborum adspectus ex vulneris orificio existit; si in organa vitalia ingressa est, sicut in perforatis organis vitalibus, sagitta vacillat; si minutae sagittae ingressae sunt, haec signa non manifesta sunt. Magnae aut perparvae sagittae purorum corporum, directo ingressae, adscendunt, praecipue in gutture, in sensuum organis, vasis, cute, vaginis et ossium cavis. Humoribus corruptis, irritationibus, laboribus et percussionibus agitatae sagittae rursus vexant.

Si sagitta in cute occulta est, in inuncta, vaporata et per lutum, Phaseolum radiatum, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum et vaccinum stercus comminuta cute, ubi irritatio aut dolor est, ibi sagittam esse medicus sciat. Cute, miti butyro clarificato, luto aut Sirii myrtifolii sedimentis superinunctâ, ubi sagittae aestus celeriter egreditur, butyrumque clarificatum aut unguentum exsiccatur, ibi sagittam esse sciat.

Si sagitta in carne occulta est, oleaminibus, calidis fomentationibus et ceteris curationum generibus non perversis medicus aegrotum curet. Ubi emaciati vero sagitta flaccida facta, dissoluta, agitataque est, ubi irritatio aut dolor est, ibi etiam sagittam esse medicus sciat.

In intestinis, ossibus, articulis, vaginis et cavitatibus collocatam sagittam pariter medicus exploret.

Si sagitta in vasis, tubulatis vasis, sensuum organis et tendinibus occulta est, itinere cum exercitus sectione instituto, aegrotum vexare et celeriter iniquam viam ingredi potest; ubi irritatio aut dolor est, ibi sagittam esse medicus sciat.

Si in ossibus occulta est sagitta, oleaminibus et calidis vaporibus illita ossa ligationibus et agitationibus valde administret medicus; ubi irritatio aut dolor est, ibi sagittam esse sciat.

Si vero in organis vitalibus occulta est sagitta, quia organo vitalia non aliam qualitatem habent, jam indicata est exploratio.

Generale signum etiam est: elephantis humeros, equorum dorsum, collem et arborem adscendendo, defatigatione per arcum, celeri cursu, luctatione, incessu in via, jejunio et defatigatione per trajectionem natationemque, oscitatione, vomitu, tussi, emunctione, exscreatione, risu et respiratione nasali, aut aëris, urinae, stercoris et seminis virilis emissione, ubi irritatio aut dolor oritur, ibi sagittam esse medicus sciat.

Sunt hic ślokae:

„In qua regione vexationes et cet., somnolentia et gravitas subest, sagitta frequenter vacillat, ubi aegrotus profluvio laborat et vaxatur, quam regionem identidem aegrotus conservat, se frequenter fricans, ibi sagittam esse medicus demonstret. Medicus exigue vexatum, non tumidum, non aegrotantem, non symptomata morbosa habentem, sedatum, molli superficie praeditum, non intrementem et non editum hominem specillo normaliter perscrutatus, sagittae in cursu deflexae causâ, certe non sagittam gerere demonstret.

Ossea vero optatur sagitta; hujus cuspis destruitur. Saepius consumitur cornea ferreaque sagitta. Sic verum est. Si vero arboreae et arundinaceae sagittae non extrahuntur, hominum sanguinem et carnem celeriter coquunt. Aurea, argentea, cuprea, aerea, stannea et plumbea sagitta post longum intervallum, ob bilis vim coquendi, dissolvitur. Qui homines naturâ frigidi et molles, aliique his similes crediti et liquabili natura praediti sunt, in illorum corpore sagittae unionem ineunt cum corporis elementis. Corneae, ex dentibus et crinibus fabricatae, osseae, arundinaceae, ligneae, lapideae et terreae sagittae non destruuntur in corpore.

Qui sagittam, duplici natura quintuplicique motione instructam, et in cute ceterisque vulneris materiis collocatam cognoscit, ille reges facere potest.“

Caput XXVII.

Nunc vero de sagittarum (spiculorum) evulsione caput expedituri sumus.

Sagitta (spiculum) duplex est: fixa et non fixa.

Hic pro fixis sagittis evellendis breviter quindecim rationes indicaturi sumus, hoc modo: propria hominis natura, maturitas, resectio, dissectio, destructio, extersus, efflatio, vomitus, alvi ductio, lavatio, injectio, fluxio, suctus, magnes et gaudium.

Lacrymis, emunctione, vomitu, tussi, urina, faecibus et flatibus, a propriae naturae vi ortis, ex oculis et ceteris partibus spiculum elabitur.

Si immersa et combusta sagitta maturata est, propter ejus irritationem et puris sanguinisque impetum aut gravitatem, elabitur.

Maturatam, sed non sectam sagittam, resecet aut dissecet medicus.

Resectam, sed non delabentem, destruentibus instrumentis aut manibus medicus destruat.

Omnia exigua spicula adspersionibus, efflationibus, crinibus, pannis et manibus medicus extergeat.

In alimentorum residuis et in muco relicta exigua spicula anhelitu, tussi, exspiratione que efflet aegrotus.

Deglutita spicula vomitu, digitis, injectionibus et ceteris; alvi ductionibus in maturitatis sedem ingressa; ulceris et corruptorum humorum propinquitatem ingressa lavationibus amoveat; aërem, urinam, faeces et foetum ingressis spiculis, fluxio indicata est.

In aëre, aqua, venenato sanguine et vitiato lacte suctus per os aut cornua locum habet.

Directam, non fixam, non auritam (pennigeram), non parvo vulneris orificio instructam sagittam magnete; in corde collocatam, a multis causis ortam moeroris sagittam gaudio medicus amoveat.

Omnium vero sagittarum, magnarum aut parvarum, duae evellendi methodi existunt: indirecta et directa.

Hic indirectam sagittam deorsum medicus abducat; directam aversim. Tractam sagittam cum medicus diviserit, evellat divisibili mucrone praeditam. Divisibilem mucronem habentes et in abdomen, pectus, latus, regionem iliacam et in costarum intervalla illatas sagittas, pro via manibus apta, manu extrahere medicus studeat.

„Non fractas sagittas, divisibili mucrone praeditas, non evellendo aptas medicus cognoscat, propter plurium divisionum retentionem.“

Medicus, manu extrahi sagittam non posse ratus, scalpello aut machinamento eam eximat.

Est hic ślokas:

„Frigidâ aqua animi deliquio vexatum medicus conspergat, tueatur ejus organa vitalia, identidemque eum consoletur.“

Deinde, sagittâ extracta, cum vulnus exsanguinatum medicus fecerit, inunctioni aptum calore, butyro clarificato et cet. conglutinaverit, illiverit et obliverit, butyroque clarificato et melle deligaverit, ordinatum esse doceat.

Vasis et tendinibus inhaerentem sagittam medicus extrahat, cum eam hamo et ceteris instrumentis solverit, tumorem devorato manubrio instructum destruxerit, et tumorem invalido manubrio instructum Poâ cynosuroide et ceteris deligaverit. Frigidâ aqua et ceteris saucii perteriti sagittam, ad cor sitam, extrahat medicus secundum ejus viam.

Difficilem ad extrahendum sagittam, alicubi adhaerentem, relaxando medicus extrahat. Ossium cavitates ingressam sagittam, aut ossa admordentem, saucio circa pedes prehenso, instrumento extrahat.

A fortibus hominibus apte prehensi saucii sagittam, quae sic extrahi non potest, medicus instrumento cum corripuerit, sagittae manubrium incurvaverit, et arcus nervis alligaverit, refraenati saucii quinque singulos artus equi freno liget; deinde eum flagello feriat; simul ut saucius extollit caput, celeriter sagittam extrahat; aut firmum arboris ramum cum inflexerit, per hunc sagittam, supradicto modo alligatam, extrahat. Cum medicus labefactaverit sagittam, ossei, terrei, lapidei, aut cujusvis mallei usu fractam, et secundum viam instrumento contritas pennas auritas, in non impedito loco fractas; antea gutturi ex lacca facto et ad guttur adaptato tubum imposuerit; igne calefactum hamum prehenderit et frigidis aquis adsperserit: immobiliter fixam sagittam extrahat. Sine gutture, ex lacca facto, per hamum, laccâ et cera oblitum, superiore modo medicus sagittam extrahat. — Sic quidam dicunt.

Osseam sagittam, aut aliam oblique gutturi infixam intuitus, capillorum cincinnum, firmo filo alligatum et cocta oryza imbutum devorari medicus jubeat, et usque ad guttur impletum stomachum evomentem efficiat; cum evomentis sagittam uno loco fixam cognoverit, filum subito attrahat, aut molli dentium peniculi barbâ auferat removeatve; intus vulnerato gutturi mel et butyrum clarificatum lambenda offerat, aut trium Myrobalanorum (triphalá) pulverem cum melle et saccharo commixtum. Aqua impletum, deorsum caput inclinantem premat aut feriat, aut vomentem efficiat, aut in cineris cumulum immittat oretenus. Deglutito autem spiculo, gutturi infixo, indubitate inopinantis humerum pugno feriat, oleum, vinum aut aquam bibi jubeat.

Sagittâ brachiis, tendinibus, ramis et funibus instructâ, aër irritatus, propter gutturis vexationem, irritat phlegma, sensuum organa cohibet, et salivae fluxionem, spumae adventum conscientiaeque interitum adducit. Hunc saucium medicus oblinat, inungat, capitis purgatorium medicamentum acre illi porrigat, collyrium, aërem destruens, tribuat.

Sunt hic ślokae:

„Saepius sagittarum (spiculorum) genera, species et sedes, sic etiam instrumentorum specialitatem omnino intuitus medicus sagittam (spiculum) tum extrahat. Quae vero auritae (pennigerae) sagittae sunt difficiles ad extrahendum, eas idcirco medicus, circumstantiis intentus, eximat. Si vero his auxiliis sagitta non amovetur, intellectu exercitato et instrumentorum usu medicus extrahat. Tumorem et coctionem, morbosque acutos efficere potest sagitta (spiculum) non extracta, confusionem quoque et mortem. Ideo nisu extrahat.“

Caput XXVIII.

Nunc vero de malignorum et non malignorum vulnerum (ulcerum) dijudicatione caput expositiuri sumus.

„Sicut fructuum, ignis, aquae, et pluviae consecutionem flores, fumus et nubes indicant, sic laesiones mortem.

Hae laesiones ob exiguitatem, incuriam, aut praeteritionem ab insciis tanquam se non male habentes celeriter accipiuntur; a morituriente homine vero non sine causa.

Certa mors in laesione a Bráhmańis, revera puris, Elixirio vitae, calore, lumine, aqua, aut aliis rebus avertitur.

Sicut dolor, a constellationibus lunaribus ortus, multimodis per tempus coquitur, sic etiam laesionum coctionem multimodis narrant homines.

Non successum adipisci potest homo, in mundo contrarie agens, orbatus longaevitate; idcirco laesiones nisu animadvertat felix medicus.

Odoris, coloris, gustus et ceterorum generum corruptio in vulnerati hominis laesione maturitatis signum breviter indicatur.

Pungens, acris, et crudae carnis odori similis odor cum aëre et ceteris, ferreus odor cum sanguine commixtus, et humoribus corruptis praeditus est. Granis madidis et Lini usitatissimi oleo similes, paululumque crudae carnis odore praediti naturales odores cognoscendi sunt; ideo alius odor corruptus est. Vini, Aquilariae ovatae, terebinthinae, Caesalpiniae bonducellae, Nelumbii speciosi, Sirii myrtifolii et Micheliae champacae odoribus praedita suaveolentiaque vulnera moriturorum commemorata sunt. Canis, equi, muris et corvi foetore, carnisque aridae et bubulorum odore praedita, luti et terrae odorem habentia vulnera vituperata sunt. Artemisiae, Croci sativi et Kanküsht'hae colore praedita et bilem irritantia vulnera (ulcera) non comburuntur, non exsiccantur; medicus haec evitet! Pruritiva, dura, alba, unguinosa et a

phlegmate orta ulcera dolent et comburuntur; medicus haec evitet! Furva, tenuiter profluentia, ab aëre orta et organa vitalia vexantia ulcera perparvum morbum minime efficiunt; haec medicus evitet! Quae vulnera (ulcera) murmurant, sonum edunt et quasi flagrant; quae in cute et carne versantur et aërem crepitantem emittunt; quae in organis vitalibus exorta et ultra modum dolorifica sunt; quae comburuntur intrinsecus ultra modum, extrinsecus vero frigida sunt, aut comburuntur extrinsecus ultra modum, et intrinsecus frigida sunt; quae vulnera a lancea ferrea, barbato telo, vexillo, essedo orta, equis, elephantibus et tauris effecta sunt; in quibus porro apparent templorum formae; quae quasi obruta sunt pulvere non pulverulenta; respiratione, carnis consumtione, anhelitu, catarrho et inappetentia cruciata et pure sanguineque impleta vulnera (ulcera); quorum vulnera (ulcera) in organis vitalibus sunt; quae vulnera (ulcera) curationibus omnino suscepta non absolvuntur: ea evitet medicus praescius, conservans suam gloriam.“

Caput XXIX.

Nunc vero de infaustis et non infaustis nuntiis, avibus, insomniis et visionibus caput exposituri sumus.

„Nuntiorum et visionum allocutiones, introitus et motus, constellatio, tempus, dies lunaris, signum, omen, aër, regio et medici sermonis, corporis mentisque agitatio declarant aegrotum aggressam felicitatem infelicitatemve.

Haereticorum et eremitarum contradictores pro operis successu sunt. — Sequentes vero infausti nuntii sunt, et pro operis calamitate: Eunuchus, femina, et multi ex variis causis maledicti, asinorum et camelorum vehicula nacti, aut horum posteri, medicum qui aggrediuntur nuntii, ii quoque maledicti sunt. Baculum et arma gerentes, flavescente, vili, flavida, detrita, contraria, squalida et decidua veste induti; scelerati, cingulum supra loricam habentes, perterriti, deformes, Raudrae Dei formam habentes, aspere et contumeliose loquentes, infeliciter nominati, dissecantes gramina et ligna, nasum, uber, vestium fines, digitum annularem, capillos, ungues, pilorum fimbrias tangentes; in sensuum organis, tegumentis, corde, facie, capite, pectore et abdomine manuati; crania, lapides, cinerem, ossa, oryzae paleam et carbones in manibus gerentes, arantes terram, aliquid dimittentes, glebas findentes, oleo Sesami orientalis et luto illitum corpus habentes, cruentis sertis obducti, fructum maturum aut exsuccum, aut aliud hujus generis, unguibus unguium interiorem partem, aut manu pedem capientes, calceorum coriis circumdatas manus habentes, deformatione afflicti, depravatam vitae

rationem quaerentes, anhelantes, deformibus oculis praediti, ad meridianam regionem implicatas manus protendentes, iniquo loco in uno pede stantes, medicum qui aggrediuntur nuntii, ii quoque maledicti sunt. Ad meridiem faciem vertentem, aut in regione impura ignem incendentem, aut coquentem, crudelis negotii studiosum, nudum, aut humi jacentem, in impetus cessationibus impurum, expanso capillo praeditum, oblitum et perturbatum medicum si aggrediuntur nuntii, ii quoque maledicti sunt. In medici paterno divinoque officio, in portenti adspectu, meridiano, media nocte, crepusculo et diluculo, in tertio, sexto, decimo, decimo nono astro lunari priore, in secundo astro lunari, aut quarto, nono sextoque die dimidii lunaris mensis, in conjunctionis diebus, medicum qui aggrediuntur nuntii, ii quoque maledicti sunt. Sudati et fervefacti meridiano tempore ob ignis propinquitatem, maledicti sunt in bilis morbis nuntii, medicum aggressi. Hi vero in phlegmatis morbis operis successum facientes commemorati sunt.

Eo reliquum expositum esse cum cognoverit medicus, discernat id. —

In haemorrhagiis biliosis et diarrhoeis, in urinalibus affectionibus faustus est nuntius, ad aquarum litora medicum aggrediens.

Re sic dignota, partem reliquam cognoscere potest eruditus medicus.

Alba veste indutus, albescens, flavus, aut furvus, jucundus visu, a fausta stirpe originem suam ducens nuntius opus peragens commemoratus est.

In terra incedens aggressus, exhilaratus, pedibus nitide se movens, constans, religosorum rituum tempus sciens, proprium Deorum cultum cognoscens, celebratus, ornatus et fortunatus nuntius opus peragens commemoratus est.

Qui nuntius sui compotem, ad orientem vultum vertentem, sedentem in aequa regione pura, purum medicum aggreditur, ille opus peragens commemoratus est.

Caro, aqua, urina, parva umbella, Bráhmańae, elephanti, et tauri albo colore praediti, honorantur, in intinere in conspectum venientes.

Uxor filios habens, cara mater, prospere ornata virgo, pisces, fructus crudus, templum, conditurae, lac coagulatum, aureum et non fractum vas, gemmae, benevolus rex, non sedatus ignis, equus, anser, Coracias indica et pavo, Bráhmańarum tympani, nubis, conchae, fistulae et curriculi soni, leonis et tauri clangores, crepans elephantorum rugitus, anserum gingritus, et hominum bubonumque soni fausti sunt.

A sinistra manu in itinere obvenientes soni optimi et cor reficientes sunt. Foliis, floribus et fructibus instructas, succo non morbifico praeditas arbores, coelum, domum, vexillum, portam, altare aggressae, in regionibus placidis jucunde canentes, a tergo advenientes, sinistrae aut dextrae aves operis successui sunt; in arido, a fulgure icto folio, in arbore spinosa per Ligusticum ajwaën ligata, porro in lapidibus, in cinere, in ossibus, faecibus,

palea, carbonibus, pulveribus, in altari, colliculo iniquo stantes, stridentibus et pungentibus vocibus praeditae, ad orientem in regionibus splendidis canentes aves non operis successum indicant.

Masculinae aves sinistrae, femininae dextrae faustae sunt. A dextra ad sinistram adventus canis et canis aurei faustus est; sinister adventus Viverrae ichneumonis et Caraciae indicae, leporis et colubri, sic vulturis et bubonis certe non faustus est, minuritioque etiam Alligatoris et Chamaeleontis.

Nuntiis non optatis similium hominum conspectus infaustus est.

Dolicho bifloro, Sesamo orientali, Gossypio herbaceo, Terminaliae bellericae fructu, lapidibus et cinere impletum vas ingratum est; sic carbonibus, oleo Sesami orientalis et limo impletum, pellucidis et alliis vinis refertum vas cum rubra sinapi.

Cadaverum, ligni et foliorum aridorum in via occursus, delapsi, in morte versati, miseri, coeci, et hostes non optantur.

Mitis, frigidus, prosper et suaveolens ventus faustus est; acutus, calidus, non optato odore praeditus et contrarius ventus vituperatus est.

In nodis, tumoribus insensilibus etc., incisurae crepitus semper exoptatus est; sic quoque in phlegmonis internis, in abdominis tumoribus et splenis affectibus perforationis crepitus. In haemorrhagia biliosa et dysenteria inclusus crepitus comprobatur. Sic ex morborum differentia signum medicus intelligat.

Sic quoque infaustum est „heu," aerumnosum „ne," lacrymabiles et flebiles gemitus, in vomitu aëris et excrementorum crepitus, asinorum et camelorum ruditus (infausti sunt).

Prohibita, fracta, vacillans et percussa sternutatio in trita medici via non comprabatur. Hanc (sternutationem) in introitu etiam sic respiciendam esse circa aegrotum medicus doceat; sed ad januam aut in domo ejus sternutatio haud amplius reputatur.

Capilli, cinis, ossa, lignum, lapides, Terminalia bellerica, Gossypium herbaceum, bambusa, in lecto sursum directi pedes, vinum et aqua, adeps, oleum Sesami orientalis, Sesamum orientale, gramen, eunuchus, mutilus, fractus, nudus, debilis et furva veste indutus in itinere aut introitu in conspectum venientes non optantur; sic vasorum in crepitante flamma stantium ex loco commotio, perfossio, dilaceratio, fissio, delapsus et egressus.

Qui in medici sedili lassus aut aegrotus, vultum vertens deorsum, a medico petens corporis inunctionem et stragulum, conterit aut concutit manus, dorsum caputque, medici manum arripit et capiti pectorique admovet, qui aegrotus erecto vultu medicum interrogat et suum corpus sustentat, ille non a morbo liberatur, aut in cujus domo medicus non colitur; in cujus vero habitatione medicus colitur, ille a morbo liberatur.

Faustum indicium in faustis nuntiis etc., infaustum vero in infaustis pro aegroto certe existit; itaque nuntios etc., medicus respiciat. —

Insomnia porro pro morte et prosperitate indicaturi sumus.

Qui amicos vident, aut qui vidit aegrotus se ipsum, unguento illitum corpus habens; qui camelis, serpentibus, asinis et suibus proficiscitur, ad meridiem vultum vertens; aut rubram vestem gerens, furva, ridens, calva quem vexat vinctum uxor saltans, ad meridiem vultum vertentem; aut qui ab ultimis et extremis vexatur, ad meridiem vultum vertens; aut quem circumgrediuntur mortui et mendici; qui in capite olfactatur a bestiis, deformia ora habentibus; aut qui bibit mel oleumque Sesami orientalis; aut qui in luto sedet et luto oblitum corpus habens saltat et ridet; aut qui nudus rubrum gerit in capite sertum e floribus; ex cujus pectore Bambusa arundinacea, Arundo karka et Borassus flabelliformis enascitur; aut quem piscis devorat; aut qui homo cum genitrice coit; aut qui a montis apice cadit, aut in fossam, tenebris obductam; aut qui flumine corripitur; aut qui calvitium adipiscitur, vincitur, ligatur, aut a corvis etc., devincitur; qui delapsum stellarum etc., occasum lucidorum oculorum videt, aut Deorum et terrae violentem motum; qui vomitu aut ventris fluxu vexatur, aut cui dentes excidunt; qui Bombacem heptaphyllum, Buteam frodosam, tropaeum colliculum, Erythrinam fulgentem, aut florum divitem Bauhiniam variegatam, aut suggestum funebre adscendit; qui Gossypium herbaceum, oleum Sesami orientalis, amurcam, ferrum, sal fossile, Sesamum orientale capit aut comedit, et coctum cibum Deorum bibit: sanus ille morbum nanciscitur, aegrotus mortem adit.

Quod insomnium naturae congruens, oblivione deletum, oppositum, consideratione effectum, interdiu visum est, infructuosum est.

Cui febricitanti amicitia est cum cane, et tabescenti cum simia; cui in delirio cum Rákshasis, cum mortuis in epilepsia conversatio est; qui urinalibus affectibus et diarrhoeis vexati aquam potant, leprosi oleum; cui in lienis affectibus immobilitas exoritur circa stomachum et caput; qui in capitis morbo oryzae jusculum edit; qui in vomitione impetu respirationis et sitis vexatur; crocatum alimentum cui icterico est, et qui haemorrhagiae biliosae obnoxius sanguinem bibit: ille perit. —

Insomnia eorumque genera intuitus, diluculo cum surrexerit intentus medicus, porrigat Phaseolos radiatos, Sesamum orientale et ferrum Bráhmańis; tum murmuret faustos hymnos (Mantras) et carmina sacra (Gáyatri) ad Tripadam Deum pertinentia.

Intuitus (medicus insomnia), in primis tribus diei horis dormiat; meditatus iterum, faustum hymnum murmuret ad alium Deum Brahmacháris studiosus. Ne vero insomnium infaustum intuitus alicui narret. In Deorum altari etiam commoretur per trinoctium, Bráhmańasque veneretur semper, et sic a malo insomnio liberetur. —

Porro indicaturi sumus faustam somnii visionem.

Deos, homines trium priorum ordinum, excellentissime viventes, bene-

volos reges, accensum ignem, Bráhmaṅas et claras aquas adspiciat medicus pro salutis adeptione morbique abitu. Carnem, pisces, serta alba, aedificia et fructus sumunt medici pro divitiarum adeptione morbique abitu. Flumina, fluvios, mariaque agitata et turbidis aquis impleta trajiciat medicus pro salutis adeptione morbique abitu.

Quem serpens, hirudo, magna furva apis mordet, ejus sanitatem divitiarumque adeptionem demonstret sapiens medicus. —

Sic species et fausta insomnia qui vidit aegrotus homo, is longaevus cognoscendus est; huic curationem instituat medicus."

Caput XXX.

Nunc vero de quinque sensuum confusione caput exposituri sumus.

„In cujus corpore et indole a natura abalienatio existit, ejus malum brevi, ne vero extense, mihi explica!

Qui varios coelestium sonos non existentes audit, in maris, urbis et nubis calamitate sonos sonantes non percipit, creditque alios sonos, rusticos et sylvaticos sonos perversos audit, odiosis sonis delectatur, benevolis sonis irascitur, et eos non audit: eum subito vitae duratione orbatum esse medici dicunt.

Qui vero caloris instar frigus percipit, caloremque frigoris instar; qui exorto frigore accumulatus calore vexatur; qui calefacto corpore praeditus ultra modum frigore tremit; qui laesiones non sentit aut corporis incisionem; qui stercore quasi petita credit membra; in cujus corpore colorum alius status aut splendores existunt; quem ablutum innunctumque nigrae muscae petunt; qui nimis suaveolens est: eum subito medici dicunt vitae duratione esse orbatum.

Qui perverse recipit sapores adhibitos; cui ex praescripto adhibiti sapores corruptos humores adaugent, perverse adhibiti humorum corruptorum et caloris aequabilitatem efficiunt; aut qui sapores non sentit: eum quinque vitalibus spiritibus orbatum esse medicus indicat.

Qui gratum odorem, ingratum, et ingratum, gratum percipit, aut qui odores non sentit: eum quinque vitalibus spiritibus orbatum esse medicus demonstret.

Qui homo duplicitates, ignem, nivem etc., anni temporum statum et regiones perverse percipit, conditionesque alias; qui interdiu stellas quasi inflammatas vidit, aut noctu solem flammantem, aut interdiu lunae splendorem; qui in innubila eclipsi Indrae (Śakrae) arcum et fulguris speciem, aut nu-

bes nigras in clara atmosphaera densas, aërem vehiculis, curribus et palatiis impletum, et ventum aëremque corporeos vidit; qui terram fumo, pruinis pannisque quasi obductam, aut mundum quasi illuminatum, aut aquâ quasi inundatum, et terae orbem cubiformem lineamentis vidit; et qui nocturnam Deam Arund'hatim, stellam polarem, aut aetheris Gangám non vidit: eum vitae duratione orbatum esse medici dicunt.

In jubaris lunaris conspectu, igne et aqua umbram qui non vidit, aut vidit umbram Mercurio planeta orbatam, aut deformem, a differentibus substantiis ortam, canum, corvorum, ardearum, vulturum, mortuorum, Yaksharum et Rakshasorum, Piśácharum, serpentum, Nágarum et Bhútarum deformem umbram, aut qui pavonis colli splendore praeditum lunae lumen conspicit: hujus aegroti mors incidere, et salvus homo morbum nancisci potest."

Caput XXXI.

Nunc vero de umbrarum commutatione caput expadituri sumus.

Quem hominem furvae, rubrae, nigrae aut luteae umbrae circumfluunt, is sine dubio moriturus est. Cujus pudor et gloria delentur, quem lumen, vis, memoria et splendor subito aggrediuntur, is sine dubio moriturus est. Cujus labium inferius delapsum, superius sursum repandum est et ambo labia Eugeniae jambu fructui simili colore praedita sunt, ejus vita ad conservandum difficilis est. Cujus dentes rubidi aut fusci sunt et excidunt, aut motacillae instar vacillant, eum vitae duratione orbatum esse demonstret medicus. Cujus lingua nigra, rigida, oblita et tumida aut dura est, ille mox relinquit quinque vitales spiritus. Cujus nasus curvus, expansus, et exsiccatus est, aut crepat compressus, is homo non vivit. Cujus oculi contracti, iniqui, immobiles, rubri, delapsi aut profluentes sunt, ille homo certe vitae duratione orbatus est. Cujus capilli partiti, supercilia contracta, inclinataque sunt, et oculorum cilia se findunt, is mox adit mortem. Qui non assumit cibum in ore positum; qui caput non sustinet, obtutum in unum locum figit, et stupido animo praeditus est, is momento animam amitit.

Qui firmus vel infirmus in delirium incidit, surgens saepe, eum sapiens relinquat. Qui semper supinate jacens dormit et pedes agitat aut mobilitate praeditus est, ille homo non vivit. Qui mortalis (homo) frigidis pedibus et manibus, frigida intermissaque respiratione et cornicum anhelitu affectus est, eum sapiens relinquat. Cujus somnolentia non interrumpitur, aut qui vigilat semper, deliratve loquendi cupidus, ille compellandus est a docto. Qui superius labium lambit et vomitum facit, aut cum mortuis loquitur, eum semimortuum esse demonstret medicus. Cujus hominis, sine veneno laesi, san-

guis ex suis poris procedit, is statim amittere potest vitam. In cujus corde ventosus tumor, sursum ascendens, aegroti nutrimenta infestat, is moriturus est sine dubio. Non differentibus phaenomenis effectus tumor, in pedibus exortus, marem occidit; feminam vero, in ore exortus; ambos, in genitalibus exortus. Cujus, anhelitu et tussi vexati, diarrhoea, febris, singultus, vomitus, tumidum scrotum et tumidus penis est, eum relinquat medicus. Sudor, aestusque vehemens, singultus, anhelitusque hominem, quamvis robustum, spiritibus vitalibus haud dubie privant. Cujus lingua fusca fit, sinisterque oculus submergitur, et cujus os fit foetidum, eum relinquat medicus. Hominis in Jamae regnum profecturi facies impletur lacrymis, sudant pedes ambo, oculusque perturbationem adit. Cujus membra ultra modum levia aut gravia sunt, is cognoscendus est in Vaisvasvati domicilium subito abiturus. Qui homines limi, piscium, adipis, olei Sesami orientalis et butyri clarificati odores et puros odores exhalant, abituri sunt in Jamae domicilium. Quorum pediculi in frontem proveniunt, cibum relictum non comedunt cornices, aut quibus gaudium non est, ii abituri sunt in Jamae domicilium. Qui febribus, diarrhoeis et tumoribus mutuo vexatur, et exigua vi carneque instructus est, is sanari non potest. Qui emaciatus sternutatione et siti vexatur, gratis, dulcibus et salubribus cibis et potionibus non sedatur, ejus mors aggressa est. Qui diarrhoea, capitis dolore et stomachi horribili dolore, siti et virium defectu laborat, illi mors instat. Iniqua curatione, operationibusque antea peractis, ob hominum mortalitatem, vita mortem adit. Mortui, B'hútae, Piśáchae et Rakshasi varii ad mortem vultum vertentem hominem semper aggrediuntur; medicamentorum efficacitates ii repellunt occidendi desiderio; propterea vitae duratione orbati hominis curationes omnes irritae sunt.“

Caput XXXII.

Nunc vero de propriae naturae commutatione caput expondituri sumus.

A propria natura ortarum singularum corporis partium alienus status morti est; e. g. albarum partium nigritudo, nigrarum albitudo, rubrarum alius tinctus, firmarum infirmitas, tenerarum firmitas, mobilium immobilitas, immobilium mobilitas, corpulentarum tenuitas, tenuium corpulentia, longarum brevitas, brevium longitudo, integrarum corruptio, corruptarum integritas, repentinum frigus, calor, laevitas, asperitas, rigiditas et decoloratio membrorum; ex propriis locis singularum corporis partium descensus, adscensus, vagatio, jactus, delapsus, cessatio, egressio, ingressio, gravitas et levitas; coralliorum colore praeditarum guttarum repentina in facie apparentia; vasorum conspectus in fronte, aut in nasi tubo tumoris ortus; in fronte diluculi tempore su-

dor; sine oculorum morbo lacrymarum profusio; vaccino stercori contrito similis pulveris apparentia in capite, aut nigritudo columbarum, ardearum etc.; urinae et excrementorum incrementum apud incoenatos, et harum excretionum interitus apud coenatos; in uberum radicibus, in corde et pectore dolorum ortus; in medio corpore tumor, in extremitatibus marcor aut miseria, in dimidio corpore tumor; pulmonis consumtio in corporis lateribus; perdita, amissa, defecta et corrupta vox; decolorum florum apparentia in dentibus, facie et corpore; aut in cujus humoribus phlegma, faeces, et semen virile immerguntur; aut in cujus oculi bulbo fissae et deformes formae conspiciuntur. Qui oleo oblitis capillis et membris quasi praeditus splendet; qui imbecilis ciborum fastidio et diarrhoeis vexatur; tussiens siti oppressus; emaciatus vomitu et ciborum fastidio affectus, spumam, pus et sanguinem vomens, perditam vocem habens et doloribus subjectus homo; tumidas manus, pedes et os habens emaciatus, ciborum fastidio affectus; decidua pedum dorsum scapulam, manus et pedes habens; febribus et catarrhis oppressus; qui antemeridiano tempore assumtum cibum postmeridiano tempore evomit indigestum, aut ex alvo dejicit, et febribus catarrhisque oppressus est: is anhelitu moritur; et qui homo ad caprarum similitudinem lamentans humi cadit, deciduum scrotum et rigidum penem, fractam cervicem et corrupta genitalia habet; calefacto arescenteque corde et flaccido corpore praeditus; qui glebam glebâ percussit, lignum ligno, aut gramina dissecat, inferius labium mordet, aut superius labium lambit, aut aures capillosque abducit, Deos, Bráhmańas, Guros, amicos medicosque odit; cujus nataliciam stellam flexuose et inflecte euntes planetae, infaustas regiones ingressae, vexant; aut cujus signum astrologicum meteoris et Indrae fulminibus feritur; aut in cujus domo, uxore, lecto, sedibus, vehiculis, curribus, margaritis, gemmis et insignibus regalibus infausta indicia exorta apparent.

Sunt hic ślokae:

„Qui morbus recte curatus augetur hominis, carne emaciata firmave praediti, vitae duratione orbati signum est. Cujus hominis magnus morbus subito exoritur, et apud quem alimentorum fructus non cernitur, ille perit. Qui medicus has symptomatum species in circumspectione curabilium et incurabilium morborum cognoscit, is a rege honoratus est.“

Caput XXXIII.

Nunc vero de incurabilitate caput expośituri sumus.

„Qui morbi, phaenomenis affecti, adeunt incurabilitatem, deficiente medicamento, hos audi, care, unica attentione a me!

Aëris morbus, urinalis affectio, leprae; haemorrhides, fistulae in ano, lithiasis, torpidus foetus et abdominis intumescentia tanquam octavus morbus. Octo hi magni morbi naturâ difficiles ad curandum sunt; porro respirationis carnisque interitu, anhelitu, siti, consumtione, vomitu, febri, lipothymia, diarrhoea et singultu concomitati relinquendi sunt, praecipue a medico, successum desiderante.

Aëris morbus hominem tumidum, torpida cute praeditum, fractum, tremore inflationeque vexatum et aliis morbis cruciatum delere potest. Sic dictis phaenomenis tentatum, aut nimiopere profluentem, accumulatione vexatum et soporosum hominem urinae affectio occidit.

Leprosum hominem dilaceratum, profluente corpore, rubris oculis et perdita voce laborantem et quinque corporalium actionum functiones transgressum lepra occidit.

Siti, fame et doloribus vexatum, nimiopere profluente sanguine laborantem, tumori et diarrhoeae subjectum haemorrhoidum morbus delere potest.

Ex cujus fistulis in ano aër, urina, faeces, vermes et semen virile proveniunt, eum relinquat medicus.

Tumidum umbilicum habentem et praeclusâ urina laborantem cito perdit lithiasis, calculorum valetudo, calculis praedita.

Foetus et ovi retrogressus, agitatio, in utero occultatio, sic etiam haec dicta phaenomena in torpido foetu feminam occidere possunt.

Laterum fracturâ, cibi fastidio, tumore et diarrhoea afflictum, alvi fluxione affectum impletumque, et abdominis intumescentia vexatum relinquat medicus. —

Qui conficitur aut inconscius jacet prostratus, frigore vexatus et interne calefactus homo febre moritur.

Qui erectum capillum et rubros oculos habet, in corde ex congerie laborat, semperque ore suspirat, hunc vexatum, torpidum, circumvagos oculos habentem, semper suspirantem et emaciatum hominem perdit febris. Turbidos oculos habentem, lugentem, valde somnolentum, tenui sanguine et carne praeditum hominem perdit febris.

Anhelitu, doloribus et siti vexatum, emaciatum, febri cruciatum hominem, praecipue senem, diarrhoea delere potest.

Albos oculos habentem, cibi fastidio praeditum, celeri suspirio afflictum, difficultate multum mingentem hominem phthisis pulmonalis occidit.

Anhelitus, dolores, sitis, cibi fastidium, nodi sopor et imbecilitas sunt signa splenici, mortem adituri.

Anhelantem, impedita destillatione affectum, vomitu, singultu et siti laborantem, morbis et anhelitui subjectum hominem phlegmone interna delere potest.

Qui homo flavidos dentes et ungues, flavidos oculos et flavidae congeriei adspectum habet, ictericus perit.

Qui sanguinosis oculis praeditus saepius sanguinem vomit, et rubras regiones vidit, haemorrhagiâ biliosa perit.

Vultum deorsum aut sursum vertens, exigua carne et vi instructus homo, et insomnis, sine dubio insaniâ perit.

Saepius epilepsiae subjectum, emaciatum, tremulis superciliis laborantem, oculosque detorquentem epilepsia delere potest."

Caput XXXIV.

Nunc vero de conjuncto exercitu caput exposituri sumus.

„Quomodo regis, cum exercitu conjuncti, hostes devicturi, custodia medico efficienda est, id demonstrabitur.

Devincendi cupidus hominum dominator (rex), cum administris in itinere conjunctus, diligenter praeservandus est, praecipue a veneno. Viam, aquam, umbram, nutrimentum, pastum et materiem pro igne corrumpunt hostes. Qua ex re medicus hoc cognoscere, et sic purificare potest. Illius rei indicium et curatio in Antidotorum doctrina (Kalpast'hána) docebuntur.

Centum et unum mortis genera At'harvanas indicat; unum vero mortis genus Kálas appellatum est, cetera vero accidentalia sunt.

A corruptis humoribus et accidentalibus rebus, ortis mortis generibus, medicus et sacerdos domesticus, fluidorum et mysteriorum (Mantrae) periti, regem semper nisu custodiant.

Brahmá Védángam, octo Angas habentem Áyurvédam, demonstravit; itaque in sacerdotum doctrina versetur medicus prudens.

Permixtio omnium ordinum, interitus justorum operum, progenierum quoque occasus a regis calamitate oriuntur.

Hominum et regum certe aequalis est corporalitas; sed praeceptum, relictio, patientia, firmitas et fortitudo non res humanae sunt. Itaque sapiens, desiderans prosperitatem, ne regem, sicut Deum sermone, mente et operibus faustis immortalem, sempiternum esse reputet.

In magna cohorte regia medicus tentorio regis proxime adjunctus sit, omnibus regalibus insignibus exornatus. Cum ibi stantem, sicut vexillum, gloria vocat; alte sublatum medicum non stulte adeunt veneno, sagittis et morbis vexati. Suae doctrinae (Tantra) peritus, in aliis scientiarum (Sástra) materiis non alienus medicus, sicut vexillum, apparet, regaliter honoratus.

Medicus, morbo subjectus aeger, remedium, famulus, — sunt lumina therapiae et pro operationum successu conditiones. Praecipuis tribus luminibus, medicus quartus praecipuus morbum quamvis magnum brevi tempore

sanare potest. Medico carentia tria lumina, quamvis praecipua, irrita sunt, sicut Sámavédae et Rigvédae preces recitans Bráhmańas (Utgátrĭ-Hotrĭ-Bráhmańas) apud sacrificium sine Bráhmańa in Yajurvéda versato. Medicus vero praecipuus solus semper trajicere potest aegros, sicut gubernator navem velis orbatam in aqua. Medicus, qui veritatem assecutâ doctrina praeditus, visibilia agens, per se ipsum factus, levi manu praeditus, purus, heros armatus, condimentis et medicamentis instructus, promptu animo exornatus, sapiens, perseverans, peritus et veritate virtuteque eximius est, is lumen appellatur.

Longaevus, mente praeditus, curabilis, aptus, sui compos, religiosus, in medici praeceptis perstans aegrotus lumen appellatur.

In fausta regione natum, fausto die exortum, rectam materiam continens, mentem exhilarans, odore, colore et gustu praeditum, vitia humorum occidens, non lassitudinem efficiens, non morbosum pravitate, circumspecte et suo tempore datum medicamentum lumen appellatur.

Gratus, non spernendus, firmus, aptus in aegroti custodia, medici praecepta exsequens et indefatigabilis famulus lumen commemoratus est.“

Caput XXXV.

Nunc vero de aegrotorum curatione caput exposituri sumus.

A medico, aegrotum curante, vitae duratio primum circumspiciatur. Existente autem vitae duratione, morbum, anni tempus, ignem organicum, aetatem, corpus, robur, mentem, proprietatem, naturam, remedium, et regiones medicus circumspiciat.

Magnis manibus, pedibus, lateribus, dorso, uberibus, papillis, dentibus, ore, humeris, et fronte, — longis digitis, condyllis, suspiriis, oculis, et brachiis, — extensis superciliis, corde et pectore, — brevibus cruribus, pene, et cervice, — profundis accentibus et umbilico, — non alte alligatis uberibus, — acutis magnisque et pilosis auribus, — porro cerebro, — sensuum organis oblitis, — capitis impletione, — exsiccato corpore, — porro exsiccato corde praeditum hominem esse revera macrobium medicus cognoscat, eumque omnino curet.

Signis oppositis, brevem aetatem, — mixtis, mediocrem aetatem nacturum esse hominem medicus cognoscat.

Sunt hic ślokae:

„Qui tectis articulis, vasis et tendinibus, subcrassulo corpore, firmis sensibus, et omnino integro corpore praeditus est, ille macrobius esse dicitur.

Qui a natu etc., morborum expers est, et tarde recolligitur a corporis scientiae peritis, ille summatim macrobius est.

Mediocrem aetatem nacturi notitiam nunc percipe a me!

Sub cujus oculis lineae sunt manifesto longae duae, tres pluresve etiam, cujus pedes et aures carnosae sunt, cujus nasi cacumen sursum versum est, et cujus lineae sursum sunt versae a tergo, illius summa vitae duratio est tempus septuaginta annorum.

Brevissimam aetatem nacturi notitiam nunc percipe a me!

Cujus articuli breves sunt, penis vero permagnus, in pectore partes lambitae, neque vero tergum longum, sursum attractae aures a sede, nasusque altus, cujus hominis ridentis loquentisque gingiva conspicitur, et qui perturbate circumspicit, ille vivere potest quinquagiuta annos."

At rursus longaevitatis cognitionem, corporis partium et percipientium organorum mensuram, et essentias demonstraturi sumus: hic corporis partes, interiores et superiores, crura, brachia, caput, horum membra et percipientia organa.

Hic propriis pollicibus hallux pedis et digitus index duos pollices longi sunt; digiti indices vero, medii, annulares et minimi (in pedibus) ad summum quinta parte orbati sunt; quatuor pollices longa, quinque pollices lata sunt pedis acumen et planta; quinque aut quatuor pollices longus et latus est calcaneus; quatuordecim pollices longus est pes; quatuordecim pollices longa sunt talorum et genuum intervalla; octodecim pollices longa sunt crura; supra genua triginta duos pollices, sane etiam quinquaginta, longum spatium est; crurum longitudini aequalia sunt femora; duos pollices longi sunt testiculi, mentum, dentes, narium partes, aurium radicum et oculorum intervalla; quatuor pollices longus est penis, oris intervallum, nasus, auris, frons, cervicis sublatio, visus spatium; duodecim pollices aequat pudendi muliebris extensio, a pene ad umbilicum, a corde ad collum, ab uberum intervallo interjecto ad os longitudo, a carpis brachiorum magnitudo; inferioris abdominis latitudo, ab humero ad sedem et ulnam intermedia longitudo sedecim pollices habet; viginti quatuor pollices longum est brachium cum manu; triginta duorum pollicum latitudinem habent extremitates superiores; triginta duorum mensuram habent extremitates inferiores; a carpo ad ulnam intervallum sedecim pollices longum est; planta pedis decem pollices longa est; a pollicis radice digiti indices, ab aure ad angulum oculi interiorem intervallum, et medii digiti quinque pollicum mensuram habent. Quatuor et dimidium pollices longi sunt digitus index et annularis; dimidium et duos pollices longi sunt digitus minimus et pollex; viginti quatuor pollices longa est circumferentia per os et collum; tres pollices longa nasalis cavationis rectitudo est; trium oculi partium circumferentiam habet bulbus oculi; nona bulbi oculi pars est pupilla; a capillorum finibus ad verticem spatium undecim pollices longum

est; a vertice ad cervicalium capillorum finem spatium decem pollicum est; aurium et cervicis intervallum quatuordecim pollices longum est; viri pectoris mensuram habet feminae coxa; ad octodecim pollices extensum feminae pectus est; eandem mensuram viri coxa habet; centum et viginti pollices longus est mas.

Sunt hic ślokae:

„Vigesimo quinto anno marem, feminam vero decimo sexto aequabilitate virium praeditos esse cognoscat peritus medicus.

Corpus suis pollicibus congruenter expositum est.

Perfectis mensuris, vir aut femina longam aetatem nanciscitur, opulentiamque magnam assequitur; mediocriter perfectis mensuris mediocrem; absentibus minimam."

Porro essentias indicaturi sumus.

Memoria, cultu, intellectu, fortitudine et puritate praeditum, eximia intentione instructum, mentis essentiam hominem habere medicus cognoscat.

Gratum, compactis albisque ossibus, dentibus et unguibus instructum, multo amore generatum esse hominem per semen virile; non macrum, maxime robustum, gratam profundamque vocem habentem, salubritate praeditum, magnos oculos habentem, per medullam; magnum caput, magnos lacertos, firmos dentes, maxillas, ossa unguesque habentem, per ossa; gratam urinam, sudorem et vocem habentem, magno corpore instructum, fatigationes perferentem, per adipem; non humores corruptos in corpore, tecta ossa et articulos, densamque carnem habentem, per carnem; gratos et ad cupri colorem ungues, oculos, palatum, linguam, labia, manuum pedumque superficiem gratam habentem, per sanguinem; valde pellucidam et mollem cutem et crinem habentem, cutis essentiâ praeditum esse hominem medicus cognoscat.

Horum primitiva summa, vitae duratio, in salubritatibus (corporis et animi) sita est.

Est hic ślokas:

„Circa corporis partium, percipientiumque organorum mensuram et circa essentias generaliter intuitus vitae durationem, rem peragat in curationibus pereruditus medicus."

Morborum genera supra exposita sunt. Omnes morbi sunt triplices: curabiles, dubii, insanabilesque. Denuo hos tripliciter intueatur medicus: num morbus accessorius, primitivus, alium morbum indicans sit. Accessorius morbus est, qui, posteriore tempore ortus, prius ortum morbum accedit. Ille, ab hoc ortus, etiam consequens vocatur.

Primitivus morbus est, qui, primitus ortus, neque priorem morbi formam habet, nec consequens est.

Alium morbum indicans morbus est, qui futurum morbum indicat; hic prior morbi forma vocatur.

Consequentem morbum vicissim oppugnando medicus aggrediatur, aut praevalens symptoma; primitivum apte repugnet; in morbo autem, alium morbum indicante, de priore morbo adnitatur.

Est hic ślokas:

„Quia non existit morbus sine humoribus corruptis, ideirco expertus medicus morbum, corruptorum humorum indiciis quamvis non manifestum, curet."

Anni tempora supra exposita sunt.

„In frigore frigoris repugnationem, in aestu caloris amotionem medicus cum effecerit, efficiat curationem aptam; ne curationis tempus praetermittat. Inepto curationis tempore instituta, aut apto non instituta curatio, curationis expers aut excessiva curatio, in aegrotis quamvis sanabilibus non succedit. Quae permagnum morbum domat, et non alium efficit, illa est curatio, neque vero quae morbum auferat, et alium producit."

Supra expositus est ignis (organicus), cibum concoquens. Is quadruplex humores aggressus est. Unus, mutationem morbosam aggressus, triplex est, inaequalis aëre, acutus bile, torpidus phlegmate; quartus aequalis est propter universam humorum aequalitatem.

Qui (ignis organicus) tempori congruenter cibum assumtum omnino concoquit, ille aequalis est per aequales humores. Qui vero aliquando omnino concoquit, aliquando vero post inflammationem, colicam, aquam, vertiginem, diarrhoeam, abdominis gravitatem et post emissionem crepituum ex intestinis, is inaequalis est. Qui copiosum quoque assumtum cibum celeriter concoquit, is acutus est; is identidem assumtum cibum copiosum celerius concoquit, et in coctionis (digestionis) fine gutturis, palati et labiorum exsiccationem, aestum et dolores generat. Qui perpaucum assumtum cibum, cum abdominis et capitis gravitatem, catarrhum, anhelitum, destillationem, vomitum et corporis tabem effecerit, longo tempore concoquit, is torpidus est.

„Inaequalis ignis (organicus) morbos efficit ab aëre ortos; acutus, ex bilis origine ortos; torpidus, mutationes morbosas a phlegmate ortas."

Porro in aequali igne (organico) conservationem medicus efficiat; in inaequali per oleosa, acida et salsa medicamenta medicet; in acuta per dulcia, oleosa, frigida medicamenta et per evacuationes; sic porro in nimio igne praecipue per bubalinum lac coagulatum, butyrum clarificatum; in torpido per pungentia, amara, adstringentia et vomitoria medicamenta.

„Abdominalis praeclarus ignis (digestio), dominus cibum concoquens, ob subtilitatem fluida organica assumens, distingui non potest; respiratione, exspiratione et digestivo aëre, his tribus aëribus, ubique inflatur, custoditurque etiam illis in sua quaque sede collocatis."

Aetas vero triplex est: puerilis, media et senilis. Minores sedecim annis pueri sunt. Hi vero triplices sunt: lac sugentes, lac et cibum assu-

mentes, cibum assumentes. In his uno anno minores lac sugentes, duobus annis minores lac et cibum assumentes, natu majores cibum assumentes sunt.

In decimi sexti et septuagesimi anni intervallo media aetas est. Hujus effectio est incrementum, juventus, plenitudo et decrementum. Hic usque ad vigesimum annum incrementum; usque ad tricesimum annum juventus; usque ad quadragesimum omnium corporis elementorum et sensuum organorum efficacitas et plenitudo; in posterum paulatim decrementum usque ad septuagesimum annum existit. Majorem septuaginta annis natum, intereuntibus corporis elementis, viribus, robore et perseverantia in dies vexatum, ob rugas, canitiem et calvitiem inhonoratum, catarrho, anhelitu et ceteris phaenomenis superatum, ad omnia munera invalidum, sicut ruinosam domum pluviis obrutam, pereuntem senem medicus demonstret. In superioribus quibusque aetatis statibus superiores quaeque medicamentorum doses et genera fiunt. Sine intermissione ibi medicus optimo consilio remediet.

Sunt hic ślokae:

„In puero increscit phlegma; in homine medio bilis; maxime crescit aër in sene. Hoc vero intuitus curet medicus.

A cauterio actuali, lixivio caustico et evacuationibus puerum et senem liberet, quorum in sanabilibus morbis mitem lente instituat curationem.“

Corpus corpulentum, macrum et mediocre supra demonstratum est.

„Diminuat augeatque medicus semper corpulentum macrumque hominem; mediocris hominis conservationem sempiternam efficiat.“

Robur, demonstrata qualitate praeditum, et imbecillitas, indole, humorum vitiis, decrepita aetate et cet. cernenda sunt.

Quia robusti omnis actio progressus est, idcirco robur etiam commentationum summa est.

„Quidam macri homines sunt validi, et corpulenti minus robusti. Ideo firmitate et lassitudine medicus robur discernat.“

Mens (satvam) vero in calamitate, prosperitate, actione et ceteris statibus non stultitiam facit.

„Mente praeditus perfert omnia, se per semetipsum refraenans; perturbatus, refraenatus ab aliis, perfert; neque vero tenebricosus.“

Natura remediumque postea explicabimus.

Proprietates autem sunt: regiones, tempora, natus, anni tempora, morbi, lassitudo, aqua, diurnus somnus, gustus et cetera naturae contraria, et quae non oppositionem efficientia sunt.

„Si cujus gustus, voluptati conveniens, efficit lassitudinis productionem aut aliud tale, id esse proprietatem medicus demonstret.“

Regio vero est aquosa, torrida, communis. Multis aquis, profundis altisque fluminibus et pluviis impervia, mollibus frigoribus et ventis praedita, permagnis sylvis et arboribus instructa, mollibus, juvenilibus et corpulentis

hominibus referta, phlegmatis et aëris morbis plurimis plena, aquosa regio est.

Aetheri similis, subflavis, parvis et spinosis arboribus referta, parvis pluviis, rivulis, fontibus et aquis praedita, fervidis et terribilibus ventis vexata, subflavis et parvis montibus instructa, rigidis et macris hominibus referta, aëris et bilis morbis plurimis plena, torrida regio est.

Ambarum regionum signis praedita est communis regio.

Sunt hic ślokae:

„Quia aequalia in communi regione frigus, pluviae, calor ventique sunt, et hominis humorum aequalitas existit, propterea communis credita est. Non tam vehementia sunt aquigena, a terra assumta, in sua regione collecta humorum vitia, in alia regione irritationem ineuntia. In conveniente regione viventis hominis non existit timor regione effectus, quia in alimentis, somno, motionibus et cet. bona qualitas illius regionis existit. Omnis morbus, regioni, naturae, proprietati et anni temporibus contrarius, et non ante longum tempus ortus, in felicitate medici et ceterorum, vires, mentem et vitae durationem habentium, existente aequali corporis igne, facillime curabilis est; sin aliter, incurabilis est; dolorosus est morbus mixtis signis praeditus. Si vero curatio successu caret, aliam curationem medicus applicet. In priore curatione, impetum sedante, non curationis confusio salubris est.

Deficiente etiam successu, statim, si haec curatio certe salubris est, instituenda certe est tum, si morbus difficillime curabilis est. —

Qui sapiens hoc praeceptum uniforme sic tuetur secundum temporis et ceterorum voluntatem, is mortis funes et hominum morborum multitudinem rescindit remediorum securi.“

Caput XXXVI.

Nunc vero de commixtionibus caput exposituri sumus.

„Citrus medica, Premna spinosa, Pinus Dévadáru, Allium sativum, Momordica mixta (Cúrcaváli) et Mimosa octandra fiunt unguentum, aëris tumores tollens.

Agrostis linearis (Doob), Arundinis karkae radix, Glycyrrhiza glabra, Sirium myrtifolium et omnes frigidae species fiunt unguentum, bilis tumores tollens.

In morbo accidentali et a sanguine orto hoc praeceptum etiam commemoratum est.

Praeceptum venena destruens in morbo a venenis orto, pariter bilem destruens, salubre est.

Ocymum gratissimum, Physalis flexuosa, convolvulus turpethum nigrum, Pinus longifolia, Cissampelos hexandra et Odina pinnata fiant unguentum, phlegmatis tumores tollens.

Hae classes tres sunt. —

Symplocos racemosa, Terminalia chebula, Vangueria spinosa et Panicum dactylon fiant unguentum, tumores, a tribus corruptis humoribus ortos, tollens.

Mite et acidum sal fossile in aëre; calidum, frigidum et cum aqua conjunctum in bile; calidum et lixivii caustici urinaeque dives in phlegmate pro humorum sedatione adhibeatur.

Canabis sativae, Raphani sativi et Morungae guilandinae fruges, Sesami orientalis et Sinapis dichotomae pulveres, fermentum, Linum usitatissimum et substantiae calidae fiant decoctio.

Galedupa arborea, Acarus rubri coloris, Dantí, Plumbago zeylanica, Nerium odorum, columbarum, vulturum et ardearum faeces fiant pulvis.

Substantiae aut alkalinosae, aut alkali, fiant pulvis subtilissimus.

Substantiarum mucosarum cortices et radices, Hordei hexastichi, Tritici aestivi et Phaseoli radiati farina fiant electuarium.

Andropogon articulatum, Alangium hexapetalum, Caesalpinia bonducella, Nerium odorum et Linum utilatissimum fiant purificata extracta, classisque ad Cassiam fistulam pertinens.

Ocymum gratissimum, Odinam pinnatam, Cucumerem madraspatanum, Commelinam salicifoliam, Caesalpiniam bonducellam, Plumbaginem zeylanicam, Cysampelum hexandram, Embeliam ribem, Eleteriam cardamomum, Pisum sativum, speciem ex Pipere nigro, longo, et Zingiberi, nitrum, sal fossile, Arsenicum rubrum, Vitriolum martis, Convolvulum turpethum album, Dantím, Arsenicum auripigmentum, fragrantem terram, utpote purificatas collyriorum substantias has explicet medicus. His vero remediis conficiat sedimenta purificata.

Vitriolo martis et specie ex Pipere nigro, longo et Zingiberi, Myristicae moschatae radice et Curcumâ longa, anteaque demonstratis materiis conficiat olea et butyra clarificata.

Conterendo Asclepiadem giganteam, Jasminum auriculatum, Euphorbiae antiquorum lac, alkali et Jasminum auriculatum, Myristicae moschatae radicem, Curcumam longam, Vitriolum martis, speciem ex Pipere nigro, longo et Zingiberi, anteaque demonstratas materias et alia, medicus conficiat butyrum purificatum.

Achyranthes aspera, Buchanania latifolia, Melia azidaracta, Trichosanthes diaeca, Sesama orientalia, Solanum melongena, Flacourtia sapida, Arsenicum auripigmentum et Arsenicum rubrum, purificatae hae substantiae conjungendae sunt cum puro Sesami orientalis oleo.

Vitriolo martis, sale fossili, fermento, Acoro calamo, Indigofera tinctoria, his purificatis materiis aliisque conficiat pulverem clarificatum.

Shoreae robustae resinâ, aliisque resinis, Trichosanthe diaeca et tribus Myrobalanis clarificatis, succi praeparatum clarificatum conficiendum est.

Terebinthinâ, Shoreae robustae resinâ, Pino longifolia, Pinu Dévadáru, resinis scilicet, conficiat medicus peritus emplastrum pro ulceribus.

De adstringentium non calidarum arborum corticibus coctum et refrigeratum extractum in mixturis comprobatur.

Ex Asclepiade acida, Menispermo cordifolio, Physali flexuosa, Kákolí ceteraque classe et Mimusopsis kauki germinibus collyria mixta commemorata sunt.

Mimosa pudica, Asclepias acida, Pinus longifolia, Mimosa catechu, Sirium myrtifolium, Kákolí et cetera classis fiat sedimentum, comprobatum in vulnerum (ulcerum) mixturis.

Hemionites cordifolia, Carpopogon pruriens, Curcuma longa, Jasminum grandiflorum, Jasminum arabicum, Kákolí ceteraque classis conjungenda et comprobata est in commixto butyro clarificato.

Gumi benzoicum, Aquilaria ovata, Curcuma longa, Pinus Dévadáru, Panicum italicum (Priyangu) et Symplocos racemosa in oleo Sesami orientalis conjungenda sunt.

Panicum italicum, Terminalia chebula, Symplocos racemosa et Vitriolum martis fluida fiant.

Grisleae tomentosae et Shoreae robustae cortex utpote pulvis commixtus desiderantur.

Panicum italicum, Shoreae robustae resina, flores Vitrioli martis et corticis de Grislea tomentosa pulvis commixtus comprobatur.

De corticibus classis Fici indicae et Terminaliae chebulae succi praeparatum commixtione medicus conficiat ex praescripto.

Achyrantes aspera, Physalis flexuosa, Salvinia cucullata et Linum utilatissimum in suffimento comprobantur; sic etiam Kákolí et cetera classis.

Vitriolum martis, sal fossile, fermentum, Cyperus rotundus, Arsenicum rubrum, Gallinacea ova et testae, Caesalpiniae bonducellae calyces, fructus Mimosae sirishae et Galedupae arboreae, radicumque pulveres, in ulceribus, sublevata carne praeditis, et in lassitudine, sunt comprobata.

Totam classem, dimidiamve aut quodcunque receptum est, adhibeat doctus medicus, sicut in praxi demonstratum est."

Caput XXXVII.

Nunc vero de terrae partium cognitione caput expondituri sumus.

Foraminibus, glarea, petris, iniquis clivulis, sepulcretis, diurnis Deorum altaribus, sabuletis non corruptam, non salinum solum habentem, non fraudulentam, cominus unicam, amoenam, progerminantem, suavem, solidam, aequabilem, furvam, ponderosam, albam rubramve terram herbarum gratiâ medicus circumspiciat.

In hac terra natam, insectis, venenis, ferro, solis ardore, vento, aestu, aquis, angustis viis non corruptam, eximio succo praeditam, nutritam, ample submersam radicem habentem, in septentrionalique regione sitam herbam medicus capiat.

Sic herbarum fundi respectu distinctio generalis est.

Specialiter vero: terra petrosa, solida, ponderosa, fusca furvave, firmarum arborum fructibus praedita, propriam qualitatem plurimam habet.

Amoena, frigida, aliquantulum aquosa, suavibus fructibus et graminibus, blandis arboribus praedita, alba, aequae qualitatem plurimam habet.

Versicolor, levis, petrosa, teneris, parvis, flavis arboribus et graminibus instructa, ignis qualitatem plurimam habet.

Aspera, cineris et asini colore praedita, tenuibus, asperis, excavatis, minus succulentis arboribus praedita, aëris qualitatem plurimam habet.

Mitis, aequalis, perforata, invisibili succo et aqua praedita, omnino exsucca, magnis montibus et arboribus praedita fuscaque, aetheris qualitatem plurimam habet. —

Hic quidam literati dicunt: „Pluviali anni tempore, autumno, hieme, vere, aestate, juxta ordinem radices, folia, cortices, succum, resinam et fructus medicus capiat, neque vero haec simul.“

In qua blandi caloris qualitate (haec capienda sunt)?

Blandas herbas blandis anni temporibus medicus capiat; igneae herbae igneis temporibus incorruptam qualitatem habent. Blandae herbae blandis anni temporibus assumtae, in terra, lunae qualitatem plurimam habente, ortae, valde dulces, gratae, refrigerantes sunt.

Eo reliquum expositum est. —

Hic in fundo, terrae et aquae qualitate plurima praedito, exortas herbas, evacuationis substantiam habentes, medicus capiat; in fundo, ignis, aetheris et aëris qualitate plurima praedito, aëris substantiam habentes; in fundo, ambabus qualitatibus plurimis praedito, dupliciter partitas substantias; in fundo, aetheris qualitate plurima praedito, indicatae herbae sane efficaciores sunt, omnes etiam recentes, exceptis melle, butyro clarificato, saccharo, Pipere

longo, Embelia ribe. Omnes etiam herbae succulentae efficaciores sunt. Has vero medicus in immaturitate, et praeteritum annum non habentes, capiat.

Sunt hic ślokae:

„Reges, ascetae, venatores, aliique sylvicolae, radicum comesores qui sunt, propter hos remediorum specialitas desideratur.

In foliis, sale fossili et ceteris medicamentis, ab omni parte perfectis, tempus non constitutum est; ibi omne tempus eligitur.

Odore, colore, gustu praedita sextuplex terra desideratur. Propterea terrae indole sementiferae plantae, sex gustibus praeditae, decies mille sunt. Indistinctus revera aquae gustus conclusione conclusus est. Gustus vero hic indistinctus distinctus ex terrae gustu fieri potest. Omnibus signis praedita terra universalis est. Substantiae ubi sunt, ibi etiam earum qualitates differentes sunt. Malo odore non perturbatam, incorruptam gustu et ceteris, recentem substantiam herbarum capiendam esse medicus designet. Embelia ribes, Piper longum, mel, butyrumque clarificatum, quamvis non recentia, salubria sunt; reliqua alia recentia medicus capiat, vitiisque destituta.

In fluminibus, in limo, in rivorum ripis, in Mesuae ferreae amputatis truncis collocatum medicamentum, in felice loco, in puro, medicamentorum domicilium desideratur."

Caput XXXVIII.

Nunc vero substantiarum medicarum conspectum exposituri sumus.

Triginta septem substantiarum medicarum classes sunt sequentes:

I. Hedysarum gangeticum, Convolvulu spaniculatus, Dańdotpalá, Hedysarum lagopodioides, Flacourtia cataphracta, Hemionites cordifolia, Asparagus racemosus, Echites frutescens, Dalbergia sisu, Bryonia grandis, Říshab'haka, Whrightea antidysenterica, Phaseolus trilobus, Solanum melongena, recens Ricinus communis, Clitoria ternata, Tragia involucrata et Carpopogon pruriens.

„Ab Hedysaro gangetico incipiens haec classis bilem aëremque delet et pneumophthisin, indurationem glandularum mesentericarum, corporis frictionem, suspirium et catarrhum tollit."

II. Cassia fistula, Vangueria spinosa, Zizyphus napeca, Echites antidysenterica, Cysampelos hexandra, Mimosa catechu, Bignonia suaveolens, Sanseviera zeylanica, Nerium antidysentericum, Echites scholaris, Melia azidaracta, Barleria prionitis, Dásíkuruńťaka, Menispermum cordifolium, Plumbago zeylanica, Śárangashtá, Galedupa arborea, Trichosanthes dioeca, Gentiana cherayta et Momordica charantia.

„A Cassia fistula incipiens haec classis phlegma venenumque delet et urethritidem gonorrhoicam, lepram, febrem, vomitum et pruriginem occidit et ulcera purificat.“

III. Capparis trifoliata, Barleria caerulea, Morunga guilandina, Hyperanthera morunga, Aeschynomene sesban, Asclepias geminata, Caesalpinia bonducella, Sanseviera zeylanica, Premna integrifolia, Barleria cristata, Momordica monadelpha, Asclepias gigantea, Pothos officinalis, Plumbago zeylanica, Asparagus racemosus, Aegle marmelos, Odina pinnata, Saccharum cylindricum et Solanum melongena.

„A Cappari trifoliata incipiens haec classis phlegma telamque cellulosam (adipem) arcet et cephalalgiam, indurationem glandularum mesentericarum et internas phlegmonas profligit.“

IV. Pentaptera arjuna, Barleria flava, Saccharum cylindricum, Hedysarum gangeticum, Cyperus pertinens, Arundo karka, Poa cynosuroides, Saccharum spontaneum, Plectranthus scutellaroides, Premna integrifolia, Sanseviera zeylanica, Asclepias gigantea, Pothos officinalis, B'hallúkas, Barleria prionitis, Nymphaea caerulea, Kapotavanka et Flacourtia cataphracta.

„A Pentaptera arjuna incipiens haec classis aëris morbos amovet, stranguriam, lithiasin, urinae doloribus inflictos morbos delet.“

V. Shoreae robustae resina, Terminalia alata tomentosa, Mimosa ferruginea, Mimosa albida (Kadara), Diospyros melanoxylon, Areca catechu, B'húrjas, Asclepias geminata, Dalbergia ougeiniensis, Sirium myrtifolium, Pterocarpus santalinus, Dalbergia sisu, Mimosa sirisha, Pentaptera tomentosa, Grislea tomentosa, Terminalia alata, Borassus flabelliformis, Galedupa arborea, Caesalpinia bonducella, Shorea robusta, Aquilaria ovata et Curcuma zanthoriza.

„A Shoreae robustae resina incipiens haec classis lepram destruit, urethritidem gonorrhoicam icterumque tollit, et phlegma telamque cellulosam (adipem) exsiccat.“

VI. Symplocos racemosa, Lod'h, Butea frondosa, Cyperus rotundus, Jonesia asoka, Hedysarum alhagi, Gmelina arborea, Élaváluka, Boswellia thurifera, Rubia manjista, Níka, Nauclea cadamba, Shorea robusta et Musa paradisiaca.

„A Symploco racemosa incipiens dicta classis adipem phlegmaque tollit, pudendorum muliebrium vitia aufert, roborans, ulceribusque salubris est, et venenum destruit.“

VII. Asclepias gigantea, Solanum trilobatum, Galedupa arborea, Heliotropium indicum, Achyranthes aspera, Siphonanthus indica, Mimosa octandra, Indrapushpí, Solanum melongena, Andropogon aciculatum, Convolvulus paniculatus albus, Tragia involucrata, sal fossile et Tápasavrĭksha.

„Ab Asclepiade gigintea incipiens haec classis phlegma, adipem et venenum delet, vermes, lepramque sedat, et vulnera (ulcera) praecipue purificat.“

VIII. Anethum sowa, Nyctanthes arbor tristis, Ocymum basilicum, Ocymum sanctum, Andropogon shoenanthus, Momordica mixta, Sumuk'ha, Convolvulus turpethum nigrum, Melia azidaracta, Cassia esculenta, Sinapis dichotoma, Ocymum gratissimum, Embelia ribes, Cayaval, Surasí, Vitex negundo, lacertae et mures (?), Premna spinosa, Hedysarum alhagi, Práchíbala, Solanum indicum et Vishamushtí.

„Ab Anetho sowa incipiens haec classis phlegma tollit, vermes delet, catarrhum, inappetentiam, anhelitum tussimque occidit et ulcera (vulnera) purificat."

IX. Bignonia indica, Butea frondosa, Grislea tomentosa, Plumbago zeylanica, Vangueria spinosa, Dalbergia sisu, Euphorbia et tres Myrobalani.

„A Bignonia indica incipiens haec classis telam cellulosam (adipem) occidit, vitia seminis virilis tollit, urethritidem gonorrhoicam, haemorrhoides et icterum occidit, calculos et lithiasin delet."

X. Piper longum, radix Piperis longi, Piper chavya, Plumbago zeylanica, Zingiber officinale, Hastipippalí, Pisum sativum, Elettaria cardamomum, Carum carvi, Nerii antidysenterici semina, Cysampelos hexandra, Cuminum cyminum, Sinapis dichotoma, Melia sempervirens, Echites antidysenterica, Asa foetida, Siphonanthus indica, Saccharum officinarum, Ativishá, Acorus calamus, Embelia ribes et species de Pipere nigro, longo et Zingibere.

„A Pipere longo incipiens classis phlegma tollit, catarrhum, aërem et inappetentiam occidit, calefacit, indurationem glandularum mesentericarum arthritidemque occidit, et cruditates concoquit."

XI. Elettaria cardamomum, Tabernaemontana coronaria, Costus arabicus, Valeriana jatamansi, Artemisia, Laurus cassia, Michelia champaca, Panicum italicum, Pisum sativum, Vyag'hranak'ha, Chańdá, Staunéya, terebinthina, cortex cassiae, Chora, Bálaka, Bdellium, Shoreae robustae resina, Turushka, Boswellia thurifera, Aquilaria ovata, Trigonella corniculata, Andropogon muricatum, Pinus Dévadáru, Crocus sativus et Rottleriae tinctoriae filamenta.

„Ab Elettaria cardamomo incipiens classis aërem et phlegma occidit venenumque, colorem efficit, impetiginum accumulationem et lepram (kot'ha) delet."

XII et XIII. Acorus calamus, Cyperus rotundus, Ativishá, flores Trapae bispinosae, Pinus Dévadáru et Rottleriae tinctoriae filamenta; — Curcuma longa, Curcuma zanthorhiza, Hedysarum lagopodioides, Echites antidysentericae semina et Glycyrrhiza glabra.

„Hae duae classes, ab Acoro calamo et Curcuma longa incipientes, lac purificant, cruditates et diarrhoeam sedant, praecipueque vitia humorum concoquunt."

XIV. Convolvulus turpethum floribus nigris, Echites frutescens, Trĭvrit, Dantí, Andropogon aciculatum, Symplocos racemosa, Convolvulus turpethum

album, Trichosanthes dioeca, Areca catechu, Salvinia cuculata, Cucumis madraspatanus, Buchanania latifolia, Galedupa arborea, Menispermum cordifolium, Jasminum zambac floribus multiplicatis, Convolvulus pes caprae, Euphorbia antiquorum, Cassia fistula et Mimusops kauki.

„A Convolvulo turpetho floribus nigris incipiens dicta haec classis indurationem glandularum mesentericarum et venenum delet, suppressionem urinae, abdominis inflationem faecesque dissolvit et constipationem tollit."

XV. Solanum melongena, Solanum jacquini, Echitis antidysentericae semina, Cysampelos hexandra et Glycyrrhiza glabra.

„A Solano melongena incipiens classis concoquit, bilem et aërem delet, phlegma, inappetentiam, singultum, urinales dolores et morbos delet."

XVI. Trichosanthes dioeca, Sirium myrtifolium, Pterocarpus santalinus, Sanseviera zeylanica, Menispermum cordifolium, Cysampelos hexandra et species de Pipere nigro, longo et Zingiberi.

„A Trichosanthe dioeca incipiens classis bilem, phlegma et inappetentiam extinguit, febrem sedat, ulceribus prodest, vomitum, pruritum et venenum delet."

XVII. Kákolí, Kshírakákolí, Bryonia grandis, Rïshab'ha, Phaseolus trilobus, Glycine debilis, Médá, Erythrina indica, Menispermum glabrum, Karkaťaśrïngí, Manna Bambusae, Mimusops kauki, Padmaka, Prapaundaríka, Rïdd'hi, Vrïdd'hi, uvae, Celtis orientalis et Glycyrrhiza glabra.

„A Kákolí incipiens haec classis bilem, sanguinem et aërem extinguit, vivificat, nutrit, stimulat, lac et phlegma efficit."

XVIII. Piper nigrum, sal fossile, Bitumen, Vitriolum martis, Asa foetida et Sulphas cupri.

„A Pipere nigro incipiens classis phlegma occidit, telam cellulosam (adipem) exsiccat, calculos, lithiasin, urinales dolores, indurationem glandularum mesentericarum delet."

XIX. Echites frutescens, Glycyrrhiza glabra, Sirium myrtifolium, Pterocarpus santalinus, Padmaka, Gmelinae arboreae fructus, Bassiae latifoliae flores et Andropogi muricati radix.

„Ab Echite frutescente incipiens classis sitim occidit, haemorrhagiam biliosam amovet, bilem febremque sedat, praecipue aestum extinguit."

XX. Collyrium ex antimonio, Collyrium ex calce aeris, Michelia champaca, Panicum italicum, Nymphaea caerulea, Andropogi muricati radix, Nymphaea nelumbo, Mesua ferrea et Glycyrrhiza glabra.

„A Collyrio ex antimonio incipiens haec classis haemorrhagiam biliosam extinguit, venenum sedat, et sic aestum internum delet."

XXI. Xylocarpus granatum, Vitis vinifera, Cayaphal, Punica granatum, Buchanania latifolia, Strychni potatorum fructus, Mimosae sirishae fructus et tres myrobalani.

„A Xylocarpo granato incipiens haec classis aërem delet, urinae vitia amovet, grata est, sitim occidit et appetitum dat.“

XXII. Panicum italicum, Mimosa pudica, Grislea tomentosa, Rottleria tinctoria, Pterocarpus santalinus, Caesalpinia sappan, Bombacis heptaphylli resina, Collyrium ex calce aeris, Rottleriae tinctoriae aqua, Collyrium ex antimonio, Nelumbii speciosi filamenta, Rubia manjista et Hedysarum alhagi; —

XIII. Jasminum auriculatum, Grisleae tomentosae semina, Mimosa pudica, Bignonia indica, Glycyrrhiza glabra, Aegles marmeli vagina, Symplocos racemosa, Sávararod'hra, Butea frondosa, Nerium coronarium et Nelumbii speciosi filamenta.

„A Panico italico et Jasmino auriculato incipientes hae duae classes coctionem et diarrhoeam delent, sustentant, salubres sunt in bile, et ulcerum (vulnerum) formatores sunt.“

XXIV. Ficus indica, Ficus glomerata, Ficus religiosa, Ficus infectoria, Bassia latifolia, Spondias mangifera, Pentaptera arjúna, Mangiferae indicae fructus, Mangiferae indicae et Andropogi aciculati folia, Eugenia jambu, Chironjia sapida, Glycyrrhiza glabra, Asclepias acida, Calamus rotang, Nauclea cadamba, Zizyphus jujuba, Diospyros glutinosa, Boswellia thurifera, Symplocos racemosa, Sávararod'hra, Semicarpus anacardium, Butea frondosa et Nerium coronarium.

„A Ficu indica incipiens classis ulceribus (vulneribus) salubris est, contrahit, fracturas perficit, haemorrhagiam biliosam amovet, aestum et telam cellulosam (adipem) occidit, pudendorum muliebrium vitia adimit.“

XXV. Menispermum cordifolium, Melia azidaracta, Coriandri sativi semina, Sirium myrtifolium et Nelumbium speciosum.

„A Menispermo cordifolio incipiens haec classis omnes febres occidit, calefacit, singultum, inappetentiam, vomitum, sitim et aestum delet.“

XXVI. Nymphaea caerulea, Nymphaea rubra, Nymphaea esculenta, Nymphaea lotus, Kuvaláya, Nymphaea alba et Glycyrrhiza glabra.

„A Nymphaea caerulea incipiens haec classis aestum, biliosumque sanguinem extinguit, sitim et venenum aufert, morbosum sanguinem delet.“

XXVII. Cyperus rotundus, Curcuma longa, Curcuma zanthorizon, Terminalia chebula, Phyllanthus emblica, Terminalia belerica, Costus arabicus, Acorus calamus albus, Acorus calamus, Cysampelos hexandra, Species ex Pipere longo, nigro et Zingiberi, Śárngashía, Ativishá, Curcuma cerumbet, Semicarpus anacardium et Plumbago zeylanica.

„A Cypero rotundo incipiens haec commemorata classis phlegma destruit, pudendorum muliebrium vitia aufert, lac purificat et sic concoquit.“

XXVIII. Terminalia chebula, Phyllanthus emblica, Terminalia belerica, tres myrobalani scilicet.

„Tres myrobalani phlegma et bilem occidunt, urethritidem gonorrhoicam

et lepram extinguunt, oculis salubres sunt, calefaciunt, dolores et febres extinguunt.“

XXIX. Piper longum, Piper nigrum, Zingiber officinale, species scilicet ex Pipere longo, nigro et Zingiberi.

„Calefaciens species ex Pipere longo, nigro et Zingiberi phlegma et telam cellulosam (adipem) occidit, urethritidem gonorrhoicam, lepram et cutis morbos delere potest, indurationem etiam glandularum mesentericarum, catarrhum et ignis (digestionis) diminutionem.“

XXX. Phyllanthus emblica, Terminalia chebula, Piper longum et Plumbago zeylanica.

„A Phyllantho emblica incipiens haec classis omnes febres delet, oculis salubris est, calefacit, stimulat, phlegma et inappetentiam extinguit.“

XXXI. Stannum, plumbum, cuprum, argentum, lapis magnes, aurum et rubigo ferri.

„A Stanno incipiens haec eximia classis morbum et vermes tollit, sitim et venenum amovet, icterum et urethritidem gonorrhoicam tollit.“

XXXII. Lacca, Cassia fistula, Echites antidysenterica, Nerium odorum, Cayaphal, Curcuma longa, Melia azidaracta, Xanthocymus pictorius, Jasminum grandiflorum et Tráyamáná.

„Adstringens et dulcamara est haec classis, phlegma, bilem et dolores delet, lepram et vermes tollit, corrupta ulcera (vulnera) purificat.“ —

Quinas deinceps radices indicaturi sumus.

XXXIII. Ruellia longifolia, Solanum melongena, Hemionites cordifolia, Convolvulus paniculatus et Michelia chambaca — sunt parvae radices.

„Adstringentes, amarae et dulces sunt hae parvae quinque radices, aërem delent, bilem sedant, nutriunt et vires augent.“

XXXIV. Aegle marmelos, Premna spinosa, Bignonia indica, Bignonia suaveolens et Gmelina arborea — sunt magnae radices.

„Commemoratae hae quinque radices simul amarae sunt, phlegma et aërem delent, in coctione leves et ignem (digestionem) incendentes sunt, dulcem etiam saporem habent.“

Ex his (duabus classibus) decem radices sistens classis constare dicitur.

„Haec classis anhelitum amovet, phlegma, bilem et aërem delet, eruditatis coctor est, et omnes febres axtinguit.“

XXXV. Convolvulus paniculatus, Echites frutescens, Indigofera tinctoria, Menispermum cordifolium et Ajaśrîngí, — repentium plantarum appellatio; —

XXXVI. Carissa carondas, Ruellia longifolia, Barleria cristata, Asparagus racemosus et Zizyphus jujuba, — spinosarum plantarum appellatio.

„Hae duae classes haemorrhagiam biliosam tollunt, tumores, ab aëre, phlegmate et bile ortos, delent, omnes urinae morbos tollunt et seminis virilis vitia delent.“

XXXVII. Poa cynosuroides, Saccharum spontaneum, Arundo karka, Saccharum cylindricum et Barleria longifolia, — graminum appellatio.

„Urinae vitia et morbos haemorrhagiamque biliosam ultima classis, cum lacte conjuncta, celeriter delere potest.

Harum (quinque) classium duae primae aërem tollunt; ultima bilem extinguit; ceterae duae ad quinas radices pertinentes classes phlegma sedantes indicatae sunt."

A Trivrĭt (Tëori) incipiens caput alibi demonstrabimus. —

„Breviario hac classes hic indicatae sunt; earum vero prolixitatem in Therapia (Chikitsita) exponemus, cognitis humorum corruptorum firmitate et infirmitate.

Medicus in domo, a fumo, pluviis, ventis et humoribus quoque anni tempore liberata, medicamentorum collectionem collocet, et ex praescripto asservet. Intuitus vitiorum humorum divisiones, medicamentorum quoque classes divisas medicus adhibeat, singulatim mixtas, aut compositas, aut classem confuse conjunctam."

Caput XXXIX.

Nunc vero de ablutione et sedatione caput expositurі sumus.

Vangueria spinosa, Echites antidysenterica, Andropogon serratus, Cucurbita amara, Achyranthes aspera, Krĭtavéd'hana, Sinapis dichotoma, Embelia ribes, Piper longum, Galedupa arborea, Cassia tora, Bauhinia variegata, Karbudára, Sapindus saponaria, Physalis flexuosa, Calamus fasciculatus, Pentapetes phoenicea, Andropogon aciculatus, Crotularia juncea, Momordica monadelpha, Acorus calamus, Mrĭga, Cucumis utilatissimus et Salvinia cuculata superiores corporis partes purgant, — scilicet Bauhiniae variegatae antecedentium vegetabilium fructus; Bauhiniam variegatam subsequentium radices.

Convolvulus turpethum floribus albis, Convolvulus turpethum floribus nigris, Dantí, Antherum tuberosum, Jasminum zambac floribus multiplicatis, Andropogon aciculatus, Asclepias geminata, Cucumis madraspatanus, Convolvulus pes caprae, Euphorbia antiquorum, Cassia fistula, Mimusops kauki, Plumbago zeylanica, Achyranthes aspera, Poa cynosuroides, Saccharum spontaneum, Symplocos racemosa, Convolvulus turpethum, Trichosanthes dioeca, Bignonia suaveolens, Areca faufel, Terminalia chebula, Phyllanthus emblica, Terminalia belerica, Indigofera anil, Chaturangula, Ricinus communis, Caesalpinia bonducella, Mahávrĭksha, Xanthocymus pictorius, Asclepias gigantea et Cardiospermum halicacabum inferiores corporis partes purgant, — scilicet

Symploco racemosae antecedentium vegetabilium radices; Symplocum racemosam subsequentium et cum Bignonia suaveolente desinentium cortices; Convolvuli turpethi fructuum pulvis; Arecam faufel subsequentium et cum Ricino communi desinentium fructus; Caesalpiniae bonducellae et Cassiae fistulae folia; reliquorum succi.

Trichosanthes dioeca, Jasminum zambac floribus multiplicatis, Andropogon aciculatus, Hátig'hosha, et Cleome pentaphylla a duobus lateribus partes purgant. Horum vegetabilium proprii succi existunt.

Piper longum, Embelia ribes, Achyranthes aspera, Morunga guilandina, Sinapis alba, Mimosa sirisha, Piper nigrum, Nerium odorum, Momordica monadelpha, Clitoria ternata, Achyranthes aspera, Acorus calamus, Cardiospermum halicacabum, Galedupa arborea, Asclepias gigantea, Solanum trilobatum, Allium sativum, Ativishá, Zingiber officinale, Flacourtia cataphracta, Xanthocymus pictorius, Anethum sowa, Ocymum sanctum, Terminalia catappa, Asclepias geminata, Citrus medica, Murungí, Salvadora persica, Myristica moschata, Shorea robusta, Borassus flabelliformis, Bassia latifolia, Lacca, Asa foetida, sal fossile, vinum, vaccae stercoris liquor et urina capitis purgativa medicamenta sunt, — scilicet Nerio odoro antecedentium vegetabilium fructus; Nerium odorum subsequentium et cum Asclepiade gigantea desinentium radices; Flacourtiae cataphractae antecedentium bulbi; Flacourtiam cataphractam subsequentium et cum Ocymo sancto desinentium folia; Terminaliae catappae et Asclepiadis geminatae cortices; Citri medicae, Murungí, Salvadorae persicae et Myristicae moschatae flores; Shoreae robustae, Borassi flabelliformis et Bassiae latifoliae succi; Asae foetidae et Laccae extracta. Salia fossilia sunt terrae species; vina sunt spirituum compositiones; vaccae urina et stercus sunt excretiones.

Deinceps sedativa medicamenta indicaturi sumus.

Pinus Dévadáru, Costus arabicus, Curcuma longa, Capparis trifoliata, Asclepias geminata, Pavonia odorata, Sida cordifolia, Barleria caerulea, Dolichos carpopogon, Boswellia thurifera, Bignonia suaveolens, Pentaptera arjuna, Barleria flava, Premna spinosa, Menispermum glabrum, Ricinus communis, Plectranthus scutellaroides, Solanum trilobatum, Asclepias gigantea, Asparagus racemosus, Boerhavia diffusa alata, Aeschymene grandiflora, Pothos officinalis, Bauhinia variegata, Siphonanthus indica, Gossypium herbaceum, Tragia involucrata, Achyranthes triandra, Zizyphus jujuba, Hordeum hexastichon, Plumbago zeylanica, Dolichos biflorus et cet., Hedysarum gangeticum et cet., duaeque primae ad quinas radices pertinentes classes compendio aërem sedans classis sunt.

Sirium myrtifolium, Pterocarpus santalinus, Andropogon shoenanthus, Andropogon muricatus, Rubia manjist'ha, Asclepias rosea, Convolvulus paniculatus, Asparagus racemosus, Cyperus pertenuis, Valisneria octandra, Nym-

phaea lotus, Nymphaea esculenta, Nymphaea caerulea, Musa paradisiaca, Kandalí, Agrostis linearis, Sanseviera zeylanica et cet., Kakolí et cet., Ficus indica et cet., graminumque quinque radices compendio bilem sedans classis sunt.

Curcuma zanthorhiza, Aquilaria ovata, Pterocarpus santalinus, Costus arabicus, Curcuma longa, Anethum graveolens, Anethum sowa, Pinus longifolia, Mimosa octandra, Caesalpinia bonducella, Galedupa arborea, Terminalia catappa, Triticum aestivum, Abrus precatorius, Commelina salicifolia, Butea frondosa, Saccharum muja, Atakalae succus et cet., repentes et spinosae plantae, ad quinas radices pertinentes, Piper longum et cet., Solanum melongena et cet., Bignonia indica et cet., Acorus calamus et cet., Surasa, Cassia fistula et cet. compendio phlegma sedans classis sunt.

Omnia vero medicamenta, morborum, ignis (digestionis) et hominum viribus perspectis, medicus porrigat.

Supra morbi vim adhibitum medicamentum, hunc morbum sedando, alium morbum adducit; supra ignis (digestionis) vim (adhibitum medicamentum) indigestionem efficiendo, concoquitur; supra hominis vim (adhibitum medicamentum), languorem, animi deliquium et insaniam adducit, sedamen et ablutionem valde sternit.

Orbatum his rationibus medicamentum datum, inefficax fit; propterea convenienter porrigat medicus medicamentum.

Sunt híc ślokae:

„Qui est ob humorum vitia infirmus, ei sapiens medicus in morbo, per ablutionem sanabili, vitia humorum amovens et mite medicamentum praebeat.

In inconstante humorum vitio, in tenero organo, ibi non videre medicus potest hominum vim. Morbo autem hominis non debilitati ablutio fiat. In morbis et cet. mediocribus Kuďava decocti desideratur, pulveris Vidálapada dandae sunt sedimenti oleosi sedecim Mashae.

Vitio humorum subjecti et tenero organo praediti hominis ablutio apta fiat. Exigua vi instructi hominis alimentum morbo conveniens sit.“

Caput XL.

Nunc vero de substantiarum, gustuum, qualitatum, virium et maturitatis dijudicatione caput expositurі sumus.

Quidam literati dicunt: „Substantia praecipuum est.“ Ex qua stabilitate revera? „Substantia constans est, neque vero gustus et cet.; sicut in rudi fructu qui sapores et cet. sunt, illi in maturo non sunt.

De sempiternitate. Sempiterna enim substantia est, neque vero sempiternae qualitates sunt; sicut sedimenti et ceterorum illa pars aut gustu et odore praedita, aut gustu et odore orbata esse potest.

De sui generis conditione. Sicut enim terrena substantia aliam naturam non init, sic reliquae.

De quinque sensuum perceptione. Quinque sensibus percipitur substantia, neque vero gustus et cet.

De habitatione. Gustus et cet. substantiam ingressi sunt (habitant).

De inceptionis vi. Substantias aggressa est inceptio; sicut Hedysarum gangeticum et cet., postquam medicus sumserit et contriverit, coquere potest, sic etiam in ceteris substantiis, neque vero in gustu et cet. inceptio est.

De Śâstrarum auctoritate. In Śâstra enim substantia praecipuum est, in demonstratione scilicet systematum; sicut Citrus medica et Premna spinosa, sic non gustus et cet. demonstrantur.

De gustuum et cet. gradus respectu. Gustus et cet. enim substantiarum gradum respiciunt; sicut in recente substantia recentes gustus et cet., sic in completa completi sunt.

De singularum regionum effectionis gradu. Substantiarum singulis regionibus etiam morbi efficiuntur, sicut Euphorbiae antiquorum lacte.

Itaque substantia est praecipuum.

Substantiarum signum vero, efficientiae qualitate praeditum, qualitatis actio est.“ —

Non sic dicunt alii: „Gustus vero sunt praecipuum.“ Ex qua sacra doctrina? „Sacra doctrina enim Śâstra dicitur; in Śâstra autem gustus potentes sunt. Sicut gustum continet cibus, sic in eo spiritus vitales sunt.

De demonstratione. Demonstrantur enim gustus, veluti dulces, acidi et salsi (gustus) aërem cohibent.

De conclusione. Gustatu enim concluditur gustus, veluti dulcis (gustus).

De Rĭsharum sermone. Rĭsharum sermo sicut Védas est, sic aliquid dulce magistrorum ratio afferre potest. Itaque gustus sunt praecipuum. In gustibus qualitatum cognitio est.“

Gustuum signum alibi demonstrabimus.

Non sic dicunt alii: „Vis praecipuum est.“ Ex qua conclusione, per facultatem virium plantarum medicarum effecta?

„Plantarum medicarum efficacitates in superioribus, inferioribus et in ambabus partibus, purgationem, sedationem, adstrictionem, ignis inflammationem, vexationem, vomitionem, nutritionem, Elixirium vitae, stimulantiam, intumescentiae efficientiam, destructionem, aestum, dirruptionem, ebrietatem, respirationis interitum, veneni sedationem ob virium principatum efficiunt.

Haec autem vis duplex est, ob ignis productionem mundi. Quidam vero octuplicem vim dicunt: calidam, frigidam, blandam, asperam, pellucidam,

fluidam, mitem et pungentem. Hae vires, ob proprii roboris et qualitatis excellentiam, gustum superando, suam actionem efficiunt; sicut tam magnus, ad quinque radices pertinens, gustus adstringens et amarus aërem cohibere potest ob caloris facultatem, sic Dolichos biflorus adstringens et Allium cepa pungens ob unguinosam substantiam. Dulcedo, Sacchari officinarum gustus, aërem auget ob frigoris vim.

Pungens Piper longum bilem cohibet ob mitis frigoris vim, acidus Phyllanthus emblica, salsumque sal fossile. Amarum Solanum indicum bilem auget ob caloris vim, dulcesque pisces.

Pungens Raphanus sativus phlegma auget ob blandimenti vim. Acida Crataeva valanga phlegma cohibet ob asperitatis vim, dulcedo, melque."

Haec ipsa demonstratio hic indicta est. —

Sunt hic ślokae:

„Qui gustus aërem cohibent, si in eis asperitas, lenitas et frigus est, non aërem occidunt. Qui gustus bilem cohibent, si in eis acritudo, aestus et levitas est, non suam efficacitatem exercent. Qui gustus phlegma cohibent, si in illis oleamen, pondus et frigus est, phlegma augent.

Itaque vis praecipuum est." —

Non sic dicunt alii: „Maturitas praecipuum est." Ex qua recta aut falsa maturitate? „Omnes substantiae sumtae, recte falsove maturatae, bonam qualitatem aut humorum vitia generant." Inde dicunt alii: „Super gustum maturitas est."

Quidam triplicem maturitatem volunt: dulcem, acidam et pungentem; hoc verò non omnino secundum rerum qualitatem et sacram doctrinam. Aciditas enim maturitas non est; bilis enim combusta aciditatem adit ob ignis tarditatem. — Num sane salsitudo alia maturitas erit? Phlegma enim combustum salsitudinem adit. — Dulcedo dulcedinis, aciditas aciditatis naturam adit. Sic sane de omnibus (gustibus).

Quidam dicunt, exemplumque demonstrant: „Sicut lac, vas ingressum, fervens, dulce quoque esse potest, sic oryza, Hordeum hexastichon, Phaseolus mungo et cetera diversa propriam natùram, septentrionali etiam tempore, revera non relinquunt."

Quidam dicunt: „Infirmi firmorum voluntatem intrant. Sic sane inconstantia existit. Itaque conclusio illa certa non existit." — In sacra verò doctrina duplex maturitas est, dulcis pungensque. In his duabus dulcis maturitas gravis, pungens levis est. Hic terrae, aquae, luminis, aëris, aetheris duplicitas fit ob qualitatum vim, gravitas levitasque. Terra et aqua graves sunt, cetera levia. Idcirco duplex etiam maturitas est.

Sunt hic ślokae:

„In quibus substantiis maturescentibus aquae et terrae qualitates versantur superiores, ibi maturitas pungens appellatur. Specialitas visibilium et

explicabilium rerum explicationis complexio est. Quatuor qualitatum etiam efficacitatem volunt hic docti. Itaque substantia per se aliqua, aliqua per vim honorata, aliqua per gustum et maturitatem vitia humorum delet aut efficit. Maturitas non est sine vi; vis non est sine gustu; gustus non est sine substantia. Substantia idcirco praecipuum commemorata est. Origo substantiae et gustus, mutuam rationem habens, commemorata est, sicut mutuam rationem habet origo corporis et corporati hominis. Quae octo qualitates „Vis" appellantur, illa quoque in substantia habitantes commemoratae sunt. In gustibus non habitant illae. Expertes qualitatum vero qualitates sunt commemoratae.

Substantiae quia enim maturantur in substantia, neque vero sex gustus, ideo praecipuum substantia intelligenda est; reliquae proprietates in substantia domicilium habent.

Inexplicabilia, incomprehensibilia, celebrata medicamenta convenienter cum sacra doctrina doctis conjungenda sunt. Perceptibilis signi fructibus praeditas naturaliterque perfectas plantas medicas ne ratiocinationibus exploret ullo modo medicus; millibus enim argumentorum medicus et alius rem absolvere non valet; itaque consistat prudens in sacra doctrina, neque vero in argumentis."

Caput XLI.

Nunc vero de substantiarum differentiis dijudicandis caput exposituri sumus.

Ex terrae, aquae, luminis, aëris et aetheris coitione substantiarum evolutio manifesta est. Haec substantia terrena, haec aquosa, haec luminosa, haec aëria, haec aetherea est. — Porro corpulenta, robusta, crassa, tarda, rigida, aspera, gravis, dura, odorem multum habens, minus adstringens, generaliter dulcis terrena substantia est. Haec rigiditatem, vim, quantitatem, accumulationem facit, praecipueque deorsum versae itionis naturam habet. — Frigida, madida, unguinosa, tarda, gravis, mobilis, crassa, mitis, fluida, gustum multum habens, minus adstringens, acida, salina, dulci gustui similis aquosa substantia est; humorem serosum, jucunditatem, phlegma, ligationem et destillationem facit. — Calida, acris, subtilis, aspera, acuta, levis, pellucida, formativam qualitatem multam habens, minus acida et salsa, pungenti gustui similis est, praecipueque sursum versae itionis naturam habet luminosa substantia. Haec ustionem, concoctionem, scissionem, dolorem, illuminationem, splendorem et colorem facit. — Subtilis, aspera, acuta, frigida, levis, pellucida, ventis multis referta, minus amara, praecipue adstringens aëria substantia est. Haec pelluciditatem, levitatem, defatigationem, asperitatem, judicium facit. — Mitis,

subtilis, mollis, illustrans, pura, specifico gustu praedita, sonum multum habens aetherea substantia est. Haec mollitudinem, siccitatem et levitatem facit. — Hoc respectu quaepiam substantia (medica) a variis herbis in mundo orta est. Hac illaque conjunctionis differentia facta, rationeve perspecta, substantiae, cum propriis viribus conjunctae, actionem conficiunt. Hae substantiae, quando agunt, hoc tempus est; quid agunt, hoc actio est; per quid agunt, hoc vis est; ubi agunt, hoc locus est; quomodo agunt, hoc ratio est; quid efficiunt, hoc fructus est. —

Porro purgationis substantiae plurimas terrae et aquae qualitates habent. Terra et aqua graves sunt; ob gravitatem deorsum eunt. Itaque evacuatio deorsum descendentem qualitatem plurimam habet ex conclusione. — Vomitionis substantiae plurimas ignis et aëris qualitates habent. Ignis et aër enim leves sunt; ob levitatem ii sursum exsurgunt. Itaque vomitio etiam sursum ascendentem qualitatem plurimum habens dicta est. — Aetheris qualitatem plurimam habet sedans substantia; contrahens substantia aëris qualitatem plurimam, ob aëris siccativam proprietatem; lucens substantia ignis qualitatem plurimam; vomitoria substantia aëris et ignis qualitatem plurimam; nutriens terrae et aquae qualitatem plurimam habet.

Sunt hic ślokae:

„Per substantias, a terra, lumine et aqua ortas, sedationem accipit aër (vitalis); per ortas a terra, aquâ et aëre bilis celeriter adipiscitur cessationem; per ortas ab aethere, lumine et aëre phlegma sedationem subit hominum; per ortas ab aethere et aëre augmentum nanciscitur aër (vitalis); ignea vero quae substantia est, hac bilis emittitur; per ortas a terra et aqua phlegma augetur.

Sic hoc qualitatis superfluum, in quaque substantia demonstratum, dupliciter multipliciterve medicus cum cognoverit in vitio humorum, amoveat."

Hic quae qualitates „Vires" nominatae sunt, scilicet frigida, calida, blanda, aspera, lenis, pungens, fluida, pellucida qualitas, harum pungens et calida qualitas igneae qualitates sunt; frigida et fluida aquae qualitatem plurimam habent; terrae at aquae qualitatem plurimam habet lubricum; aquae et aetheris qualitatem plurimam habet lenitudo; aëris qualitatem plurimam habet asperitudo; terrae et aëris qualitatem plurimam habet pelluciditas.

Gravis et levis maturitas qualitates dictae sunt.

Porro calida et blanda qualitas aërem (vitalem) occidunt; frigida, lenis, fluida bilem occidunt; pungens, aspera, pellucida phlegma occidunt. Gravis màturitas aërem et bilem occidit; levis maturitas phlegma occidit. Harum qualitatum lenis, frigida, calida tactu perceptibiles sunt; fluida et pellucida oculis et tactu; blanda et aspera visibiles sunt; frigida et calida voluptatis et doloris effectu perceptibiles sunt; — gravis maturitas procreatorum excrementorum urinali qualitate, phlegmatisque vexatione; levis maturitas

procreatorum excrementorum urinali qualitate, aërisque irritatione perceptibilis est.

Rebus aequales qualitates habentibus, medicus gustuum differentiam intelligat hoc modo: Dulcis gravisque qualitas terrena est; dulcis blandaque qualitas aquosa est.

Est hic ślokas:

„Qualitates quae dictae sunt in substantiis, eaedem in hominum corporibus sic sunt. Existentia, incrementum et interitus hominum ideo causam in substantiis habent.“

Caput XLII.

Nunc vero de gustuum differentiis dijudicandis caput exposituri sumus.

In aethere, aëre, igne, aqua et terra secundum numerum semel et ultra aucti sunt soni, tactus, formae, gustus et odores. Ideo aquarius gustus, ob mutuam unionem, mutuam receptionem et mutuam penetrationem in omnibus, omnium vicinitas est; sed ob nimiam aquarium quantitatem raptus fit. Hic aquarius gustus revera, ob ceterorum elementorum unionem combustus, sextupliciter disponitur hoc modo: dulcis, acidus, salinus, pungens, amarus et adstringens gustus. Hi gustus denuo ob mutuam unionem in sexaginta tres gustus dividuntur.

A terrae et aquae qualitatis multitudine (ortus est) dulcis (gustus); a terrae et ignis qualitatis multitudine acidus; ab aquae et ignis qualitatis multitudine salinus; ab aëris et ignis qualitatis multitudine pungens; ab aëris et aetheris qualitatis multitudine amarus; a terrae et aëris qualitatis multitudine adstringens.

Porro dulcis, acidus et salinus gustus aërem occidit; dulcis, amarus et adstringens gustus bilem occidit; pungens, amarus et adstringens phlegma occidit.

Deinceps aër ipse per semetipsum existit; bilis ignea; phlegma placidum est.

Hi vero gustus, suam originem augentes, aliorum originem cohibent. —

Quidam dicunt: Ex ignis et aëris qualitate mundi gustus duplices sunt, placidi igneique. Dulcis, amarus et adstringens gustus est placidus; pungens, acidus et salinus gustus est igneus. Dulcis, acidus et salinus gustus est gratus et gravis; pungens, amarus et adstringens gustus est asper et lenis. Placidi gustus frigidi, ignei calidi sunt.

Frigoris, asperitatis, levitatis, pelluciditatis et cohibitionis qualitatis sig-

num habet aër (organicus); huic similem naturam habet adstringens gustus. Hic suo frigore frigus auget, asperitate asperitatem, levitate levitatem, pelluciditate pelluciditatem, cohibitione cohibitionem auget.

Caloris, acritudinis, asperitatis, levitatis et pelluciditatis qualitatis signum habet bilis; huic similem naturam habet pungens gustus. Hic suo calore calorem auget, acritudine acritudinem, asperitate asperitatem, levitate levitatem, pelluciditate pelluciditatem auget.

Dulcedinis, mollitudinis, gravitatis, frigoris et muci qualitatis signum habet phlegma; huic similem naturam habet dulcis gustus. Hic sua dulcedine dulcedinem auget, mollitudine mollitudinem, gravitate gravitatem, frigore frigus, muci naturâ muci naturam auget. Huic (dulci gustui) dissimilem naturam habet pungens gustus. Hic, phlegma repugnando et pungendo, dulcedinem superat, asperitate mollitudinem, levitate gravitatem, calore frigus et pelluciditate mucosam naturam.

Sic haec ipsa materia demonstranda demonstrata est. —

Porro gustuum signum expositui sumus.

Qui gustus gaudium efficit, exhilarat, delectat, vivificat, oris linimen generat et plegma auget, is dulcis gustus est.

Qui gustus dentium hebetudinem efficit, oris destillationem generat et puritatem efficit, is acidus gustus est.

Qui gustus ciborum appetentiam efficit, phlegmatis irrigationem generat et mitigationem efficit, is salinus gustus est.

Qui gustus linguae cacumen vexat, tremorem generat, caput occupat, nasumque destillantem efficit, is pungens gustus est.

Qui gustus in guttere aestum efficit, oris albitudinem generat, ciborum appetentiam efficit, gaudiumque, is amarus gustus est.

Qui gustus os exsiccat, linguam rigidam facit, gulam constringit, cor vexat et cruciat, is adstringens gustus est. —

Porro gustuum qualitates expositui sumus.

Dulcis gustus chylum, sanguinem, carnem, telam cellulosam, ossa, medullam, vitalitatem, semen virile et lac auget, oculis salubris, crinibus et colori idoneus est, robur facit, sustentat, sanguini et chylo inservit, pueris et senibus vulneratis et emaciatis salubris est, apibus et formicis furvis exoptatissimus, sitim, lipothymiam et aestum sedat, sex sensibus inservit, vermes et phlegma facit. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita, catarrhum, anhelitum, tumorem pedum in elephantiasi, vomitum, oris dulcedinem, sui ipsius perturbationem et excidium, vermes et coli tumores efficit, pariterque insensiles tumores, elephantiasin, abdominis et ani inunctionem, destillationem et cetera generat.

Acidus gustus est digestibilis, maturat, aërem (organicum) cohibet, salubris, intestina calefacit, externe refrigeratorius est, humectat, in universum

gratus est. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita, dentium hebetudinem, oculorum nictationes, comarum trepidationem, phlegmatis solutionem et corporis relaxationem efficit, pariterque vulnerata, laesa, combusta, morsa, fracta, tumida, incurvata, prolapsa, mincta, digressa, scissa, fissa, perforata et contrita maturat, et ob igneam indolem perurit guttur, pectus et cor.

Salinus gustus purgatorius est, concoquit, separat, humectat, relaxationem efficit, calidus est, omnes sapores oppugnat, vias purgat, et totius corporis membrorumque mitigationem efficit. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita, membrorum pruritum, lepram cum magnis rotundis guttis, tumorem, decolorationem, seminis virilis morbos, sensuum vexationes, pariterque oris et oculorum maturitatem, haemorrhagiam biliosam, rheumatismum, stomachi aciditatem etc. efficit.

Pungens gustus calefacit, concoquit, appetitum auget, purificat, corpulentiam, desidiam, phlegma, vermes, venenum, lepram et pruriginem cohibet, articulos et ligamenta disjungit, relaxat, lactis, seminis virilis et telae cellulosae occisor est. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita, vertiginem, stuporem, gutturis, palati et labiorum exsiccationem, membrorum aestum, virium interitum, tremorem, cruciatum et disjunctionem facit, in manibus, pedibus, lateribus, dorso et ceteris rheumaticos dolores efficit.

Amarus gustus separat, appetitum auget, calefacit, purificat, pruriginem, lepram maculosum, sitim, animi deliquium et febrem sedat, lac purificat, faeces, urinam, humorem, telam cellulosam, adipem et pus exsiccat. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita, artuum et cervicis tendinum rigiditatem, flatulescentiam, hemiplegiam, capitis dolores, vertiginem, cruciatum, disjunctiones, separationes et oris laesionem efficit.

Adstringens gustus arripit, perturbat, rigidus est, purificat, scarificat, exsiccat, vexat et humorem exsiccat. Haec vero qualitas sola et ultra modum adhibita cordis vexationes, oris exsiccationem, abdominis inflationem, vocis impedimentum, cervicis tendinum rigiditatem, artuum tremorem, dissolutionis viam, incurvationem, delapsum etc. generat. —

Deinceps omnium gustuum substantias demonstraturi sumus.

Kákolí etc., lac, butyrum clarificatum, adeps, medulla, Oryza sativa, Oryza praecox, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Phaseolus radiatus, Trapa bispinosa, Scyrpus kysoor, stannum, Cucumis utilatissimus, Convolvulus paniculatus, Cucurbita lagenaris, Strychnos potatorum in Kálinda monte, Gilodya, Chironjia sapida, Costi speciosi semina, Gmelina arborea, Bassia latifolia, Vitis vinifera, Elate sylvestris, Buchanania latifolia, Borassus flabelliformis, Cocos nucifera, Saccharum officinarum praeparatum, Pavonia odorata, Sida cordifolia, Carpopogon pruriens, Convolvulus paniculatus, Asclepias rosea, Ruellia longifolia, lactea Sanseviera zeylanica, Sanseviera zeylanica, Cucurbita pepo etc. sunt compendio dulcis classis.

Punica granatum, Phyllanthus emblica, Citrus medica, Spondias mangifera, Crataeva valanga, Carissa carondas, Zizyphi jujubae fructus, Flacourtia cataphracta, Tamarindi indicae fructus, Mangifera indica, Averrhoea carambola, Diospyri glutinosae ramorum fructus, Artocarpus lacucha, Rumex vesicarius, Citrus medica, lac coagulatum, lac ebutyratum, liquor spirituosus, acetum, oryza fermentata, aqua oryzae fermentatae etc. compendio sunt acida classis.

Sal fossile, Alkali, Murias sodae impura, nitrum, aquosum sal marinum, maturatum Hordeum hexastichon, Lixivium causticum, Terra salina, productum Natron etc. sunt compendio salina classis.

Piper longum etc., Anethum sowa etc., Morunga guilandina, Hyperantherae morungae varietas, Raphanus sativus, Allium sativum, Sumuk'ha, Anethum graveolens, Costus arabicus, Pinus Dévadáru, Harénukae grati fructus, Tamarindus indica, Bdellium, Cyperus rotundus, Commelina salicifolia, Bignonia indica, Salvadora persica etc., Shoreae robustae resina etc. sunt in universum pungens classis.

Cassia fistula etc., Menispermum cordifolium etc., Hydrocotyles asiaticae rami, Capparis aphylla, Curcuma longa, Nerii antidysenterici semina, Capparis trifoliata, Flacourtia sapida, Echites scholaris, Solanum jacquini, Andropogon aciculatus, Anethum tuberosum, Convolvulus turpethum album, Krĭtavéd'hana, Aegle marmelos, Cleome pentaphylla, Solanum melongena, Capparis aphylla, Nerium odorum, Caesalpinia bonducella, Andropogon aciculatus, Achyranthes aspera, Tráyamáná, Jonesia aśoka, Asclepias acida, Aeschynomene sesban, Linum utilatissimum, Boerhavia diffussa alata, Tragia involucrata, Cardiospermum halicacabum etc. sunt compendio amara classis.

Ficus indica etc., Oxalis corniculata etc., Panicum italicum etc., Symplocos racemosa, tres myrobalani, Boswellia thurifera, Eugenia jambu, Mangifera indica, Mimusops elengi, Diospyri glutinosae fructus, Strychni potatorum fructus, Plectranthus scutellaroides, Vanaspati fructus, Shoreae robustae resina etc. in universum, Amaranthus ruber, Bauhinia variegata, Celtis orientalis, Chenopodium album, Gumi olibanum, Marsilia quadrifolia etc., Oryza montana etc., Phaseolus mungo etc. sunt breviario adstringens classis. —

Porro ipsorum gustuum conjunctiones sexaginta tres sunt hoc modo: quindecim gustus sunt duplices, viginti triplices, quindecim quadruplices, sex quintuplices, sex simplices, unus sextuplex.

Horum usum alibi indicabimus.

Est hic ślokas:

„Sex fortes gustus comesi succurrunt optantibus, sicut irritata humorum vitia fortiter vim exercent.“

Caput XLIII.

Nunc vero de vomitoriarum substanstiarum effectu dijudicando caput expostituri sumus.

Inter vomitorias substantias, fructus etc., optimi sunt Vangueriae spinosae fructus. Sed Vangueriae spinosae florum, solis ardore exsiccatorum, pulverem comminutum, cum ulla aut Achyranthis asperae, aut Asclepiadis giganteae albae, aut Meliae azidaractae infusione commixtum, et cum mellis salisque fossilis quantitate conjunctum, ad bibendum medicus cum dederit, aut Vangueriae spinosae immaturae pulveres, cum Mimusopse elengi, Trichosanthe dioeca, melle et sale fossili conjunctos et calefactos, aut Vangueriae spinosae immaturae pulvere paratum Sesami orientalis et Amaranthi polygami fermentum cum dederit, vomitum efficere potest. Fructus (Vangueriae spinosae) maturatos, non nimis virides aut flavos, medicus illinat Poâ cynosuroide, aquâ, terrâ soluta et vaccino stercore, decoquat in Hordei hexastichi, Terminaliae bellericae, Phaseoli mungonis, Phaseoli radiati, Oryzae sativae et ceterorum granorum quantitate per octo noctes (et dies), humectet et terat, Echiten antidysentericam et Piper longum assumat, et haec in solis ardore torrefaciat. Harum quantitatum, cum lacte coagulato, melle et Sesamo orientali trito exsiccatarum et in probatis vasis collocatarum pugillum inter digitos, in calida Siponanthi indicae et mellis infusione, aut in ulla Bauhiniae variegatae vel ceterorum infusione, cum per noctem (et diem) contriverit, hoc decoctum, cum melle et sale fossili cunjunctum, benedictionibusque excantatum, medicus, ad septentrionem vultum suum vertens, aegroto, ad orientem vultum vertenti, ad bibendum porrigat, hac incantatione utens:

„Brahmas, Dakshas, Asvini, Rudrae, Indras, Terra, Luna, Sol, Ignis, Aër, Rishes, plantarum annuarum turbae et B'hútarum multitudines servanto te!

Elixirium vitae quasi, sicut Rĭsharum et Deorum ambrosia, sicut nectar excellentium Nagarum, hoc medicamentum esto tibi!"

Praecipue in phlegmate, febre, catarrho, interna phlegmona, aut in corruptorum humorum absentia, per Piperis longi, Acori calami, Sinapeos albae et Sinapeos dichotomae sedimenta oleosa et mixturas, per salia fossilia et calidas aquas, medicus identidem usque ad vomitionis signum rem perducat.

Medicus Vangueriae spinosae fructuum et medullae pulverem, decoctione paratum, cum Vangueriae spinosae fructuum infusione; aut Vangueriae spinosae fructibus et medullis effectae aquae spumam, melle conjunctam; aut Vangueriae spinosae fructibus et medullis effectam aquam; aut de aqua Vangueriae spinosae fructibus et medullis effectâ fermentum in inferioris partis haemorrhagia biliosa et in cordis aestuatione: Vangueriae spinosae

fructibus et medullis effectam aquam, lactis naturam ingressam, spumam lactis aut lac coagulatum in phlegmate, destillationibus, vomitu, animi deliquio et moestitia: Vangueriae spinosae fructuum et medullae oleum, Semicarpi anacardii oleum etc., Saccharique officinarum essentiam; aut in solis ardore exsiccatum Vangueriae spinosae fructuum et medullae pulverem cum Celtis orientalis infusione in bile, phlegmatis sedem aggressâ: Vangueriae spinosae fructuum et medullae decoctum; aut Piperis longi et ceterorum praeparatum, ejusque pulverem, Meliae azidaractae aut Rúshikae infusione satiatum, a phlegmate ortos morbos tollentem; aut Vangueriae spinosae fructuum et medullae pulverem cum Bassiae latifoliae, Gmelinae arboreae et Vitis viniferae infusione bibi jubeat.

De Vangueriae spinosae fructibus praeceptum demonstratum est. —

Andropogi serrati florum pulverem, ut supradictum, cum lacte pro adultis aegrotis; cum lacte fermentum oryzae pro pilosis; florem lactis pro non pilosis; spumam lactis pro viride flavis; lac coagulatum aut cum ejus infusione conjunctos spirituosos liquores in aggresso phlegmate, inappetentia, catarrho, anhelitu, ictero et pneumophthisi sumi jubeat medicus. —

Ut Vangueriae spinosae fructuum et medullae usus, sic etiam Echites antidysentericae fructuum praeceptum se habet.

Kr̆itavéd'hanarum quoque hoc praeceptum est.

Cucurbitae amarae (ikshváku) florum pulvis etiam, ut supradictum, cum lacte in catarrho, anhelitu, vomitu et phlegmatis morbis utilis est.

Achyranthis asperae etiam, ut Vangueriae spinosae fructuum et medullae, usus est.

Praecipue vero in veneficio, in induratione glandularum mesentericarum, in ascita, catarrho, anhelitu, in phlegmatis morbis et in aëre (organico) phlegmatis sedem aggresso, Kr̆itavéd'hanae fructuum et Piperis longi, in vomitoriarum substantiarum infusione multipliciter irrigatorum, pulvis cum Nymphaea caerulea etc. datus, odorus, vomitum efficit. Hunc vero pulverem medicus praebeat aegris, dissolutos humores habentibus et usque ad gulam fermento oryzae impletis.

Vomitoriae, alvum ducentes et caput purgantes substantiae sane excellentissimae sunt.

Sunt hic ślokae:

„Vomitoriarum substantiarum adhibendarum regio haec demonstrata est; hac secundum morbos disposita, temporum (stadiorum) potestatem medicus dijudicet. Infusionibus, propriis fluidis, sedimentis oleosis et pulveribus in aqua, linctu et ceteris alimentis vomitiones sapiens efficiat.“

Caput XLIV.

Nunc vero de purgativarum substantiarum effectu dijudicando caput exposituri sumus.

„Solis splendore praediti Convolvuli turpethi albi radix (trivrĭt-tëori) excellentissimum medicamentum est inter radices purgativas; praecipuum est Symplocos racemosa inter cortices; inter fructus Terminalia chebula; inter olea a Ricino communi ortum oleum; in proprio succo Cleome pentaphylla; Euphorbiae antiquorum aqua inter aquas dictum est praecipuum.

Hic praecipuorum purgantium conspectus est. Horum praeceptum traditurus sum convenienter ab initio.

Purgativarum substantiarum fluidis irrigatam magnam Convolvuli turpethi albi radicem, vitia humorum expellentem, pulveratam, sale fossili Zingiberique arido impletam, cum acidis bibat aegrotus aëris morbis vexatus; aut cum Sacchari officinarum praeparatis et mellibus fluidis illam in bilioso morbo cum lacte commixtam bibat; aut cum Menispermi cordifolii, Sapindi saponariae et trium myrobalanorum succo illam radicem, Pipere nigro, longo et arido Zingiberi et urina commixtam, in morbo a phlegmate orto bibat; cum tribus myrobalanis et specie de Pipere nigro, longo et arido Zingiberi conjunctam illam, cum Sacchara officinarum crudo non recente contritam, gustet.

In Prasťha de hujus radicis fluido cum medicus addiderit ejusdem radicis sedimentum oleosum, Kuṅdavae mensuram continens, et sal fossile Zingiberque aridum, Karsham continentia, cum decoxerit, hoc sedimentum factum aegrotus comedat. Hujus sedimenti portio cum Allii sativi dimidia parte, cum sale fossili et cum urina conjuncta bibenda est.

Partes aequales Convolvuli turpethi albi et Zingiberis aridi timorem pellunt. —

Pars dimidia Arecae faufel fructus bene maturati, Embeliae ribis succus, Piper nigrum et Pinus Dévadáru sunt compositio, cum sale fossili et urina conjuncta. Purgativarum substantiarum natura praeditum pulverem in fluido illorum sapiens cum contriverit, cum butyro, ex illa radice confecto, commixtum et rotundum factum hoc adhibendum est in butyro oleoso. In Sacchara officinarum crudo, versato in aheno, cum medicus deposuerit et omnino pulveratum hoc decoxerit, frigidum, tripliciter combinatum deinde cum contriverit, tum compositioni convenientes pilulae efficiendae sunt.

Purgativarum substantiarum pulveris partem completam et dimidiam cum decoctionis quatuor partibus medicus conterat. Cum butyro clarificato, illi addito, hanc decoctionem, calore evaporatam concretamque, in decocto sacchara crudo contritam, praecipitatam, decoctamque, cum intente confecerit, frigidae factae dulcedines suaveolentes faciendae sunt.

Haec sunt breviter decoctorum praecepta.

Horum fluido cum medicus adjunxerit Phaseolos mungones, aqua leguminosa cum sale fossili butyroque clarificato exoptata fit in alvo ducenda; sic etiam cum aliis leguminibus; — porrigat etiam cum vomitoriis medicamentis.

Medicus cum dupliciter saccharum diviserit, obliverit sedimentis oleosis, ex Convolvulo turpetho albo paratis, agitaverit et tinxerit, hoc omnino decoctum, post brevem decoctionem bene refrigeratum, in bilis morbo aegrotus comedat.

Saccharum candidum, Ocymum gratissimum, Mannam Bambusae arundinaceae, Convolvulum paniculatum et Convolvulum turpethum album, aequales scilicet partes, cum melle et butyro clarificato gustet aegrotus pro sitis, aestus et febris sedatione.

Cum Saccharo officinarum et melle conjunctam, Convolvuli turpethi albi pulveres contritos continentem purgationem infantium cum parte corticis et foliorum de Pipere nigro coquat. Hic linctus, sacchari candidi et mellis dimidiam Palam et unam Kuńdavam continens, cum Convolvuli turpethi albi pulvere commixtus et frigidus bilem delens purgatio est.

Convolvulum turpethum album, Convolvulum turpethum floribus nigris, Alkali, Zingiber aridum et Piper longum cum melle sumat aegrotus; — omnium a phlegmate ortorum morborum optimum hoc purgativum remedium est.

A seminosa Terminalia chebula, Gmelina arborea, Phyllantho emblica, Punica granato et Plumbagine zeylanica paratas, cum Sesami orientalis oleo coctas ptisanas, acidis fructibus cum medicus adsperserit, efficiat condensatum, tripliciter suaveolentem, Convolvulo turpetho albo et melle paratum linctum. Hoc phlegmate praeditis juvenibus purgativum medicamentum est.

Indigoferae anil fibra et cortex Elettariae cardamomi, cum his Convolvulus turpethum album et Saccharum candidum sunt pulvis gratus; mel et fructus acidos continens, corruptos tres humores amovet.

Convolvulo turpetho albo, Convolvulo turpetho floribus nigris, sacchari candido, Pipere longo, tribus myrobalanis et melle, scilicet partibus aequalibus, effectae dulcedines corruptos tres humores, sursum turgescentem haemorrhagiam biliosam et febrem delent.

Tres Convolvuli turpethi albi partes, tres myrobalanorum sic aequales partes, cum his Alkali, Piper longum et Embeliam ribem contrita, aegrotus cum dulci butyro clarificato gustet; Saccharo officinarum pilulas confectas et conspersas comedat. Phlegmate et aëre effectas glandularum mesentericarum indurationes, lienis affectiones, ascitam et icterum, aliosque morbos occidit hic solubilis purgativus pulvis.

Convolvulus turpethum floribus nigris, Convolvulus turpethum album, Indigofera anil, Michelia chambaca, Cyperus rotundus, Hedysarum alhagi,

Piper chavya, Echites antidysentericae semen et tres myrobalani cum butyro clarificato, jusculo carnis et aqua sunt potabile purgativum medicamentum. Hoc vero a robustis comprobatur.

Purgativae decoctionis partes frigidae tres et duae sacchari rudis acceptae sunt. Hoc rursus in igne ebulliat. Hoc probate confectum cum medicus dijudicaverit et refrigeraverit, asservari jubeat in hydrea bene confecta.

Duobus anni temporibus, hieme et aestate menseque ultra praeterlapsis, praeparatum fluidum, siceram suaveolentem bibat.

Hoc vero praeceptum etiam in Alkali et urinae siceris locum habet.

In purgativarum radicum decoctione Phaseolos radiatos bene infusos, bene lavatos etiam infusione Oryzae sativae Amaranthos polygamos conterat, singulatimque globos faciat aridos et bene pulveratos, tum Oryzae sativae Amaranthique polygami pulverem in illa infusione calefaciat medicus. Contriti pulveris partes tres, uni fermenti parti admixtas, in spirituosa aqua concoquat. Hoc totum singulatim asservet in hydrea; hoc spirituosos liquores praeparatos aegrotus bibere potest. Hoc vero liquorum spirituosorum praeparatum in vomitibus etiam indicatum est.

Convolvuli turpethi albi et ceterorum, primae classis magnae ad quinque radices pertinentis, et Sansevierae Zeylanicae Śárngast'haeque radices, Euphorbium antiquorum, Acorum calamum album, tres myrobalanos, Ativisham et Acorum calamum medicus recipiat, et haec in partes duas dividat; ex harum una parte faciat decoctum, ex altera vero pulverem. In hoc vero decocto saepius conterat Hordei hexastichi grana. Aridorum horum leniter tostorum tres partes receptae sunt; quartam partem pulverum commemoratam recipiat, et conjiciat in hydrea simul hoc totum immediate, et horum infusione frigida bene unitum priore ratione asservet. Cognoscendum enim est hoc perquam efficax.

Supradictam classem cum medicus assumserit, in duas partes diviserit, harum partem unam contriverit, ei Hordea hexasticha conjunxerit, in fictili deponat.

Odinae pinnatae infusione Hordea hexasticha conspergat, et opus medicus peragat. Haec bene parata cum effecerit, ab herbis medicabilibus separet.

Porro medicus conterat omnino oryzae glumas, priore ratione pensatas, supradictae herbarum medicabilium partis pulverem addat superiore ratione, et cum jusculo pisino in hydrea superiore ratione deponat. Fluidum factum cum medicus cognoverit, oryzae glumarum aquam demonstret.

Oryzae aquae et polentae praeceptum hoc demonstratum est.

Post sex septemve noctes haec potabilia declarata sunt.

In purgativis substantiis Convolvuli turpethi albi radicis praeceptum commemoratum est.

Dantí et Antheri tuberosi radices, praecipue in terrae et aquae medio,

cum Pipere longo et melle conjunctas, perspiratas medicu srecipiat, et exsiccet, tum ad Convolvuli turpethi albi praeceptum adhibeat in phlegmate et bile.

Cum harum radicum sedimentis oleosis et infusionibus quantitatem olei Sesami orientalis concoquat. Butyrum clarificatum (cum illis) coctum extensiones, laterum aestus et ophthalmias devincit; urethritidem gonorrhoicam, indurationem glandularum mesentericarum, aërem, phlegma et ischuriam oleum Sesami orientalis; quadruplex oleum faeces, semen virile et aërem praecludentes morbos.

Pulvis de Dantí, Anethero tuberoso, Pipere nigro, Datura metel, Justicia ganderussa, Zingiberi arido, uvis, Plumbagine zeylanica, urinae admixtis, per septem dies cum butyro clarificato conjungendus est. Hoc purgativum medicamentum in senectute exhilarans mel est, bilis et phlegmatis morbos occidens, indigestionem, laterum morbos, icterum, lienis affectiones et ascitam amovens.

In Sacchari officinarum octo Palis Terminaliae chebulae viginti Palae insint, Dantí et Plumbaginis zeylanicae duo Karshae, Piperis longi et Convolvuli turpethi albi decem. Hos syrupos confectos undecimo die comedat calidam aquam colens. Sine impedimento autem illi vitia humorum occidunt, diarrhoeam, icterum, haemorrhoides et lepram delent.

Speciem de Pipere longo, nigro et Zingibere arido triplicem, Cyperum rotundum, Embeliam ribem et Phyllanthum emblicam, novem scilicet de his aequales partes, de Convolvulo turpetho albo octo partes, comminutas et pulveratas de Dantí partes duas, omnia pulverata et madefacta, medicus misceat. Sex Sacchari officinarum partibus et pauco sale fossili melleque multiplicatum coquat, et tum frigidum fluidum bibi jubeat. Abdominis morbos, sitim, febrem, vomitum, tumores, icterum et vertiginem delet. Sine impedimento hoc totum venena occidens purgativum remedium est.

Convolvuli turpethi albi octo partes habens cibus hic comprobatus est pro aegrotis bile vexatis; cum lacte tanquam fluidum vehiculum pro hominibus bile et phlegmate aegrotantibus, ob cibi formae praestantiam divitibus etiam, tribuatur.

Symploci racemosae corticem externum, interno libro privatum, pulveret; duas partes infusione irriget; tertiam partem, cum illa infusione digestam et aridam factam, cum infusione ex decem radicum classe adhibeat, sicut Convolvulum turpethum album.

Praeceptum de corticibus datum est, de fructibus deinceps tradituri sumus.

Terminaliae chebulae fructus cum ossiculis conjunctus, vitiis privatus, adhibendus est ad Convolvuli turpethi albi praeceptum; omnes morbos amovet, Elixirium vitae est excellens, purum, corrupta in medio vulnera (ulcera) purificans remedium.

Terminalia chebula, Embelia ribes, sal fossile, Zingiber aridum, Convolvulus turpethum album et Piper nigrum, hoc totum cum vaccina urina purgativum medicamentum fit.

Terminalia chebula, Pinus Dévadáru, Costus arabicus, Arecae faufel fructus, sal fossile et Zingiber officinale, cum vaccina urina purgativum medicamentum fit.

Indigoferae anil, Zingiberis aridi et Terminaliae citrinae fructuum pulverem gustet homo cum Saccharo officinarum; postea aquam calidam bibat.

Cum Piperis longi et cet. infusione bibat contritam Terminaliam chebulam. Cum sale fossili praeparata semper haec compositio alvum evacuat.

Terminalia chebula, cocta cum Zingiberi arido aut Saccharo officinarum, virtute sua ignem (digestionem) incendit, aërem corrigit, irritat, sensibus inservit et voluptatibus effectos morbos plerumque occidit Terminalia chebula.

Refrigeratoria Phyllanthus emblica et aspera est, bilem, adipem, et phlegma occidit.

Terminalia belerica vero non calida est, phlegma et bilem delet.

Tres gustus, acidum, adstringens et dulcamarum habent tres myrobalani, omnes morbos occidunt tribus butyri clarificati partibus mixti, aetatis stabilimentum etiam efficere possunt semper honerati.

Ad Terminaliae chebulae praeceptum fructus adhibeat medicus.

Omnia purgativa medicamenta, praecipue de Cassia fistula fructum, suo tempore collectum, in arena asservari medicus jubeat. Per septem dies in solis ardore hoc fructu siccato, pulpam eximat. Oleum Sesami orientalis adsumendum est. Coctum hoc in aqua, et Sesami orientalis instar expressum, pro infantibus usque annum duodecimum adhibendum est.

Gustet aegrotus cum Ricini communis oleo Costum arabicum, cum specie de Pipere longo, nigro et Zingiberi arido commixtum, et gratam aquam post bibat. Haec compositio alvum purgare potest.

Olei Ricini communis potus, cum duplici trium myrobalanorum decocto, cum lacte etiam et cum aqua conjunctus, alvum purgare potest; pro infantibus, senibus, vulneratis et emaciatis juvenibus applicatur.

Fructuum praeceptum traditum est; nunc succorum audi, *Suśruta!*

Purgativarum substantiarum acrium succus palatium eximium cognitus est. Inscienter adhibitus ille occidit, sicut venenum, ob functionum perturbationem; a perito autem medico adhibitus magnam vitiorum humorum multitudinem celeriter rescindit et morbos perniciosiores occidit.

Solani melongenae, ad quinas radices pertinentis, et Solani jacquini infusionibus ad superiorem rationem simpliciter et singulatim cum acidis et cet.

paranda est aqua Euphorbiae antiquorum, aequales partes continens, prunis evaporata, et commixta cum Plumbagine zeylanica.

Flavis oryzae granis paratus potus fermentatus alvum celeriter purgat, cum Saccharo officinarum paratus; aut linctus effectus omnino Euphorbiae antiquorum lacte; aut digesta cum Euphorbiae antiquorum lacte grana Piperis longi, cum sale fossili conjuncta; aut pulvis Kámpillae, ex hoc potus, et pilulae.

Jasminum zambac floribus multiplicatis, Andropogon aciculatum, Dantím, Convolvulum turpethum album et Cassiam fistulam vaccarum urinâ medicus humectet, deinceps per septem dies in Euphorbiae antiquorum lacte collocatum sertum et pannum illo ipso pulvere adoret et operiat; hoc omnino tener stomachus purgatur.

Praeceptis succorum, corticum, fructuum et radicum traditis, morbos et cet. intuitus medicus convenienter sanet.

Convolvuli turpethi albi Śáńas tres pensatos, tresque a trium myrobalanorum corticibus, Embeliae ribis, Piperis longi et Alkali Śáńas tres pulveratos aegrotus gustet cum butyro clarificato et melle, aut syrupum cum Saccharo officinarum comedat. Non vituperatum hoc optimum purgativum medicamentum est; indurationem glandularum mesentericarum, lienis affectiones, ascitam, catarrhum, icterum, inappetentiam, et a phlegmate aëreque ortos alios morbos hoc in ordinem redigit.

In butyris clarificatis, oleis, aquis, vinis, urinis, succis, esculentis cibis et linctibus purgativa medicamenta medicus acri ingenio praeditus porrigat.

Lac succus, sedimentum oleosum, infusio, decoctum refrigeratum et pulvis, — haec medicamentorum praecepta sex, revera summe levia, — demonstrata sunt."

Caput XLV.

Nunc vero de fluidarum substantiarum doctrina caput exposituri sumus.

Aqua aërea, inexplicabili gustu praedita, immortalis, vivifica, voluptatis sustentans, bonam respirationem generans, lassitudinem occidens, defatigationem, sitim, stuporem, animi deliquium, relaxationem, somnolentiam et aestum placans, omnino optima, etiam regalis est. — Varium gustum adipiscitur aqua ob locorum differentiam in fluminibus, fluviis, lacubus, stagnis, piscinis, fontibus, fonticulis, rivis, eruptionibus, effusionibus, cisternis, paludibus et ceteris locis. Porro in rubris, fuscis, pallidis, flavis, nigris et albis terrae regionibus dulces, acidae, salinae, pungentes, amarae et adstringentes secundum rationem, aquae oriuntur.

Quidam vero hoc non ita omnino esse dicunt.

Terrae et cet. mutua inhabitatione effectus est aquae gustus, multa abrumpendo.

In terra propriae qualitatis plenissima gustum acidum et salinum aqua habet; in terra aquae qualitatis plenissima dulcem; in terra ignis qualitatis plenissima pungentem et amarum; in terra aëris qualitatis plenissima adstringentem; in terra aetheris qualitatis plenissima gustum indistinctum aqua habet: aether enim indistinctus est. Itaque ejus naturam habet, ob indistinctum gustum, aqua ex aëre sumta.

Porro aërea aqua quadruplex est hoc modo: pluviatilis, nivea, a nebulis orta, a pruinis orta.

Harum aquarum pluviatilis natura ob levitatem denuo duplex est, Gangetica (fluvialis) et marina.

Gangetica aqua semtembri et octobri plerumque depluit. Harum duarum aquarum experimentum medicus instituat.

Oryzae sativae jusculi quantitatem non putrefactam, non combustam, argenteo vase asservatam, depluente nube deportet medicus. Hoc oryzae jusculum si per Muhúrttam constitit tale, tum Gangetica aqua cadit. Sic haec cognoscenda est. — Coloris mutatione praedito oryzae coctae humore, marinam aquam esse medicus cognoscat. Haec non sumenda est. — Marina quoque aqua, septembri et octobri hausta, sicut Gangetica fit. — Gangeticam aquam rursus praecipuam, hanc septembri et octobri, in puro, albo expansoque panno in unum locum derivatam hauriat, aut a domus superficie delapsam, et aliis puris vasis receptam, in aureo, argenteo terreove vase deponat. Hanc aquam per omne tempus adhibeat; hac vero deficiente, terrestrem.

Ipsa aethereae qualitatis plena aqua iterum septemplex est hoc modo: putealis, fluvialis, stagnatilis, cisternina, rivalis, erumpens, scaturiens.

Mensibus pluviis aëream aut erumpentem aquam anteponat ob eximiam qualitatem; autumno quamcunque aquam ob pelluciditatem; hiem estagnatilem vel cisterninam; vere putealem rivalemve; aestate sic pariter; tempore pluvio scaturientem, ne recentem, neve pluentem quamcunque.

„Qui in aquam, vermibus, urina, faecibus, ovis, cadaveribus, perturbationeque corruptam, et cum graminibus, foliis et granis commixtam se submergit, aut etiam recentem aquam bibit, is externos et internos morbos celeriter nanciscitur.“

Porro quae aqua Valisneriâ octandra, limo, Pistia stratiota, graminibus, Nelumbii speciosi foliis et ceteris obtecta, lunae solisque radiis et ventis non culta, et odore, colore liquiditateque privata est, eam interfectam esse medicus sciat. Ab hujus aquae contactu, forma, gustu, odore, robore, et maturitate, sex vitia oriuntur.

Ibi acritudo, lentitudo, aestus et dentium hebetudo sunt contactus vitia.

Limus, arena, Valisneria octandra et multiplex color sunt formae vitia.

Distinctus sapor est gustus vitium.

Ingratus odor est odoris vitium.

Quae aqua adhibita sitim, gravitatem, tormina, phlegma et destillationem adducit, ea roboris vitium habet.

Quae aqua adhibita diu coquitur et consistit, ea coctionis (digestionis) vitium habet.

Haec vero vitia in aërea aqua non sunt.

Interfectarum (corruptarum) aquarum decoctio igne, solis ardore calefactio, calefactio ferro et arenae cumulo, aut accumulatarum diffusio et purificatio, et Rottleriae tinctoriae, Micheliae champacae, Nymphaeae caeruleae et Bignoniae suaveolentis floribus et cet. suffitio efficienda est.

„In aureo, argenteo et cupreo vase, aut urceolo terreo bibi debet floribus redimita suaveolens aqua.

Quaé aqua corrupta aut anni tempori non consentanea est, semper evitari debet; vitia humorum enim generat illa; nec vero haec insalubris sumi debet. Qui vero corruptam et imperfectam aquam bibit, is tumorem, icterum, cutis vitia, indigestionem, anhelitum, catarrhum, tussim, tormina, indurationem glandularum mesentericarum, ascitam, aut alios similes morbos celeriter nanciscitur."

Hic septem purgamina sunt hoc modo:

Strychnos potatorum, Topazius (?), Nymphaeae odoratae fibrae, Ganthiala, Valisneriae octandrae radix, pannus et soluta margarita.

Quinque praecipitationes sunt hoc modo:

Mesua ferrea, Tryashťaka, Sacchari munjae filum, aquosa Mańchiká et funis.

Septem frigefactiones sunt: perflatus receptaculi, aquae injectus, lacus oscillatio, ventilatio, pannorum extractio, Nymphaeae loti radicum injectus et funis demissio.

„Inodora, indistincto gustu praedita, sitim occidens, clara, frigida, pellucida, levis et grata aqua bona qualitate praedita esse dicitur."

Porro fluvii ad occidentem vultum (cursum) convertentes salubres sunt ob aquarum levitatem; ad orientem vero vultum convertentes non laudantur ob aquarum gravitatem; ad meridiem vultum convertentes non valde vitiosi sunt ob eorum universalem indolem.

Deinceps fluvii in Sahya orti, lepram generant; in Vind'hya orti, lepram icterumque; in Malaya orti, vermes; in Mahéndra orti, elephantiasin et abdominis tumores; in Himavato orti, morbos cordis, tumores, capitis dolores, elephantiasin et colli glandularum tumores; orientales occidentalesque, haemorrhoides generant; in Páripátra monte orti, salubres, fortes et valetudinem efficientes sunt.

„Fluvii velociter currentes leves appellati sunt, sicque clara aqua praediti; graves sunt Vallisneria octandra obtecti, turbidi, languide procedentes, plerumque fluvii in desertis.

Amari, sale fossili praediti, paululum adstringentes, dulces, leves et maturati fluvii pro corpore salubres sunt."

Omnium terrenarum aquarum apportatio mane fiat; hoc tempore enim puritas et eximium frigus est, quod aquarum praecipua qualitas est.

„Subdiu solis splendoribus culta aqua, noctu lunae radiis mitigata, non destillata, atmosphaericae aquae similis est.

Aqua atmosphaerica trium humorum vitia occidens; sumta in bono vase valida, Elixirium vitae, purificans; in patera reputata est porro Rakshas occidens; frigida aqua grata est, febres, aestus et venenum delet.

Lunae radiis orta aqua bilem occidit et pellucida commemorata est. In lipothymia, bile, calore et aestu, in veneficio, in sanguine morbis vitiato, in vertigine et fatigatione affectis aegrotis, in caecitate, vomitu, et in haemorrhagia biliosa, sursum eunte, frigida aqua comprobata est.

In laterum dolore, catarrho, tympanita, gutturis affectione, borborygmo, in madida lepra statim purificata, recente febre, singultu et in muco flavo frigidam aquam derelinquat.

Fluviatilis aqua aërea, aspera, clara, levis et vomitoria est; haec destillata, dulcis, densa gravisque est, et phlegma sitimque occidit.

Stagnatilis aqua valida, adstringens, dulcis et levis est.

Cisternina aqua aërea, suavis, adstringens, pungens coctaque est, aërem et phlegma rapit.

Diffusa aqua alkalinosa, pungens et biliosa est.

Alkalinosa aqua biliosa est.

Putealis aqua phlegma occidit, calefacit et levis est.

Scaturiens aqua calorem efficit, aspera et dulcis est, phlegma efficit, neque vero phlegma occidit, calefacit, grata et levis est.

A rivis orta aqua dulcis est, bilem sedat, non aestuat, et erumpens commemorata est.

Fontana aqua pungens, alkalinosa, phlegma occidens, levis et calefaciens est.

Agrestis aqua, dulcis declarata, in indigestione gravis et vitiosa est. Aeque vitiosa aqua palustris praecipue demonstrata est.

Marina aqua crudae carnis odorem habet, salina est, omnium humorum vitia efficit.

Multipliciter vitiosa est humida aqua destillata, contempta.

His vitiis non subjecta, sed emendata, cruda per coctionem perusta, sitim occidens, comprobata, voluptatem augens, calefaciens et suavis aqua est.

Frigida aqua conservans et levis est; phlegmatis, adipis et aëris mor-

bos occidens, calefaciens, abdomen purgans, anhelitum, catarrhum et febrem auferens, semper idonea calida aqua est, quae cocta, non agitata, despumata, clara et levis est.

In quatuor partes divisa aqua qualitate bona praedita est. Neque combusta unquam danda est aqua a docto medico.

In morbo, a vini potatione orto, a bile orto, et a trium humorum perturbatione orto, cocta et refrigerata aqua comprobatur.

Frigida aqua grata, suavis et jucunda est; calefacta abdomen purgat.

Diffusa aqua bilem et sitim occidit. Humidae terrae aqua gravis est. In aegrotis diarrhoea, bile, sanguine, animi deliquio, sopore et veneno vexatis, cocta et refrigerata aqua comprobata est. — In siti, vomitu, et vertigine, in inappetentia, tussi, destillatione, tumore, phthisi, tarda digestione, inflatione, lepra, febre, oculorum morbo, in ulcere (vulnere) et diabeta mellita bibendam aquam tepidam medicus curet."

Sic aquarum classis. —

„Vaccinum lac, camelinum, ovillum, bubalinum, equinum, maternum, et elephantinum, variarum plantarum succis perfectum, vitalitatem tribuit, leve, dulce, glutinosum, frigidum, gratum, molle, flore lactis praeditum et mite est. Omnium igitur animam ducentium (animalium) proprium lac hic indicatur."

Omne autem animalium lac invetitum est ob producendi naturam; in aëris, bilis, sanguinis et mentis morbis non prohibitum est; senectutem, febrem, catarrhum, anhelitum, tabem, phthisin, indurationem glandularum mesentéricarum, stuporem, abdominis tumorem, lipothymiam, dementiam, aestum, sitim, cordis et abdominis morbos, icterum, dysenteriam, vitia trium humorum, haemorrhoides, colicam, flatulescentiam, diarrhoeam, profusionem alvi, genitalium morbos, abortum, haemorrhagiam biliosam, lassitudinem et devatigationem amovens, vitia delens, validum, irritans, stimulans, elixirium vitae, sacrificale, sustentans, stabiliens, aetatem stabiliens, vitae durationem efficiens, vivificum, nutriens, vomitorium et purgativum est. Ob talem bonam qualitatem lac vitalitatem auget, et infantibus, senibus, vulneratis, emaciatisque, sternutamento, coitu, et defatigatione debilitatis, convenientissimum est.

„Vaccinum lac non destillatum, gratum, grave, elixirium vitae, haemorrhagiam biliosam amovens, frigidum, dulce in gustu et coctione, vivificum, aërem et bilem occidens et praecipuum commemoratum est.

Vaccino lacti similibus qualitatibus praeditum est caprinum lac, praecipue exsiccatis hominibus salubre, calefaciens, leve, dysenteriae utile, anhelitum, catarrhum, sanguinem et bilem amovens, ob caprarum parvam corpulentiam, ob utilitatem in pungente et amaro gustu, ob moderatam aquae potationem et ob defatigationem omnes morbos amovet. — Asperum, combustum et paululum salinum est camelinum lac, suavi gustu praeditum, leve, tumo-

res, indurationes glandularum mesentericarum, intumescentiam abdominis et haemorrhoides occidens, vermes, lepram et venenum delens.

Ovillum lac est dulce, gratum, grave, bilem et phlegma amovens, idoneum in quibuscunque rheumatismis, in catarrho et in aëris existentia.

Perquam destillatum et dulce est lac bubalinum, ignem extinguens, somnum faciens, frigus faciens, vaccino lacte suavius, grave.

Calidum est equinum lac, validum, brachiorum rheumatismum amovens, dulcacido gustu praeditum, asperum, salso sapore instructum et leve.

Matris vero lac est dulce, adstringente sapore praeditum, frigidum, nasi septo idoneum, vivificum, leve, calefaciens.

Lac elephantis est dulce, irritans, adstringente sapore praeditum, grave, gratum, firmitatem efficiens, frigidum, oculis idoneum et vires augens. —

In universum lac excellens est, grave, stabiliens, et refrigerans noctu ob lunae qualitatem et laborum absentiam; subdiu post hominum, sole combustorum, labores et aërem rheumatismo utile, defatigationem occidens et oculis utile est; pomeridianum lac destillatum, grave et crudum in universum commemoratum est. Hoc (pomeridianum lac) etiam levius appellatum est, non destillatum.

Matris lac, omissa coctione, crudum etiam salubre est.

Lac, calorem gerens, virtute praeditum est; contrarium vero aliter se habet. Lac vero nimis coctum omne grave est et nutriens appellatur.

Quod lac non optato odore praeditum, acidum, decolor, et malo sapori subjectum, salsum et dissolutum est, relinquendum est.“

Sic lactis classis. —

Lac coagulatum vero dulce, acidum et nimis acidum est. Id adstringentem gustum habet, gratum et calidum est, corpulentiam, difficiles febres, diarrhoeam, inappetentiam, stranguriam et debilitationem amovet, irritat, respirationem efficit et prosperum est.

„Lac coagulatum dulce perquam destillatum est, phlegma et adipem auget; phlegma et bilem facit acidum; nimis acidum sanguinem violat.

Crudum (lac coagulatum) multas faeces et urinam continet, defatigationem generat, trium humorum vitia efficit.

Gratum in coctione, dulce, calefaciens, vires augens, aërem delens, purumque est lac coagulatum vaccinum, appetitum dans.

Lac coagulatum caprinum phlegma et bilem delet, leve est, aërem et phthisin amovet, in haemorrhoidibus, anhelitu et catarrho salubre est, ob suum ignem calefacit.

In coctione dulce, irritans, aërem et bilem corrigens, phlegma augens, et praecipue gratum est lac coagulatum bubalinum.

In coctione pungens, alkalinosum, grave et separans est camelinum lac coagulatum.

Aërem, haemorrhoides, lepras et vermes, tumores abdominis, phlegmati et aëri subjectorum haemorrhoicorum irritationem ovillum lac coagulatum occidit.

In gustu coctioneque dulce, perquam destillatum, vitia humorum efficiens, calefaciens, non oculis utile est equinum lac coagulatum, ventosum, asperum, acidum, adstringens, phlegma et urinam amovens.

Gratum, in coctione dulce, validum, exhilarans, grave, oculis idoneum, praecipuum et vitia humorum delens est lac coagulatum matris, qualitate excellentissimum.

Leve in coctione, phlegma occidens, vires calefaciens, coctionem extinguens et adstringente gustu praeditum est elephantinum lac coagulatum, faeces augens. —

Quae lactis genera, vaccinum et subsequentia, singulatim hic demonstrata sunt, in his omnibus lac vaccinum qualitate excellentissimum dijudicandum est, aërem scilicet delet, phlegma facit, gratum et nutriens est, neque vero bilem efficit.

Facere potest ciborum adpetentiam lac coagulatum, quod bene destillatum est.

Quod vero (lac coagulatum) a cocto lacte ortum est, hoc bono qualitate praeditum esse commemoratum est.

Lac coagulatum aërem et bilem rapiens, appetitum faciens, corporis elementa (d'hátu), calorem et vires augens est.

Sustentans flos lactis, gravis et irritans dignoscendus est, aëremque delens.

Lac coagulatum vero, flore privatum, asperum est, in diarrhoea utile, stabiliens, aërem continens, calefaciens, levius, adstringens et appetitum dans. —

Autumno, aestate et vere plerumque lac coagulatum spretum est; prima extremaque hieme et pluvialibus anni temporibus lac coagulatum laudatur.

Sitim et lassitudinem amovens est serum lactis, leve est, sensuum organa purificat, acidum, adstringens et dulce est, non irritat, phlegma et aërem pellit, exhilarat delectatque, semen virile producit et veneratam cupidinem efficit.

Lac coagulatum suave, acidum, perquam acidum, inspissatum, cocti lactis natura praeditum est, florem lactis habet et flore privatum est.

Septifariam in hac classe commemoratae sunt seri lactis qualitates."

Sic lactis coagulati classis. —

Lac ebutyratum dulce est, acidum, adstringente sapore praeditum, calidum et validum, leve, asperum, ignem (digestionem) incendens, intoxicationem, tumores, dysenteriam, diarrhoeam, icterum, haemorrhoides, lienis affectiones, indurationem glandularum mesentericarum, inappetentiam, venenum, febrem, sitim, vomitum, destillationem, colicam, adipem, phlegma et

aërem amovens, dulce in coctione, gratum, stranguriam, pinguedinisque morbos sedans et non stimulans.

„Quod agitationibus et ceteris singulatim unguinosum factum est, dimidium vero quod habet, non nimis densum aut fluidum est, lac ebutyratum appellatur, et dulacidum adstringensque in gustu est. Quod vero unguinosum et adiposum agitatum est, G'hola appellatur.

Lac ebutyratum ne vulnerato detur, ne in calido stadio, ne in invalido, ne in lipothymia, vertigine et aestu, ne in morbo haemorrhagico bilioso. In frigido stadio, in ignis torpore, in morbis a phlegmate ortis, in viarum obstructione, in vitiato aëre lac ebutyratum laudatur."

Lac ebutyratum porro dulce, phlegma irritans et bilem sedans; acidum vero aërem occidens et bilem faciens est.

„In aëre (organico) acidum et sale fossili praeditum; in bile dulce, saccharatum bibat aegrotus lac ebutyratum; in phlegmate cum Pipere longo, nigro, Zingiberi et Alkali conjunctum.

Corripiens, ventosum, asperum et aegre senescens est lactis ebutyrati coagulum. Lacte ebutyrato levior est spuma, a coagulo, lacte coagulato et lacte ebutyrato orta. Grave lac inspissatum, aërem delens, semen virile et somnum dans commemoratum est. Lac septem dies stans, et lac per septem dies post vituli partum, dulce, nutriens et irritans est."

Porro butyrum recens leve, mite, dulce, adstringens, paululum acidum, refrigerans, sacrificale, calefaciens, gratum, volatile, bilem et aërem amovens, irritans, non aestuans, phthisin, catarrhum, anhelitum, ulcera (vulnera), haemorrhoides et hemiplegiam delens, grave phlegma et adipem augens, vires efficiens, nutriens, pneumophthisin occidens, praecipue infantibus idoneum est.

A lacte ortum butyrum recens porro excellens et gratum, dulcedine praeditum et perquam frigidum est, juventutem efficiens, oculis idoneum, corripiens, haemorrhagiam biliosam et oculorum morbos amovens, placans.

Flos lactis porro aërem occidens, exhilarans, efficax, stimulans, gratus, appetitum efficiens, dulcis, dulcis in coctione, haemorrhagiam biliosam placans et gravis est.

„Classis haec, lac coagulatum et cetera continens, lac vaccinum quippe optimum sistens, descripta est; reliquas vero classes post lactis efficaciam medicus demonstret."

Nunc butyrum clarificatum.

Butyrum clarificatum vero est placidum, frigidum, efficax, mite, dulce, paululum destillatum, unguinosum, aquam, vertiginem, stuporem, epilepsiam, colicam, febres, urinae suppressionem, aërem, bilem sedans, ignem (digestionem) incendens, memoriam, mentem, intelligentiam, splendorem, claram vocem, pulchritudinem, juventutem, vitalitatem, lumen vitale et robur efficiens,

longaevitatem producens, stimulans, sacrificale, aetatem stabiliens, grave, oculis idoneum, phlegma augens, peccata in Lakshmim diluens, venenum tollens et Rakshas occidens.

„In coctione dulce, frigidum, aërem, bilem et venenum delens, oculis idoneum, excellens et roborans est vaccinum butyrum clarificatum, qualitate eximium.

Caprinum butyrum clarificatum calefaciens, oculis idoneum, vires augens, in catarrho, anhelitu, phthisique salubre, in coctioneque hoc leve est.

Dulce, haemorrhagiam biliosam occidens, grave in coctione, phlegma delens, aërem et bilem sedans et valde refrigerans est bubalinum butyrum clarificatum.

Camelinum pungente sapore praeditum est in coctione, tumores, vermes et venenum delens, calefaciens, phlegma et aërem occidens, lepram, indurationem glandularum mesentericarum et abdominis intumescentiam delens.

In coctione leve est ovillum butyrum clarificatum, bilem irritans, in phlegmate, aëre, uteri vitio, pneumophthisi et tremore salubre.

In coctione leve, calidum et roborans, adstringens, phlegma extinguens, calefaciens et diureticum sciat medicus solidipedum butyrum clarificatum.

Oculis salubre et excellens est feminarum humanarum butyrum clarificatum, ambrosiae simile, incrementum efficit in corpore et igne (digestione), leve in coctione et venenum tollens est.

Adstringens, pellens faeces et urinam, amarum, ignem (digestionem) efficiens et leve est elephantinum butyrum clarificatum, phlegma, lepram, venenum et vermes occidit.“

Porro lactis butyrum clarificatum prehendens, haemorrhagiam biliosam, vertiginem et lipothymiam sedans et oculorum morbis salubre est.

Butyri clarificati essentia dulcis flos lactis est pro utero, auribus, oculis et vasis, colicam occidit, in abdominis, nasi et oculorum implementis indicatur.

Butyrum clarificatum vetus flos lactis est, pungens in coctione, trium humorum vitia tollens, lipothymiam, adipem, stuporem, abdominis tumorem, febrem, veneficium, intumescentiam, epilepsiam, uteri, aurium, oculorum, et capitis dolores occidens, calefaciens, in abdominis, nasi et oculorum implementis indicatur.

Sunt hic ślokae:

„Vetus butyrum clarificatum caecitatem, anhelitum, tussim, febrem et catarrhum amovet, lipothymiam, lepram, venenum, stuporem, impetum, et epilepsiam delet. Undecies centum annos coctum butyrum clarificatum Rakshas occidit.

Daemoniacum butyrum clarificatum permagnum butyrum est. Bibendum est magnum butyrum malis spiritibus, ventos excedentibus; phlegma

occidens, validum, sacratum, sacrificale, praecipue caecitatem extinguens et omnes malos spiritus amovens hoc butyrum clarificatum laudatur."

Nunc olea.

Oleum vero igneum, calidum, acre, dulce, dulce in coctione, nutriens, exhilarans, stimulans, subtile, pellucidum, grave, mobile, se expandens, irritans, cutem purificans, animi mansuetudinem, carnis firmitatem et coloris robur efficiens, oculis idoneum, pellens urinam, vomitorium, amaro et adstringente sapore praeditum, maturans, aëris et phlegmatis interitum parans, vermes occidens, non frigidam bilem generans, vulvae, capitis et aurium dolores sedans, uterum et stomachum purgans; sic pro scissis, fissis, perforatis, contusis, casis, commotis, vulneratis, caesis, fractis, dilaceratis, lixivio caustico et cauterio actuali combustis, ustis, disjunctis, dissectis, perculsis, male fractis, ab Antelopis et Serpentibus morsis et ceteris aegrotis in adspersionibus, inunctionibus et lavationibus, Sesami orientalis oleum laudatur.

„Hoc (oleum) in abdominis affectionibus, in respiratione nasali atque in aurium et oculorum implemento, in cibi et potus praecepto, adhibendum est pro aëris sedatione."

Ricini communis oleum est dulce, calidum, acre, calefaciens, pungente et adstringente sapore praeditum, subtile, sensuum organa purificans, cuti idoneum, stimulans, dulce in coctione, aetatem stabiliens, uterum et semen virile purgans, sanitatem, intelligentiam, pulchritudinem, memoriam et robur faciens, aërem et phlegma amovens, inferiorum partium vitia amovens.

Meliae azidaractae, lini usitatissimi, Carthami tinctoriae, Raphani sativi, Andropogonis serrati, Whrighteae antidysentericae, G'hoshae floribus albis, Asclepiadis giganteae, Convolvuli turpethi albi, Buteae frondosae, Alpiniae cardamomi, Salvadorae persicae, Galedupae arboreae, Terminaliae catappae, Morungae guilandinae, Sinapeos dichotomae, Lini utilatissimi, Embeliae ribis et Cardiospermi halicacabi fructuum olea sunt acria, levia, calida, et valida, pungentia, pungentia in coctione, spirituosa, aërem, phlegma, vermes, lepram, urinae affectiones et capitis morbos amoventia.

„Aërem occidens et dulce est in his oleum lini, vim extinguens, pungens in coctione, oculis non idoneum, gratum, calidum, grave et biliosum.

Vermes occidens est Sinapeos dichotomae oleum, pruriginem et lepram delens, leve, phlegma, adipem aëremque amovens, vomitorium, pungens et calefaciens.

Vermes occidens est Terminaliae catappae oleum, subamarum, leve, leprae morbum et vermes amovens, visum, semen virile et robur delens.

In coctione pungens est oleum Carthami tinctorii, omnium humorum vitia efficiens, haemorrhagiam biliosam efficiens, acre, oculis non idoneum et comburens."

Gentianae cheraytae, Dalbergiae oujeiniensis, Terminaliae belericae, Cocos

nuciferae, Plumbaginis zeylanicae, Crotonis moluccani, Celtis orientalis, Chirojiae sapidae, Bauhiniae variegatae, Cleomae viscosae, Cucumeris sativi, Cucumeris utilatissimi, Kushmáńdae et ceterorum olea sunt dulcia, dulcia et valida in coctione, aërem et bilem sedantia, refrigerantem vim habentia, destillata, faeces urinamque pellentia et ignem recipientia.

Bassiae latifoliae, Gmelinae arboreae et Buteae frondosae olea sunt dulcia et adstringentia, phlegma et bilem sedantia.

Cytisi cajan, et Semicarpi anacardii olea sunt calida, dulcia et adstringentia, amaro sapore praedita, aërem, phlegma, lepram, adipem, urinae affectus vermesque tollentia, et a duobus lateribus vitia humorum tollentia.

Pinus longifoliae, Pinus Dévadáru, Gańdírae et Dalbergiae sisu unguenta sunt gravia et excellentia, amara, pungentia et adstringentia, vitiata vulnera (ulcera) purgantia, vermes, phlegma, lepram et aërem tollentia.

Cucurbitae lagenaris ovorum, Mangiferae indicae, Dantí, Antheri tuberosi, Convolvuli turpethi floribus nigris, Jasmini zambac floribus multiplicatis, Nyctanthis arboris tristis, Convolvuli turpethi albi et Andropogi aciculati unguenta sunt amara, pungentia et adstringentia, inferiorum partium vitia tollentia, vermes, phlegma, lepram et aërem tollentia et vitiata vulnera (ulcera) purgantia.

Hordei hexastichi oleum est amarum, omnia humorum vitia sedans, subamarum, ignem (digestionem) incendens, vomitorium, sacrificale, salubre et elixirium vitae.

Aekaishikae oleum est dulce, perfrigidum, bilem tollens, aërem irritans et phlegma augens.

Sahakárae oleum est subamarum, nimis suaveolens, aërem et phlegma amovens, asperum, dulce et adstringens, succosum, non nimis bilem faciens.

„Quaepiam olea a fructibus orta, quae non indicata sunt, fructuum qualitatibus et actionibus cognitis, fructibus similia medicus explicet. Quot stabilia unguenta sunt, compendiose demonstrata sunt; omnia oleorum qualitatibus praedita cognoscenda sunt, omniaque aërem delentia. Prae omnibus autem oleis Sesami orientalis oleum laudatur. Ex conclusione et oleorum qualitate, olei Sesami orientalis qualitas etiam in aliis oleis est.

Porcorum bubalorumque axungiae, adipes et medullae sunt graves, calidae et dulces, aërem occidentes; perdicum, solidipedum, carnivororum et ceterorum sunt leves, frigidae et adstringentes, haemorrhagiam biliosam occidentes; falconum et avium sunt phlegma occidentes.

Porro butyra clarificata, olea, axungiae, adipes et medullae sunt ultra modum gravia in coctione, aëremque tollentia.

Nunc mellis classis.

Mel vero dulce est, adstringente sapore praeditum, asperum, frigidum, ignem (digestionem) incendens, auricolor, roborans, leve, lene, vomitorium,

gratum, destillans, purificans, conturbans, stimulans, prehendens, oculis inserviens, subtiles vias penetrans, bilem, phlegma, adipem, urethritidem gonorrhoicam, singultum, anhelitum, catarrhum, dysenteriam, vomitum, sitim, vermes, venenumque sedans, delectans et trium humorum vitia sedans. Hoc (mel) vero ob levitatem phlegma occidit, ob liquiditatem, dulcedinem et adstringentem naturam aërem et bilem occidit.

„Mel pallidum, mel a magnis nigris apibus, mel a parvis apibus, mel cuprino colore, mel ab Anetho sowa, mel litabile, mel a Cordia latifolia, mel a foliis, — sic octo sunt mellis genera.

Praecipue mel pallidum in his asperum et calidum est ob venenosam apum stirpem, aërem, sanguinem et bilem faciens, divellens, urens, veneficium efficiens et dulce.

Ob liquiditatem gratum, ob quantitatem grave appellatum est mel a magnis nigris apibus.

Mel a parvis apibus praecipue cognoscendum est frigidum, leve et vomitorium.

Illo levius mel cuprino colore, asperum et praecipuum commemoratum est; in anhelitu et ceteris morbis hoc praecipue laudatum est.

Dulce in coctione, grave, frigidum, fluidum, haemorrhagiam biliosam vincens, lepram, urethritidem gonorrhoicam et vermes amovens cognosci debet mel ab Anetho sowa, qualitate optimum.

Mel litabile est dulce, maxime oculis idoneum, phlegma et bilem amovens, eximium, adstringens, pungens in coctione, validum, amarum, non aërem faciens.

Mel a Cordia latifolia ciborum appetentiam faciens, maxime excellens, lepram et venenum delens, adstringens, calidum, acidum, bilem faciens, et pungens in coctione est.

Vomitum et urethritidem gonorrhoicam sedans, dulce et asperum est mel a foliis ortum, nutriensque. Dulce est recens, non nimis phlegma amovens, volatile, adipem et corpulentiam delens, prehendens; vetus nimis vomitorium est; trium humorum vitia amovet coctum; crudum trium humorum vitia facit.

Mel, conjunctum cum variis compositionibus, occidere potest morbos multos; ob multarum substantiarum naturam alkalinosum, eximium et dulce est."

Mel vero nectariorum, variis substantiis, saporibus, qualitatibus, viribus et coctionibus corruptorum, ob venenosarum apum indolem, non calidum adhibendum est.

„A caloribus custodiatur omne venenosum mel; id calore vexatum per calores aut in calore occidit, sicut venenum.

Mel ob lenitatem, ob frigus variarum herbarum, et ob saporum qualitatem a caloribus praecipue custodiatur, pariterque ab aëre et aquâ.

Mel, calore praeditum, in vomitibus adhibitum, ob cruditatem et mobilitatem ne custodiatur superiore ratione.

Mellis morbo vehementior alius morbosus dolor non existit; ob perversam praxin mel quemque occidit, sicut venenum."

Nunc saccharorum classis.

Sacchara sunt dulcia, dulcia in coctione, gravia, frigida, grata, valida, irritantia, diuretica, haemorrhagiam biliosam sedantia, vermes et phlegma efficientia.

Sacchara sunt multigena hoc modo:

„Saccharum rubrum, sylvaticum, grande, Śataporakum, saccharum, ligneum saccharum, aculeatorum foliorum saccharum, Nepalense saccharum, longis foliis saccharum, Nîlaporakum, globulos formans saccharum. — Sic haec genera. —

Post enumerationem (generum) qualitates dicturus sum ulterius.

Perfrigidum, dulce, gratum, nutriens, phlegmaticum, solubile, non aestuosum, grave et stimulans est saccharum rubrum et sylvaticum. His duobus similem qualitatem habet saccharum grande, aliquantumque alkalinosum creditum est.

Sicut grande saccharum Śatapora aliquantum calidum est. Hoc aëris occisor est.

Saccharum rubicundum et devotorum saccharum sacchari grandis qualitatibus praedita credita sunt. Aequalem vero qualitatem habet ligneum saccharum. Hoc vero aërem irritat.

Aculeatorum foleorum saccharum, Nîlapora, Nepalense saccharum et longis foliis saccharum aërophora, phlegma bilemque occidentia, adstringentia et calefacientia sunt.

Globulos formans saccharum est grave, frigidum, haemorrhagiam biliosam et pneumophthisin delens, perdulce, in media quoque radice dulce.

Eximiis oculis dijudicandus est saccharorum salinus sapor non burens, phlegma faciens, aërem bilemque avertens, os exhilarans, nutriens.

Dentibus contritus sapor gravis, burens, constipans et restringens dictus est.

Coctus succus gravis est, gratus, acer, phlegma et aërem amovens."

Saccharum crudum grave est, dulce, destillans, nutriens, non stimulans, trium humorum vitia faciens.

Saccharum globosum alkalinosum est et dulce, non nimis frigidum, gratum, urinam sanguinemque purificans, non valde bilem vincens, aërem occidens, adipem phlegmaque faciens, validum, stimulansque.

„Bilem occidens, dulce, purificatum, aërem occidens, sanguinem corrigens, eximiaque qualitate praeditum est illud vetus saccharum globosum, saluberrimumque commemoratum."

Sacchari crudi partes et sacchari purificati genera maxime frigida, grata sunt, graviora, dulciora, stimulantia, haemorrhagiam biliosam corrigentia et sitim sedantia.

„Sicut enim horum saccharorum purificatio et dulcedo, sic etiam jucunditas, gravitas, frigus et succi natura se habet.

Per propriam sacchari crudi et purificati partium qualitatem earum salubris qualitas demonstranda est. Sicut saccharum succo praeditum, bene purificatum et expers alkali est, sic bona qualitate praeditum cognoscendum est a doctis.“

Dulce saccharum purificatum rursus vomitum et dysenteriam amovet, asperum est, sectivum, exhilarans, adstringens dulceque, dulce etiam in coctione.

Hedysari alhagi saccharum purificatum dulce est et adstringens, amaro sapore praeditum, phlegma amovens, solubileque.

„Quot sacchara purificata declarata sunt, haec omnia aestum extinguunt, haemorrhagiam biliosam sedant, vomitum, lipothymiam et sitim delent.

Asperum a Bassiae latifoliae floribus ortum saccharum crudum, aërem et bilem efficit, phlegma occidit, dulce, in coctione adstringens et abdomen corrumpens est.“

Nunc vinorum classis.

„Omne vinum est bilem faciens, acidum, calefaciens, appetitum faciens, divisibile, phlegma et aërem occidens, gratum, abdomen purificans, in coctione leve, aestuans, calidum, acre, sensus excitans, illustrans, pellens faeces et urinam.

Audi vini differentiam!

Viteum vinum, ob caloris absentiam et dulcem naturam, in haemorrhagia biliosa semper a doctis non interdicitur, dulce est et adstringente sapore praeditum, leve, lene in coctione, mobile, tabem et difficilem febrem delens.

Ac viteum vinum paululum aliud est quodvis palmeum vinum, aërem irritans. Hoc quoque pellucidum, laetificans, phlegma occidens, vexans, leve, adstringens, dulce, gratum, suaveolens, sensus excitans.

Catarrhum, haemorrhoides, diarrhoeam, vitia humorum, urinae vexationes et aërem delens, lacti materno, sanguini et phthisi salubre est spirituosus liquor; nutriens porro et calefaciens, catarrhum, haemorrhoides, diarrhoeam, anhelitum et destillationem extinguens, albus, urinam, phlegma, lac maternum, sanguinem et carnem efficiens est spirituosus liquor.

Vomitum et ciborum inappetentiam, cordis abdominisque dolores et colicam comminuens, clarus, phlegma, aërem, haemorrhoides, ischuriam et suppressionem urinae extinguens, biliosus, exiguo phlegmate instructus et asper est ab Hordeo hexasticho spirituosus liquor, aëremque irritans.

Constringens, gravis et phlegmaticus est spirituosus liquor a Sansc-

viera zeylanica, asperque, neque vero nimio phlegmate praeditus, irritans, concoquens et oculis idoneus commemoratus est.

Trium humorum vitia efficiens, acutus et irritans est liquor alcoholicus.

Os laetificans, prehendens et calidus est liquor vinosus ante destillationem.

Coctor, asper, sitim, phlegma et intumescentiam amovens, gratus, diarrhoeam, inflationem, haemorrhoides, aërem et tabem amovens, ori idoneus, ob ereptam aquositatem obstructionibus idoneus, aërem irritans, calefaciens, pellens faeces et urinam, pellucidus, paululum inebrians, gravis, adstringens et dulcis est spiritus destillatus.

Sicera in coctione calefaciens, saccharata, dulcis, ciborum appetentiam efficiens, calefaciens, abdomen purificans, aërem occidens, dulcis in coctione, grata, sensus excitans.

Sic coctus liquor destillati spiritus vi et colore praeditus liquor est, intumescentiam occidens, calefaciens, gratus, ciborum appetentiam efficiens, phlegmati et haemorrhoidibus saluber.

Debilitans, frigidus et grato sapore praeditus, tumores et abdominis tumorem delens, colorem faciens senectuti, bene excellens, ischuriam occidens, haemorrhoidibus saluber, oculis idoneus, icterum occidens, vulneribus (ulceribus) aptus, prehendens, levis, adstringens, dulcisque est spiritus destillatus ab Eugenia jambu, bilemque occidens, sanguinem corrigens, prohibens destillationem, constringens, aërem irritans, acer, sapidus, gratus, diureticus, phlegma aëremque amovens, ori acceptus, fortiterque inebrians cognoscendus est.

Aërem delens et levis est spirituosus liquor a Bassiae latifoliae floribus destillatus, acutus, urethritidem gonorrhoicam, lepram et venenum delens, amarus, adstringens, tumores occidens, acer, suavis, non aërem efficiens.

Acer, adstringens, ebrietatem faciens, haemorrhoides, phlegma et indurationem glandularum mesentericarum amovens, vermes, adipem et aërem depellens, timendus, dulcis, gravis, validus, bilem amovens et colore praeditus est spiritus ex uvis et saccharo destillatus.

Spiritus destillatus a Bassiae latifoliae floribus praeparatus calorem, ignem (digestionem) et vim praebet, asper, adstringensque est, phlegma amovet, aërem bilemque irritat.

Medicus vero circa sapores demonstret alios quoque bulborum, radicum et fructuum spirituosos liquores.

Recens vinum est destillans, grave, aërem et cetera irritans, inoptato sapore praeditum, insipidum, ingratum et aestuans.

Suaveolens, calefaciens, gratum, splendidum, vermes delens, aperta sensuum organa faciens, leve, aërem et phlegma delens est vetus vinum.

Spirituosus liquor secundum substantiarum compositarum confectionem excellens qualitatibus est.

Multa humorum vitia auferens, vitiorumque sedator, calefaciens, phlegma et aërem occidens, volatilis, bilem refraenans, colicae, inflationi, abdominis tumoribus, lienis affectionibus, febribus, indigestioni et haemorrhoidibus saluber, lienis et phlegmatis morbos amovens spiritus ex Pipere longo et cet. factus commemoratus est.

In Therapia (Chikitsita) spirituosi liquores, morbos amoventes, separatim edisserentur.

Spirituosorum liquorum, sicerarum et spirituum destillatorum qualitates in praxi demonstret expertus medicus, mente confectionem congruenter intuitus.

Quod vinum condensum, combustum, male olens, insipidum, verminosum, grave, ingratum, recens, acre, calidum, in malo vase depositum, exiguis materiis medicis praeditum, fatuum, nimis pellucidum, et fluidum est, id semper relinguendum est.

Si quid residuum est, porro quod vinum exiguam materiam habet, recens, aquosum et grave est, illud phlegma irritat.

Pervetus vinum praecipue bilem irritat, nimisque acre, calidum, aestuans, ingratum, spumosum, foetidum, verminosum, insipidum et grave.

Sic etiam fatuum vinum aërem irritans cognoscendum est.

Omnibus vitiis praeditum vinum omnia humorum vitia irritat.

Vetustum vinum bono sapore praeditum, calefaciens, phlegma aëremque vincens est, appetitum facit, pellucidum, suaveolens et honorabile est, ebrietatemque delet.

Hujus varia genera complectentis, sapore et vi praediti vini vis, ob subtilitatem, calorem, acritudinem et expansionem cum igne (digestione) congressa, cor consecuta, vasaque superiora aggressa, perturbatis sensuum perceptionibus, mox inebriat. Post longum tempus in phlegmatico homine potatoria ebrietas nascitur; mox vero in ventoso homine visa est; in bilioso autem celeriter. In probo (sátvika) homine spirituosus liquor puritatem, dexteritatem, gaudium, ornamentum, desiderium, cantum, studium, felicitatem, coitum et robur efficit; in perturbato (rájasa) homine dolorum dispositionem, mentis impetum, praecipem pugnam et vinctionem efficit; impuritatem, somnolentiam, morbos, ad evitandas et non adeundas res aditum, cupiditates et falsiloquium efficit in obcoccato (támasa) homine spirituosus liquor.

Haemorrhagiam biliosam efficiens, acidus, acutus et cibos concoquens est vetus liquor, pituitamque, icterum et vermes auferens, levis, acer, calidus, diureticus, gratus, phlegma occidens, pungensque in coctione.

Sic hic omnis liquor natus est appetitum praecipue efficiens.

Qui spirituosi liquores saccharati, sapore acido praediti, et dulcacidi sunt, sicut supra dictum est, graviores sunt et destillationem efficiunt.

Glumae oryzae liquor fermentatus calefacit, gratus est, cordis, icteri et vermium morbum depellit; sic diarrhoeam et haemorrhoidum affectiones occidit et pungit spiritus praeparatus ab acida alica avenacea.

Oryzae acidum fermentum, ob suam ex oryza originem, calefacit et aestum delet; ob contactum autem potumque aërem, phlegma sitimque aufert et leve est; ob acritudinem phlegma celeriter amovere potest; tenendo in ore ad eluendum, oris mala, foetidum odorem, excretiones, tabem et fatigationem delet; vetus (oryzae acidum fermentum) calefaciens, pungens et salubre in doloribus est, et hominibus mare adeuntibus idoneum appellatur.“

Nunc de urinis.

Vaccarum, bubalorum, caprarum, ovium, elephantorum, equarum, asinarum et camelorum urinae sunt acutae, pungentes, calidae, amarae, salino sapore praeditae, leves, purificantes, phlegma, aërem, vermes, adipem, venenum, indurationem glandularum mesentericarum, haemorrhoides, abdominis tumorem, lepram, intumescentias, inappetentiam et icterum amoventes, gratae, calefacientes summatim.

Sunt hic ślokae:

„Omnis urina pungens, acris, calida, salino sapore praedita, levis, purificans, phlegma et aërem occidens, vermes, adipem et venenum delens, haemorrhoides, abdominis tumorem et indirationem glandularum mesentericarum occidens, intumescentias et inappetentiam delens, icterum tollens, separans, grata, calefaciens et coquens est.

Vaccina urina est pungens, acris et calida, propter alkalinositatem non aërophora, levis, ignem (digestionem) incendens, sacrificalis, biliosa, phlegma et aërem vincens. In colica, induratione glandularum mesentericarum, abdominis tumoribus, in urinae supressione, alvi duritia et ceteris affectionibus, urinae usu curabilibus, vaccinam urinam adhibeat medicus.

In haemorrhoidibus, in abdominis intumescentia et colica, in lepra, in urethritide gonorrhoica et sordibus, in suppressione urinae, in tumoribus, indurationeque glandularum mesentericarum et in ictero bubalinam urinam adhibeat medicus.

Catarrhum anhelitumque delens, tabem, bis obstructionem et icterum amovens, pungente et amaro sapore praedita est caprina urina, paululum irritans aërem.

In catarrho, lienis affectionibus, abdominis intumescentia, anhelitu, tabe et excrementorum retardatione salubris est alkalinosa, amara pungensque, calida et aërem occidens ovilla urina.

Calefaciens, pungens, acris, calida, aërem et mentis alienationes amovens et phlegma auferens equina urina est, in vermibus et impetiginibus laudatur.

Amara, salina, separans, aërem occidens, bilem provocans et acris est, in caustico et pustula elephantinam urinam medicus adhibeat.

Morbos et mentis alienationes occidens, acris, diarrhoeae morbum amovens, calefaciens, vermes, aërem et phlegma auferens asinina urina est.

Tumores, lepram, abdominis intumescentiam, maniam, aërem et vermes delens, haemorrhoides occidens camelina urina est.

Humana vero urina venenum occidit. —

Fluidae substantiae omnes breviter demonstratae sunt; has temporum, regionum et dosium gnarus medicus regi porrigere debet."

Caput XLVI.

Nunc vero de ciborum et potionum praecepto caput exposituri sumus.

D'hanvantarem Suśrutas inclinato corpore allocutus est: Supra relata animantium, robore, colore et vitalitate instructorum, radix rursus alimentum est. Hoc in sex gustus redactum est. Gustus porro substantiarum inhabitatores sunt. In substantiarum, gustuum, qualitatum, virium et coctionum phaenomeno deminutio accretioque, corruptorum humorum et corporis elementorum aequalitas est.

Brahmae et ceterorum animantium alimentum stabilitatis, ortus et obitus causa est; ex alimento etiam incrementum, robur, sanitas et coloris sensuumque successus fit; sic ex alimenti inaequabilitate invaletudo. Alimenti comesi, potati, lincti et deglutiti, variarum substantiarum naturâ instructi, et multimodo effectu potestateque praediti actiones, pertinentes ad ejus substantiam, gustum, vim, coctionem et potestatem, singulatim scire concupisco.

Neque enim medici, indocto ingenio praediti, salvam curationem morbisque propugnaculum efficere possunt.

Ex alimento radicem quia habent omnes animantes, idcirco ciborum et potuum praeceptum doceto me Venerabilis!

Sic compellatus dixit tum venerabilis D'hanvantaris:

Revera, care Susruta, quaestionem, sicut abs te proposita est, intellige!

Rubra oryza sativa, Oryza alba, glutinosa, flavescens, suaveolens, ab avibus non ereptis floribus praedita, ovata, ut Nymphaea alba, ut Oryza odora, ut Jasminum zambac, ut Symploci racemosae flores, longa, ut hordeum, ut Bauhinia variegata, ut bubali caput, Háyana, viles, perviles et ceterae oryzae sativae —

„Sunt dulces, validae, frigidae, leves in coctione, robur auferentes, bilem occidentes, parvo aëre et phlegmate praeditae, gratae, pellentes paululum faeces. Inter has oryza rubra optima est, vitia humorum occidens, semen virile efficiens et diuretica, oculis idonea, colorem et vim faciens, perinsignis,

9*

grata, lassitudinem auferens, vulneribus (ulceribus) idonea, febrem amovens, omnia humorum vitia et venenum auferens.

Oryzae genera, pululum aliis qualitatibus praedita, ordinatim hac oryzâ inferiora sunt."

Oryza praecox, Panico italico similis, Allio cepae similis, flavescens, grata, gemmea, ut Terminalia alata tomentosa flores habens, magna Oryza praecox, ut pulveratus Amaranthus ruber, in Kédara orta et ceterae oryzae —

„Sunt in gustu et coctione dulces, sedantes, aërem et bilem efficientes, Oryzarum sativarum qualitatibus similes, nutrientes, phlegma et semen virile facientes.

Oryza praecox inter has optima est, adstringente sapore praedita, levis, mitis, grata, trium humorum vitia occidens, firmitatem efficiens, vim augens, in coctione dulcis, prehendens et similis rubris Oryzis sativis.

Reliquae vero Oryzae praecoces habent ordinatim paululum aliam (viliorem) qualitatem."

Furva Oryza sativa, Spari piloti, laccae et Hibisci populnoidis os habens, Perdici chinensi, Dalbergiae Oujeiniensi, celeris gallinae ovo, columbae et Bignoniae suaveolenti similis et ceterae oryzae —

„Adstringentes dulcesque sunt, in coctione dulces, validae, non frigidae, paululum destillantes, similes Oryzis praecocibus, faecesque pellentes.

Furva Oryza harum optima est, adstringente sapore praedita et levis.

Atque haec paululum alia qualitate praeditae sunt aliae oryzae.

In combusto fundo natae oryzae sunt leves in coctione, adstringentes, faeces et urinam pellentes, asperae, phlegma removentes; in fundo firmo ortae oryzae sunt phlegma et bilem occidentes, adstringentes, pungente sapore praeditae, aliquantum dulcamarae, aërem et bilem augentes; in Kédara ortae dulces, stimulantes, validae, bilem augentes, paulum adstringentes, parvam excretionem efficientes, graves, phlegma et semen virile procreantes; perturbantes, nimis perturbantes, leves, celeriter coctae, eximia qualitate praedttae, non aestuantes, vitia humorum amoventes, validae, urinam augentes et divisae ortae quae Oryzae sativae sunt, illae asperae, pellentes excretionem, amarae, adstringentes, bilem occidentes, leves in coctione et phlegma removentes sunt.

Fusius edisserta est haec oryzarum salubris insalubrisque classis.

Sic frumentorum, Phaseoli mungonis et ceterorum, Phaseoli radiati et ceterorum classis explicabitur."

Nunc frumentorum classis.

Paspalum scrobiculatum Panicum frumentaceum, Oryza montana, Śántanu, Cytisus cajan, Paspalum frumentaceum, Panicum italicum, Sanseviera zeylanica, Nándímuk'hí, Cyperus rotundus, Coix barbata, Varuka, Todaparńí, Allium cepa, Bambusa arundinacea, Hordeum hexastichon et cetera frumentorum genera —

„Sunt calida, adstringentia dulciaque, aspera, pungentia in coctione, phlegma occidentia, pellentia destillationem, aërem et bilem irritantia.

Inter haec adstringentia dulciaque, frigida et bilem auferentia commemorata sunt Paspalum frumentaceum, Oryza montana, Panicum frumentaceum et Śántanu.

Furva, rubra, flava et alba Panica italica, summe praecipua, aspera et phlegma removentia sunt commemorata.

Sanseviera zeylanica dulcis, frigida et grata est; sic etiam Nándímuk'hi.

Maxime exsiccans porro est Varuka et Allium cepa.

Bambusa arundinacea et Hordeum hexastichon sunt aspera cognoscenda, valida, calidaque, pungentia in coctione, diuretica, phlegma amoventia, adstringentia et aërem irritantia."

Phaseolus mungo, Phaseolus lobatus, Pisum sativum, Makusht'ha, Ervum, hirsutum, Cicer lens, Cicer arietinum, Satina, Convolvulus turpethum album, Harénu, Cytisus cajan et ceterae siliquae —

„Sunt adstringentes dulcesque, frigidae, pungentes in coctione, aërem facientes, pellentes urinam et faeces, pariterque bilem et phlegma amoventes.

Non ultra modum aërophori sunt in his Phaseoli mungones, oculis idonei.

Praecipui sunt Phaseoli mungones sylvatici, Phaseolis mungonibus similes commemorati.

In coctione dulcia appellata sunt Erva hirsuta, pellentia faeces.

Makusht'hae vermes procreant.

Pisa sativa (Kalayae) multum aërem efficiunt.

Cytisus cajan phlegma et bilem occidit, non valde aërem irritat.

Aërophora, frigida, dulcia, adstringentia, non aspera, phlegma, sanguinem et bilem occidentia sunt Cicera parietina, semen virile delentia.

Pisa sativa (Harénu) et Satina cognoscenda sunt pellentia faeces.

Praeter Phaseolum mungonem et Ervum hirsutum aliae siliquae inflationem efficiunt.

Phaseolus radiatus est gravis, excernens faeces et urinam, gratus, calidus et irritans, dulcis, aërem occidens, exhilarans, lac procreans, pracipue vim praebens, semen virile et phlegma delens; adstringente natura praeditus non est faeces separans, non diureticus, non phlegmatis effector, suavis, in coctione dulcis, satis mitis, exhilarans, lac appetitumque praebens.

Phaseolis radiatis similis est fructus in ipsis occultus dictus, — sicuti corvinorum ovorum fructus.

Sylvatici Phaseoli radeati circa qualitates demonstrati sunt asperi, adstringentes et non calefacientes.

Calidus est Dolichos biflorus, circa gustum adstringens, pungens in coctione, phlegma et aërem occidens, semen virile, stranguriam et indurationem glandularum mesentericarum occidens, diarrhoeam procreans, tussim et catar-

rhum amovens; urinae suppressionem, adipem, haemorrhoides, singultum et anhelitum delens, sanguinem et bilem efficiens, phlegmatis occisor et oculorum morbos occidens praecipue sylvaticus Dolichos biflorus dictus est.

Paululum adstringens, dulce, subamarum, diarrhoeam efficiens, bilem faciens et calidum est Sesamum orientale, in coctione dulce, validissimum, gratum, vulneribus (ulceribus) unguentum conveniens, dentibus salubre, ignem (digestionem) et intellectum efficiens, paucam urinam et lac procreans, capillis salubre, aërem delens et grave.

Inter omnia Sesama orientalia nigrum optimum, mediocre album, viliora alia sunt.

Hordeum hexastichon est adstringens, dulce, frigidum, pungens in coctione, phlegma et bilem amovens, in vulneribus (ulceribus) conveniens sicut Sesamum orientale, semper propellens urinam, multum aërem et faeces efficiens, firmitatem, ignem (digestionem), intellectum, claram vocem et colorem faciens, fluidum, corpulentiam dividens, adipem, aërem et sitim amovens, nimis asperum, salubre in sanguine et bile.

Circa has qualitates aliquanto Hordeis hexastichis viliores cognoscat medicus praecipue reliquas Hordei species.

Triticum aestivum dictum est dulce, grave, validum, firmum, semen virile et appetitum cibi tribuens, gratum, perfrigidum, aëris et bilis occisor, destillationem faciens, phlegma faciens et liquidum.

Asperum, adstringens, veneni, intumescentiae, seminis virilis, phlegmatis et occulorum interitum efficiens, calefaciens, pungens, in coctione vero dulce est legumen excernens faeces, aërem et bilem.

Alba et nigra, flava et sanguinis colore praedita quae multifaria legumina sic dicta sunt, ea circa qualitates praecipua cognoscenda sunt, pungentia, calidaque in gustu et coctione.

Valida duo sunt: a radicibus orta legumina, et Kuśimbae Ligusticique ajwaën naturâ praedita legumina.

Cognoscenda sunt in coctione et gustu dulcia, vim tribuentia, bilem occidentia, calefacientia, peraspera, sistendo senescentia, aërem efficientia, appetitum cibi tribuentia, sed valde indigestibilia omnia dicta sunt siliquosa legumina.

Pungens est in coctione Echites antidysenterica.

Pungens, phlegma occidens et ob calefacientem indolem insalubris est Carthamus tinctorius.

Calidum est Linum usitatissimum, suavi sapore praeditum, aërem occidens, bile manifesta instructum, pungens in coctione.

In coctione gustuque pungens demonstrata est Sinapis alba, sanguinem bilemque irritans, acris, calida et aspera, phlegma et aërem occidens. Tali qualitate praedita est nigra Sinapis dichotoma.

„Frumentum intempestivum, morbis corruptum, non progressum, non a terra ortum, et recens, non bona qualitate praeditum commemoratum est.

Recens frumentum humidum, leve; anno combustum urens, grave, rigidum, difusum, visum corrumpens.

Ab Oryza incipientis, et cum Sinapi dichotoma finientis hujus variae classis tempora, qualitates, apparatus et mensurae partiatim relata sunt."

Protinus carnis classem demonstraturi sumus hoc modo:

In aqua dormientia, aquatica, domestica, carnivora, solidipeda et terrestria animalia sunt sex carnis classes, harum classium (alimentorum) summe excellentissimae.

Eae iterum bifariae sunt: terrestres, aquaticaeque.

Terrestris classis est octupla hoc modo: Celeripedes, aves, falcones, speluncarum habitatores, aves rapaces, foliorum animalia, cavorum habitatores et domestica animalia.

In his celeripedes et aves excellentissima animalia sunt.

Antilope nigra, Antilope flavescens, Antilope albens, terribilis nata sylvestris fera, canis dentibus prominentibus instructus aper, sauciante proboscide praedita Antilope feminina et ceterae celeripedes ferae sunt adstringentes, dulces, leves, aërem et bilem tollentes, acres, gratae et abdomen purificantes.

„Adstringens, dulcis, grata, bilis, sanguinis et phlegmatis morbos occidens, laxativa, appetitum cibi efficiens et roborans est in his nigra Antilope, febremque amovens.

Dulcis, dulcis in coctione, vitia humorum occidens, aërem calefaciens, frigida, pellens faeces et urinam et suaveolens est Antilope flavescens, levisque.

Antilope nigra in his furva cognoscenda est; flavescens appellatur cuprina. Neque furva, nec cuprina albescens Antilope narratur.

Frigus, sanguinem et bilem sedans judicanda est Antilope feminina, trium humorum corruptionem, pneumophthisin, anhelitum, catarrhum, singultum et ciborum inappetentiam amovens."

Perdix chinensis, Tetrao cinerea, Perdix francolinus, Varttíra, coturnix, Perdix dioeca, Naptrĭká, Vátíka, Perdix rufa, passer, Pavo cristatus, Perdix sylvatica, anser, Gallus domesticus, Cuculus melanoleucos, picus, Kutittiri, Kura, Vátuka, Yavalaka et ceterae trifurcis pedibus praeditae aves sunt leves, frigidae et dulces, adstringentes et vitia humorum sedantes.

„Laxativus, calefaciens, adstringens, dulcis et levis est Perdix chinensis, pungens in coctione, in trium humorum corruptione etiam honorata.

Paululum gravis, calida, dulcis, irritans, adipem ignemque (digestionem) augens Tetrao cinerea est; omnia humorum vitia occidens, prehendens, colorem corrigens, singultum, anhelitum et aërem tollens praecipue albida Tetrao cinerea est.

Haemorrhagiam biliosam amovens, frigidus et levis est Perdix francolinus, in morbis a phlegmate ortis et in torpido aëre laudatur.

Aërem et bilem tollentes, stimulantes, adipem, ignem (digestionem) et vim augentes et leves sunt Perdices sylvaticae, grataeque; sic etiam anseres.

Adstringens, suavis, salinus, cuti capillisque idoneus et appetitum cibi tribuens Pavo cristatus est, respirationem, claram vocem, adipem, ignem (digestionem), visus et auditus sensuum firmitatem efficiens.

Gratus, calidus, aërem occidens, stimulans, sudorem, claram vocem roburque tollens et nutriens est Gallus domesticus; sylvestris sicuti domesticus gravis est, aëris morbos, pneumophthisin, vomitum, venenum et febrem delens.“

Columba domestica, Párávatas, Lanius malabaricus, Cuculus indicus, Tringa vanellus, Lanius, domesticus Lanius, Gokshoďaka, Diďimáňaka, picus, Mátrinindaka, B'hédáśí, psitacus, Turdus salica, Valgulí, Giriśálahvála, contemptibilis Motacilla sutoria, Motacilla alba, Columba hariala, Cuculus melanoleucos et ceteri falcones —

„Sunt adstringentes, dulces et asperi, fructuum comesores, aërem efficientes, bilem phlegmaque tollentes, frigidi, pellentes urinam et paucas faeces. In his omnium humorum vitia procreans et excretiones corrumpens est B'hédáśí. Adstringens, suavis, salina et gravis est cornix.

Columba domestica haemorrhagiam biliosam sedans, adstringens et pura est.

In coctione dulcis gravisque est Párávatas commemoratus.

Lanius dulcis, gratus, phlegma et semen virile augens est.

Haemorrhagiam biliosam tollens et multum seminis virilis producens domesticus Lanius est.“

Leo, tigris, lupus, hyaena, ursus, pardus, felis, Canis aureus, antilope, Irrváruka et ceteri speluncarum habitatores —

„Sunt dulces, graves, grati, validi, aërem delentes, calidi, firmi et salubrés aegrotis, oculorum et genitalium morbos semper habentibus.“

Cornix, ardea, Aquila ossifraga, Coracias indica, vultur, leporum occisor, ulula, Falco cheela, accipiter, Grĭd'hra et ceterae aves rapaces —

„Hae omnes, cornices et ceterae, leonibus et ceteris similes in gustu, vi et coctione, praecipueque tabescenti salubres sunt.“

Madgu (corvus aquaticus?), Mushika (mus rattus?), Vrĭkshaśáyika (lacerta quaedam), Avakuśa, Viverra cibetta, G'hása, simia et cetera foliorum animalia —

„Sunt dulcia, gravia, irritantia, oculis idonea, tabescenti salubria, pellentia urinam faecesque, catarrhum, haemorrhoides et anhelitum delentia.

Fluviatilia nutrimenti qualitate maritimis superiora sunt.“

Hystrix, Salyaka (hystrix quaedam), alligator, lepus, felis, Canis aureus,

aries, Karńakadalímrïga, Priyaka, Boa constrictor, serpens, mus, Viverra ichneumon, Mahávab'hru et ceteri cavorum habitatores —

Faeclbus et urinâ aegrotantem supressum efficere possunt; hi sunt in efficacitate calefacientes et, ut supradicta animalia, dulces in coctione; aërem occidere, phlegma bilemque facere possunt; grati sunt, catarrhum, anhelitum haemorrhoidesque occidentes.

Adstringens, dulcis in his est lepus, bilem phlegmaque occidens et propter vim non nimis frigidam aëri similis creditus est.

Alligator in coctione dulcis, adstringens et pungens commemoratus est, aërem et bilem sedat, nutrit et vim auget.

Hystrix dulcis est, bilemque occidens, levis, frigida, venenum tollens.

Priyaka tympanitico idoneus est.

Boa constrictor haemorrhoidibus salubris est.

Haemorrhoides, aërem vitiaque humorum occidentes, vermes, lipitudinem venenumque delentes, oculis idonei et dulces in coctione sunt serpentes, adipemque et ignem (digestíonem) augentes. In his cristati calefacientes, pungentes in coctione, dulces, oculis peridonei, pellentesque faeces, urinam et aërem dicti sunt.“

Equus, mulus, bos, asinus, camelus, capra, aries, Médaspuchch'haka et cetera domestica animalia.

„Domestica (animalia) omnia sunt aërem tollentia, nutrientia, phlegma et bilem procreantia, dulcia in gustu et coctione, calefacientia et vim augentia.

Non perfrigida, gravis, grata, torpida bile et phlegmate praedita, non in his destillata, catarrhumque delens capra commemorata est.

Nutriens est vero caro arietina, bilem et phlegma sustollens et gravis.

Caro de Médaspuchch'ha est stimulans et arietinae carni similis qualitate.

Anhelitum, catarrhum, destillationem, venenum et febres delens, lassitudini et nimio igni salubris est vaccina caro, pura et aërem sustollens.

Arietinae carni similis est salsa caro a solidipedibus orta.

Paululum destillans haec classis terrestris relata est.

Quae animalia avesque procul ab hominum finibus, proculque ab aquis regionem habitant, ea paululum destillantia credita sunt.

Quae vero animalia avesque perpropinquam habitationem habent, aut in aquarum proximitate regionem habitant, ea perquam destillantia sunt.“

Aquatica vero classis est quintuplex hoc modo:

Paludivaga, natantia, in vaginis stantia et pedestria animalia, piscesque.

Elephas, Bos gavoeus, bubalus, Ruru, Bos grunniens, Srïmara, dama, porcus, rhinoceros, Hippopotamus (?), Kálapuchch'haka, Undranyankva, Arańyagavaya et cetera paludivaga animalia —

„Sunt aërem bilemque auferentia, irritantia, dulcia in gustu et coctione, frigida, valida, grata, diuretica, phlegmaque augentia.

Non asper, vomitorius, validus, calidus, bilem corrumpens, gratus, acidus et salsus est in his elephas, phlegma et aërem tollens.

Bovis vero gavoci caro est grata, dulcis et catarrhum vincens, in coctione dulcis, coitumque augens.

Bubalus est gratus, calidus, dulcis et stimulans, exhilarans, gravis, sonum, semen virile, vim et lac augens, carnisque firmitatem faciens.

De Ruru caro dulcis et adstringente sapore praedita commemorata est, aërem et bilem sedat, gravis est, semenque virile auget.

Sic est Bovis grunnientis caro grata, dulcis et catarrhum vincens, in coctione etiam dulcis, aëremque bilemque delens.

De Srĭmara vero caro adstringente sapore praedita commemorata est, aërem et bilem sedat, gravis est, semenque virile auget.

Diaphoreticus, nutriens, stimulans, frigidus, exhilarans, gravis, gratus et lassitudinem aëremque delens est porcus, vimque augens.

Phlegma occidens rhinocerotis caro, adstringens et aërem sustollens, parentibus idonea, pura, longaevitatem efficiens, diuretica, non aspera.

Hippopotami (?) caro dulcis, grata, mitis, phlegma tollens, in coctione etiam dulcis, haemorrhagiamque biliosam delens."

Anser, Grus indica, ardea, Anas casarca, Aquila ossifraga, querquedula, Anas valisneria, Perdix rufa, grus (vaka), grus (baláká), amphisbaena, anas (plava), Turdus ginginianus, rostratus Nańdí, rostratus Corvus aquaticus, aquila (utkrośa), Kachaksha, anser furvis cruribus et furvo rostro praeditus, Śukláksha, grus (pushkara), Sayiká, Konálaka, aquaticus gallus, Még'haráva, Svétacharańa et ceterae aves natantes turbatimque ambulantes —

„Haemorrhagiam biliosam delent, frigidae et gratae sunt, stimulant et aërem vincunt, excernunt urinam et faeces, dulcesque sunt in coctione et gustu.

Gravis, calidus, dulcis, gratus, claram vocem, colorem et vim tribuens, nutriens et semen virile efficiens in his anser est, aëremque delens."

Concha, conchula, Concha margaritifera, Concha bivalvularis, B'hallúka et cetera in vaginis stantia animalia.

Testudo, crocodilus, cammarus, niger cammarus, Delphinus gangeticus et cetera pedestria animalia.

„Concha, testudo et cetera sunt dulcia in sapore et coctione, aërem pellentia, frigida, grata, salubria in bile, purgativa et phlegma augentia.

Niger cammarus in his validus, tepidus, aërem occidens, albus, compactionem efficiens, emittens faeces urinamque, aëris et bilis occisor."

Pisces vero sunt duplices: fluviatiles et marini.

Hic fluviatiles: Cyprinus denticulatus, Silurus pelorius, Pátalá, Cyprinus

niloticus, Varmi, Gomatsya, Kršhńamatsya, Váguńjára, Murala, Sahasradanshṫra (Silurus, varietas) et ceteri fluviatiles pisces sunt.

„Fluviatiles dulces pisces sunt, graves, aërem tollentes, haemorrhagiam biliosam efficientes, calidi, stimulantes, grati et paululum purgantes.

Adstringente sapore in his praeditus et recentibus Valisneriae octandrae graminibus vescens Cyprinus denticulatus aërem delet, neque vero ultra modum bilem irritat.

Silurus pelorius phlegmate instructus, stimulans, somnifer, Lavendulam spicam comedens, corrumpere potest acidam bilem, lepŕosum morbum efficit.

Murala est nutriens, stimulans, lac et phlegma faciens.

In lacu et in piscina generati pisces grati et suavi sapore praediti commemorati sunt; validi in magnis stagnis, in perparva vero aqua invalidi pisces commemorati sunt."

Timi, Mingila, Kuliśa, Pákamatsya, Niralaka, Nandiváralaka, Makara, Gargaraka, Chandraka, Mahámína, Cyprinus niloticus et ceteri pisces marini sunt.

„Marini pisces graves, grati, dulces, non nimis biliosi, calidi, aërem delentes, stimulantes, purgativi, phlegma augentes, vim occidentes, praecipue carnivori marini pisces. — Inter hos vero ob aëris occisionem fontani et puteani qualitate praestantiores sunt. Ob suavitatem et in coctione dulcedinem inter hos duos puteani praestantiores sunt.

Fluviatiles pisces sunt graves in medio, quia per caudas ambulant. In lacu et piscina ortorum piscium caput praecipue est leve. Haud procul ambulatores, quia a putealis aquae potu orti pisces sunt, idcirco aliquantum retro a capitis regione ultra modum graves sunt. Inferne graves cognoscendi sunt pisces in lacu orti commemorati. Propter ambulationem per pectus, horum superius corpus leve commemoratum est.

Sic aquatica valde destillatae carnis classis exposita est."

Porro tabescentium, foetidorum, aegrotantium, serpentum venenis laesorum, inquinatorum, perforatorum, decrepidorum, emaciatorum, pullorum et perverse ambulantium piscium carnes non comedendae sunt, quia ob robur egressum, mortuum, occisum, sublatum, parvum incompletumque vitia humorum efficiunt.

„Caro gravis tabescensque demonstrata inappetentiam catarrhumque; veneni morbis laesa mortem; pulla vomitum excitare potest; tussim et anhelitum efficit vetus caro; trium humorum vitia caro morbis corrupta; madida, perturbata et emaciata caro aërem irritat."

Aliis (hominibus) aliorum animalium caro sumenda est hoc modo: feminae ex quadrupedibus, viri ex avibus (carnem sumant); pro hominibus, magno corpore praeditis, parvo corpore praedita animalia, pro hominibus, parvo corpore praeditis, magno corpore praedita animalia praestantisima sunt.

Sic inter animalia, unum pullum generantia, pro hominibus, magno corpore praeditis, illa, emaciatis corporibus praedita, praestantissima sunt.

Per loca (corporis regiones) et cet. factam carnis gravitatem et levitatem demonstraturi sumus hoc modo.

Corporis elementis, a sanguine usque ad semen virile, superioribus existentibus, graviora sic sunt femora, humeri, coxa, caput, pedes, manus, lumbus, dorsum, cutis, flavescens hepar et intestina.

„Caput, humerum, lumbum, dorsum femoraque in suis lateribus primo gravia medicus cognoscat, corporis vero elementa graviora. In omnis animantis corpore medium grave relatum est. Superior masculorum pars, feminarum vero inferior pars, gravis est. Pectoralis et cervicalis avium pars praecipue gravis commemorata est. Propter alarum vero evectionem media avium pars similis demonstrata est. Perquam aspera vero est caro avium carpophagarum; stimulans vero ultra modum est caro avium carnivorarum; ichthyborarum bilem faciens; aërem delens in frumentis ambulantium.

Aquigena animalia, aquatica, domestica, circa carnem etiam solidipeda, aves rapaces et troglodytica, quae et celeripeda appellata sunt, falcones et aves levia sunt maxime, paululum etiam destillata, prius, deinde aliter."

Animalia mensuram excedentia in suo genere, et exili vitalitate praedita, gravia sunt.

Quae ex omnibus omnium animantium corporibus excellentissimae partes sunt, scilicet in hepatis regione collocatae, eas homo assumere debet. Acquisitione praestantium partium non existente, mediam aetatem habens, recens et integra caro sumenda est.

Est hic śloka:

„Aetas, corporis membra, indoles, corporis elementa, actiones, genus, quantitas, perfectio, mensuraque in carne perspecta sunt.

Sic carnis classis. —

Porro fructuum classes demonstraturi sumus hoc modo.

Punica granatum, Phyllanthus emblica, Zizyphus scandens, Plumbago zeylanica, Zizyphus jujuba, Sauvíricae Simbitikae fructus, Cratoeva valanga, Citrus medica, Mangifera indica, Spondias mangifera, Carissa carondas, Chironjia sapida, Artocarpus lacucha, Averrhoa carambola, Diospyri glutinosae ramorum fructus, Flacourtia cataphracta, Tamarindus indica, Ixora bandhuca, Kośamra, Amlíká, Citrus aurantium, Jambíra et ceteri fructus —

„Sunt acidi in gustu, in coctione graves, calidi in viribus, biliosi, aërem occidentes et phlegmatis perturbationem efficientes.

Adstringente sapore praedita est inter hos fructus Punica granatum, non nimis biliosa, calefaciens, appetitum cibi procreans, grata, faeces et urinam pellens. Duplex vero haec dignoscenda est, dulcis et acida. Trium humorum vitia occidit dulcis; acida vero aërem phlegmaque aufert.

Acidus et dulcis, amarus, adstringens, pungens, succosus, oculis idoneus, omnia humorum vitia occidens, stimulansque est Phyllanthi emblicae fructus: occidit aërem ob aciditatem; bilem ob dulcedinem et refrigerationem; phlegma ob asperitatem et adstrictionem hic ex fructibus praestantissimus.

Zizyphi jujubae, Plumbaginis zeylanicae et Zizyphi scandentis fructus crudus bilem et phlegma tollit; coctus bilem et aërem aufert, gratus, dulcis et succosus est; vetus sitim sedat, lassitudinem occidit, calefacit et levis est.

Sauviricus Zizyphus scandens est gratus, dulcis, aërem et bilem vincens.

Adstringens, suavis, purgativus et frigidus est Simbitikae fructus.

Cruda Cratoeva valanga non valde excellens, phlegma occidens, prehendens et aërophora est; phlegma et aërem amovens est cocta, dulcamara, gravis, anhelitum, catarrhum et inappetentiam amovens, sitim occidens et gulam purificans.

Levis, acida, calefaciens et grata Citrus medica relata est. Ejus cortex est amarus, difficulter senescens, aërem, vermes et phlegma tollens; suavis, refrigerans, gravis et grata caro est, aërem bilemque vincens, pura, colicam, aërem, vomitum, phlegma et inappetentiam delens; calefaciens vero, leve, purgativum, indurationem glandularum nesentericarum et haemorrhoides occidens filamentum est; in colica, in indigestione, in ischuria, in torpido igne (digestione), in phlegmate et aëre, inappetentiaque praecipue ejus succus indicatur; bilem aëremque efficit immatura, biliosaque est; filamento implicata grata, colorem efficiens, appetitum cibi procreans, sanguinem, carnem et vim dans, adstringente sapore praedita, suavis, aërem occidens, nutriens et gravis est.

Bilem refraenat cocta Mangifera indica, semen virile auget, nutrit, dulcis, valida et gravis est, sistendoque senescit.

Spondiadis mangiferae fructus stimulat, oleosus est, phlegmaque auget.

Trium humorum vitia constipat Artocarpus lacucha, semenque virile delet.

Acida est, sitim depellit, appetitum cibi efficit et bilem procreat Carissa carondas.

Aërem et bilem amovet, stimulat Chironjia sapida, gravis frigidaque est.

Grata, suavis, adstringens et acida est Averrhoa carambola, os purificat, bilem phlegmaque aufert, prehendens, gravis, constipans et frigida est.

Diospyros glutinosa est dulcis, cibi appetitum procreans, nimium ignem et aërem pellens.

Morbos et humorum vitia tollens Ixora bandhuca, pariterque Flacourtia cataphracta.

Aërem depellit Tamarindus indica cruda, bilem vero et phlegma efficit; prehendens (purgativa?), calida, calefaciens et cibi appetitum procreans est cocta, phlegmaque et aërem amovens.

Paulo aliam qualitatem, atque illa (Tamarindus indica), habere ovatus Mangiferae indicae fructus dicitur.

Amlíkae fructus coctus certe eandem habet naturam.

Dulcacidus, gratus, clarus, cibi appetitum procreans, aërem occidens, difficulter senescens dictus est Citri aurantii fructus, gravis, sitim, colicam, phlegma, perturbationem, vomitum et anhelitum cohibens.

Aërem, phlegma et ischuriam occidit Jambíra, gravis est, bilemque facit.

Ut Artocarpus lacucha, Citrus acida sapore acido praedita est et sanguinem bilemque facit."

Ficus glomeratae fructus, Eugeniae jambu fructus, Buchanania latifolia, Todana, Diospyros glutinosa, Mimusops elengi, Pentaptera arjuna, Áśmantaka, Shorea robusta, Ficus oppositifolia, Xylocarpus granatum, Hedysarum lagopodioides, Costus speciosus, Varti, Aegle marmelos, Momordica monadelpha et ceteri —

„Hi fructus sunt frigidi, phlegma et bilem amoventes, purgativi, asperi, adstringente sapore praediti et dulces.

Ficus glomeratae fructus inter hos gravis, constipans, refrigerans, adstringens, dulcamarus, non valde aërem irritans.

Ultra modum aërophorus et purgativus est Eugeniae jambu fructus, phlegma bilemque vincens.

Gratus, suavis adstringensque est Buchananiae latifoliae fructus, gravisque.

Adstringens, dulcis et asper est Todanae fructus, phlegma aëremque vincens, acidus calidusque, levis, purgativus, gratus, bilem ignemque (digestionem) augens.

Diospyros glutinosa cruda adstringens, purgativa, aërem irritans et in coctione gravis est; concocta dulcis est et phlegma bilemque vincit.

Dulcis, adstringens, gratus et purgativus esse Mimusopsis elengi fructus, firmitatem facere, dentium albitudinem efficere dicitur.

Adstringens, refrigerans et suavis est Pentapterae arjunae fructus, phlegma aëremque vincens.

Pari qualitate praeditos Hedysari lagopodioidis et Áśmantakae fructus medicus sciat.

Constipans, dulcis et gratus est fructus a Ficu oppositifolia, exhilarans et gravis.

Nimis acido, paululum dulci et adstringente sapore praeditum, levem, aërem occidentem, bilem generantem sciat crudum Xylocarpi granati fructum. Hic fructus coctus dulcis est, aërem et bilem producit.

In coctione dulcis, frigidus, haemorrhagiam biliosam corrigens est Costi speciosi fructus, suavisque, constipans, roborans, phlegma faciens et gravis.

Phlegma et aërem amovens, acer, gratus, purgativus, calefaciens, pungens, amarus, adstringens et calidus immaturus Aegles marmeli fructus

relatus est. Hunc vero fructum coctum sciat dulci sapore praeditum, gravem, calefacientem, constipantem, vitia humorum efficientem, foetido aëre praeditum esse.

Momordicae monadelphae et Shoreae robustae fructus lac procreat, phlegma et bilem vincit, sitim, aestum, febrem, bilem, sanguinem, catarrhum, anhelitum et pneumophthisin amovet.“

Borassus flabelliformis, Cocos nucifera, Artocarpus integrifolia, Musa sapientum et ceteri fructus —

„Suaves in coctione et gustu esse dicuntur, aërem et bilem amoventes, vim tribuentes, grati, nutrientes et refrigerantes sunt.

Fructus a Borasso flabelliformi ortus in his suavi sapore praeditus est, gravis et bilem vincens. Ejus semen suave est in coctione, diureticum, aërem et bilem vincens.

Cocos nucifera est gravis, oleosa, bilem occidens, suavis, refrigerans, vim carnemque tribuens, grata, nutriens, abdomen purificans.

Artocarpus integrifolia adstringens, oleosa, suavi sapore praedita et gravis est.

Musa sapientum suavi sapore praedita dicta est, adstringens, non nimis refrigerans, haemorrhagiam biliosam tollens, stimulans, appetitum cibi procreans, phlegma efficiens et gravis est.“

Vitis vinifera, Gmelina arborea, Bassiae latifoliae flores, Elate sylvestris et ceteri fructus —

„Haemorrhagiam biliosam sustollentes dicuntur, graves et dulces sunt. In his Vitis vinifera succosa est, valde excellens, dulcis, grata et refrigerans, haemorrhagiam biliosam, febrem, anhelitum, sitim, aestum et pneumophthisin delens.

Gratus, urinae constipationem occidens, bilem, sanguinem et aërem delens, capillis idoneus, elixirium vitae, et sacrificalis esse Gmelinae arboreae fructus dicitur.

Ulcera et pneumophthisin delens, grata, refrigerans, exhilarans, gravis, in coctione gustuque dulcis est Elate sylvestris, haemorrhagiam biliosam vincens.

Nutriens, ingratus et gravis est Bassiae latifoliae flos; aërem bilemque sedans ejus fructus demonstratur.“

Vátama, Croton moluccanum, Ab'hishuka, Barringtonia acutangula, Pichu, Alangium heptapetalum, Urumáńa et ceteri fructus —

„Bilem et phlegma amoventes dicuntur, oleosi, calidi et graves, nutrientes, aërem occidentes, validi, dulcesque.

Adstringens, phlegma bilemque occidens, subamarus, appetitum cibi tribuens, gratus, suaveolens et clarus Annonae reticulatae fructus dicitur.

Pothos officinalis frigidus est in coctione, ut Semecarpius anacardium

ischuriam efficiens, constipans, difficulter senescens, asper, refrigerans, aëremque irritans.

In coctione dulcis, haemorrhagiam biliosam destruens Artocarpus lacucha.

Citrus acida sapore acido praedita est, sanguinem et bilem facit.

Frigida, adstringens et dulcis est Veronia elephantium, aërem faciens, gravis.

Oleosus et calidus, dulcamarus, aërem et phlegma occidens Terminaliae catappae fructus.

Mimusae sumae fructus gravis est, suavis, asper et calidus, capillos destruens.

Gravis est Cordiae myxae fructus, phlegma facit, dulcis et gelidus est.

Capparis aphyllae, Dalbergiae oujeiniensis, Salvadorae persicae et Jasmini arabici fructus suaves, amari et pungentes sunt, phlegma et aërem removent.

Amarus, bilem faciens, succosus, pungens in coctione, acer, calidus et pungens est inter eos Salvadorae persicae fructus, oleosus, phlegma et aërem vincens.

Semecarpii anacardii fructus constringens, adstringens, pungensque in coctione et calidus est, vermes, febres, urinae suppressionem, urethritidem gonorrhoicam et vertiginem delet, lepram, indurationem glandularum mesentericarum, obdominis intumescentiam et haemorrhoides occidit.

Pungens pariter in coctione Galedupae arboreae, Buteae frondosae et Meliae azidaractae fructus, entozooa et urinae affectus removens.

Aspera et calida, pungens in coctione, levis, aërem et phlegma removens, amara et paululum salubris in veneficio est Embelia ribes, vermes delens.

Ulceribus (vulneribus) idoneus, calidus, succosus, sacrificalis, humorum vitia occidens, tumores et lepram removens, adstringens, calefaciens, acidus et oculis idoneus est Terminaliae citrinae fructus.

Separans, levis, aspera et calida, peridonea, vermes delens, oculis salubris et suavis in coctione est Terminalia belerica, adstringens et phlegma bilemque vincens.

Phlegma bilemque removens, asper, phlegmatis excretionem in ore delens, adstringens, subdulcis, aliquantumque succosus est Aricae faufel fructus.

Nux myristica, Camphora, Phyllanthi emblicae et Echites antidysentericae fructus, Kakkolaka et Eugeniae coryophyllatae fructus sunt amari, pungentes, phlegma occidentes, leves, sitim pellentes, oris phlegma et foetorem delentes.

Amara et cum liquoribus spirituosis frigida est camphora, levis et vomitoria, in siti, oris siccitate inimicitiaque honorabilis.

Latákastúriká pariter frigida est, abdomen purificat.

Chironjiae sapidae succus dulcis est, stimulans, bilem et aërem removens.

Terminaliae belericae succus ebrietatem facit, phlegma aëremque delet.

Adstringens et dulcis est succus Plumbaginis zeylanicae, bilem delet, sitim, vomitum et aërem occidit; sic etiam Phyllanthi emblicae.

Citri medicae, Cassiaeque fistulae succus, et a Nuce myristica, Mangiferaque indica ortus, suavis est in coctione, ignem et robur faciens, gratus, bilem aëremque amovens.

Cujuscunque fructus vis qualis sit, secundum ejus vim etiam ejus succum medicus explicet.

In frutibus qui coctus est, ille bona qualitate praeditus relatus est.

Fructus ab Aegle marmelo aliter dijudicandus est; crudus hic enim melior est; is enim purgatorius, calidus, calefaciens, adstringens, pungens et amarus est.

Insalubris est fructus morbosus, vermibus laesus, maturitatem transgressus, intempestive ortus, vitiatus, omnisque non progressus.

Sic fructuum classis.

Olera posthac indicaturi sumus.

Pushpap'hala, Curcurbita lagenaris, Cucurbita citrullus et cetera olera —

„Bilem occidunt, aërem facere possunt, pariterque torpidum phlegma; excernunt urinam et faeces, suavia in coctione et gustu sunt.

Bilem occidens in his est Pushpap'hala immatura; semimatura phlegma delet; matura levis, calida, alkalinosa, calefaciens, abdomen purificans, omnia humorum vitia removens, grata, salubrisque mente alienatis.

Visus et seminis virilis interitum efficit Cucurbita citrullus, phlegma et aërem facit.

Cucurbita lagenaris separat faeces, aspera, gravis, perfrigida, amara, ingrata et vomitoria est, aërem bilemque vincit."

Cucumis sativus, Cucumis utilatissimus, Cucurbita pepo, Sírńavrĭnta et cetera olera —

„Sunt gravia, constipantia, frigida, suavia, phlegma facientia, excernentia urinam et faeces, alkalinosa et dulcia.

Immaturus Cucumis sativus in his valde furvus et bilem tollens commemoratus est, ille icterum et phlegma facit; vetus acidus est, aërem et phlegma perdit.

Cucumis utilatissimus et Cucurbita pepo cocta phlegma et aërem faciunt, alkalinosa et dulcia sunt, appetitum cibi efficiunt, calefaciunt, non nimis biliosa sunt.

Alkalinosa et dulcis est Sírńavrĭnta, phlegma removens, incidens, calefaciens, grata, urinam suppressam, calculum et terram pellens, levisque."

Piper longum, Piper nigrum, Zingiber officinale, Amomum zingiber, Asa foetida, Cuminum cymium, Coriandrum sativum, Citrus acida, Sumuk'ha, Anethum sowa, Ocymum sanctum, Andropogon shoenanthus, Momordica mixta,

Cassia esculenta, Kálamála, Ocymum gratissimum, Sinapis dichotoma, K'hara-pushpa, Morunga guilandina, Hyperanthera morunga, Ocymum basilicum, Sinapis dichotoma, Sinapis chinensis, Kuláhala, Bambusa arundinacea, Gaúdíra, Pterocarpus santalinus, Varshab'hú, Plumbago zeylanica, Raphanus sativus, Basella rubra, Allium sativum, Allium cepa, Pisum sativum et cetera olera —

„Sunt pungentia, calida, appetitum cibi facientia, aërem phlegmaque dementia, et in paratis cibis, eos perficiendi causâ, multifariam adhibentur.

Inter haec grave, suave et frigidum est Piper longum humidum, phlegmaque amovens; aridum occidit phlegma et aërem, stimulat, bilemque non impedit.

Suave in coctione est Piper nigrum humidum, grave phlegmaque irrigans; pungens, calidum et leve hoc aridum est, non stimulans, phlegma et aërem vincens.

Non perquam calidum, non perquam frigidum circa vim Piper album est, bona qualitate praeditum prae aliis Piperibus, praecipue oculis idoneum.

Zingiber aridum phlegma et aërem occidit, in coctione dulce est, pungens, stimulans, calidum, appetitum cibi efficiens, exhilarans, oleosum, leve, calefaciens. Phlegma et aërem tollens, peridoneum, ischuriam, urinae suppressionem et colicam amovens, pungens et calidum, appetitum cibi faciens, exhilarans et stimulans Amomum zingiber commemoratum est.

Levis, calida et concoquens est Asa foetida, calefaciens, phlegma et aërem vincens, pungens, grata, succosa, acris, colicam et veterem urinae suppressionem amovens.

Acre et calidum, pungens in coctione, cibi appetitum faciens, bilem ignemque augens, pungens, phlegma aëremque rapiens et odore dives est Cumini cymini semen.

Sicut Nigella indica et Asa foetida reputanda est Elettaria cardamomum, in cibis, condimentis et variis alimentis accessoria.

Humidum Coriandrum sativum facere potest gratam suaveolentiam et hilaritatem; hoc aridum dulce est in coctione, gratum, sitim aestumque delens, vitia humorum occidens, pungens, subamarum, sensuum organa purificans.

Citrus acida concoquit, acris est, vermes, aërem phlegmaque amovens, suaveolens, calefaciens, appetitum cibi efficiens, faciei alborem faciens.

Phlegma, aërem, venenum, anhelitum, catarrhum et malum odorem delens, bilem faciens, laterum dolores occidens Anethum sowa narratum est.

Pariter vero Sumuk'ha dignoscendus est, praecipue venenum delens.

Phlegma occidentia, levia, aspera, grata, calida, bilem augentia, pungentia in coctione et gustu sunt Anethum sowa, Ocymum sanctum et Andropogon shoenanthus.

Dulcis, phlegma et aërem occidens, concoquens, gulam purificans, praecipue bilem diripiens, amara, catarrhum mitigans, pungens, alkalinosa et dulcis est Morunga guilandina, amara et biliosa.

Hyperanthera morunga est succosa, amara, intumescentiam occidens, calefaciens, pungens.

Aestuans, pellens faeces et urinam, asperum, acre, calidum, trium humorum vitia efficiens est Sinapis dichotomae olus; Gańdírae et Végae olus etiam.

Plumbago zeylanica et Pterocarpus santalinus phlegma et intumescentiam rapiunt, leviaque sunt.

Varsháb'hú phlegma et aërem occidit et salubris est aegrotis, abdominis tumore et haemorrhoidibus laborantibus.

Pungente et amaro sapore praediti, exhilarantia, appetitum cibi facientia, ignem (digestionem) incendentia, omnia humorum vitia rapientia, levia, gulaeque idonea sunt Raphanus sativus et Bassella rubra.

Magnum, grave, constipans, acre, triumque humorum vitia efficiens est hoc olus crudum; gratum vero, perfectum, bilem amovens, phlegma aëremque vincens, trium humorum vitia sedans, exsiccans, venenum et vitia rapiens, leve, constipans et aërophorum est hoc olus aridum, excepto Raphano sativo.

Flos, folium, fructus, — summe levia haec sunt demonstrata.

Horum (olerum) vero flos phlegmatis et bilis occisor est. Fructus occidere potest phlegma aëremque.

Gratum, calidum, acre, pungens, glutinosum, grave, succosum, suavi sapore praeditum, validum, stimulans, intelligentiam, claram vocem, colorem, visum et fractorum ossium conjunctionem efficiens Allium sativum est, cordis morbos, inveteratam febrem, abdominis dolores, urinae suppressionem, indurationem glandularum mesentericarum, inappetentiam, catarrhum, tumores, haemorrhoides, lepram, bilem, lassitudinem, entozooa, aërem, anhelitum et phlegma occidit.

Non nimis calidum validumque est, aëris occisor, pungens, acre, grave, non valde phlegma delens, vim delens, bilem faciens paululum, ignemque (digestionem) augere potest Allium cepa. Gratum, appetitum cibi procreans, vim corporis elementis efficiens, validum, intelligentiam, phlegma et nutrimentum dans, suave, grave, in sanguine bileque laudatum et glutinosum Allium cepa in lacte dictum est.

Pisi sativi olus bilem occidit, phlegma occidit, aërem procreat, grave, adstringente sapore praeditum dulceque in coctione est."

Marsilia dentata, Púyiká, Aloë perfoliata, Celtis orientalis, Momordica monadelpha, Ficus indica, Semicarpus anacardium, Convolvulus pes caprae, Hedysarum gangeticum, Hedysarum alhagi, Bombax heptaphyllum, Cordia

myxa, Vanaspati, Buchanania latifolia, Canabis sativa, Barleria caerulea, Bauhinia variegata et cetera olera —

„Sunt adstringentia, suavia, amaraque, haemorrhagiam biliosam rapientia, phlegma occidentia, aërem facere possunt, purgatoria, leviaque sunt.

Levis in coctione, entozooa occidens, mucosa, vulneribus (ulceribus) salubris, adstringens, dulcis et prehendens in his Marsilia dentata est, triumque humorum vitia delens.

Oculis idonea, omniaque humorum vitia occidens Celtis orientalis relata est.

Hedysarum gangeticum aërem rapit; Hedysarum alhagi vero exigue validum creditum est.

Ficus glomeratae, Nymphaeae caeruleae et ceterorum surculi adstringentes, frigidi et purgatorii commemorati laudatique sunt ab aegrotis, haemorrhagiam biliosam et dysenteriam habentibus."

Boerhavia diffusa alata, Capparis trifoliata, Aeschynomene sesban, Palma Christi, Menispermum glabrum, Aegle marmelos et cetera olera —

„Sunt calida, dulcamara, aëremque sedantia.

In his Boerhaviae diffusae alatae olus praecipue tumores delet."

Amaranthus polygamus, Basella rubra, Saccharum spontaneum, Chillí, Gummi olibanum, Chenopodium album et cetera olera —

„Urinam faecesque procreantia, alkalinosa dulciaque sunt, saporem, aërem, phlegmaque rapiunt.

Dulcis in gustu et coctione, haemorrhagiam biliosam et saporem tollens, in his frigidissimus et asper est Amaranthus polygamus, venenumque tollens.

Suavis in coctione et gustu, stimulans, aërem, bilem soporemque tollens Basella rubra est, succosa, grata, valida, phlegma faciens, frigida.

Pungens in coctione, vermes occidens, intelligentiam, ignem (digestionem) et vim augens, alkalinosum, omnia humorum vitia occidens Chenopodium album, appetitum faciens, succosum.

Chillí, sicut Chenopodium album, cognoscenda est; Gummi olibanum, sicut Amaranthus polygamus, aërem facit, pellit urinam faecesque, asperum et in bile phlegmateque salubre est.

Olus Sacchari spontanei asperum est et urinam, faeces aëremque pellit."

Hydrocotyle asiatica, Jasminum zambac floribus multiplicatis, Marsilia quadrifolia, Linum utilatissimum, Brahmasuvarchalá, Piper longum, Menispermum cordifolium, Gojihvá, Solanum indicum, Cassia tora, Serratula anthelminthica, Satína, Solani indici et Salani jacquini fructus, Trichosanthes dioeca, Solanum melongena, Cleome pentaphylla, Colotropis gigantea, Kakévuka, Palma Christi, Oldenlandia biflora, Gentiana cherayta, Aegle marmelos, Sapindus saponaria, Luffa acutangula, Vétra, Capparis aphylla, Justicia adhenatoda, Arkapushpí et cetera olera —

„Haemorrhagiam biliosam rapientia appellantur, grata et perlevia sunt, lepram, urethritidem gonorrhoicam, febrem, anhelitum, catarrhum et inappetentiam rapiunt.

Adstringens vero, salubris in bile, suavis in coctione et gustu, frigida et levis est Hydrocotyle asiatica; sic etim Gojihvika credita est.

Non aestuosa, trium humorum vitia occidens, purgatoria est Marsilia quadrifolia.

Seratula anthelminthica pungens in coctione, amara, bilem et phlegma tollens.

Subamarum, trium humorum vitia occidens et pungens est olus, a Satína ortum, non valde calidum et frigidum, lepram occidens, Solani indici indole praeditum.

Impetigines, lepram et vermes occidunt, phlegma et aërem rapiunt fructus Solanorum pungentes, amari et leves sunt.

Phlegma et bilem rapiens, vulneribus (ulceribus) idonea, calida, amara, non aërophora est Trichosanthes dioeca, pungens in coctione, stimulans, appetitum cibi incendens.

Phlegma aëremque rapiens, amarum, cibi appetentiam procreans, pungens et leve est Solanum melongena; calefaciens dictum est vetus, alkalinosum et biliosum.

Pariter Aegle marmelos declarata est; sic etiam Cleome pentaphylla.

Justicia adhenatoda, Vétrae summitates, Menispermum cordifolium, Melia azidaracta, Oldenlandia biflora et Gentiana cherayta salubria, amara, bilem phlegmaque occidentia sunt.

Phlegma occidens olus dictum est Capparis trifoliatae et Cassiae torae.

Asperum, leve, frigidum, aërem bilemque irritans, calefaciens Convolvuli turpethi nigri olus, venenum humorumque vitia rapiens et pungens.

Carthami tinctorii olus dulce, asperum, calidum, phlegma rapiens et leve est.

Hibisci cannabini olus aërophorum, bilem occidens, dulceque.

Purgatoria, haemorroidum morbos occidens, amara, in aëre et phlegmate salubris, calida, adstringens et dulcis est Oxalis monadelpha, ignemque (digestionem) incendens.“

Rumex vesicarius, Asa foetida, Butea frondosa, Achyranthes triandra, Bryonia grandis, Linum utilatissimum, Amaranthus ruber, Ocymum sanctum, Kuntaliká, Barleria prionitis et cetera olera. —

„Suaves in coctione et gustu, frigidae, phlegma occidentes, non nimis biliosae, salino sapore praeditae, asperae, alkalinosae, aërophorae, succosae, dulcamarae et adstringentes sunt Kuntaliká et Barleria prionitis.

Purgatorium, frigidum, leve et humorum vitia refraenans Rajakshavakae olus est; Curcumae zerumbet olus eandem indolem habet.

Suave in coctione et gustu, difficile digestu est olus, a Cicere arietino ortum.

Separans, dulce, asperum et nimium aërem procreans Pisum sativum est.

Sransana (Salvadora persica?) pungens in coctione, levis, aërem, phlegmaque tollens.

Tumores occidens, calidum validumque est folium a Caesalpinia bonducella ortum.

Piperis betel folium est acre, calidum, pungens, bilem irritans, suaveolens, album, amarum, excellentissimum, aërem phlegmaque tollens.

Sransana est pungens in coctione, adstringens, ignem (digestionem) incendens, oris pruriginem, excretiones humorales, malum odorem et cetera purificans."

Nunc florum classis.

Bauhiniae variegatae, Cannabis sativae et Bombacis heptaphylli flores sunt dulces, dulces in coctione, haemorrhagiam biliosam tollentes.

Justiciae gandarussae et Aeschynomenes grandiflorae flores sunt amari, pungentes, pungentes in coctione, pneumophthisin et catarrhum occidentes.

Hyperantherae morungae et Capparis aphyllae flores sunt pungentes in coctione, aërem tollentes, excernentes urinam et faeces.

„Aeschynomenes grandiflorae flos, non nimis frigidus et calidus, a caecis laudatur.

Raktavrĭkshae, Meliae azidaractae, Mushkakarkasanae et Echites antidysentericae flos phlegma et bilem rapit, lepramque occidit.

Dulcamarus et frigidus est Nelumbii speciosi flos, bilem et phlegma delens.

Dulcis, mucosus, gratus, exhilarans et frigidus est Nymphaeae esculentae flos. Atque hic aliquanto alia qualitate praeditas cognoscat medicus Kuvalayam et Nymphaeam coeruleam.

Viticem negundinem dignoscat medicus salubrem, fel delentem.

Jasmini grandiflori et Jasmini zambac flores sunt amari, ob bonum odorem bilem delentes.

Suaveolens, albus et gratus est Mimusopsis elengi flos et Bignoniae suaveolentis flores.

Phlegma, bilem et venenum occidit Rottleriae tinctoriae flos, pariterque Croci sativi flos.

Micheliae champacae flos haemorrhagiam biliosam occidit, frigidus calidusque est, phlegmaque delet.

Buteae frondosae flos phlegma et bilem occidit; sic quoque Barleriae prionitis flos.

Quomodo arborem dijudicare potest medicus, sic etiam florem arbori proprium.

Hyperantherae morungae et Capparis aphyllae flores sunt pungentes et phlegma rapientes."

Sinapis dichotomae, Kulécharae, Bambusae arundinaceae, Capparis aphyllae et cet. flores phlegma tollunt, excernuntque urinam et faeces.

„Sinapis dichotomae flos anthelminthicus in his est, suavis in coctione, mucosus, destillans, aërophorus, neque vero valde bilem et phlegma faciens. Vénae summitates sunt phlegmaticae, dulces circa gustum et coctionem, fervefacientes, aërophorae, adstringentes et exasperatae.“

Progerminantia vegetabilia a stramento, Saccharo officinarum, stercore vaccino arido, Bambusâ arundinacea, aut a terra orta sunt.

Hic a stramento ortum dulce est, dulce in coctione, asperum et vitia humorum sedans.

A Saccharo officinarum ortum dulce est, adstringente sapore praeditum, pungens et frigidum.

Sic quoque calidum est a stercore vaccino arido ortum, adstringens, aëremque irritans.

A Bambusa arundinacea ortum adstringens, aëremque irritans.

A terra ortum grave et non nimis aërophorum est, terraeque saporem habet.

Amurca, Sesami orientalis sedimentum oleosum et St'huñika arida sunt olera, omnium humorum vitia irritantia.

„Constipantia commemorata sunt omnia legumina, aëremque irritantia.

Sińďákí est aërophora, crassans, appetitum cibi producens, bilem incendens.

Faeces excernens, grave, asperum, saepe constipans, difficile digestu et adstringens omne dulce olus relatum est.

Flos, folium, fructus, caulis, radicesque gravia sunt ordinatim.

Durum, vetus, vermibus corruptum, in vili fundo ortum foliorum olus relinquendum est, illudque, quod intempestive excrescit.“

Radices deinceps demonstraturi sumus.

Convolvuli paniculati bulbus, Asparagi racemosi, Nymphaeae odoratae, Nelumbii speciosi, Trapae bispinosae, Scirpi kysoor, Pińďálukae, dulcis Solani tuberosi radix, Hastis radix, Curcumae zanthorhizae radix, Śank'hae radix, Abri precatorii radix, Nymphaeae caeruleae, Costique speciosi radix et ceterae radices —

„Haemorrhagiam biliosam rapientes dicuntur, frigidae, dulces, graves, valde semen virile procreantes, lac et incrementum facientes.

Dulcis, nutriens, stimulans, frigida, praecipua et nimis diuretica est Convolvuli paniculati radix, valida vero et bilem aëremque rapiens.

Aërem et bilem rapiens, stimulans et dulcamarus est Asparagus racemosus, magnus etiam et gratus, intelligentiam, ignem (digestionem) et robur augens, purgatorius, haemorrhoidum morbum occidens, stimulans, frigidus et Elixirium vitae est; phlegma et bilem rapientia et amara ejus germina commemorata sunt.

Non calida Nymphaeae odoratae radix praedicata est, haemorrhagiam biliosam sedans, constipans, difficilis digestu, aspera, insipida, aëremque delens.

Graves, constipantes, refrigerantesque Trapa bispinosa et Scirpus kysoor sunt.

Pińḋáluka phlegma facit, grave est et aërem irritat.

Suréndrae radix phlegma occidit, in coctione pungit, bilem facit.

Bambusae arundinaceae gramina sunt gravia, phlegma et aërem irritantia."

Ari colocasiae, Ari campanulati, Ari indici et ceterae radices paululum adstringentes, pungentes, asperae, constipantes, graves, phlegmaticae et aërophorae, bilemque rapientes.

„Ari indici radix suavis, frigida et gravis dicta est.

Ari colocasiae vero radix non ultra modum calida est.

Ari campanulati radix haemorrhoidum occisor est.

Nymphaeae esculentae et Nelumbii speciosi radices aërem irritant, adstringunt, bilem sedant, in coctione dulces sunt et frigidae.

Convolvuli paniculati radix phlegma occidit, pungit in gustu et coctione, urethritidem gonorrhoicam, lepram vermesque tollit, valida, stimulans et elixirium vitae est."

Borassi flabelliformis, Cocos nuciferae, Elatae sylvestris et ceterorum fructuum medullae —

„Dulces in coctione et gustu dicuntur, sic etiam haemorrhagiam biliosam tollunt, semen virile procreant, aërem occidunt, phlegma etiam et robur faciunt.

Recentem vero, intempestivam, veterem, morbosam, et a vermibus corrosam radicem relinquat medicus, quaeve omnino non excrescit."

Nunc salium classis.

Sal fossile, sal marinum, murias sodae impurae, natron, Romaka, sal culinarium et cetera summe calida sunt, aërem tollunt, phlegma et bilem faciunt, ex ordine grata, suavia, pellentia urinam et faeces.

„Oculis idoneum est sal fossile, jucundum, appetitum cibi faciens, leve, ignem (digestionem) incendens, gratum, simul dulce, stimulans, frigidum, vitia humorum occidens, summum.

Sal marinum dulce in coctione, non nimis calidum, non calefaciens, excernens, gratum, paululum dolores occidens, non nimis biliosum.

Alkalinosa, calefaciens, aspera, colicam et cordis morbos delens, appetitum cibi faciens, acris et calida est murias sodae impurae, aëremque rectificans.

Leve est Natron in coctione, validum, calidum, album, pungens, indurationem glandularum mesentericarum, colicam et ischuriam occidens, gratum, suaveolens, appetitumque cibi faciens.

Romaka acre, nimis calidum, stimulans, pungens in coctione, aërem occidens, leve, destillatum, mite faeces excernens, diureticumque est.

Leve, calidum, irrigans, mite, aërem corrigens, amarum, pungens et alkalinosum cognoscat medicus sal culinarium.

Phlegma, aërem et vermes rapiens, vomitorium, bilem irritans, calefaciens, maturans et separans sal globosum dictum est.

Salinis natum, ab arena et terra ortum, a montium radicum cuniculis ortum sal pungente sapore praeditum, incidens, insalubre et pungens dicitur."

Nitrum, Svarjika coctum, Borax —

„Indurationem glandularum mesentericarum, haemorrhoidès, diarrhoeam, vitia humorum, calculorum morbum et lithiasin delentia kalia omnia, haemorrhagiamque biliosam efficientia, commemorata sunt.

Cognoscenda sunt duo kalia igni similia, Svarjika et nitrum, semen virile, phlegma, ischuriam, haemorroides, indurationem glandularum mesentericarum et lienis affectiones delentia.

Calidum, aërem occidens et humectans est salinarum kali, firmitatemque tollens.

Adipem occidit coctum kali, urinam et alvum purgat.

Asperum, aërem faciens, phlegma occidens, bilem corrumpens, ignem (digestionem) incensum efficiens et acre kali boracicum dicitur, excellens, suave, gratum, nutriens, Elixirium vitae, trium humorum vitia occidens, frigidum, oculis idoneum, venenum destruens, formosum, acidum, succosumque est.

Frigidum, gratum, bilem et aërem amovens cuprum est, adstringens, dulce, vomitorium.

Frigidum, succosum et amarum est cuprum album, vomitorium, oculis idoneum, phlegma et aërem vincens.

Aërem faciens et frigidum est ferrum, sitim, bilem et phlegma amovens.

Pungentia et vermes occidentia sunt salia duo, stannum et plumbum, vomitoriaque.

Margarita, corallium, adamas, Indrae gemma, crystallum et cetera oculis idoneae gemmae sunt, frigidae, vomitoriae, venenum destruentes, purae, roborantes, peccata sceleraque in Lakshmím tollentes.

In frumentis, carnibus, fructibus, oleribus non explicatum metiatur hoc loco medicus gustatu, rerumque qualitatibus; meditatus hanc demonstret substantiam non exigua mente praeditus. —

Oryza praecox, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Ervum hirsutum, Oryza sativa, Phaseolus mungo, Cytisus cajan et Cicer lens in fructibus praecipua sunt commemorata.

Perdix chinensis, Tetrao cinerea, Cuculus melanoleucos, Antilope communis, Antilope nigra, Pińjala, Pavo cristatus, Varmi, testudoque optima animalia sunt in carnis classibus.

Malum granatum, Phyllanthi emblicae, Vitis viniferae, Elates sylvestris,

Xylocarpi granati, Buchananiae latifoliae et Citri medicae fructus in fructuum classe laudantur.

Pisum, Chenopodium album, Marsilia dentata, Vastuka, Raphanus sativus, Basella rubra, Hydrocotyle asiatica et Terminalia chebula in olerum classe laudantur.

Vaccinum lac et butyrum clarificatum optima sunt.

Sal fossile in salibus; Phillanthus emblica et Malum granatum in acidis; Piper longum et Zingiber aridum in pungente sapore; in amaritudine Trichosanthes dioeca et Solanum melongena; in dulcedine butyrum clarificatum et mel indicantur; Arecae faufel et Xylocarpi granati fructus optimus est in adstringente sapore; in sacchararum officinarum praeparatibus potiones, scilicet spiritus de Bassiae latifoliae floribus et sicera; annua Oryza sativa et caro in aetate media non fatuus cibus est; perfectus et magnitudine pulcher est fructus adultus; olus non aridum, recens et novum (optimum est)."

Porro factorum ciborum qualitates prolixe indicaturi sumus.

„De Andropogi muricati radice infusio purificatis hominibus conveniens, maturans et calefaciens est.

Aëri idoneum et exhilarans est Piper longum, Zingiberi arido conjunctum.

Sudorem et ignem (digestionem) generans, leve, calefaciens, alvum purgans, destillationem, sitim, lassitudinem et languorem rapiens est oryzae decoctum, aërem corrigens.

Alica oryzae exhilarans et grata est, purgatoria, vim augens, salubris, suavi sapore praedita, levis, calefaciens, destillationem et sitim tollens; grata, exhilarans, stimulans, nutriens et vim augens est cum oleribus, carnibus et fructibus conjuncta.

Alicae de oryza, in aqua fermentatae, difficiles digestu sunt.

Oryzis coctis derelicta infusio est oryzae decoctum, oryzis coctis impletum.

Alica oryzae, vehementer cocta, fiat oryzae fermentum, cum jure paratum.

Constipans est oryza cum lacte et saccharo parata, valida, adipem et phlegma faciens, gravis.

Phlegma et bilem faciens validaque est oryza cum Sesamo orientali et lacte parata, aëremque delens.

Munda, clara, pura, pulchra, suaveolens, aequabilis, exsudata, bene destillata, calida et alba oryza cocta, levis est; immunda, non destillata, non exsudata et frigida oryza cocta, gravis est.

Levis et suaveolens dijudicanda est oryza tosta, phlegmatisque interfectrix.

Oleis, carnibus, fructibus, radicibus, leguminibusque acidis conjunctae oryzae graves, nutrientes et validae sunt, eaeque, quae cum lacte paratae sunt.

Bene exsudata, excorticata, tosta et paululum cocta oryza levis et salubris est.

Exsudatum et expressum olus salubre est, oleo confectum; non exsudatum, oleo carens, non expressum, insalubre est.

Caro, suapto natura stimulans, opima, robur auget.

Cum oleo, lacte, frumentis acidis et fructibus acidis pungentibusque parata caro salubris, valida, appetitum cibi procreans, nutriens et gravis est. Hanc etiam, lacti impositam, suaveolente substantia confectam, cognoscat medicus bilem et phlegma purgantem, robur, carnem ignemque augentem, exsiccantem, condensantem, gratam, exhilarantem, satisfacientem, gravem, appetitum cibi procreantem, robur, adipem, ignem, carnem, vitalitatem et semen virile augentem. Haec etiam a dissecando et terendo dissecta caro a coctoribus appellatur. Cum exsiccantibus ignis qualitatibus conjuncta et deinde cocta caro levis est. Haec etiam, veribus fixa, in prunis assa, cognoscenda est gravior; aliquantum illita, gravis fit coctione; dissecta, tosta, contrita, calefacta, subfusce cocta, exsiccata, adusta, veru assa, et quaevis alia talis caro est, quae oleo Sesami orientalis parata sit, valida et calida est, bilem facit et gravis est.

Levis, ignem (digestionem) incendens, grata, appetitum cibi procreans, visum perficiens, nec calida nec valida, bilem occidens et pulchra est caro cum butyro clarificato parata.

Laetificans, vitalitatem generans, anhelitum, catarrhum et phthisin pneumonalem tollens, aërem, bilem, torporem rapiens et gratum jus carnis commemoratum est aegrotis, memoriâ, vitalitate voceque orbatis, febre, emaciato exulceratoque ubere vexatis, fractos et disunitos articulos habentibus, macris, parva gonnorrhoea laborantibus, humectas vias efficiens, illinens, et semen virile, vitalitatem roburque augens; cum malo granato conjunctum irritat, perfectum est et vitia humorum delet. Quae caro extracta est ex jure, ea non nutritionem et vim amittit, roborat, difficilis digestu, aspera et exsucca est, aëremque tollit.

Bona digestione praeditis semper convenit K'hanishka, summe gravis.

Carnem exossatam, bene exsudatam, rursus sub lapide contritam, Pipere longo, Zingiberi arido, Pipere nigro, Saccharo crudo et butyro clarificato impletam in unum concoquat omnino; hoc condimentum commemoratum est. Condimentum hoc grave est, gratum, validum, aëris morbos tollens, satisfaciens omnibus corporis elementis, praecipue vero aegrotis, oris exsiccatione laborantibus.

Destillationem et sitim rapiens, optimusque est Sauravas, suavis et frigidus.

Phlegma occidens, calefaciens, gratum puris hominibus cognoscendum est, saluberrimum etiam, Phaseoli mungonis jus, aut paratum aut non paratum. Hoc vero, cum malo granato et uvis conjunctum, animi affectionibus idoneum esse potest, appetitum cibi facit, leve est in coctione, humorum vitiis nullum impedimentum facit.

Ervo hirsuto, Phaseole mungone, Tritico aestivo, Dolicho bifloro et sale paratum (jus) phlegma bilemque non impedire potest, in aërisque morbis laudatur; cum uvis et malo granato conjunctum hoc etiam aërem occidens dictum est; appetitum cibi faciens, calefaciens, gratum et leve in coctione demonstratur.

Trichosanthis dioecae et Meliae azidaractae juscula phlegma et adipem exsiccant, bilem occidunt, calefaciunt, grata sunt, vermes, lepram febremque tollunt.

Anhelitum, catarrhum, tussim, destillationem, inappetentiam febremque occidit Raphani sativi jusculum, phlegma, adipem, gutturisque morbos.

Dolichi biflori jusculum aëris occisor est, anhelitum et catarrhum delet.

Túñí (the Tun tree) dolores circa rectum, catarrhum, haemorrhoides, indurationem glandularum mesentericarum et flatulescentiam delet.

Mali granati et Phyllanthi emblicae jusculum est gratum, sedans, leve, vitalitatem et ignem generans, lipothymiam et adipem occidens, bilem aëremque vincens.

Phaseoli mungonis et Phyllanthi emblicae jusculum purgatorium est, in statu bilioso et phlegmatico salubre.

Hordei hexastichi, Zizyphi jujubae fructus, Dolichique biflori jusculum gutturi idoneum est, aëremque tollit.

Omne frumentis paratum jusculum pariter nutrit et vitalitatem auget.

Olei sedimentum et Kámbalika sunt grata, pariterque in aëre et phlegmate salubria.

Valida est, phlegma et aërem occidit pomi granati aciditas, ignemque (digestionem) incendit.

Lactis coagulati aciditas phlegma facit, valida, grata, aërem rapiens et levis est.

Lactis ebutyrati aciditas bilem faciens praedicata est, veneno sanguinem corrumpit.

Syrupi, Syrupi cum fermentatae oryzae decoctis, Shádavae, et potiones sic ceterae aliae parantur medici praecepto.

Ingratum sal omne imperfectum, pungente sapore carens, cognoscendum est; sal gratum, pungente sapore praeditum, perfectum est.

Lacte, frumentis et fructibus acidis impletum jusculum summe leve et salubre est, perfectum imperfectumque in gustu.

Lacte coagulato et sero lactis acide paratum jusculum Kámbalika commemoratum est.

A Sesami orientalis sedimento liquor spirituosus, aridum olus floreum et Siñdakí gravia sunt, phlegma bilemque facientia; pariterque legumina in oleo tosta dicunt calefacientia et gravia.

Leves, nutrientes, stimulantes, grati, appetitum cibi incendentes, sitim,

lipothymiam, vertiginem, vomitum et lassitudinem occidentes sunt syrupi mangonici.

Lac coagulatum cum saccharo et aromatibus commixtum nutrit, validum et gratum est, stimulat, appetitumque cibi facit.

Cum saccharo crudo commixtum lac coagulatum unguinosum et gratum est, aëremque tollit.

Oryza tosta, contrita, butyro clarificato oblita, aquâ frigida circumfusa, non nimis fluida, non nimis densa, puls demonstratur. Puls statim robur facit, sitim et lassitudinem delet; cum acido et mucoso saccharo parata, urinae dolores et flatulescentiam delet; cum saccharo candido, sacchari officinarum succo et uvis conjuncta, biliosos morbos amovet; cum uvis et melle conjuncta, phlegmaticos morbos aufert. Hoc triplici pultis genere relata est excretionum et vitiorum humorum correctio.

Cum saccharo parata, vel acida, vel non acida potio gravis et diuretica est; sic rursus potio cum syrupis, uvis et saccharo candido commixta. Acida, peracris et perfrigida potio fieri potest nocens; uvea vero lassitudinem rapit, lipothymiam, aestum et sitim tollit.

Xyllocarpi granati et Zizyphi jujubae fructuum potio grata et stabilis est.

Substantiarum compositione mensurâque undique cognitis, potionum, ad compositionem, gravitatem levitatemque medicus demonstret."

Sic factorum ciborum classis.

Porro paratos cibos circa gustum, facultates et coctionem indicaturus sum.

„Cibi parati, lacte confecti, validi, stimulantes, grati, suaveolentes, non aestuantes, nutritionem facientes, calefacientes, bilem delentes sunt.

Horum ciborum vitalitatem faciunt et grati sunt butyracei, phlegma tollunt, aërem et bilem rapiunt, stimulant, graves sunt, sanguini et carni idonei.

Nutrientes sunt cibi syrupo parati, graves, aërem delentes, non aestuantes, bilem rapientes, semen virile procreantes, phlegma augentes.

Libum mellitum et scriblitae butyraceae sunt placentae praecipue graves, nutrientes, — dulciola digestu perdifficilia.

Appetitum cibi procreans, calefaciens, valde excellens, bilem occidens, aërem tollens, gravis, maxime purificatus etiam et vitalitatem augens est Sadrikas.

Exhilarans, suaveolens, dulcis, gratus, phlegma faciens, gravis, aërem tollens, gaudium faciens et validus Vishyandanas commemoratus est.

Nutrientes, aërem et bilem occidentes et validi sunt cibi triticinis farinis parati.

Grata, saluberrima horum ciborum et levia sunt oryzae juscula et cet.

Phascolo mungone et ceteris aromatibus repleti cibi obstruentes crediti sunt.

Aromatibus et carnibus repleti cibi graves sunt et nutriunt.

Carnei cibi phlegma generant.

Oryzae ptisanaria phlegmate et bile praedita sunt.

Validi et calidi sunt farinacei cibi, phlegma et bilem irritant, calefaciunt, non nimis roborant, praecipue graves sunt.

Leguminosi cibi leves sunt, restringunt, creant aërem.

Obstringunt, bile conferti, phlegma occidentes, excernentes faeces, validi, stimulantes et graves cognoscendi sunt cibi, Phaseolo radiato parati.

Lacte coagulato facti cibi sunt graves, non nimis biliosi.

Ex Virúd'haka parati cibi graves, aëre et bile repleti sunt, aestum et dolores generant, asperi sunt, visum corrumpunt.

Exhilarantes, suaveolentes, stimulantes, leves sunt cum butyro clarificato cocti cibi, aërem et bilem rapiunt, validi sunt, colorem et visum perficiunt.

Calefaciunt oleo Sesami orientalis facti cibi, graves sunt, pungunt in coctione, calidi sunt, aërem visumque occidunt, biliosi sunt et cutem corrumpunt.

Fructibus, carnibus, saccharis, liquoribus spirituosis, oleo Sesami orientalis et Phaseolo radiato confecti cibi validi et graves sunt, nutriunt et cor exhilarant.

Multitudine carbonum cocti cibi leves sunt et aërem irritant.

Bene cocti cibi tenues et maxime leves commemorati sunt.

A lacte densato parati et cet. cibi graves sunt et phlegma augent.

Oryzae alica fermentata aërophora, aspera, gravis est et excernit faeces.

Flatulescentiam rapit Sida cordifolia, catarrhum, tussim et urethritidem gonorrhoicam amovet.

D'hánolumbae leves sunt, Phlegma et adipem exsiccant.

Oryzae farina tosta nutrit, stimulat, sitim, bilem et phlegma tollit, flava est, statim robur facit, excernit, aërem occidit.

Gravis est Cucurbita longa, acutaque ultra modum; levis haec etiam e contrario est.

Oryzae farinae tostae linctus celeriter digeri potest propter teneritudinem.

Frumenta irrigua vomitum et dysenteriam occidunt, calefaciunt, phlegma delent, valida, adstringentia, dulcia et levia sunt, sitim et excretiones tollunt.

Sitim, vomitum, aestum, sudorem doloremque amoventes horum (frumentorum) farinae creditae sunt.

Haemorrhagiam biliosam rapiunt, aestum et febrem delent oryzae placentae, graves, gratae, nutrientes, phlegma augentes et validae sunt, ex aquae indole aërem occidunt, excernunt faeces.

Maxime indigestibilis, suavi gustu praedita et nutriens est oryza vannata recens; liquorem spirituosum faciens, urethritidem gonorrhoicam rapiens vetus oryza vannata commemorata est.

Medicus vero substantiarum compositiones, perfectiones et imperfectiones intuitus, quando rationem csurorum cogitato iniverit, ob variarum substantiarum naturam secundum sacram doctrinam (Śastratas) eas designet."

Porro omnia fluida vehicula demonstraturi sumus.

„Aciditate quidam caesi homines in dulcedinis usu animantes fiunt; sic dulcedine expleti in aciditatis usu ipsorum exoptatam praedicant salubritatem.

Frigidae calidaeque aquae, spiritus destillati, vini, pisini jusculi, fructuum frumentorumque aciditatis, et lactis quodcunque fluidum vehiculum unicuique homini salubre est, illud ipsi moderate porrigendum est.

Morbum et tempus (stadium morbi) intuitis sapientibus substantiae hae illaeve comedendae sunt.

In omnibus fluidis vehiculis praecipuum esse dicunt aquam, quae pura, claro splendore praedita, tanquam mundi origo et cet., laudata est. Aquae indolem habere omnia fluida vehicula visa sunt. —

Summarium hoc traditum est de fluidis vehiculis; deinceps fusius edisserturus sum.

Calida aqua, fluidum vehiculum oleorum, laudatur, praeter Semicarpi anacardii et Cytisi cajan oleum.

Fluidum vehiculum dicunt in solo oleo Sesami orientalis, pisinum jusculum et acidum fermentatum oryzae jus continente, esse frigidam aquam; mellis, contritique cibi omnino (fluidum vehiculum esse frigidam aquam).

Lac coagulatum, oryza cum lacte decocta et vinum, contritum in ferro, quidam indicant liquidum vehiculum dulciter fluidum pro aegroto doloribus et venenis corrupto; lac vel carnis jus etiam (dicunt fluidum vehiculum) pro comedentibus oryzam sativam et Phaseolum mungonem et cet. in pugnis, itineribus, aestu, doloribus, veneficio et vini morbo.

Phaseoli radiati et cet. fluidum vehiculum, scilicet aqua oryzae fermentata, lac coagulatum et vinum a vini amatoribus, in omnibus carnibus honoratum est. — Ab hominibus nullum vinum bibentibus fermentata oryzae aqua laudatur. — Lac pro hominibus, ardore, itineribus, sermonibus, et uxoribus defatigatis, ambrosiae simile est. — Spirituoso liquore emaciatorum et corpulentorum fluidum vehiculum est hydromeli, reconvalescentibus in media cibatione idoneum dictum.

Blandum et calidum in aëre idoneum est, in phlegmate asperum et calidum optatur, in bile salubre est dulce et frigidum fluidum vehiculum.

Salubre est sanguinosis et biliosis lac et sacchari succus; Asclepiadis giganteae, Cordiae mixae et Mimosae sirishae spiritus in veneficii doloribus. —

Porro pro omnibus classibus fluidum vehiculum singulatim indicaturus sum ex ordine. A me audi!"

Hic primum fructus generantium, scilicet Zizyphi jujubae, acidorum et leguminum, aqua oryzae fermentata (vehiculum est); celeripedum et a fundo

ortorum animalium, spiritus Piperis longi destillatus; avium, Plumbaginis zeylanicae et Zizyphi jujubae spiritus destillatus; falconum, Ficus glomeratae spiritus destillatus; speluncas habitantium, Elates sylvestris et Cocos nuciferae spiritus destillatus; in foliis viventium animalium, Kṛĭshńagrand'hae spiritus destillatus; cava habitantium, fructuum succorum spiritus destillatus; solipedum, trium Myrobalanorum spiritus destillatus; bifidas ungulas habentium, Mimosae feragineae spiritus destillatus; ambulatorum in piscinis, Trapae bispinosae et Scirpi kysoor spiritus destillatus; vaginas habitantium animalium idem; subsilientium animalium, sacchari succi spiritus destillatus; fluviatilium, Andropogi muricati spiritus destillatus; marinorum animalium, Citri medicae spiritus destillatus; acidorum fructuum (vehiculum est) Nelumbii speciosi et Nymphaeae caeruleae bulborum spiritus destillatus; adstringentium, Punicae granati et arundinum (vétra) spiritus destillatus; dulcium, ex Pipere longo, nigro, et Zingiberi arido compositus bulborum spiritus destillatus; Borassi flabelliformis fructuum et cet., aqua oryzae fermentata; pungentium, Agrostis linearis, Plumbaginis zeylanicae et arundinis spiritus destillatus; Piperis longi et cet., Flacourtiae cataphractae et Aeschynomenes grandiflorae spiritus destillatus; Cucurbitae peponis et cet., Curcumae zanthorrhizi et Capparis aphyllae spiritus destillatus; Marsiliae dentatae et cet., Symploci racemosae spiritus destillatus; Celtis orientalis et cet., trium Myrobalanorum spiritus destillatus; de Carthamo tintorio oleris, idem; Hydrocotyles asiaticae et cet., magnarum quinque radicum spiritus destillatus; Andropogi shoenanthi summitatum et cet., acidorum fructuum spiritus destillatus; salis fossilis et cet., liquor spirituosus et aqua oryzae fermentata; aqua vero ubique (fluidum vehiculum est).

Sunt hic ślokae:

„Omnium fluidorum vehiculorum magni Indrae aqua praestantissimum est. Cuicunque vero quae aqua conveniens est, haec illi salubris dicitur: in aëre et phlegmate calida aqua, in bile et sanguine frigida.

Vitiosus et gravis est cibus immodicus, sicut alimentum, indicato fluido vehiculo voluptarium, digeritur.

Appetitum cibi faciens, nutriens, stimulans, vitiorum humorum accumulationem findens, exhilarans, mitigationem faciens, lassitudinem et defatigationem rapiens, voluptarium, calefaciens, vitia humorum sedans, sitim delens, eximium, validum et colorem faciens omnino fluidum vehiculum semper dicitur.

Itaque in principio minuat, sistat in medio pótum honoratum, postea pótum augeat; idcirco, intuitus fiirmitatem, applicet medicus acceptum inhumectumque cibum hominum fluida non bibentium.

Non dolores generat vehiculum fluidum; ideo bibi debet. Neque vero bibat anhelitu et catarrho vexatus, in morboque sursum ad claviculam gresso. Vulnerato (ulceroso) pectore praeditus et destillatione vexatus, et cujus res-

piratio suppressa est, cum biberit, iter, sermonem, studium, cantum et somnum ne frequentet. Hujus enim sedes morbi exitialis, in collo et pectore sita, destillationem, aestum, lassitudinem, vomitum et ceteros morbos procreare potest multos. Gravitatis et levitatis computatio haec propriam naturam ne transgrediatur; sic ne perfectas mensuras et tempora. — Qui vero ebriositate et aestu aegri juvenes, voluptatique dediti homines sunt, eorum enim computatio indicata est. — Qui validi sunt, acresque cibos sumunt, qui et incenso igne (digestione) praediti homines sunt, qui negotia sempiterna gerunt, eorum non sane computatio indicatur."

Sic omnium fluidorum vehiculorum classis.

Nunc ciborum doctrinam, care *Suśruta,* prolixe totam audi!

Utensilibus instructa, non impleta, lucida culina efficienda est. Ibi ex utensilibus bona qualitate praeditus cibus coquendus est, beneque confectus.

In lucida regione bene reconditum reservet medicus, antidotis medicamentis tactum, aquis in labro conspersum, et, veneno perfectis Mantris deleto, perfectum cibum nunciet.

Porro universam cibi praeparationem dicturus sum.

Butyrum clarificatum in exsculpendo ferro dandum; oryza vero danda est in argenteo vase; fructus omnesque cibos porrigat coctor in patinis fictilibus; asa et liquamina in aureis suppeditet; liquida fluidaque in argenteis vasis offerat; condituras syruposque omnes in lapideis vasis praebeat; det in cuprea patera perfrigidum et bene coctum lac; aquam potabilem et vinum in terreis vasis porrigat; in vitreis et crystallinis pateris frigidis et splenditis, in paterisque a lapide Lazuli factis ecligmati (Rágasháḍava) similes cibos det; in pura patera, bene larga amabilique jusculum oryzae coctae, liquaminaque bene parata porrigat; fructus et omnes cibos assos in dextro latere comesoris ponat; fluida et liquores, aquam potabilem, lac, syrupos, jura pisina potabilia in sinistro latere porrigat; omnes saccharo paratos et ecligmati similes cibos ponat sapiens in duorum (comesorum) medio.

Sic dijudicatis cibi praeparationibus, doctus comesori in solitaria, amoena, non angusta, pulchra, pura, suaveolentibus floribus instructa et aequali regione ad edendum porrigat cibum exoptatis confectionibus, idoneis et exoptatis saporibus et cet. praeditum, gratum, purum, non nimis calidum, recentem et salubrem.

Prius dulcem cibum comedat; in medio acidos et salinos sapores, postea reliquos sapores medicus in cibis praescribat.

Principio fructus comedat sapiens, malum granatum et ceteros; deinde bibendos, tum edendos cibos; deinceps varios. Solidum cibum prius esse edendum quidam perperam dicunt.

In principio, fine et medio coenae laudatur ab hominibus immortalis vitiaque humorum rapiens Phyllanthus emblica in fructū. Andropogi muri-

cati, Nymphaeae odoratae et Nymphaeae nelumbonis bulbi, Saccharum officinarum et cet. prius conjungenda sunt a medico, nec vero in coena ullo modo.

Laete sublimi solio sedens, aequabili corpore praeditus, cibum appetens tempori convenientem, levem, gratum, celeriter calefactum, in substantia excellentissimum cibum essuriens modice comedat, in doctrina versatus. Tempori comesus laetificat conveniens cibus, nec vero contristat. Levis cibus celeriter adit coctionem; gratus, calidus, validus, salubris, celeriter comesus et aequaliter coctus it; non vitia humorum facit in substantia excellentissimus. Laete digeritur modice (comesus cibus), corporisque elementorum aequabilitatem efficit.

Quibus anni temporibus vigilae perlongae sunt, divitias, illis temporibus oppositas, comedat mane; quibus vero (anni temporibus) dies perlongi sunt, his convenientes (divitiae) postmeridiano tempore laudantur; quibus (anni temporibus) noctes et dies aequales sunt, his, cum aequale fecerit diei et noctis tempus, comedat cibum, neque praematuro, nec praeterlapso tempore, nec comminutum, nec superfluum. Praematuro enim tempore comedens homo in corpore non levi hos illosque morbos nanciscitur, mortemve incitat; praeterlapso tempore comedens in bile, aëre vexatâ, ob dolorem non coquit cibum, secundumque non appetit; comminutus cibus injucunditatem facit, viriumque interitum; ignaviam, gravitatem, superbiam, lassitudinem facit superfluus cibus. Itaque bene confectum compositione, vitiis illis liberatum, dicta qualitate praeditum sumat cibum.

Tempore, vitiis humorum, ceterisque dijudicatis, impurum, corruptum, relictum, calculosum, graminosum, glebosum, odiosum, combustum, ingrato odore praeditum cibum ambobus anni temporibus relinquat. Diu paratus, rigidus, frigidus, iterum calefactus, implacidus, adustusque cibus suavis esse non videtur. Quo quisque cibus est suavior, eo posterius porrigi debet. Elui debet aquis os comesoris identidem. Gustu enim purificato, illi placet cibus subsequens. Suavi primo cibo si comesoris gustus saturatus est, non tam suavis esse potest cibus alius; ideo eluendum est interim os. Bonum animum, robur, nutritionem, contentionem, gaudium, voluptatemque suavis generat cibus, insuavis vero contrarium.

Fruitus cibo, quem appetit, ampliusque suavem cibum coenatus, aquam simul comesor interim bibat.

Dentes ingressum cibum purificatione extrahat lente; facere enim potest non extractus cibus inoptabilem oris odorem.

Cibo vetere crescit aër; combusto bilis; omni cibo phlegma. Ideo in cibo sapiens eripiat phlegma, tollendo id aut evaporatione, aut gratis, adstringentibus, pungentibus et amaris Aricâ faufel, Kakkolakâ, Curcumâ zerumbet, Eugeniâ caryophyllata et Feroniâ elephantium, aut pungentibus, amaris, ad-

stringentibus, oris puritatem facientibus, cum Piperis betel folio commixtis aut suaveolentibus substantiis.

Epulatus regis instar desidat, donec cibi defatigatio praeterita est. Deinde, centum passus gressus, in sinistro latere decumbat. Sonis, formis, gustibus, odoribus, tactibusque animo dilectis epulatus inservire potest. Per hoc cibus gratus fit.

Soni, formae, gustus, tactus et etiam odores spernendi esse possunt. Cibus impurus comesus, nimiusque risus vomitum facere possunt. Neve somnum, neve sessionem, neve motionem subsequentem, ne ignem et solis ardorem, ne natationem, ne itionem, neve vectionem optet; neve in unius gustus usu haereat unquam. Olera subsequentem cibum multum acidum ne quaerat. Ne singulos, neve universos comedat sapores semper. Igne vero in priore esca non amoto, secundum cibum ne aggrediatur. Antea comeso cibo combusto, comesor occidit digestionem. Gravi materia praeditum alimentum et quod substantiis dives est, evitet. Contritum cibum ne comedat esuriens, neve quantitate. Duplici qualitate praeditam aquam bibat, voluptarie omnino digeritur. Lactis, ambrosiae et ceterorum ciborum gravitatem cognoscat maximopere. Gravium (ciborum) dimidia expletio, levium saturitas optatur. Fluidum excellentissimum et fluidum non gravi materia praeditum optatur. Fluidis quoque dives et siccus cibus omnino assumatur. Insiccatus cibus immissus non digestionem bonam init; condensatus, sed non humefactus, cibus combustionem adit. Cujus bilis in fluido, cibum ferente, aut in coctione, adest, ejus combustibilis esca aut alius cibus comburitur. Exsiccatus, restrictus stabilisque cibus digestionis interitum adducere potest. Crudum, acrem, stabilem, phlegmate, bile et aëre, tribus his humoribus, indigestibilem cibum quidam optant quartum, ob liquiditatis inopiam.

Ob nimiam aquae potionem, aut inaequalem esum, contentionem, somnique repulsionem, tempori adeo conveniens, levis quoque comesus cibus digestionem hominis non absolvit.

Cibus ab homine, invidia, timore iraque affecto, libidinoso, morbis paupericque vexato, simultatique addicto sumtus omnino non ad assimilationem pervenit.

Ad dulcedinem gressus cibus, crudus appellatur; ad aciditatis naturam gressus, acer appellatur. Paululum coctus cibus multos dolores et tormenta efficit, condensatus est, restrictum inlusumque aërem procreat.

In purgatione per vomitum cibi appetitus non nascitur, et cui cordis gravitas est.

Propter liquiditatis inopiam humectatum cibum hunc quartum indigestibilem dicunt.

Lipothymia, delirium, vomitio, destillatio, tabes, vertigo — phaenomena haec fiunt, morsque etiam, ob indigestionem. Ibi crudo cibo sumto, absti-

nentia instituenda est; acri, vomitus saluber est; stabili, sudatio idonea est; liquiditate orbato, aegrotus dormiat. Idcirco medicus celeriter evomere jubeat eum calidâ aqua salina, instituendaque est inedia toties, quoties homo naturae non obsequitur. Porro hunc levi corpore praeditum hominem abstinentiis sectetur, quoties non in naturali statu versatus est.

Vitiorum in humoribus et vitalitatis respectu adhibitus comesus cibus salubris aut insalubris esse dictus est. Multus, paucus, aut intempestivus esus iniquus aestimandus est. Quod vero usque ad indigestionem comeditur, id ingurgitatio appellatur. Trinitas haec celeriter multos morbos tollit aut facit.

Cibus combustus hominis statim frigidâ aqua digestionem adit. Illa enim frigore ipsius bilem occidit; ob irrigandi naturam ducit deorsum. Cujus bilis vero comburitur alimentorum quantitate, cujusque cor, guttur et gulla comburuntur, ille, uvas et Terminaliam citrinam cum melle commixtas, aut Terminaliam citrinam solam lambendo, voluptatem capere potest.

Cui corpulento et valido homini indigestionis timor fit coenationis tempore, is mane Zingiber aridum, Terminaliam citrinam non timens comedat, fruens salubri re, salubrium avidus.

Quando perpaucus, vitiis instructus, crudus et dissolutus cibus virium viam non eligit, tunc quoque in indigestione fit esuritio; haec vero stupidum animum, veneni instar, interficit.

Porro qualitatum effectus explanate indicaturus sum.

Effectibus vero intelliguntur qualitates, in variis substantiis habitantes.

Laetifica et roborans est frigida qualitas; lipothymiam, sitim, sudorem et aestum vincens. Calida illi opposita est, praecipue concoquens. Unguinosa mollitiam facit, ingrata est, robur colorque facit. Aspera illi opposita est, praecipue roborans et acris. Glutinosa vivifica, valida, sustentans, phlegmatica et gravis est. Pellucida illi opposita est. Ideo phlegmaticum humorem corrumpit et perturbat. Aestum et coctionem facit acuta; fluxibilis contra mitis est. Puritatem, illitum et vim facit gravis, satietatemque auget. Levis, illi opposita, vomitoria et pariter perturbans est. —

Decem primae qualitates de effectibus declaratae sunt per earum differentias in effectibus. — Decem nunc alias qualitates declaraturus sum, scilicet fluidam et ceteras. Has audi a me!

Fluida qualitas irrigans est; crassa inspissans et ligationem faciens; mollis glutinosae instar aestimanda est; dura sicut pellucida; injucundam sitim faciens et subtilis est suaveolens, appetitum cibi faciens et mollis est; maleolens illi opposita est, ideo singultum et inappetentiam facit; mobilis dirrigens declarata est, ebrietatem motumque faciens, stimulansque commemorata est, universum corpus penetrando coctionem efficit; expan-

siva expandit, neque sic corporis elementorum vincula resolvere potest; celeriter agens sic ob celeritatem se movet, ut oleum Sesami orientalis in aqua; tenuis vero ob tenuitatem in tenuibus fluidis procedens commemorata est.

Qualitates viginti sic sane apte demonstratae sunt.

Denique dijudicationem de alimentorum processu indicaturus sum.

In corpore, quinque elementorum indole praedito, alimentum quinque elementis praeditum est.

Coctum alimentum quintupliciter omnino qualitates suas augere potest. Incombustum alimentum phlegma, bilem, — combustum, omnino coctum et exsuccum alimentum aërem cumulare potest.

Faeces et urina sunt alimentorum excretio; essentia (alimentorum), prius introgressa, chylus est. Hic autem vitali aëre agitatus omnia corporis elementa satiare potest.

Phlegma, bilis, excretio in auras, sudor, unguis et crinis, oculorum gramia et in cutibus sebum gradatim corporis elementorum excretiones sunt.

Interdiu expergefacto vigilantis corde, Nymphaeae albae instar, cibus ob inhumectum corporis elementorum statum in indigestione tectus est noctu. Corde clauso noctu dormientis, cibus praecipue ob humectum et non collapsum corporis elementorum statum in indigestione non retentus est interdiu. —

Qui hanc doctrinam consentaneam magni, inter regis Rĭshium excellentissimi Munis studiose legit, is, magnanimorum Súrium optimus, terrae servatori (regi) medicamenta dare debet.“ —

Sic in Suśruta, composito a summe venerando Suśruta praeceptore, et Áyurvédae doctrinam continente, Principiorum Liber (Sútrast'hána) peractus est. —



NIDÁNAST'HÁNA.

ID EST

PATHOLOGIA.

Caput I.

Nunc vero morbi ab aëre orti pathologiam expósituri sumus.

„D'hanvantarem, justitiam servantium excellentissimum, ab Ambrosia ortum, Suśrutas, pedibus submissis, percontatur:

Aëris, a natura orti, et deleti irritationibus, statum, actionem et morbos explica mihi, loquentium (hominum) eximie!

Hoc illius sermone audito, dixit medicorum excellentissimus: Svayamb'hús hic venerabilis Aër appellatus est; ob independentiam, sempiternitatem et omnipraesentiam omnium universalis spiritus est, ab omnibus mundis adoratus. In stabilitate, ortu et occasu creaturarum ille causa est; non manifestatus est, sed manifestationem efficit, asper est, frigidus, levis, acutus, tortuose procedens, duabus qualitatibus praeditus, affectuum impetu plenus, incogitanda vi instructus, vitiorum humorum dux, morborumque turbae rex, celeriter agens, identidem ambulans, coctionem praebens, in ano sedem habens et in corpore incedens. Hujus signa cognosce a me!

Humorum corruptorum, corporis elementorum et caloris (digestionis) honoratum successum, et in rebus sensualibus normalem actionum statum facit aër non irritatus.

Sicut ignis quintupliciter divisus est nomine, loco et propriis actionibus, sic divisus est aër solus nomine, loco, actione et morbis.

Aër spirabilis, aër cephalicus, aër digestivus, aër diffusus et aër abdominalis, in suis locis versantes aëres vitales quinque, movent corporatum animal.

Aër, qui os intrat, is aër spirabilis (práńa) nominatur, corpus gerit, alimentum penetrat, ejus finis adeo respirationes sustentat. Saepe efficit corruptus singultum, anhelitum, aliosque morbos.

Aër cephalicus (udána), qui scilicet sursum ascendit, aërum praestantissimus est. Hujus ope sermo, cantus, et cetera horum genera locum habent. Supra claviculam progressos morbos praecipue efficit.

Cruditatis et digestionis sedem adit aër digestivus (samána), ad ignem (digestionem) iens. Is cibum concoquit, subitasque differentias efficit.

Indurationem glandularum mesentericarum, calorem, cupiditatem, dysenteriam et ceteros morbos efficit.

Aër diffusus (vyána), per universum corpus permeans, succos circumferendi studiosus, perspirationem et sanguinem movens, quintupliciter agitat. Irritatus vero efficit morbos saepe per totum corpus penetrantes.

Coctionis sustentandae sedem habens aër abdominalis (apána) suo tempore vexat. Hic aër faecibus, urina, semine virili, foetu et menstruo alienatus et irritatus facit morbos terribiles, in abdomine et ano sedem habentes.

Seminis virilis et urinae vitia, ab aëris, per corpus diffusi, et flatus ventris irritationibus orta, simulque irritata, corpus laedunt sine dubio.

Porro indicaturus sum, quos enim morbos varia loca introgressus et saepe irritatus aër faciat.

Aër in eruditatis sede irritatus vomitum et ceteros morbos efficit.

Mentis alienationem, animi deliquium, sitim, cordis impetum, haemorrhoidum dolores aër in coctionis sede versatus, intestinorum crepitum et colicam circa umbilicum facit. Dolorosam urinam et alvi dejectionem, urinae suppressionem, sacrales dolores et mortem, in auribus et ceteris sensibus irritatus aër efficere potest.

Decolorationem, tremorem, asperitatem, somnolentiam, chumuchumáyanam, dolorem, cutis fissionem et contritionem in cute versatus aër facere potest; ulcera sanguinem aggrediens aër; nodos dolentes in sanguine congestus; in tela cellulosa congestus aër facere potest nodos, stultos morbos et ulcera; facere potest vasa aggressus aër dolorem, vasorum inflexionem et impletionem; tendines adeptus rigorem et tremorem, dolorem, pariterque collapsum; laedit aër articulos aggressus articulos, dolorem et tumorem facit; ossium tabem, fissionem et dolorem facere potest in illis collocatus aër; sic, aëre medullam aggresso, morbus nunquam cessat; retentio aut profusio, immutatioque morbosa existit, aëre semen virile aggresso. Manus, pedes, caput et corporis elementa aër gradatim aggreditur. Corripere potest adeo universum hominum corpus aër quoquoversum progressus: rigorem, collapsum, somnolentiam, intumescentiam et dolores quoquoversum progrediens. In locis dictis aër mixtus mixtos facit morbos. Facere vero potest membra aggressus aër subitos morbos. Aestus, afflictio, animique deliquium existere possunt, aëre bile praedito; frigus, intumescentia et gravitas, aëre phlegmatis pleno. Acubus quasi dolor, morbi infestatio, somnolentia et varii bilis morbi existere possunt, aëre sanguinem aggresso. Aëre spirabili bilem includente, vomitus aestusque oriuntur; infirmitas, tabes, syncope decoloratioque, phlegma includente. Aëre cephalico cum bile conjuncto, animi deliquium, aestus, vertigo et lassitudo oriuntur; non perspirandi gaudium, tardus ignis (digestio), frigus rigorque oriuntur, phlegma includente. Aëre digestivo cum bile con-

juncto, perspiratio, aestus, calor et animi deliquium; phlegmatis abundantia, faecalis urina et horripilatio oriuntur, phlegma includente. Aëre abdominali cum bile conjuncto, aestus, calorque existunt; sanguinis eruptio in abdomine inferiore, in eoque gravitas, phlegma includente. Aëre diffuso cum bile conjuncto, aestus, membrorum vibratio, lassitudo, gravia omnia membra, rigor, ossibus nodorum signum; aëre diffuso phlegma includente, commotio immobilitasque. Plerumque ob juvenum, falso cibi delectamenta capientium, moerorem, ob vexationem a feminis, vinis et defatigationibus, ob anni temporum propriam perversitatem, ob oleorum ceterorumque abusum, in impuritateque multa, aëre sanguis irritatur. Elephantibus, equis et camelis, aliisque incedentis hominis aër, irritationem nactus laboribus exantlatis propriis, acribusque, calidis, acidis, kalinis oleribus ceterisque cibis, vexationibusque et ceteris saepius exantlatis, statim sanguinis corruptionem adit. Sanguis vero aëris viam obstruit, celeriter aggressus. Iratus ultra modum ob viae obstructionem aër evidentissime corrumpere potest celeriter sanguinem. Hic vero commixtus cum aëre corrupto, ob aëris praevalentiam, dicitur aërophorus sanguis. Bilis cum corrupto sanguine conjuncta, et phlegma corruptum cum corrupto sanguine conjunctum, sic (se habent).

Contactu perterriti fiunt pedes, doloribus, fissionibus, consumtionibus et somnolentia praediti, per aërophorum sanguinem; per bilem et sanguinem horrifice aestuantes, supra modum calidi, sanguine turgidi et molles; prurientes autem, albi et frigidi, turgidi, largi et rigidi fiunt per sanguinem phlegmate corruptum.

Sanguine vero omnibus humoribus corrupto, humorum vitia suam quamque formam in pedibus monstrant: prius in forma flaccidi (fiunt pedes), sopientes, frigidi, morbosi, decoloratione, dolore, somnolentia, gravitate et aestu praediti. Pedum et aliquando manuum radicem aggressus, muriumque veneni instar iratus sanguis corpus opprimit. Sanguis, qui, ut butyrum oleosum evolutus, fissus, dilutus, profluens, phaenomenis, vitalitatis carnisque consumtionibus et cet. corruptus est, is incurabilis est, vitiosus, cum anno surgens; quando vero vasa omnia irritatus aggreditur aër, tunc identidem mobilis celeriter identidem percutit corpus. Ab identidem percutiendo is (aër) percussor vocatus est.

Qui (aër) extensibilis appellatus est, prosternit internas partes. Si phlegmate praeditus aër valde in illis adest, baculum quasi timet eum aegrotus molestus, baculo quasi excruciatus, ense correptus. Tunc ultra modum is cibo ob miseriam perfruitur. Qui (aër) vero arcui similis se incurvat, is, arcus columnae similis, digitos, talos, abdomen, cor, pectus et guttur aggressus est. Quando tendinum extensionem volatilis aër percutit, quando rigido oculo, rigidâ maxilla, fractoque latere praeditus, phlegmaque vomens homo intermedium spatium sicut arcum incurvat, tum hic robustus aër longi-

tudinem spatii intermedii efficit; in externorum tendinum extensione versatus, externam longitudinem efficit. Hunc (aërem) incurabilem esse docti dicunt pectus, dorsum et femur frangentem.

Phlegmate et bile praeditus aër, aërque etiam omnis, facere potest percussionem aliam, quartam, quae mortem procreat.

Qui aër foetuum abortus et mortis causa est, ob sanguinis nimium profluvium, non finitur extensibilis.

Quando deorsum euntia, tortuose euntia et sursum in corpore euntia vasa ultra modum irritatus aër ingreditur, tum, alterius lateris ligamenta exsolvens, laedit latus. Hunc vero aërem laterem occisorem appellant medicorum principes.

Si cujus omnes corporis partes sine activitate et sensibilitate sunt, ille cadit, aut quinque vitales aëres relinquit, aëre cruciatus.

Puro aëre laesum latus a miseria maxime curabile esse sciunt; curabile latus cum alio (impuro aëre) conjunctum incurabile est et pneumophthiseos causam continet.

Aër irritatus sursum digredi potest a sua sede ad cor et caput; is tempora cruciat, membraque percutere et torquere potest. Oculis conniventibus praeditus, aegrotus motus axpers, rigidisque oculis praeditus indistincte loquitur; expers suspirationis miseriae causâ moritur, mente diruta. Sui compos esse potest, sed corde soluto et operto, conturbatur.

Aëre, phlegmatis participe, impletus (aeger) cognoscendus est diurno somno, inaequaliter stando, perverso et sursum directo obtutu. Cervicis rigiditatem facit etiam ille phlegmate opertus (aër) in gravidis, puerperis, infantibus et senibus, sanguine destructo; alte vociferantis et ultra modum comedentis impedimenta.

Post ridentis garrientisque gravitatem, molestiam somnolentiamque, aër, caput, nasum, labia, mentum, frontem, oculos et articulos aggrediens, vexando os vexatum procreat. Deinde linguae haesitantia fit, oris dimidium et collum quoque detorquentur, caput vacillat, sermonis haesitatio, oculorum ceterorumque perversitas, colli, menti et dentium in illo latere dolores existunt, in quo ab initio orta est horripilatio, tremor, oculus turbidus.

Aër sursum in cute si est, somnolentia, dolor, cervicis et maxillae impetus fit; hunc morbum appellant vexativum morborum periti. Emaciato aegroto, non nictantibus oculis praedito, sempiterne et indistincte loquenti non parat vexationem vehementem trienniumque tremoris.

Calcis et digitorum (pedis) arteria, quae, aëre vexata, femorum motionem cohibet, ea arthritis femoralis appellatur. Palmae et digitorum arteria, a brachiorum tergo brachiorum functionis interitum efficiens, Visváchí appellatur. Ab aëre et sanguine ortus tumor in genu medio magnus morbus (maháruja) appellatur. Caput, Canis aurei instar occiput ha-

bens, turgidum et Canis aurei capiti simile est. Aër in coxa versatus quando femoris arteriam coërcet, tum claudus fit homo, delumbis propter femorum duorum caedem. Qui vero procedens tremit et sicut claudus incedit, eum pisi instar claudum sciat medicus, articulorum conjunctione orbatum. In abjecto vero iniquo pede morbos efficere potest aër. Aeris spina (Vátakańtaka) hic morbus dijudicandus est, claudicationem adiens.

Pedum facit aestum cum bile et sanguine conjunctus aër. Praecipue vero ordinatim pedum hunc aestum doceat medicus.

Cujus pedes gaudent et dormientes fiunt, is morbus pedum gaudium (pádaharsha) dignoscendus est, a phlegmatis et aëris irritatione ortus.

In humeri regione versatus aër, si humeri ligamenta exsiccavit, vasa vero restrixit, ibi versatus producit brachiorum paralysim.

Quando voces ferentem cursum invadens aër consistit, aut solus, aut phlegmate praeditus, vexatio ab eo oritur.

Si cujus quasi findens aër aurium dolorem, a maxillis, temporibus, capite et collo ortum, facit, hic aurium dolor appellatur.

Aër cum phlegmate conjunctus, invadens vasa tubulata, sonos ferentia, homines facit inertes, surdos, minmińos et balbutientes.

Qui dolor deorsum it, ex faecibus, urina et indigestione exortus, quasi findens anum et genitale, is Túni demonstratur. Ex ano et genitali exortus ille dolor, perverse se expandens, celeriter coctionis sedem adit: Pratitúni vero is commemoratus est.

Tumidum nimisque horrificum morbum, valde inflatum abdomen, inflationem (Ád'hmána) cognoscat medicus, terrificam, ab aëre incluso ortam. Latus et cor liberantem, illam scilicet ex crudi sede exortam, oppositam inflationem (Pratyád'hmána) dignoscat, phlegmate et perturbato aëre praeditam.

Osseum, durum nodum, sursum versum, longum et altum, inflationem osseam (Vátásht'hílá) dignoscat, externos meatus obstruentem. Hanc autem cum morbo conjunctam, aërem, faeces et urinam includentem, osseae inflationi oppositam inflationem (Pratyásht'híla) medicus appellet, in abdomine tortuose exortam."

Caput II.

Nunc vero haemorrhoidum pathologiam exposituri sumus.

Sex haemorrhoidum genera sunt: ortae ab aëre, bile, phlegmate, sanguine, corruptis humoribus, et innatae. Hic dictis sui non compotum irritationibus, perversis alimentis, cum mulieribus coitione, dormitatione, catarrhis,

retrogressu et alvi profusione, obstructione et cet. irritati humores, singuli, duplices, universi, aut sanguine associati, et sicut dictum extensi, praecipua vasa tubulata ingressi, deorsum profecti, anum aggressi et corrupti, plicaturas et carnis capitula praecipue procreant; sic post torpidum calorem gramineis, ligneis, lapideis camelinisque vestibus et ceteris, aut post frigidae aquae contactum, bulbi incrementum adsequuntur. Has haemorrhoides appellant medici.

Crassis intestinis constrictum, quatuor et dimidium pollicis longum anum dicunt. In eo sunt plicaturae tres, superdimidium pollicem intervallatae, provehentes, dimittentes et retinentes. Quatuor pollices longae sunt omnes, tortuosae et unum pollicem altae.

„Concharum spiris similes, superne collocatae et elephantorum palato similes in colore sunt dictae (plicaturae); prope pilorum fines superdimidium hordeum amplum dictum est ani labium."

Prima (plicatura) ab ani labio pollicis mensuram habet. — Harum vero futurarum (haemorrhoidum) priores formae in alimento sunt; incredibilis ex dolore coctio, aciditas stomachi, femorum tabes, intumescentia, sulcorum effectio, vomitio multa, oculi tumor, intestinorum crepitus, ani circumcisura, timor, icterus, diarrhoea, humorum vitia, exsiccatio, catarrhus, anhelitus, vertigo, syncope, somnolentia, sensuumque infirmitas, in exortibus haec formae evidentiores fiunt.

Porro ab aëre (ortae haemorrhoides) exsiccatae et rubidis coloribus inaequalibusque mediis praeditae, Naucleae cadambae floris Momordicaeque monadelphae caulis orificiorum et acuum foraminum figuris similes sunt.

His (haemorrhoidibus) oppressus homo cruciatum coacervatum suscipere cogitur; in coxarum, dorsi, laterum, penis, ani et umbilici regionibus dolores, induratio glandularum mesentericarum, calculus, lienis affectio et abdominis intumescentia illi harum (haemorrhoidum) causâ sunt; furvis cutibus, unguibus, oculis, dentibus, ore, urina et faecibus praeditus est.

A bile (ortae haemorrhoides) violaceis cacuminibus praeditae, tenues, expansae, flavae, hepatis colore praeditae, psitaci linguae formam habentes, hordeum dimidium amplae, hirudinis ori similes et madidae sunt. His (haemorrhoidibus) oppressus homo aestum sanguinolentum adit; febris, aestus, sitis et lipothymia symptomata sunt; flavis cutibus, unguibus, oculis, dentibus, ore, urina et faecibus praeditus est.

A phlegmate ortae (haemorrhoides) albae, magnis radicibus praeditae, rigidae, rotundae, unguinosae et pallidae, Capparis aphyllae, Artocarpique integrifoliae ossiculorum et uvarum formis praeditae sunt, non dirumpuntur, non fluunt et pruritu multo praeditae sunt. His (haemorrhoidibus) oppressus homo phlegma non exiguum, carnisque purgamenti colorem adit; intumescentia, frigus, febris, inappetentia, indigestio et capitis gravitas illi harum

(haemorrhoidum) causâ sunt; albis cutibus, unguibus, oculis, dentibus, ore, urina et faecibus qraeditus est.

A sanguine ortae (haemorrhoides) Ficus indicae gemmis, corallis, Kákañae Echitisque scholaris fructibus similes, bilis signo praeditae sunt. Quando in stercore immersae vexatae sunt, tum ultra modum corruptum exiguum sanguinem subito emittunt. In hujus (aegroti) nimio profluvio phaenomena, cum sanguine nimis conjuncta, sunt.

A corruptis omnibus humoribus ortae (haemorrhoides) cum omnibus humorum corruptorum signis conjunctae sunt.

Innatae (haemorrhoides) a menstruo et semine virili corrupto ortae sunt. Harum, sicut humorum corruptorum, curatio efficienda est. Praecipue hebetibus oculis praeditae, asperae, pallidae, terribiles, in medio orificio sitae sunt. His invasus emaciatus est, pauca comedens, vasis expansis in corpore, pauca progenie, tenui semine virili, infirma voce, praeditus, iracundus, pauco igne, male olente capite et lippitudine laborans; semper intestinorum crepitu, turgore, cordis perunctione, inappetentia et ceteris vexatur.

Est hic ślokas:

„In externis et mediis plicaturis sitarum (haemorrhoidum) curationem instituat medicus praecipuus; inter plicaturas ortarum (haemorrhoidum) abnuens aggrediatur curationem.“

Irritata humorum vitia, penem aggressa, carnem et sanguinem vitiando, pruritum generant. Illic ob pruritum ulcus oritur. In hoc ulcere carunculae, a vitiata carne ortae, purulento sanguine fluentes, oriuntur ad pubem, in medio aut superne. Hae vero penem destruunt et occidunt.

(Vitia humorum) testes et vulvam aggressa, mollia, male olentia, purulento sanguine fluentia et fungosa excrescentia generant. Haec sursum profecta, in auribus, oculis, naso et ore haemorrhoides producunt. His in aure ortis, vexativus dolor et aurium foetor; in oculo ortis, palpebrarum impedimentum, dolor, lippitudo et visus peritus; in naso ortis, catarrhus, ultra modum sternutatio, dolorifica spiratio, male olens nasus, de nare locutio capitisque dolor; in ore, gutture, labiis aut palatio ortis, morbosa locutio, gustus ignoratio et oris morbus fiunt.

Aër vero diffusus irritatus, phlegma corripiendo, externe stabiles, flammarum instar, haemorrhoides producit. Has haemorrhoides cutis flammas appellet medicus.

Sunt hic ślokae:

„In his flammis cruciatus ab aëre oritur; a phlegmate autem colorem et nodositatem medicus demonstret; asperitas, nigritudo, albitudo et magnus calor a bile ortum cutis flammae signum est.

Haemorrhoidum signum, quod prolixe quidem, sed generatim, explicatum

est, id totum secundum antecedentem demonstrationem pertractet medicorum excellentissimus.

In haemorrhoidibus quando conspicitur indoles duorum corruptorum humorum, hanc tanquam conjuntionem (complicationem) dignoscat medicus. Haec vero sextuplex est. Haemorrhoides, trium humorum vitiis, exiguis vero iudiciis, praeditas, dubias medicus demonstret. Quae a duplicatione ortae, et in secunda plicatura aggressae sunt, eas difficulter sanabiles et perennes esse medici dicunt. A trium humorum corruptione ortas et innatas relinquat medicus. Si omnes plicaturae haemorrhoidibus sunt oppressae, aër abdominalis, illis repulsus, revertitur. Deinde, cum aëre diffuso congressus, lumen vitale corporatorum (hominum) comminuit.“

Caput III.

Nunc vero calculorum pathologiam expositur i sumus.

Quatuor calculi fiunt phlegma inhabitantes, per phlegma, aërem, bilem et semen virile.

Impura indole praediti et inconvenientia agentis hominis irritatum phlegma, cum urina commixtum, ventrem ingrediendo, calculos generat. Horum priores formae sunt: ventris tormina, inappetentia, urinae difficultas, ventris, capitis, testiculorum et penis affectio dolorosa, febris, fatigatio et hircum olens urina.

„Secundum affectionis qualitatem corrupta, crassa et turbata urina in prima calculi forma miseros efficit homines.“

Sed, ortis (calculis) in umbilico, in ventre, in suturis, in membro virili, aut quocunque alio loco, mingentis dolor, urinae stillicidii propensio et sanguinis mictus oritur; urinaeque profluvium flavae gemmae colorem, non turbatum, glareosum relinquit; motu, saltu, natatione, retrogressu et profectione illi dolor fit.

Porro a phlegmate ortus calculus phlegmaticum cibum capientis hominis, ultra modum oblinendo, deorsum versum incrementum nanciscendo, ventris orificium inhabitando, effluvium cohibet, ob urinae repulsionem dilaceratur, finditur, contunditurque quasi venter, gravis et frigidus fit. Calculus ibi albus, unguinosus, magnus, gallinaceo ovo similis et Bassiae latifoliae florum colore praeditus est. Hunc phlegmaticum (calculum) medicus cognoscat.

Cum bile vero conjunctum phlegma, congeriem adipiscendo, dictum incrementum nanciscendo, ventris orificium inhabitando, effluvium cohibet, ob urinae repulsionem inflammatur, exsugitur, comburitur, coquiturque quasi venter, calidoque aëre praeditus fit. Calculus ibi sanguinis et bilis splendore

praeditus, violaceus, Semicarpi anacardii ossiculo similis aut mellcusculo colore praeditus est. Hunc biliosum (calculum) medicus cognoscat.

Cum aëre vero conjunctum phlegma, congeriem adipiscendo, dictum incrementum nanciscendo, ventris orificium inhabitando, effluvium cohibet, ob urinae repulsionem ejus dolor acer fit; sic ultra modum vexatus dentes rodit, umbilicum comprimit, penem conterit, anum tangit, pedit, aestuat; vapores, urina et faeces illius, cum dolore evacuantis, proveniunt. Calculus ibi niger, asper, inaequalis, acutus et Naucleae cadambae florum instar spinis contectus est. Hunc (calculum) ab aëre ortum cognoscat medicus.

Plerumque hi tres calculi ob diurni somni, comesus, nimii cibi, frigidi, oleosi, gravis et dulcis alimenti gaudium, praesertim infantium, fiunt. Propter horum (infantium) vero parvam abdominis corpulentiam, coctamque abdominis carnem, calculi faciles prehensu et extractu sunt. Magnorum hominum vero seminales calculi a semine virili orti sunt. Ob coitus percussionem, aut nimium coitum aër semen virile, commotum et non egrediens ob devium iter, celeriter corripiendo, in penis testiculorumque interiore parte cohibet, cohibendoque exsiccat. Hic calculus urinae viam operit, urinae difficultatem, abdominis dolorem, testiculorumque tumorem adducit, in dolorosaque illa regione destructio advenit. Illum calculum seminalem cognoscat medicus.

Sunt hic ślokae:

„Testula, glarea, urina cinerea, calculi morbus est. Calculi testula cognoscenda est similem creans dolorem. Aëre secundariam qualitatem habente, haec vero prodit praecipue exilis. Haec, corpore per aërem fisso praedita, testula vocatur. Cordolium, femoris tabes, abdominis tormina, simul tremor, sitis, rursum progrediens aër, macies, infirmitas, pallidus corporis status, inappetentia et indigestio in aegroto testulis vexato sunt. In urinae viis sita haec fixa, facere potest symptomata haec: infirmitatem, tabem, maciem, abdominis tormina, inappetentiam, pallidum colorem, calidum aërem, sitim, cordolium, vomitum. In umbilici, dorsi, lumborum, testiculorum, ani, inguinum et penis medio abdomen est, uno exitu et tenui membrana praeditum, deorsum versum orificium habens, sicut Cucurbita lagenaris formatum, vasa et tendinis amplectens. Abdominis vero caput: virilitas, testiculi et anus. Uno connexu praedita et in ani ossiumque cavo collocata sunt haec: urinae sedes, excrementorum canalis et vitae altare praestantissimum. A coctionis vero sede qui profecti sunt tubuli uriniferi, satisfaciunt semper urinae, sicut flumina oceano. Propter subtilitatem non conspiciuntur eorum orificia millemoda, scilicet urinae per tubulos deductae de cruditatis sede interiore. Hoc (abdomen) vigilantis et dormientis hominis stillicidio impletur. Sicut usque ad orificium in aqua depositum novum vas a lateribus impletur, sic, scias, abdomen urina impletur. Sic etiam per ingressionem aut aër, aut bilis, aut etiam phlegma, cum urina conjunctum, ob superlitionem ingrediendo facit

calculum. Sicut in novo vase, aquis claris inspersis, temporis spatio limus existit, sic calculorum origo. Sicut coacervant aquas coelestes aër et ignis fulguralis, sic phlegma in abdomine collocatum calor et aër coacervant.

Aëre primariam qualitatem habente, in abdomine urina omnino non procedit, morbi tum varii perniciosi exoriuntur, urinae tormina, urethritides gonorrhoicae et seminis virilis vitia, pariter et urinae vitia, quaecunque enim in abdomine exoriuntur."

Caput IV.

Nunc vero ani fistularum pathologiam exposituri sumus.

Ab aëre, bile, phlegmate, humoribus morbosis et accidentiis ortae, externis orificiis praeditae, camelorum cervici similes, circumfluentes, concharum rotationibus similes et adsurgentes, sicut dictum, quinque ani fistulae sunt. Hae vero in vulvae, ani et abdominis regionem divisae, ani fistulae appellantur. Immaturae, accumulatae et maturae ani fistulae sunt. Earum vero priores formae sunt lumborum et cranii dolor, ani pruritus, aestus et ani tumor.

Ibi rebus inconvenientibus perfruentium aër irritatus, retrogradus, stabilis factus prope ad anum, unum aut duos pollices carnem sanguinemque corrumpendo, rubido colore praeditam accumulationem procreat; haec a dolore incipientes affectionum formas apud aegrotum procreat, et, non impugnata, maturitatem assequitur; proximeque ad urinae sedem proficiscendo, ulcus madidum, sicut ani fistulae externis orificiis instructae, perforationibus, parva orificia habentibus, impletur. Hae perforationes semper cum spumis commixtum permagnum fluorem effundunt, ulcusque percutitur, finditur, rumpitur, acubus quasi pungitur, anusque dilaceratur, aëris, urinae, excrementorum, seminis virilis adventus ex his perforationibus oritur. Hanc ani fistulam externo orificio praeditam vocant.

Bilis irritata, aëre deorsum missa, antecedente modo stabilis, rubrum, tenuem, altum, camelorum cervici similem accumulationem procreat. Haec a cutis inflammatione incipientes affectionum formas apud aegrotum procreat, et, non impugnata, maturitatem assequitur; ulcusque cauterio causticoque quasi uritur, male olentem calidumque fluorem effundit; relictumque ulcus aërem, urinam, faeces et semen virile excernit. Hanc ani fistulam camelorum cervici similem vocant.

Phlegma irritatum, aëre deorsum missum, antecedente modo stabile, albo splendore praeditam, rigidam et prurientem accumulationem procreat.

Haec a pruritu incipientes affectionum formas apud aegrotum procreat, et, non impugnata, maturitatem assequitur; ulcusque durum, pituitosum, sempiternumque fluorem effundit; relictumque ulcus aërem, urinam, faeces et semen virile excernit. Hanc ani fistulam circumfluentem vocant.

Aër irritatus, irritatam bilem et phlegma circumplexus, deorsumque profectus, antecedente modo stabilis, halucis mensuram habentem et omnibus signis instructam accumulationem procreat. Haec a dolore, aestu et pruritu incipientes affectionum formas apud aegrotum procreat, et, non impugnata, maturitatem assequitur; ulcusque multicolorem fluorem effundit, et, sicut in impleto fluvio concharum rotatio, exoriuntur affectionum formae. Hanc ani fistulam concharum rotationibus similem vocant.

Si ossis spiculum a stulto, carnis cupido, cum cibo comesum, et quando potu, cum immersis sordibus commixto, deorsum missum et non simul egressum est, anum laedit. Ibi a laesione ortum ulcus procreatur; in hacque laesione, pure, sanguine, projecta carne et ulcere instructa, sicut in terra aquis irrigata, vermes generantur. Hi adedentes anum multimodis a latere dilacerant. His ex viis, per vermes effectis, aegroti aër, urina, faeces et semen virile egrediuntur. Hanc ani fistulam adsurgentem vocant.

Sunt hic ślokae:

„Oritur parvo morbo et tumore praedita celeriterque sedatur in ani finis regione accumulatio; haec cognoscenda est alia, atque in ano fistula. Fistulosa vero dignoscenda est accumulatio ex oppositione ani; est in loco, duos pollices remoto, ocultis radicibus et morbosis febribus praedita (accumulatio).

Iter instituendo et excrementa ejiciendo anus pruritu, morbo, aestu et tumore praeditus fit. In ani fistula prior morbi forma in lumbo est. Terribiles et sanatu difficiles sunt sane omnes ani fistulae. In his insanabilis est a trium humorum vitiis et a laesionibus orta ani fistula."

Caput V.

Nunc vero leprarum pathologiam expositari sumus.

Qui falsum cibum capit, praecipue gravem, impedientem, improprium, indigestibilem et insalubrem comedit, adipe et bile praeditus est, vomitat, lassantes et porcorum mores colit, porcinam et bubalinam carnem aut lac immodice edit, aut qui submergitur aquis, calore ustus, subito, aut vomitum supprimit, ejus irritatam bilem phlegmaque circumplexus aër, auctus, tortuosa vasa aggressus, exortus, ad externam viam undique erumpit. Ubicunque humorum vitium eruptum provenit, ibi totundae maculae apparent. Sic natum

in cute vitium humorum, ibi circum augmentationem nactum, non oppugnatum, internam partem aggreditur, corporis elementa corrumpens.

Leprae priores formae sunt cutis asperitas, subito horripilatio, pruritus, sudoris multitudo aut sudoris defectus, in corporis regionibus somnolentia, ulcerum extensio, sanguinisque nigor.

Porro septem magnae leprae, undecim parvae leprae et octodecim (simplices) leprae existunt.

Magnae leprae sunt: Ficui glommeratae, Antilopae pedibus albis (Rĭshya) linguae, cranio, Kákańae, Nymphaeae albae et herpeti similes leprae.

Parvae leprae sunt: in turgidis articulis sita magna lepra, singula lepra, cutem findens extensio, circularis extensio, pustula, scabies, Kitima, impetigo et Rakasá.

Omnes leprae aëre praeditae, biliosae, phlegmaticae et verminosae fiunt; sed pernicioso modo fit humorum vitiatorum correptio ex praevalentia.

Porro aëre furva (lepra) est; bile Ficui glommeratae, Antilopae pedibus nigris linguae, cranio et Kákańae similes sunt (leprae); phlegmate Nymphaeae albae et herpeti similis lepra est.

Harum (leprarum) vero magnitudo, curandi difficultas, majorque insanabilitas a corporis elementorum penetratione pendet.

Porro aëre fuscatae tenues, diffusae, cum vexatione, fissione somnolentiaque cunjunctae, furvae (leprae) sunt.

Bile coctis Ficus glommeratae fructibus simili colore praeditae, Ficui glommeratae similes (leprae) sunt. Antilopae (pedibus albis) linguae instar apparentes asperae, Antilopae (albis pedibus) linguae similes (leprae) sunt. Lividae cranioque similes apparentes, cranio similes leprae sunt.

Kákańae fructui similes, valde, ut sanguis, violaceae, Kakanacae (leprae) sunt.

Harum quatuor (leprarum) calor, cutis inflammatio, aestus, fumi via, celer ortus, maturitas, fissio et vermium generatio communia signa sunt.

Nymphaeae albae foliorum instar apparentes, Nymphaeae albae similes (leprae) sunt.

Lini usitatissimi florum colore praeditae, cuprinove colore instructae, extensae accumulataeque, herpeticae leprae sunt.

Harum vero duarum perniciositas, rotunditas, pruritus, diuturnaque existentia communes formae sunt.

Parvas lepras deinceps dicturi sumus.

Turgidi, in articulationibus maxime furvi, in aegroto turgidis articulis praedito duri fieri possunt articuli; cutis papillaeque fissio, somnolentia et corporis lassitudo in lepra, cum magnis antecentibus conjuncta, fiunt.

Nigrum et furvum qua leprâ fit corpus, eam unam lepram appellant insanabilem. Qua lepra fit pruritus, cruciatus, aestus cutisque inflammatio, eam cutis diruptionem appellant.

Quae extensiva lepra extensionis instar se quoquoversus movet, cutem, sanguinem et carnem celeriter superando, lipothymiam, calorem, supra modum dolorem et maturitatem efficiendo, ea fit degeneratio.

Quae accumulationes, in corpore fluentes, tarde se movent, eam (lepram) circumplexum dicunt.

Pruritu praeditam, albam, abeuntem (lepram) pustulam medicus cognoscat, tenuem plerumque in superiore corporis parte.

Splendidi, maximo pruritu et cruciatu praediti morbi perasperique fiunt in membris; in scabie prurientis caloris affectionibus praeditum ulcus fit, pedes hoc aggressum.

Quae (lepra) fluens, rotunda, dura horribiliterque pruriens est, eam unguinosam nigramque Kitimam vocant.

Fluentibus, prurientibus, circum aestuantibus, impetigine parva praeditis accumulationibus investiganda, tumoribus valde aestuantibus, in podice, manu et pede exortis, animavertenda est haec psora.

Quae pruritu praedita est accumulatio in corpore, sed fluore orbata, ea Rakasá vocatur.

Articuli pustula, Rakasá, magna et singula lepra, hae a phlegmate ortae sunt.

Ab aëris irritatione ortam esse circularem extensionem singulam, reliquas e bile exortas esse, medicus sciat."

Pustula quoque leprae genus est. Hoc triplex est, aëre, bile et phlegmate. In leprae pustulis interior et cutem aggressa pustula non circumfluit. Haec per aërem rotunda, fusca, aspera et destructiva est; per bilem Nelumbii speciosi foliis similis et circum calida; per phlegma alba, unguinosa, condensa et pruriens. In his constricta rotunda macula, in fine orta, rubro pilo praedita, incurabilis et igne combusta est.

In lepris color splendoris et cutis croceus, somnolentia, sudor, intumescentia, fissio, brachiorum incurvatio et vocis suppressio ab aëre oriuntur; maturitas, diruptio, digitorum delapsus, aurium et nasi devastatio, oculorum pigmenti ortus a bile; pruritus, coloris divisio, tumor, fluor et gravitas a phlegmate.

Ibi a prima vi progressae, Nymphaeae albae similes, leprae et Kákańa incurabiles sunt.

Sunt hic ślokae:

„Sicut arbor exorta, nacta temporis interruptionem, se in internam terram immergit, radicibus pluviâ auctis; sic lepra, orta in cute tempus interrumpentis, gradatim corporalia elementa penetrat hominis non remediati. Tactus relictio, sudatio, parvusque pruritus oriuntur, decoloratio asperitasque in lepris cutem aggressis.

Cutis somnolentia, horripilatio, sudoris egressio, pruritus et exulceratio in lepris in sanguinem ingressis (oriuntur).

Calor, oris exsiccatio, durities, accumulationis incrementum, cruciatus, tumor et rigiditas in lepris carnem aggressis (oriuntur).

Malus odor, superlitio, pus etiam, vermes pariter, membrorumque etiam fissio in lepris telam cellulosam aggressis (oriuntur).

Nasi devastatio, oculorum pigmentum, in ulcere vermium ortus fieri potest et vocis suppressio in lepris ossa et medullam aggressis.

Brachiorum incurvatio, itionis interitus, membrorum fractio ulcerumque extensio in lepris seminales sedes aggressis sunt signa; sic etiam supradicta.

Quae feminarum et marium, leprae vitio in sanguine et semine virili vitiatorum, progenies ab ipsis orta est, ea etiam cognoscenda est leprosa.

Lepra sui compotis hominis, cutem, sanguinem et carnem aggressa, sanabilis est; tellam cellulosam aggressa, dubia est, porro incurabilis.

A Brahmae uxoris vigiliarum caede, securi capturis et cet. facinoribus dicunt leprae, peccato et morbo praeditae, originem.

Si quis moritur leprâ, ad iteratum partum redit.

Nullus dolentior morbus, quam lepra, dictus est.

Qui homo, in cibis et religiosis institutis exercens dictum magnum ritum, herbarum praecipuarum et devotionis usu a lepra liberatur, ille purum iter adipiscitur.

Copulatione, corporis contactu, adspiratione, convictu, communi cubitu et sede, vestis et serti florei inunctione, lepra, febris, tabes, lippitudo, daemoniacique morbi ab homine ad hominem transgrediuntur."

Caput VI.

Nunc vero urinalium affectionum pathologiam exposituri sumus.

Diuturno somno, lassitudini et inertiae deditum, frigidis, gratis, dulcibus, adipalibus substantiis, cibis et potionibus utentem hominem medicus intelligat urinalibus affectionibus vexatum esse futurum. Quando hujus sic viventis hominis immaturus aër, bilis et phlegma, per telam cellulosam simul ad unitatem perveniendo, urinam et externa sensuum organa subeundo, deorsum proficiscendo et abdominis orificium aggrediendo, dirumpuntur, tum urinae affectiones generant. Harum vero primae formae sunt: palmarum et plantarum aestus, unguinosa et mucosa gravitas membrorum, mellita et saccharata urina, lassitudo, defatigatio, sitis, malus odor, anhelitus, in palato, gula, lingua et dentibus sedimenti exorsus, implicatio capillorum, augmentumque unguium. Ibi ab ovibus ortae urinae signis praeditae sunt omnes urinales affectiones, omnesque ex omnibus humorum vitiis exortae sunt cum accumulationibus.

Porro a phlegmate oriuntur aquosae, saccharatae, spirituosae, arenosae, tardae, salinae, pulveratae, crassae, seminosae et spumosae urinales decem affectiones, curabiles ob humorum corruptorum aequalem actionem.

A bile oriuntur violaceae, croceae, acidae, alkalinosae, Rubiae manjistae colore praeditae, et sanguinosae urinales affectiones sex, dubiae ob humorum corruptorum inaequalem actionem.

Ab aëre oriuntur butyro clarificato, sero melleque praeditae, et elephantorum urinae similes, quatuor urinales affectiones, maxime incurabiles ob magnam humorum corruptionem.

Porro aëre, bile et adipe praeditum phlegma phlegmaticas urinae affectiones procreat; aëre, phlegmate, sanguine et adipe praedita bilis biliosas urinae affectiones; phlegmate, bile, sero, medulla et adipe praeditus aër aërophoras urinae affectiones.

Porro albidam, insensilem et aquae similem urinam aquosa urinâ laborans reddit; sacchari succo similem urinam, saccharata urinâ laborans; spirituosa urinâ laborans, spirituoso liquori similem; morbosam, arenis auctam, arenosa urinâ laborans; tardam, phlegmaticam et terrenam, tarda urinâ laborans; pellucidam et sali fossili similem, salina urinâ laborans; erecto capillo et pulverato succo similem, pulverata urinâ laborans; turbidam et crassam, crassa urinâ laborans; semini virili similem, seminosa urinâ laborans; perpaucam et spumosam, spumosa urinâ laborans reddit.

Deinceps ab aëre ortas urinae affectiones indicaturi sumus.

Butyro clarificato similem urinam butyracea urinâ laborans reddit; sero similem, serosa urinâ laborans; mellis gustu et colore praeditam, mellita urina laborans; ut elephanti, coitum appetentes, auctam urinam, elephantina urinâ laborans reddit.

Muscarum et serpentum instar excretio, carnis accumulatio, catarrhus, languor, inappetentia, immaturitas, phlegmatica humectatio, vomitus, somnolentia, tussis et anhelitus sunt a phlegmate ortarum (urinalium affectionum) symptomata.

Testiculorum dilaceratio, abdominis diruptio, penis dolor, in corde cruciatus, stomachi aciditas, febris, dysenteria, inappetentia, vomitus, circa vaporis adventus, aestus, animi deliquium, sitis, somnolentia, interitus, icterus, flavae faeces, urina, oculi et cutis, sunt biliosarum (urinalium affectionem) symptomata.

Cordis impetus, palpitatio, insomnia, rigor, tremor, dolor, restrictae faeces et cutis, sunt ab aëre ortarum (urinalium affectionum) symptomata.

Sic viginti urinales affectiones cum suis symptomatibus expositae sunt.

Porro hominis, sero et adipi obnoxio corpore praediti, tribus humoribus corruptis subjecta corporalia elementa habentis et urinalibus affectionibus laborantis accumulationes decem generantur hoc modo: Śarávika, Sinapi albae

similis, testudini similis, reticulata, inclinata, Siponantho indicae similis, Ervo hirsuto similis, ophthalmia, Convolvulo paniculato similis et phlegmonoides.

„Śarávae mensuram ejusque formam habens, et profunda in medio Śarávika (accumulatio) est. Sinapis albae formam ejusque mensuram habens, sinapi similis (accumulatio) est. Aestuans, testudinisque formam habens, cognoscenda est doctis testudini similis (accumulatio), horribiliter aestuans, in carnis retibus versata. Magna accumulatio, nigraque accumulatio, inclinata commemorata est. Magna, sed minus coacervata, cognoscenda est accumulatio Siponantho indicae similis. Ut Ervum hirsutum formata cognoscenda est Ervo hirsuto similis (accumulatio). Rubra, nigra, tumida et terribilis ophthalmia fit. Ut Convolvuli paniculati bulbus, rotunda et dura est (accumulatio) Convolvulo paniculato similis. Cum phlegmones signis conjuncta cognoscenda est doctis phlegmonoides (accumulatio).

Quaecunque urinales affectiones quibuscunque curationibus subjectae commemoratae sunt, sic illarum curationes instituantur.

In ano, corde, capite, humero, dorso et in organis vitalibus ortas, symptomatibus (malis) praeditas, aegrotantis accumulationes relinquat medicus.

Aër, universum corpus vexans, cum adipe, medulla et sero conjunctus, deorsum proficiscitur. Idcirco incurabiles sunt ab aëre ortae accumulationes.

Urinalium affectionum, priore forma praeditarum, genus ubi quoddam conspicitur, profusaque urina, hunc aegrotum urinali affectione laborantem demonstret medicus. Tota vel dimidia priora genera in quo homine insunt, profluenteque urina qui maxime vexatur, hunc urinali affectione laborantem demonstret. Accumulationibus vexatum, perturbatum, malis symptomatibus subjectum, mellita urina laborantem quem medicus indicat, ille etiam incurabilis dictus est. Is vero ab incessu ad statum, a statu ad sessionem venit; post sessionem eligit cubationem; a cubatione ad dormitionem venit.“

Sicut enim quinque colorum differente compositione, bene maleve confecta, variegatorum, fuscorum, nigrorum, atrorum, columbinorum, furvorum et ceterorum variorum colorum existentia fit, sic etiam humorum, corporis elementorum, secretionum et alimentorum differente compositione, bene maleve confecta, urinalium affectionum varius effectus fit.

Est hic ślokas:

„Omnes urinales affectiones tempore incurabilis fiunt, ad mellitum urinae statum perveniunt, et tunc insanabiles fiunt.“

Caput VII.

Nunc vero abdominalium tumorum pathologiam exposituri sumus.

„D'hanvantaris, justitiam sustinentium optimus, regum Rĭshis, Indrae similis factus est. Hic Brahmarshis filium, modestia praeditum, discipulum faustum Suśrutam elegit. Singulatim omnibus humorum vitiis effectam lienis intumescentiam, restrictum anum, et adventiciam septimam octavamque aquosam abdominalem intumescentiam medici indicant.

Apud hominem perinfirma digestione (igne) praeditum et insalubri alimento vescentem, aut post sicci et foetidi cibi usum et oleorum ceterorumque pravorum esum, vitia humorum, augmentum nacta, et stomachum aggressa, terribiles abdominales intumescentias, manifestis variarum glandularum mesentericarum induratarum signis praeditas, efficiunt. Ex stomacho, sicut oleamentum, cibi succus egressus corruptus, aëris impetu pulsus, cutes sublevando, tarde undique increscens, abdomen (tumidum) facit. Hujus prima forma est: virium colorisque desiderium, rugarum deletio, in abdomine lineae.

Infirmi et inexplorati incendii instar quae in abdomine morbosa intumescentia pedes aggressa est; quae latus, abdomen, dorsum et umbilicum corripiendo crescit, lividis vasis instructa; quae vexat, urinam supprimit, vehementer crepitat et cum dolore pungit: aëris naturam habet.

Cum cutis imflammatione, siti, febri et aestu complicata, flava, ubi vasa fiunt flava, flavisque oculis, faecibus, urinis, unguibus et flavo ore praediti hominis abdominalis intumescentia biliosa est. Haec vero brevi tempore increscit.

Frigida, albis vasis instructa, gravis, rigida, albis unguibus et albo ore praediti hominis, unguinosa, cum magno tumore conjuncta et cum fatigatione complicata abdominalis intumescentia phlegmatica est. Haec longo tempore increscit.

Uxores, cibus et potus, cum unguibus, crinibus, urinis, faecibus et menstruis commixtus, improbe viventes, si cui dant hostes virus, aut post corruptae aquae et veneni usum, — celeriter his ex causis sanguis et corruptorum humorum vitia faciunt terrificum abdomen, tribus signis instructum. Hoc, frigidis aquis et aëribus exortis, praecipue irritat et uritur. Hic aegrotus animi deliquium patitur, semper ictericus emaciatusque est, et siccatur siti. Praedictam corruptam abdominalem intumescentiam terrificam splenicam abdominalem intumescentiam hominis, aestu et profluvio subjecti, esse, a referente (me) cognosce. Corruptus ultra modum sanguis et phlegma splenis incrementum faciunt: splenicam intumescentiam hanc appellant hujus (morbi) gnari. In sinistro latere incrementum nanciscitur praecipue et ibi vexatur aegrotus, torpida febri et igne (digestione) praeditus, phlegmatis et

bilis signis tentatus, infirmus, nimis flavus. — In hepate, sinistro lateri opposito, corrupto, cognoscenda est hepatica dilacerata intumescentia.

Si cujus intestina cibis, aut mucis, aut parvis calculis, cum illis commixtis aut separatis, impleta sunt, ibi excretio fit vitiosa, gradatim, sicut in canali colluvies, includitur, ejusque faeces ex ano moleste egrediuntur et parce. In cordis et umbilici medio si incrementum nanciscitur abdominalis intumescentia, aegrotusque odore faecibus similia vomens et ano constrictus videndus est, tum circumfluentem abdominis intumescentiam cognosce.

Spiculum, quod cum cibo sumtum est, aut aliter aggressum est, id intestinum vulnerat; ab hoc profluente intestino aquae simile profluvium frequenter profluit ex ano. Infra umbilicum abdominalis intumescentia nanciscitur incrementum, valde vexatur et uritur. Hanc circumfluentem abdominis intumescentiam demonstratam, aquosam abdominis intumescentiam esse a referente (me) cognosce.

Qui oleum potavit, aut fumigatus est, aut vomuit, aut alvum purgavit et in ordinem compositus est, et tum celeriter bibit aquam frigidam, ejus sensuum organa, eam ferentia, corrumpuntur. Oleosis inunctionibus aquosa abdominis intumescentia superiore modo accedit mitis, magna, circumvoluto umbilico praedita, valde edita, impleta quasi aquâ. Sicut follis, agitatur, contremit et crepitat haec aquosa abdominis intumescentia.

Ad inflationem eundo, vis, infirmitas, infirmus ignis, intumescentia, tabes membrorum, collectio aëris et faecum, aestus et sitis in omnibus abdominis tumoribus fiunt. Postremo autem abdominis tumores efficiunt aquae existentiam; tum omnes abdominis intumescentias ob percoctum statum medicus relinquat."

Caput VIII.

Nunc vero perturbati embryonis pathologiam expositluri sumus.

Rusticis moribus, rustico incessu, vectione, profectione, motione, praecipitatione, vexatione, cursu et percussione, inaequali lecto et sede, jenunio, vehemente percussione, nimis asperorum, pungentium et amarorum alimentorum oleribus, nimio caustici usu, dysenteria, vomitione, evacuatione, agitatione, indigestione, embryonis diminutione et ceteris modis embryo vinculo liberatur, sicut fructus petioli vinculo, variis percutiendi modis. Embryo vinculo liberatus, suum domicilium derelinquendo, ex hepatis, splenis et intestinorum cavis decidens, abdominis commotionem adducit. Abdomine feminae commoto, aër abdominalis conturbatus, aut laterum, aut abdominis, aut capitis,

aut ventris, aut uteri dolores, aut urinae suppressionem, aut urinae congeriem efficiendo, embryonem recentem sanguinis profluvio occidit. Hunc vero aliquantum auctum, simul aggressum, vulvam nactum, non ejectum et aëre abdominali corrupto conturbatum embryonem perturbatum embryonem appellant.

Porro is cuneus, ungula, Citrus medica et clava appellatur.

Qui (embryo) ibi, sursum brachia, caput et pedes vertens, uteri orificium praecludit, quasi cuneus, ille cuneus appellatur.

Qui embryo egressas manus, pedes et caput habet, corpori implicatus, ungula appellatur.

Qui vero egreditur solum cum capite et manibus, ille Citrus medica appellatur.

Qui quasi clava, uteri orificium operiendo, stat, ille clava appellatur.

„Quadruplex est embryo," quidam dicunt, sed non accurate. Cur? Hic, quando corrupto aëre vexatus vulvam multimodis aggreditur, tum animus derelinquitur. Ibi alius cum duobus femoribus uteri orificium aggreditur; alius, unum femur inflectens, cum uno; alius, femur et corpus inflectens, cum clunis regione, tortuose adveniens; alius, aut cum pectore, aut cum latere, aut cum dorso uteri portam tegens, consistit; alius, in medium latus caput convertens, cum uno brachio; alius, caput inflectens, cum duobus brachiis; alius, in medio inflexus, cum manibus, pedibus et capite; alius cum uno femore uteri orificium aggreditur, cum altero anum. — Sic octuplex igitur perturbati embryonis adventus breviter demonstratus est.

Porro duo ultimi perturbati embryones incurabiles sunt. Reliquos quoque, perversis sensibus, flatulescentiâ, vulvae prolapsu, hydrope, sanguinosa abdominis phlegmone, anhelitu, catarrho et vertigine vexatos, medicus derelinquat.

Sunt hic ślokae:

„Sicut temporis inclinatione fructus petiolo liberatus procedit, propria naturâ, non aliter delapsus, sic temporis tractu, tubi alligaturâ liberatus, in utero situs, embryo partui obvenit. Sicut vermibus, aëribus et percussionibus subjectus fructus intempestive delabitur, sic existit embryonis abortus. Usque ad quartum mensem profluere potest embryonis abortus. Deinceps firmo corpore praediti (embryonis) delapsus quinto sextoque mense vulnerat caput.

Quae (femina) vero frigido corpore instructa, impudica, violaceis elatisque vasis praedita est, haec interficit embryonem; hicque illam pariter.

Embryonis motionum et aërum interitus, furvus flavusque color, exspirationis foetor et dolor existit, interne mortuo foetu.

Ab animo profectis matris passionibus vexatus embryo interit, et morbis in ventre sitis vexatus.

Si in habitatione morte defunctae (feminae) venter movetur, eodem momento, pariendi tempore, ventrem dissecans extrahat medicus embryonem."

Caput IX.

Nunc vero phlegmonarum pathologiam expositurі sumus.

„Omnium immortalium magister, fortunatus, a subterraneo spatio ortorum rex, discipulo universum phlegmones hoc signum dixit.

Cutem, sanguinem, carnem, telam cellulosam et corruptum os aggressa humorum vitia, valde exaggerata, tumorem terribilem lente generant. Hunc, magnis corporis elementis instructum, morbosum, rotundum et sane etiam longum (tumorem) phlegmonen appellant sapientes. Haec vero sextuplex dignoscenda est, singulis totisque humorum vitiis, laesoque sanguine pariter. Harum sex phlegmonarum signum promulgaturus est (ille magister.)

Violacea aut furva, aspera, valde et ultra modum dolorosa, varie exsurgens et maturescens phlegmone ab aëre orta est.

Cocta, Ficui caricae similis, fusca, febrilis et aestifera, celeriter exsurgens et maturescens phlegmone a bile orta est.

Operculo similis, pallida, frigida, rigida, nimis dolorosa, lente exsurgens et maturescens pruriensque phlegmone a phlegmate orta est.

Tenuia, flava et alba gradatim effluvia commemorata sunt.

Variis formis, affectionibus et effluviis praedita, accumulata, iniqua et magna, inaequaliterque maturescens phlegmone a tribus humoribus corruptis orta est.

Ex inconvenienter viventis hominis ulcere, his illisque conditionibus inflicto, ulceris aestus, aërem aggressus, sanguinem et bilem emittit. Febris, sitis et calor hujus hominis nascuntur. Haec phlegmone adventicia, biliosae phlegmones signo praedita, est.

Violacea, tumoribus involuta, fusca, vehemente aestu, morbo et febre vexata, biliosae phlegmones signo praedita, sanguinis phlegmone appellatur.

Hac phlegmonae dictae sunt. Inter has vero insanabilis est ab omnibus (humoribus corruptis) orta.

Deinceps internas phlegmonas docent.

A gravis, improprii et contrarii cibi, aridique et madidi comesu, per nimium coitum, laborem, impetum, percussionem et aestum, singulatim orta humorum vitia, irritata, glandulosam, gibbosam et elatam interne faciunt phlegmonen in ano, abdomine, ore, umbilico, alvo, inguinibus, pulmonibus,

liene, hepate, corde et vesica. Harum phlegmonarum signa medicus cognoscat signis externarum phlegmonarum.

Crudum et coctum explorando, coetam et incoetam phlegmonen medieus designet.

Pro loeorum discrimine praecipue signum (phlegmones) audi!

Phlegmone in ano sitâ, aërum praeclusio existit; in abdomine, difficultas et paucitas urinae; in umbilico, singultus et inflatio; in alvo, aëris irritatio; in inguinibus, lumborum et dorsi tentatio vehemens; in pulmonibus, laterum contractio, ut in splenis affectionibus respirationis praeclusio; in corde, omnium morborum tentatio vehemens et dolor terribilis; in hepate, anhelitus et sitis; in vesica, bibendi desiderium immodicum.

Si phlegmone vel cruda vel cocta, si magna vel alia est, omnis etiam in organis vitalibus sita, molesta appellatur.

Super umbilicum ortae phlegmonae, coctae, eunt sursum; ceterae vero deorsum. Phlegmonis deorsum defluentibus, vivit (homo); sursum fluentibus, non vivit.

Phlegmonis cor, umbilicum et abdomen evitantibus et externe fissis, homo nonnunquam vivere potest; sin aliter, nunquam.

A feminarum, quae non pepererunt, aut puerperarum alimentis insalubribus aestum et febrem efficiens oritur terribilis sanguinosa phlegmone. Omnino vero ex puerperarum sanguinis accumulatione non egressam, a sanguine ortam, phlegmonen in abdomine sciat medicus Makkalam cognominatam esse.

Si phlegmone septem diebus non sedata est, tum ea concoquitur.

Manifestam phlegmonarum et glandularum indurationum differentiam nunc sum indicaturus.

Post phlegmones et glandularum indurationis ortum ab aequalibus humorum vitiis, cur glandularum induratio non maturescit, phlegmone vero maturitatem adit? Glandularum indurationum genera habent sua humorum vitia; phlegmone vero in carnis sanguine consistit.

Sicut cava sequens nodus (arundinum) in aquis bullae similis est, sic glandularum induratio similitudinem habet; ideo maturitatem non adit. Propter sanguinis in carne multitudinem maturitatem adit phlegmone; propter sanguinis in carne inopiam glandularum induratio maturitatem non adit. Glandularum induratio consistit in suo vitio; phlegmone vero in carnis sanguine. Idcirco phlegmone maturescit; glandularum induratio vero non maturescit.

Quae phlegmone circa cor, umbilicum et abdomen orta, maturata et arcenda est, quae a trium humorum vitiis orta est, et circa medullam maturescit, terribilis exoritur. Quando haec in ossibus et carne inclusa exitum non consequitur, tum homo hoc morbo, igne quasi, comburitur; hac ossium

et medullae inflammatione destruitur, sicut combustus. Hic morbus, sicut sagitta, aegrotum diu vexat. Quando vero medici operatione morbus exitum consequitur, tum adipi simile, unguinosum, albidum, frigidum et grave pus profectum effluere potest. Hoc ab osse profectum pus noverunt Śástrarum gnari phlegmonen, omnium corruptorum humorum morbos auferentem."

Caput X.

Nunc vero abscessuum, fistularum, et mammillarium morborum pathologiam exposituri sumus.

„Humores corrupti, cutem, carnem et sanguinem aggressi irritatique, quam intumescentiam, omnes corporis partes aggredientem, ibi collocatam, propriis signis praeditam, egressam et celeriter editam efficiunt, hanc, ab undique abscedendo, abscessum appellant. Haec intumescentia, aëris naturam habens, nigra et mollis, aspera, corpus fricans, cum rupturarum, dolorum, aëris et febris signis conjuncta est. Quando cum tumoribus inaequalibus ob nimiam humorum corruptionem conjuncta est, tum ea sic explicata sane relinquenda est.

Bilis naturam habens abscessus celeri decursu, febribus, aestu et maturitate praeditus, cum multis tumoribus diruptioneque conjunctus est et saniei similis. Quando humorum corruptorum incremento, laesa carne, vasisque instructus, et limo a fluminibus orto similis est, tum is sanari non potest.

Phlegmatis naturam habens procedit, torpidus est, celeriter maturescit, unguinosus, albus et tumidus, parvus aegrotatione et horrifico pruritu praeditus est.

Omnium (humorum corruptorum) naturam habens, triplici colore et aegrotatione praeditus, perturbatus et maturescens est. Neque vero sanatur propter carnis et vasorum interitum.

Statim vulnus et ulcus nacti et multis humorum vitiis vexati hominis bilis efficit intumescentiam fuscam, rubidam, cum nimia febre, aestu et maturitate conjunctam, tumoribus, Dolicho bifloro similibus, nigrisque, vexatam.

Curabiles sunt aëre, phlegmate et bile effecti abscessus. Omnium (corruptorum humorum) naturam habens et vulnere effecta intumescentia sanationem non consequitur.

A bile et aëre ortae intumescentiae, superioribus signis manifestae, omnesque in articulationibus sitae, sanatu difficiles sunt.

Intumescentiam immaturam qui intuitur tanquam maturam, aut qui male versatus medicus ulcus nimio pure impletum, interiorem partem, intrat, dilacerando ejus sedes supra consideratas, is tum lustrandus est.

Haec intumescentia, a meando ultra modum, meatus (ulcus tubulatum) vocatur. Quia vero fistulae instar derivat, idcirco cogitata est fistula. Haec tribus humoribus corruptis fit separatim singulatimque; alia autem animi deliquio, a sagittis orto. —

Ibi fistula ab aëre orta, aspera et parvo orificio praedita, pungens, spumis perforata, noctu valde fluit.

Sitis, aestus, doloris, tabis, febris et fissionis causa, flavum pigmentum calidum, valde profluit interdiu a bile.

Cognoscenda est fistula ex phlegmate valde densa, alba, mucosa, dura, pruritiva.

Duorum corruptorum humorum narrata signa videns medicus, quatuor meatus a vicissitudine ortos esse sciat.

In qua fistula aestus, febris, anhelitus, animi deliquium, exsiccatio, narrataque signa oriuntur, eam medicus, ob aëris, bilis et phlegmatis irritationem, demonstret horrificam, sicut quinque vitalium spirituum exitium efficientem summam senectutem (kálarátri).

Sagitta parva, ullo modo perdita, in locis editis mox ulcus tubulatum efficit. Hoc spumosam, agitatam, pellucidam, cum sanguine commixtam et calidam saniem celeriter facit, morbosumque semper est.

Quot enim ulcera tubulata et quibus rationibus fiunt, tot existunt mammillares feminarum morbi, et illis ex causis. Vasa tubulata puellarum, occultis portis instructa, in mammis congregata sunt. In humorum corruptorum absentia non illis fiunt mammarum morbi. Deinde vero puerperarum gravidarumque haec vasa, ob propriam naturam aperta, rursus fiunt et exoriuntur. Sapori jucunda dulcedo, maturi alimenti causâ orta, ex universo corpore ad mammas profecta, lac maternum vocatur, sicut in excellentibus corporibus semen virile non conspicitur, sed post adventum ex toto corpore seminis virilis signum indicatur. Hoc autem semen virile desideratae virginis conspectu, recordatione, vocis auditione, contactu et gaudio provenit. Laetissimus animus ibi in gaudio causa esse (provenientis seminis virilis) dicitur. Sic etiam ex alimentorum gustuum productiva vi feminae lac existit. Hoc autem aggressum contactu, conspectu, recordatione et prehensione corporis, seminis virilis instar, provenit. Amor continuus ibi in profluvio causa esse dicitur.

Hoc lac adstringens fieri potest ex aëre, immissumque in aqua natat; ex bile acidum et pungens est, menstruaque in aqua flavent; ex phlegmate mucosum est et in aqua evanescit; ex omnibus humoribus corruptis omnia signa habet et post laesionem corrumpitur. Quod lac in aquam immissum singulatim fit subflavum, dulce et non decolor, hoc laetum medicus demonstret.

Humor corruptus, mammas aut lacte abundantes, aut non emulsas

aggressus, feminae sanguinem carnemque corrumpendo, mammarum morbum efficit.

Harum vero quinque phlegmonarum signa, cum exceperis sanguinosam phlegmonen, similia sunt externarum phlegmonarum signis."

Caput XI.

Nunc vero nodorum arthriticorum, incoctorum tumorum, indolorum tumorum et colli tumorum pathologiam exposituri sumus.

„Aër et cetera, caro et sanguis, corrupta, telam cellulosam phlegmate penetratam corrumpendo, rotundam, editam et incurvatam intumescentiam faciunt. Inde nodus arthriticus indicatus est.

Hic ab aëre ortus intenditur, vexatur, subit dolorem, urgetur, finditur, subit sectionem, violaceus, duroque abdomini similis est ubique; sectus profundit pellucidum sanguinem.

A bile ortus comburitur, inflammaturque ultra modum, maturescit, flagratur quasi, sanguis ibi flavidus est; sectus profundit valde calidum sanguinem.

Phlegmate irritatus, frigidus est, decolor, paululum dolorosus, valde pruritivus, lapidis instar soliditate praeditus, diu crescens; sectus profundit album solidumque pus.

Adipe effectus, corporis incrementum destruit et incremento privat, unguinosus, magnus, paululum dolorosus et valde pruritus est; egreditur ex valde secto nodo adeps, amurcae et butyro clarificato similis.

Defatigationum generibus his illisve infirmi hominis aër, sternendo, vasorum tubulatorum expansionem contrahendo, aut etiam exsiccando, nodum arthriticum celeriter facit editum, rotundum. Hic vero nodus arthriticus, a vasis tubulatis ortus, difficilis sanatu fieri potest, si est dolorosus et mobilis; indolor vero et immobilis, magnus et in articulis situs derelinquendus (insanabilis) est.

In maxillis, ossibus, lateribus, foveis axillaribus, oculis, brachiis, articulis et cervicis tendinibus collecta adeps nodum arthriticum immobilem, rotundum aut longum, phlegma vero unguinosum et paululum dolorosum efficit. Hunc (nodum arthriticum) ex nodis Phyllanthi emblicae ossiculorum mensuram habentibus, piscium ovorum collectioni similibus, et vario aut non vario colore praeditis collectum, propter collectionis vexationem tumorem incoctum vocant. Hi nodi pruritivi et paululum dolorosi sunt; secti fluunt, extinguuntur et alii fiunt.

Ab adipe et phlegmate revera hic morbus perdifficilis est et multam pluviam subsequitur.

In membrorum regione aut alicubi humores corrupti aucti, carnem corrumpendo, rotundam, immobilem, parum dolorosam, magnam, parvis radicibus praeditam, diu crescentem, incoctam et carnes colligentem intumescentiam efficiunt; hanc sacrarum scientiarum periti (śástravid) indolorem tumorem vocant. Aëre, bile, phlegmate, sanguine, carne et adipe hic nascitur. Ejus vero signa quando nodo arthritico similia fiunt, humor corruptus, sanguinem et vasa tubulata comprimendo et contrahendo, profectus ad maturitatem, profluvium profundit, carnosis massis impletum, carnosis sanguinibus collectum et celeriter auctum. Profluit semper sanguis corruptus. Hic tumor, sanguinis indolem habens, insanabilis est. Intumescentia vero, indolore tumore vexata, propter sanguinis exitium et symptomatum vexationem pallida fit et in membro, pugni ictibus etc. laeso, carnem corruptam efficit. Insensilis, unguinosus, non vario colore praeditus, incoctus, lapidi similis et immobilis est hominis corrupta carne praediti tumor indolor; durus est ille hominis praecipua carne praediti. Hic vero carnis tumor indolor insanabilis dictus est.

In sanabilibus quoque (tumoribus) hos tumores medicus relinquat: profluentem, in articulis exortum, et qui in sensuum organis immobilis fit. — Qui (tumor) oritur alius in priore ortu, is cognosci debet primarius tumor a tumorum gnaris. Qui duplicem ortum simul gradatimve habet, duplex tumor est. Hic fit insanabilis.

Non maturitatem subeunt omnes tumores insensiles propter phlegmatis abundantiam et adipis abundantiam praecipue, naturaliter vero propter corruptorum humorum rigiditatem et conuexum inter se.

Aër, phlegma, pariterque adeps in collo, auctas tendines duas cervicis aggrediendo, efficiunt gradatim tumorem, propriis signis praeditum. Hunc colli tumorem vocant.

Aëris indole praeditus hic tumor, dolore vexatus, lividis vasis instructus, lividus aut furvus, adipe praeditus et coacervatus tempore fit, et in unguinoso collo dolorosus. Asperitate praeditus, diu crescens et immaturus sponte maturitatem aliquando subit. In ore hujus hominis saporis inopia fit, pariterque palati et colli siccitas.

Phlegmatis indole praeditus tumor, rigidus, coloratus, paululum dolorosus, vehementer pruriens, frigidus et magnus est. Diu crescentem aut diu maturescentem torpidum morbum aliquando efficit. In ore hujus hominis dulcedo fit, pariterque palati et colli illitus.

Ab adipe effectus, unguinosus, mollis, pallidus, inoptato odore praeditus, indolor, sed valde pruritivus est, propendet Cucurbitae lagenaris instar, parvis radicibus instructus, et sicut corpus cum diminutione et incremento

conjunctus est. In ore hujus hominis est pituitosus status; collo crepitum semper facit.

Difficulter respirantem, in toto corpore tenerum, aetatem trasgressum, inappetentia vexatum et emaciatum aegrotum colli tumore tentatum, cumque interrupta voce praeditum, medicus derelinquat.

Cujus constricta intumescentia testiculorum instar dependet in collo, vel magna vel parva, illam colli tumorem medicus demonstret."

Caput XII.

Nunc vero testiculorum augmenti, morbi venerei et elephantiasis pathologiam exposituri sumus.

Septem sunt testiculorum augmenta: ab aëre, bile, phlegmate, sanguine, adipe, urina et intestinis orta. In his ab urina et intestinis orta augmenta aëre solum exsurrecta sunt; sed originis causa ulla alia existit. Subtus enim irritatus humor corruptus, vasa, ad testiculos se conferentia, aggrediendo, testiculorum augmentum procreat. Hoc simpliciter augmentum vocant. Horum ortorum augmentorum priora signa sunt: in abdomine, in lumbis, testiculis et pene dolores, aëris retentio et testiculorum intumescentia.

Ibi aëre impletum, abdominis instar extentum, ab asperitate et cruditate ortum aëris morbum, augmentum ab aëre vocant; — maturae Ficui glomeratae similem morbum, febre, aestu et ardore praeditum, celeriter exsurgentem et maturescentem, augmentum a bile; — durum, paululum dolorosum, frigidum et prurientem, augmentum a phlegmate; violaceo tumore circumdatum et signa augmenti, a bile orti, habentem, augmentum a sanguine; mollem, unguinosum, prurientem, paululum dolorosum et Borassi flabelliformis fructui similem, augmentum ab adipe.

Urinae complicatione et natura praediti hominis urinale augmentum existit. Hoc proficiscentis augmentum, aqua impletum, sicut utriculus fluctuat; urinae difficultatem, dolores, testiculorum eorumque vaginarum tumorem adit. Hoc augmentum ab urina ortum esse medicus sciat.

Onerum susceptione, forti pugna, arborum caede et ceteris defatigationum generibus aetas valde provecta irritataque, intestino crasso alioque unam regionem bis aggresso, deorsum profecto, inguinum spatium consecuto, in nodi specie adstante, apud hominemque non curatum temporis intervallis scrotum aggresso, testiculorum intumescentiam adit. Inflata, abdominis instar extenta et prolongata intumescentia fit, eaque depressa crepitum sursum edit; relictaque iterum se inflat. Hoc augmentum ab intestinis ortum insanabile esse dicunt. —

Deinceps post nimium coitum aut nimiam castimoniam (brahmacharya), porro post viri, feminam castam (brahmachárini), diu desertam, menstruantem, longis, asperis, confusis et obtectis pilis, parvo aut magno vaginae orificio instructam, ingratam, inamabilem, vulvâ impuris aquis elotâ aut illota praeditam, vulvae morbis affectam, sponte corrupta vulva praeditam aut vulva orbatam ultra modum venerantis, laesionem, vexationem unguibus, dentibus et vespis, pugni ictum, quadrupedibus iter, lavationem impuris aquis, compressionem et urgentis seminis virilis urinaeque retentionem, aut, in coitus fine, lavatione et ceteris, penem aggressa irritata humorum vitia, in vulnerato aut non vulnerato homine, tumorem procreant, quem morbum venereum appellant. Hic morbus quintuplex oritur: a tribus humoribus separatim, a totis, et singulus a sanguine.

In aëris morbo asperitas, cutis contritio, penis erectio (priapismus), aspera intumescentia, variique aëris dolores.

In bilis morbo febris, tumor maturae Ficui glomeratae similis, horribiliter aestuans et celeriter maturescens, bilis dolores.

In phlegmatis morbo tumor pruritivus, durus et unguinosus, phlegmatis dolores.

In sanguinis morbo lividi tumoris apparentia, ultra modum sanguinis proventus, bilis signa, ultra modum febris et aestus, aliquando tabes sane dubia.

In morbo ab omnibus humorum vitiis orto omnium signorum conspectus, dilaceratio penis, vermium apparentia, morsque.

Irritata humorum vitia, aër, bilis et phlegma deorsum deducta, in inguinibus, femoribus, genibus et cruribus sita et temporis intervallo pedes aggressa, tarde intumescentiam procreant, quam elephantiasin appellant.

Haec triplex est: ab aëre, bile et phlegmate orta.

Porro ab aëre orta elephantiasis pungens, violacea, aspera, non aëris causâ dolorosa, multum se circumvolvit.

A bile orta elephantiasis flava apparet, paululum mollis et febribus aestus plena est.

A phlegmate orta elephantiasis alba et unguinosa apparet, languide dolet, ponderosa quasi, magnis nodis instructa et spinis referta est. —

Porro ab anni tempore profecta, permagna, a formicis albis orta et profluens elephantiasis relinquenda (insanabilis) est.

Sunt hic ślokae:

„Tres has cognoscat medicus elephantiases phlegmate exortas esse, quia gravitas et magnitudo non existit sine phlegmate. —

Quae regiones stagnante aqua refertae et omnibus anni temporibus frigidae sunt, in illis praecipue oriuntur elephantiases.

Sicut in pedibus, sic etiam in manibus hominum elephantiasis oritur. In auribus, oculis, nasis et labiis superioribus quidam docti hanc volunt.“

Caput XIII.

Nunc vero turpium morborum pathologiam expossituri sumus.

Breviter quatuor et quadraginta turpes morbi sunt: Ajagalliká, Hordeo hexasticho similis morbus, obcaecans ophthalmia, ulcus rotundum, testudinata pustula, formicetum (elephantiasis), Indravrĭdd'há, Artocarpi integrifoliae fructui similis pustula, lapidi simile tuber, reticulatum tuberculum, axillare tuber, pustula, ignea inflammatio, reduvia, deformis unguis, pustula in capite, bubo, calculosus tumor, impetigo, scabies, Rakasá, pedum dilaceratio, nodi dilaceratio, intumescentia elephantiaca, alopecia, caesaries horrida, porrigo, canities, variola, juvenum papula, Nelumbii speciosi spina, laccae gemma, verruca, cutis flamma, petechiae, naevus, nigra faciei macula, recessio (paraphimosis), laesio, aperturae praeclusio (phimosis), ani praeclusio, atrophia Ahipútanica, scroti prurigo, ani prolapsus.

„Unguinosus, colore praeditus, nodosus, indolor, Phaseolo mungoni similis, a phlegmate et aëre ortus cognoscendus est turpis morbus Ajagalliká.

Hordei hexastichi similitudine praeditus, perdurus, nodosus, carnem aggressus et condensus morbus, a phlegmate aëreque ortus, Hordeo hexasticho similis dicitur.

Solidam, orificii expertem, condensam, sublatam et circularem obcaecantem ophthalmiam, paululum purulentam, hanc a phlegmate et aëre ortam esse medicus sciat.

Rotundo orificio instructum, magno aestu praeditum, maturae Ficui glomeratae simile hoc rotundum ulcus sciat a bile ortum esse et circulare.

Nodi, vel quinque, vel sex, horribiles et testudinati existunt. A phlegmate et aëre ortum esse sciat hanc testudinatam pustulam.

In planta et palma, in articulatione, in cervice supra claviculas, nodus formiceto similis tarde colligitur, ulceribus pro dolore, madore et aestu prurientibus obtectus. Morbus hic, formicetum, a phlegmate, bile et aëre ortus est.

Nelumbii speciosi et Costi speciosi instar in medio congeriebus accumulatam Indravrĭddhám (pustulam) hanc medicus sciat a bile esse ortam.

Circa aures undique aut in dorso congestus et terribilis morbus existit, Nymphaeae bulbi instar. Pustulam Artocarpi integrifoliae fructui similem hanc a phlegmate et aëre ortam esse sciat.

In maxillae articulatione exortum tumorem, paululum dolentem et firmum, lapidi simile tuber, sciat phlegmatis et aëris natura praeditum esse.

Quae intumescentia extense se extendit, aestum febremque efficit, tenuis

et immatura est, illa, a bile ortum reticulatum tuberculum, cognoscenda est.

In brachiis, lateribus, humeris et fovea axillari violaceum tumorem dolorosum, a bilis irritatione ortum, axillare tuber medicus demonstret.

Igne quasi combusti tumores, febriles, a sanguine bileque orti, alicubi aut ubique in corpore commemorati, pustulae sunt.

Qui tumores in axillae partibus oriuntur, carne terribiles, internum aestum et febrem efficientes, splendido igni similes, septem diebus aut duodecim diebus, aut quindecim diebus occidunt hominem. Hanc igneam inflammationem sciat medicus insanabilem et a tribus humoribus corruptis ortam esse.

Unguium carnem aggrediendo bilis aërque dolores efficiunt, aestum maturitatemque. Hunc morbum reduviam medicus demonstret. Hic ulcerosus morbus etiam paronychia vocatur.

Laesione corruptus qui unguis asper, niger et calidus fit, hunc deformem unguem sciat medicus nobilem esse cognominatum.

Profundam, paululum irritatam, coloratam, supra locatam, intus maturescentem capitis pustulam sciat medicus a phlegmate ortam esse.

Sicut Convolvuli paniculati radix rotundum in fovea axillari, inguinibus et articulationibus, rubrumque bubonem sciat medicus ab omnibus humoribus corruptis ortum et eorum signis praeditum esse.

Carnem, vas et tendinem aggrediendo phlegma, adeps et aër nodum faciunt. Hic fissus, melli, butyro clarificato et sero simile profluvium ultra modum edit. Ibi incrementum nactus aër, carnem exsiccando, nodosum calculum rursus procreare potest. Foetidum, valde dilutum, versicolorem tum vasa subito profundunt sanguinem. Hunc sciat medicus esse calculosum tumorem.

Impetigo in scabie, in lepris Rakasá exposità est. —

Circumgressu occupati hominis aër in perquam asperis pedibus efficit dilacerationem dolorosam, plantas aggressam.

In pede calculis agitato, aut laeso vel spinis et cet., vel telam cellulosam et sanguinem aggredientibus humorum vitiis, oritur hominum inflammatus et durus nodus, profundus in medio, aut etiam altus. Piperis longi formâ instructa, dolorosa et effluens fit haec nodi dilaceratio.

Madidis digitorum intervallis affectos pedes, pruritu, aestu et dolore vexatos ex corruptae carnis contactu, tanquam intumescentiam elephantiacam medicus demonstret.

Poros aggrediens bilis, cum aëre commixta, amovet capillos; deinde phlegma cum sanguine conjunctum praecludit poros; inde vero aliorum pilorum absentia. Haec alopecia, calvitium, morbo etiam efficitur.

Caesaries horrida, pruritiva et aspera in capillorum fundo pro-

creatur. Ex phlegmatis et aëris irritatione caesariem horridam esse exortam medicus sciat.

Porrigines multiforae et valde madidae in capite existunt. Phlegmatis, sanguinis et insectorum irritatione fieri hominum porriginem medicus sciat.

Irâ, moerore et lassitudine effectus corporis calor, caput aggressus, bilisque, capillos maturant. Canities eo oritur.

Aestu et febre affectae maculae et pustulae flavidae in membris et ore intus dignoscendae sunt. Hae variolae sunt.

Bombacis heptaphylli spinis similes a phlegmate, aëre et sanguine oriuntur papulae juvenum in vultu, quae os contaminant.

Spinis accumulata, rotunda et pruritiva macula, ex spinis, Nelumbii speciosi spinae similibus, sic nominata, a phlegmate et aëre orta est.

Indolorem et aequalem natam maculam, a phlegmate et sanguine ortam, innatam et sanguine impletam, parvam, laccae gemmam cognoscunt.

In cujus membris insensilis, immoblilis, Phaseoli radiati instar violacea eruptio conspicitur, hanc ab aëre ortam verrucam medicus demonstret.

Violaceas, Sesami orientalis magnitudine praeditas, indolores et aequales, ab aëre, bile et phlegmate ortas esse petechias medicus sciat.

Macula rotunda, magna vel parva, nigra vel alba, innata, indolor in corpore naevus refertur.

Ex origine et pathologia cutis flamma exponitur.

Irâ et fatigatione irritatus aër, cum bile conjunctus, subito faciem aggrediendo, maculam rotundam deinde in facie emittit indolorem, exiguam et nigram. Hanc nigram faciei maculam medicus demonstret.

Frictione, vexatione vel etiam vehemente percussione quando aër undique adveniens praeputium incolat, tum aëre impletum praeputium sub penis glandem recedit; penis in nodi specie dependet dolorosus et calidus est, maturitatemque alicubi adit. Aëris adventu natam esse hanc recessionem (paraphimosin) medicus sciat. Haec pruritiva, dura et etiam a phlegmate orta est.

Quando parvam et juniorem feminam gaudio aggreditur vir, — porro post masturbationem in praeputio superdato, post vim, frictionem et vexationem, si cujus praeputium, seminis virilis celeritatem impediendo, laeditur, hoc esse laesionem medicus sciat.

Aëre autem sic impletum praeputium aggreditur glandem penis. Penis glans, praeputio praestricta, urinae profluvium praecludit. Praeclusâ hac apertura, tarde destillans et insensilis urina viri progreditur, neque glans penis dilaceratur. Aperturae hanc praeclusionem (phimosin) medicus sciat male exortam laesionem esse.

Aër ob cursus retentionem impeditus, anum aggressus, praecludit magnum profluvium, exiguamque portam facit. Ob orificii exiguitatem difficulter

ejus excrementum egreditur. Ani praeclusionem hunc morbum intolerabilem esse medicus sciat. Hic (morbus) in infantis ano, excrementis et urinis polluto et illuto, oriri potest.

Abluto aut non abluto infanti tumores et fluxus, a prurigine, sanguine et phlegmate orti, pruritu celeriter fiunt.

A singulis daemonibus ortam et ulceribus terribilem esse hanc atrophiam Ahipútanicam (ab Ahibus et Pútanis ortam) medicus sciat.

Ablutione et purificatione orbati hominis excrementa, scrotum aggressa, quando sudore irrigantur, tum pruriginem procreant. Ibi pruritu celeriter tumor et fluxus nascuntur. Dicunt, hanc scroti pruriginem a phlegmatis et sanguinis irritatione ortam esse.

Diarrhoeâ et dysenteriâ exit foras anus hominis, aspero et infirmo corpore praediti. Hunc ani proplapsum esse doceat medicus."

Caput XIV.

Nunc vero vitiorum, a spiculis ortorum, pathologiam expositurі sumus.

Symptomatum incrementum optantium et inordinate viventium hominum morbi octodecim nascuntur, a spiculorum vitiatione orti. Hi sunt: Sinapi albae similis tumor, tumor abdominis globosus, tumor nodosus, hordeolus, ophthalmia, tormen, torpidus tumor, agitatio, Costo similis tumor, tactus inopia, tumor principalis, penis fistula, cutis coctio, sanguinosus tumor, carnis tumor, carnis coctio, phlegmone, petechiae.

„Sinapi albae similis, spiculis male fractis effectus, tumor, a phlegmate et sanguine ortus, Sinapi albae similis tumor cognoscendus est doctis.

Durus ab inaequalibus aëris irritantis finibus spiculisque cum veneno conjunctis oritur tumor abdominis globosus.

Qui (tumor) spiculis impletus et perpetuo nodosus est, ille ex phlegmate exortus est.

Hordeolus, ex sanguine et bile exortus, Eugeniae jambu ossiculis similis et infelix est.

Ophthalmiae symptomatibus praeditam esse ophthalmiam medicus reputet.

Tormen et vexatio est furor aëris irritantis.

Homini, manibus valde torpido, fit torpidus tumor.

Terribiles et multi tumores sunt, qui in medio lacerantur. Haec agitatio, a phlegmate et sanguine orta, dolores et horripilationem efficit.

A bile et sanguine ortus, accumulatione collectus Nelumbiique speciosi specie praeditus tumor cognoscendus est. Hic est Costo similis tumor.

Sanguis, spiculis corruptus, procreare potest tactus inopiam.

Phaseolo mungoni et Phaseolo radiato similis, ruber et a sanguine ortus existit tumor. Hic vero tumor principalis cognoscendus est, spiculorum et indigestionis causâ ortus.

Perforationibus et orificiis undique obductus penis, ab aëre et sanguine ortus morbus, cognoscendus est penis fistula.

Bile et sanguine effectus morbus cognoscendus est cutis coctio, febrilis et calida.

Violaceis sanguinosisque intumescentiis et accumulationibus vexatus, abdominis morbus terribilis, putandus est sanguinosus tumor.

Ex carnis vitio cognoscat medicus tumorem a carne ortum.

Si cujus carnes destruuntur, si quis omnibus doloribus afflictus est, sciat medicus, hanc esse carnis coctionem, omnibus humoribus corruptis effectam.

Phlegmonen a corruptione humorum, sicut dictum, ortam esse medicus demonstret.

Violacea, variegata et venerata spicula injecta coquunt celeriter penem ex toto.

Si cujus hominis carnes, violaceae factae, destruuntur, hunc morbum, ab omnibus humoribus corruptis ortum, medicus sciat petechias esse.

Porro carnis tumor, carnis coctio, indicata phlegmone et petechiae minime sanantur."

Caput XV.

Nunc vero fracturarum pathologiam exposituri sumus.

Lapsu, compressione, ictu, jactu, serpentum et quadrupedum dentibus et ceteris laesionis generibus multimodam ossium fracturam fieri medici docent. Hoc vero, quod fracturam sequitur, duplex prodit: articulatio orbata, os fractum.

Articulatio orbata sextuplex est: contusa, disjuncta, distorta, luxata, nimis luxata et oblique luxata articulatio.

Processio, immobilitas, distortio, luxatura, infirmitas, ingens dolor et tactionis impatientia sunt universalia articulationis orbatae signa dicta. Praecipue, contusa articulatione, a duobus lateribus tumor et dolor apparent; praesertim multimodi dolores noctu apparent.

Disjuncta articulatione, parvus tumor, doloris praesentia, articulationis immutatio.

Distorta articulatione, ob articulationis lateris digressionem inaequalis membri status et dolor.

Articulatione luxata, articulationis disjunctio et terribilis dolor.

Articulatione nimis luxata, in duabus partibus, in articulatione et in osse violatio et dolor.

Articulatione oblique luxata, unum ossis latus digreditur et ultra modum dolor adest.

Os fractum deinceps indicaturi sumus.

Camaro simile os, equi auri simile, contritum, caesum, commotum, fractum, medullam aggressum, deciduum, curvum, fissum, laceratum et comminutum — duodecim genera sunt.

Tumoris multitudo, tremor, distortio, tactus intolerantia, in comprimendo crepitus, membrorum delapsus, variorum dolorum apparentia et in omnibus aetatibus laetitiae vacuitas fractae continuationis signa breviter dicta sunt.

Praecipue vero conturbatum a duobus lateribus, in medio osse fractum et nodi instar sublatum os est Camaro simile.

Equi auris instar erectum os equi auri simile est.

Contritum os vero ex crepitu et contactu cognoscendum est.

Caesum os, magnitudinem consecutum, non parvo tumore praeditum est.

Os in lateribus erectione orbatum, os commotum est.

Se movet tremens in continuatione fractio. — Ossis fractura, ossis medium ingrediendo, medullam attingit. Sic medullam aggressa est fractura.

Os omnino fissum deciduum est.

Inflexum et non sejunctum os curvum est.

Os ab altero latere laesum fissum est.

Laceratum os plus minusve dilaceratum et dolorosum est.

Spiculis quasi impletum, inflatum, profundum et comminutioni subjectum os comminutum est.

In his contrita, fissa, decidua et medullam aggressa ossa difficilia sanatu sunt; sic etiam emaciatorum, senum et infantium, vulneribus, infirmitate, lepris et anhelitu vexatorum, fractura articulationem aggressa.

Sunt hic ślokae:

„Fissum cranium, in lumbo articulationem orbatam et elapsam coxamque contusam medicus relinquat. Disjunctum cranium in fronteque contritum, fracturam in pectoris medio, in temporibus, in dorso et capite medicus relinquat. Ab initio male natum os articulationemve, omnino etiam os coalitum, et illud, quod mala insertione, malo ligamento et quassatione deformitatem subit, medicus relinquat.

Mediae aetatis status tres expositi sunt. Porro robustus fit homo, ingressus virilitatem. Infantium ossa inclinantur, extremitatum ossa maturantur, crania diffinduntur, dentesque apparent.“

Caput XVI.

Nunc vero oris morborum pathologiam expadituri sumus.

Oris morbi sexaginta quatuor sunt in septem sedibus.

Sedes vero sunt: labia, dentium radices, dentes, lingua, palatum, faux, et omnes hae sedes.

Porro octo morbi in labiis, quindecim in dentium radicibus, octo in dentibus, quinque in lingua, novem in palato, septendecim in fauce et tres in omnibus his sedibus sunt.

Labiorum affectiones ab aëre, bile, phlegmate, omnium humorum corruptione, sanguine, carne, adipe et laesione ortae sunt.

„Labia aspera, rigida, violacea, terribili dolore affecta fiunt, dilacerantur et conteruntur aëris irritatione. Cumulata vero phlyctaenis Sinapi dichotomae similibus, valde calida, cocta effluentiaque, livida et flava fiunt bile. Coloratis phlyctaenis cumulantur, indoloria, pruritiva, pituitosa, frigida et gravia fiunt labia phlegmate vigentia. Simul violacea, simul alba et multis phlyctaenis cumulata cognoscenda sunt omnium humorum corruptione affecta labia. Phlyctaenis Phoenicis sylvestris fructui similem colorem habentibus cumulata, sanguine praedita et ut cruor splendentia labia sanguine fluunt. Circa carnem corrupta labia sunt gravia, turgida, carunculae instar erecta. Homines ibi conturbantur in duobus oris angulis. Adipe affecta labia, butyro clarificato et gummi similia, pruritiva, immobilia et mollia sunt, clarum et crystallo simile profluvium emittunt et gravia sunt. Sanguini similia sunt, dilacerantur, vulnerantur, nodosa et pruritu praedita sunt indicta labia laesione affecta.“

Dentium radicem aggressi morbi sunt: frigore exedens morbus, dentium tumor, dentium alveolaris morbus, perforans, valde perforans, dilacerans morbus, gingivae tumor, dentium vacillatio, crescens morbus, carnis hypertrophia et fistulosa ulcera quinque.

„Si cujus sanguis in dentium alveolis subito provenit, foetidae, nigrae, madidae et molles dentium carnes fiunt, destruuntur et coquuntur vicissim. Hic morbus frigore exedens nominatur et a phlegmate sanguineque ortus est.

In duobus aut tribus dentibus si cujus intumescentia dolorosa et magna est, dentium tumor cognoscendus est, phlegmatis et sanguinis causâ exortus.

Purulento sanguine fluunt et vacillant dentes. Dentium alveolaris morbus est, a corrupto sanguine ortus.

Intumescentia in dentium radicibus dolorosa a phlegmate et sanguine oritur. Salivâ fluens pruritivusque hic morbus perforans dignoscendus est.

Dentes vacillant in alveolis, palatum dilaceratur, dentium carnes coquuntur, cavitas oris affligitur. In quo homine hic morbus ab omnibus humorum vitiis ortus est, valde *perforans* vocatur.

Si cujus hominis dentium carnes destruuntur et sanguis exspuitur, morbus a bile, sanguine et phlegmate ortus cognoscendus est. Hic enim *dilacerans morbus* est.

In alveolis aestus et coctio est, in illis dentes vacillant, relaxati sunt, fluunt sanguine, torpido dolore affecti sunt, inflantur, fluente sanguine cavitas oris foetida fit. In quocunque homine hic *tumidus morbus* est, bile et sanguine est affectus.

Contritis dentium radicibus, irritatio oritur magna fiuntque dentes vacillantes. Haec *dentium vacillatio* a laesione oritur.

Aëre afflictus dens terribiliter dolorosus fit. *Crescens morbus* hic creditus oritur dolorque cessat.

In relinquendo posteriore dente magnus tumor, magno dolore afflictus, salivâ fluens, et phlegmate effectus, dignoscendus est, *carnis hypertrophia*.

Dentium radicem aggrediuntur *fistulosa ulcera quinque*. Haec reputanda sunt quasi emissa."

Dentes aggressi morbi sunt: dentes findens morbus, vermes in dentibus, dentium erectio, fractura, incrustatio, morbus a cranio ortus, niger dens, maxillae relaxatio.

„Si cujus hominis dentes multipliciter finduntur et terribili dolore affecti sunt, *findens morbus* hic cognoscendus et aëris causâ ortus est.

Niger, perforatus, vacillans, effluens, irritatus, valde dolorosus, sine aperta causa dolorosus morbus, ab aëre ortus, *verminosus in dentibus* cognoscendus est.

Si cujus dentes frigus aestumque perpetiuntur, neque vero contactum, hunc morbum *dentium erectionem* ab aëre ortam esse medicus cognoscat.

„Si cujus hominis os curvum, dentiumque fracturis et horribilibus doloribus affectum est, hic morbus, a phlegmate et aëre ortus, *fractura* cognominatur.

Sacchari instar si cujus densa facta est excretio in dentibus, hic morbus, dentium qualitatem laedens, dentium *incrustatio*, dignoscendus est.

Quando dentium substantia vitrea simul cum crusta dilaceratur, tum hic dentes destruens morbus a *cranio* ortus cognoscendus est.

Qui dens, bile cum sanguine commixta, praecipue combustus, nigritudinem vel etiam atritatem subit, is dens *niger* est.

Aëre, hisve illisve conditionibus, maxillaris articulatio dissoluta fit. Hic morbus *maxillae relaxatio* cognoscendus et paralyseos signis praeditus est."

Linguam aggrediuntur: aculei a tribus humoribus corruptis, intumescentia et affectio palati mollis.

„Lingua, aëre dilacerata, dormiens et Tectonae grandis folio similis fit; per bilem flava et sanguinosis aculeis cumulata comburitur; per phlegma gravis, magna, carnis excrescentibus Bombacis heptaphylli aculeo similibus cumulata fit.

Qui tumor in linguae dorso magnus est, is intumescentia vocatur, phlegmatis et sanguinis corpore praedita. Haec vero aucta linguam rigidat; in radice vero lingua valde subit maturitatem.

Linguae cacuminis specie praeditus tumor, linguam sublevando natus, a phlegmate et sanguine ortus est. Cum madore, pruritu et aestu conjuncta narratur haec palati affectio."

Palatum aggrediuntur: uvulae affectio, Momordica monadelpha, angina, carnis testudo, intumescentia insensilis, carnis accumulatio, palati tumor, palati exsiccatio, palati coctio.

„Phlegmate et sanguine in palati radice auctus magnus tumor existit, inflato abdomini similis. Sitim, catarrhum et anhelitum efficiens hic morbus demonstratus est a medicis uvularis affectionis nomine.

Tumor turgidus, doloribus, aestu et maturitate affectus, a supradictis (phlegmate et sanguine) ortus, Momordica monadelpha cogitatus est.

Tumor rigidus, ruber, in palati regione a sanguine ortus existit. Cognoscendus est hic morbus angina, febre dives.

Testudinis instar editus, indolor, non celeriter natus et exsanguis tumor cognoscendus est testudo, a phlegmate orta.

Nelumbii speciosi forma praeditum, in palati medio situm tumorem, a sanguine ortum existimet medicus intumescentiam insensilem, supradicto signo praeditam.

Carnem, phlegmate corruptam, indolorem, in palati fine sitam, carnis accumulationem appellant.

Indolor, stabilis, Zizyphi jujubae mensuram habens, a phlegmate et adipe ortus tumor in palati regione fieri potest.

Ultra modum exsiccatum palatum dilaceratur, anhelitus ab aëre oritur, palati exsiccatio a bile.

Bilis efficere potest coctionem ultra modum terrificam in palato, quem morbum palati coctionem vocant."

Faucem aggrediuntur: inflammationes quinque, faucis bulbus, linguae hypertrophia, oesophagitis, phlegma, simplex accumulatio, accumulatio, tonsilarum augmentum, Giláyu, gutturis phlegmone, gutturis praeclusio, vocis occisor, carnis extentio, bubo.

„In gutture aër, bilis et phlegma conturbata, singulatim aut conjunctim rubram corrumpendo carnem, guttur praecludentes intumescentias procreant. Haec vero celeriter invadens inflammatio est.

Circa linguam valde dolorosi carnis tumores, faucem praecludentes, fieri

possunt. Hanc inflammationem aëre effectam aëris symptomatibus valde praeditam appellant.

Celeriter exsurgens, celeriter aestuans et maturans, vehementer febricitans, a bile orta inflammato est.

Sensuum organa constringens, tarde maturans, gravis et stabilis est inflammatio a phlegmate orta.

Profunde maturans, manifeste vehemens, trium humorum corruptorum signis praedita, a trium humorum vitiis orta inflammatio est.

Qui nodus Zizyphi jujubae ossiculorum mensuram habet, a phlegmate ortus in gutture, spiculis et aristis factus, pungens, immobilis et cultri immissione sanabilis, illum faucis bulbum vocant.

Linguae cacuminis forma praeditus tumor, a phlegmate ortus, super linguae frenulum sanguine impletus est. Hic morbus quasi bilinguis putandus est; medicus relinquat hunc, maturitatem aggressum.

Phlegma quoque longum sublevatumque tumorem facit, oesophagum obtegendo. Hunc tumorem, quovis modo effrenate vehementem, relinquendam (insanabilem) oesophagitidem vocant.

In gutture etiam auctum phlegma sanguisque faciunt tumorem, anhelitu et dolore praeditum, organa vitalia destruentem, insuperabilem. Hanc affectionem appellant medici phlegma.

Rotundus et sublevatus tumor, aestuans, pruritivus, non maturans, mollis et gravis, simplex accumulatio nominatur. Hic morbus a phlegmate et sanguine ortus putatus est.

Sublevatum, rotundum, non tarde aestuantem et vehementer febricitantem tumorem accumulationem referunt. Hunc (tumorem), propter bilis et sanguinis irritationem, dolorosum et ab aëre et sanguine ortum esse sciat medicus.

Fixum, densum, fauces praecludens, cumulatum ultra modum carnibus excrescentibus, variorum dolorum elationem efficiens, et a trium humorum vitiis ortum cognoscendum est, quasi centum homines occidens, insanabile tonsilarum augmentum.

Nodus vero in gutture, Phyllanthi emblicae ossiculi mensuram habens, stabilis, paululum dolens et phlegmatis sanguinisque indole praeditus conspicitur, adhaerens, sicut Terminaliae alatae tomentosae fructus. Is cultro sanabilis Giláyu appellatur.

Qui tumor, totum guttur adeptus, exortus est, ubi et omnes morbi habitant, is, ab omnium humorum vitiis ortus, est gutturis phlegmone, illi undique ortae similis.

Tumor magnus in gutture, cibum potumque impediens, vehemente febre affectus, respirationis viam obstruens, a phlegmate cum sanguine conjuncto ortus, gutturis praeclusio nuncupatur.

Si quis valde lugens semper suspirat, interruptam vocem et aridum solutumque sonum habet in respirationis viis, phlegmate oblitis, hic morbus, propter suspirium, vocis occisor cognoscendus est.

Extensus tumor, valde dolorosus, gutturis impedimentum gradatim efficit. Hic morbus dependulus, respirationem dimittens, ab omnibus humoribus corruptis ortus, carnis extensio dictus est.

Calidum dolorosumque tumorem et rubrum in gutturis medio, foetida et destructa carne affectum, a bile ortum, cognoscat medicus in ore bubonem, per quam aegrotus praecipue in latere cubare coactus est.“

Omnivagi tumores ab aëre, bile, phlegmate et sanguine orti sunt.

„Si cujus os undique tumoribus dolorosis cumulatum est, tum hic omnivagus tumor ab aëre ortus est; si tumoribus rubris, calidis, tenuibus, flavis cumulatum est, a bilis irritatione ortus est; si pruritivis, paululum dolorosis et coloratis cumulatum est, a phlegmate ortus est.

A sanguine, bile praedito, ortus unus etiam tumor a quibusdam demonstratus, oris coctio compellatus est.“ —

Sic in Suśruta, Ayurvédae doctrinam continente, Pathologiae Liber (Nidánast'hána) peractus est. —




Druck von G. Geiger jun. in Augsburg.

Corrigenda et addenda.

Pag. 4 lin. 1 pro his lege hic
„ 9 „ 11 „ clarifirato lege clarificato
„ 10 „ 26 „ temporem lege temporum
„ 11 „ 31 „ es lege est
„ 11 „ 33 „ est lege et
„ 15 „ 27 „ mannum lege manuum
„ 15 „ 37 „ intrumentorum lege instrumentorum
„ 21 „ 35 „ aeqnales lege aequales
„ 24 „ 37 „ valdae lege valde
„ 26 „ 15 post degentes dele τό)
„ 28 „ 33 pro sanguinis lege sanguis
„ 29 „ 5 „ ehylus lege chylus
„ 32 „ 19 „ signi lege signa
„ 35 „ 5 „ accasu lege occasu
„ 39 „ 28 „ sempiternas lege sempiternae
„ 40 „ 16 „ eryzae lege oryzae
„ 52 „ 32 post separationem adde alius ignis accipitur. Ob bilis qualitatem
„ 60 „ 15 dele in oris
„ 60 „ 16 pro calori lege colori
„ 63 „ 21 „ coli lege colli
„ 64 „ 29 „ effici lege efficit
„ 67 „ 10 „ organo lege organa
„ 73 „ 6 „ Caraciae lege Coraciae
„ 76 „ 4 „ terae lege terrae
„ 76 „ 30 „ amitit lege amittit
„ 79 „ 36 post nodi pone colon
„ 85 „ 33 pro Natura lege Naturam
„ 89 „ 16 „ aequae lege aquae
„ 91 „ 40 „ gigintea lege gigantea
„ 101 „ 8 „ illa lege illae
„ 102 „ 31 „ at lege et
„ 103 „ 15 „ aquarium lege aquariam
„ 105 „ 21 „ maculosum lege maculosam
„ 105 „ 30 „ disoutionis lege dissolutionis
„ 111 „ 15 „ hoc lege hos
„ 114 „ 24 post lac pone colon
„ 115 „ 30 pro hiem estagnatilem lege hieme stagnatilem
„ 115 „ 34 „ cemmixtam lege commixtam

Pag. 117	lin.	5	pro	pro corpore lege corpori
„ 118	„	28	„	devatigationem lege defatigationem
„ 120	„	19	„	bono lege bona
„ 126	„	10	inter	saecharum et eolon pone rubicundum, devotorum saecharum
„ 130	„	20	pro	indiratiouem lege indurationem
„ 132	„	29	„	praedttae lege praeditae
„ 140	„	40	„	humo lege humorum
„ 141	„	19	„	uesenteriearum lege mesenteriearum
„ 144	„	21	„	obdominis lege abdominis
„ 147	„	12	„	praediti lege praedita
„ 151	„	15	„	arundiuaeea lege arundinacea
„ 153	„	12	„	coenoseeuda lege cognoscenda
„ 156	„	1	„	Phaseole lege Phaseolo
„ 161	„	20	„	asa lege assa
„ 162	„	12	„	vigilae lege vigiliae
„ 164	„	26	„	colorque lege coloremque
„ 165	„	22	„	Rĭshinm lege Rĭshes
„ 171	„	6	ante	ossibus pone in
„ 172	„	10	pro	Iaterem lege laterum
„ 176	„	24	post	colorem pone habens
„ 177	„	32	pro	tendinis lege tendines
„ 179	„	36	„	totundae lege rotundae
„ 184	„	34	„	incurabilis lege incurabiles.



SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Id est

MEDICINAE SYSTEMA

A

VENERABILI D'HANVANTARE

DEMONSTRATUM

A

SUŚRUTA DISCIPULO COMPOSITUM.

Nunc primum ex Sanskrĭta in Latinum sermonem vertit, introductionem, annotationes et rerum indicem

adjecit

Dr. Franciscus Hessler.

Tom. II.

ERLANGAE apud FERDINANDUM ENKE.

MDCCCXLVII.

SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Tom. II.

ŚARÍRAST'HÁNA, CHIKITSITAST'HÁNA
ET
KALPAST'HÁNA.

Praefatio.

En habes, candide Lector, alterum Suśrutae tomum! Quantae autem molis erat, hanc Áyurvédae partem interpretatam in publico proponere, non incredibile erit iis, qui aliquid de harum rerum difficultate suspicari possint. Neque enim Sanskrĭtae linguae antiquitas solum, sed praecipue harum materiarum a nostra memoria remotissimarum obscuritas magnam hanc adfert difficultatem.

Somatologiam Suśrutas repetit ab ultimo rerum initio; ac principia naturae et elementorum, a Brahma ipso ducenda, in hominis animo corporeque collecta esse disserit. Difficiliores autem sunt horum similiumque locorum explicationes, quam plerique fortasse opinentur, praesertim, cum res ad Philosophiam Sanskrĭtam pertinentes nequaquam satis adhuc

explicatae sint. Quare etiam boni consule, si non omnia a me, ut volui, clara ibi atque extra aleam sunt posita.

In Therapia vero non tam multa sunt obscura et ambigua, quam in Somatologia. Ibi enim morborum nomina, differentiae, indicia, internotiones, varia remedia eorumque parandorum rationes et indicationes plurimis locis ita dilucide planeque explicata sunt, ut rarius de morborum curationibus in dubium venire possis. Victum etiam unicuique vitio congruentem curiosissime Suśrutas indicat, ita, ut nemo aliorum veterum medicorum Diaeteticen accuratius illo, meliorique artificio docuisse videatur.

Multis in partibus denique Doctrina antidotorum conjecturalis est. Nam venena, praesertim ex regno animali exorta, saepius sunt incerta. Desunt sane usque adhuc Viri, qui his obscurioribus locis affundere queant lucem. Equidem vero in explananda recognoscendaque hac operis parte religiosissime sum versatus, et in latinum meum textum, ut doctorum et intelligentium petitioni quodammodo satisfacerem, recepi omnes Sanskritas voces eas, quarum vim expositam nusquam alibi inveniebam. Sunt interdum etiam voces, a vulgari loquendi consuetudine remotiores et paulo longius in sensum medicinalem detortae ibi obviae, in quibus interpretandis magna cautio est adhibenda.

Sed haec quidem hactenus de operis difficultate, ex qua simul intelligatur, ornate scribendi curam cum harum rerum investigatione a me conjungi haud potuisse. —

Quantum mihi medicina, sive facienda, sive forensis, tribuit otii, ad perscrutandum interpretandumque Áyurvédam potissimum contuli, quo factum est, ut intra tres annos hae meae quasi lucubrationes in publicum exirent. Necque igitur praxis mea quotidiana in omnibus medicinae partibus impedimentum Áyurvédae interpretando adfert; e contrario saepius ex praxi, tanquam ex vivo uberrimoque fonte, solummodo haurire possum lucem, quae tenebras multas hujus antiquissimi monumenti discutere valet. —

Tacitus praeterire non possum Virorum doctissimorum petitiones quasdam. Poscunt autem plantas Sanskrĭto nomine scriptas, antiquitates ad Áyurvédam pertinentes, fabularum explicationes, et historicas, physicas, medicas, pharmaceuticas etc. enodationes, ultimo volumini adjungendas. Quantum id quidem in me positum est, geram morem illis, quorum auctoritas plurimum apud me valet, ac nil intentatum linquam, sed potius eo tendam, ne in justam illorum reprehensionem incurrere videar; etsi jam nunc sentio, tum demum in summa me difficultate versaturum esse. Coepi enim harum petitionum magnitudinem cum exiguis auxiliis subsidiisque literariis sollicite comparare. Mihi itaque pergratum perque jucundum erit, si

qui huic conatui meo arduo difficilique faveant, delicta indicando adjumentaque afferendo. Majoribus adjutus subsidiis, alacrius Suśrutam aggrediar, et quantum publica privataque negotia permittunt, manum a tabula nunquam removebo.

Ad meliorem intelligentiam pondera sanskrĭta pharmaceutica, in duabus tabulis exposita, huic volumini jam nunc adjunxi.

Scr. Wemdingae, idibus Martiis,
MDCCCXLVII.

Dr. F. Hessler,
medicus publicus.

ŚÁRÍRAST'HÁNA.

ID EST

SOMATOLOGIA.

Caput I.

Nunc vero omnium creaturarum somatologiam ad cogitationes pertinentem exposituri sumus.

Omnium creaturarum causa, causae expers, Satvae (veritatis), Rajasi (affectuum impetus) et Tamasi (tenebrarum) signis instructa, octupliciter formata, universi mundi originis conditio, Invisibilis (Brahma) appellatur. Hic unus multarum animarum moderator est, sicut mare aquariarum substantiarum.

Ab hoc Invisibili (Brahma) magnum Principium (Mahán) oritur et hujus objectum (Linga). Ab hoc objecto magni Principii oritur hujus objectum, sui ipsius factor (Ahańkára). Hic triplex est, transformans, illuminans, elementa procreans.

Porro a transformante Ahańkára, consociato cum illuminante, ejus signa, undecim sensualia instrumenta oriuntur: auris, cutis, oculus, lingua, nasus; vox, digestiva, genitalia et secretionis instrumenta, pedes et mens. Ibi priora quinque sunt sentiendi instrumenta; alia quinque sunt agendi instrumenta; ambo animat mens.

Porro ab elementa procreante (Ahańkára), consociato cum illuminante, ejus signa, quinque elementorum principia oriuntur: soni principium, tactus principium, formae principium, gustus principium, olfactus principium. Horum objecta sunt sonus, contactus, forma, gustus, olfactus. Ab illis elementa oriuntur: aether, aër, ignis, aqua, terra. Sic haec viginti quatuor naturae principia exposita sunt.

Porro sentiendi instrumentorum objecta sunt sonus etc.

Agendi instrumentorum objecta sunt numero sermo, ciborum captus, concubitus, secretio, itio.

Invisibilis (Brahma), magnum principium (Mahán), sui ipsius factor (Ahánkára) et quinque elementorum principia, sunt octo naturae evolutiones; reliqua sedecim (sentiendi agendique instrumenta, quinque ele-

menta et mens) sunt transformationes. Proprium unicuique horum objectum est summum Ens, a se exsistens, supremus Spiritus, supremus Deus.

Porro animi objectum est Brahmá, Ahańkárae objectum Isvara (dominus), mentis luna, regiones auris, cutis aër, sol oculorum, gustus aqua, terra olfactus, sermonis ignis, manuum Indra, pedum Vishnu, excretionis Mitra et Prajapati genitalium objectum est.

Haec est omnis inscia classis et spiritus, vigesimus quintus, cum effectis et causis instructus, cogitans.

In creatura, adeo inanimata, naturae ob spiritus universitatem, emanationem demonstraut et causas aquae etc. pronuntiant (docti). —

Deinceps naturae et spiritus debita et indebita sum expositurus hoc modo: ambo (natura et spiritus supremus) sunt sine initio, ambo infinita, ambo neutrius generis, ambo sempiterna, ambo summa, ambo universum penetrantia.

Una est natura, inscia, tribus qualitatibus (Satva, Rajas, Tamas) praedita, seminandi juri dedita, pariendi juri dedita, non in centro versandi juri dedita.

Multi vero spiritus sunt, conscii, nullis qualitatibus (physicis) praediti, non seminandi juri dediti, non pariendi juri dediti, in centro versandi juri dediti.

Porro causae congruum effectum faciendo, omnes quoque differentiae sunt Satvae, Rajasi et Tamasi phaenoména propter manifestandi et exsistendi vim. Horum qualitates etiam spiritus sunt. Sic quidam dicunt. —

Sapientes vero dicunt:

„Dominum (Iśvaram) a se exsistentem, tempus, independentiam, fatum et naturae evolutionem esse credunt illi longius videntes. Naturae activa elementa naturae qualitatibus instructa esse sapiens demonstret. Ab hisce elementis tota rerum creatarum turba, elementorum signis instructa, generata est.

Hujus (turbae) accommodatio ad Medicinam semper relata est, quia scilicet ultra naturae elementa non exsistit consideratio in Medicina.“ Unde relatum est: Medicinae origo et materiarum multitudo a naturae elementis incipere dictae sunt.

Materialia sentiendi instrumenta in Áyurvéda describuntur, sic etiam sentiendi instrumentorum materiae.

Est hic ślokas:

„Sentiendi instrumento prehendit homo materiam, sentiendi instrumento propriam, necessariam; ob aequalem originem non alieno (sentiendi instrumento) alienam (materiam). Sic status.“

Nec vero in Áyurvédae dogmatibus docentur animae universum

penetrantes, sed sempiternae. Animarum universum non penetrantium origines sempiternos spiritus esse referunt (docti). In Áyurvédae dogmatibus animae universum non penetrantes sempiternae, in animalibus, hominibus et diis efficiunt justitiarum et injustitiarum causam. Eae ipsae animae syllogismis comprehensibiles, egregie subtiles, consciae, aeternae, in sanguinis menstrualis et seminis virilis concursu manifestantur. Unde relatum est: Spiritus est complexio incorporatarum animarum, a quinque magnis elementis ortarum. Hic quoque effectivus spiritus sanationis dominator est. Hujus qualitates sunt: voluptatis desideratio et doloris odium, nisus, inspiratio et exspiratio, palpebrarum diductio et coctio, intellectus, mens, voluntas, deliberatio, memoria, distinctio, perseverantia et objectorum comprehensio. —

Satvae qualitates vero sunt: humanitas, distributio, tolleratio, veritas, virtus, fides in futuram vitam, cognitio, intellectus, consilium, memoriae constantia, perjuriorum absentia.

Rajasi qualitates vero sunt: doloris multitudo, bonae indolis abitus, inconstantia, arrogantia, falsitas, immisericordia, fraus superbia, gaudiorum affectatio, libido et iracundia.

Tamasi qualitates vero sunt: animorum perturbatio, negatio Dei, vitiosa indoles, intellectus amissio, ignorantia, malum consilium, segnis indoles et ignavia. —

Ad aetherem pertinent: sonus, sonorum organum, aggregatio omnium divisorum et separatio.

Ad aërem pertinent: contactus, contactus organum, omnium corporum motus, levitas.

Ad lucem pertinent: forma, formae organum, color, calor, splendor, coctio, animi ardor, robur, fortitudo.

Ad aquam pertinent: liquiditas, liquiditatis organum, omnium materiarum aggregatio, gravitas, frigus, lenitas, semen virile.

Ad terram pertinent: odor, odoris organum, omnium corporum aggregatio, gravitas.

Porro aether Satvae plenus est, aër Rajasi plenus, ignis Satvae et Rajasi plenus, aqua Satvae et Tamasi plena, terra Tamasi plena est.

Sunt hic ślokae:

„Haec omnia se invicem penetrantia explicet sapiens; sed in propria materia omnium rerum manifestum signum desideratur.

Octo naturae evolutiones, sedecim transformationes et anima in dependente et independente homine breviter explicatae sunt.“ —

Caput II.

Nunc vero seminis virilis et menstrui somatologiam exposituri sumus.

Qui semen virile, aëre, bile, phlegmate, foetore, arthritica materia, foetido pure, tenuitate, urinae stercorisque odore affectum habent, prolis propagandae impotentes sunt. In his semen, colore aëris et dolore affectum, a bile oritur; colore sanguinis et dolore affectum, male olens, ab exili sanguine oritur; arthriticum semen a phlegmate et aëre oritur; tenue jam prius dictum, a bile et aëre oritur; urinae et stercoris odore affectum, a corruptis omnibus humoribus oritur. In his difficiles curatu sunt ii, qui foetore, arthritica materia, foetido pure et tenuitate affectum semen virile habent. Qui vero urinae et stercoris odore affectum semen virile habent, incurabiles sunt. Reliqui curabiles sunt. —

Menstruum etiam tribus humoribus et sanguine corruptis, aut singulatim copulatis, aut universis, affectum, non excipit semen virile. Illud vero humoribus corruptis, colore, dolore etc. distinguèndum est. In his vero menstruum, foetore, arthritica materia, foetido pure, tenuitate, urinae stercorisque odore conspicuum, incurabile est. Reliquum curabile est.

Sunt hic ślokae:

„In his tria prima seminis virilis vitia oleis, sudatione et ceteris curandi generibus, ad superiorem abdominis partem pertinentibus, sapiens devincat. Vir foetido semine virili laborans jubeatur bibere butyrum, ex Grisleae tomentosae floribus, Mimosa ferruginea, malo granato et Terminalia alata glabra confectum, aut butyrum ex Shoreae robustae succo etc. confectum; semine virili arthritico laborans butyrum, ex Curcuma zerumbet paratum, aut etiam ex cinere de Butea frondosa; purulento laborans butyrum, ex Xylocarpo granato, Ficu indica etc. confectum. Quod ante dictum est, id dicetur faciendum in tenui virili semine. Semine virili fecibus simili laborans jubeatur bibere butyrum ex Plumbagine zeylanica, Andropogone muricato et Asa foetida paratum. Oleamentum, vomitorium, purgativum productumque suffimentum simul cum clystere conjungere jubeatur vir, seminis virilis vitiis vexatus. —

Regulam praecedentem, cum clystere finientem, in menstrui purgatione medicus servet. Feminis, oleamento etc. usis, in quatuor menstruorum vexationibus medicus adhibeat sedimenta oleosa et xylinas turundas aptas. Menstruo arthritico facto, femina Cysampelum hexandram, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Wrighteamque antidysentericam bibat. Si menstrum male olet, si puri aequale et medullae simile est, femina Sandali vitia tollentium decoctionem bibat, pro vitiorum habitu purgantem. In reliquis menstruorum vexationibus cibus de oryza et hordeo, vinum, caro,

amara, crystallo similis decoctio, mitis, dulcis, dulce olens, salubria sunt. —

Nonnulli vero semen virile, oleo Sesami orientalis simile, optant.

Quod vero menstruum sanguini leporino simile, aut laccae jurique aequale est, laudant, aut quod vestes non polluit. Menstruum vero magna praeclusione progressum ad amenorrhoeam, sanguinis retentionem medicus dignoscat, diversum a sanguinis signo. Omnis vero sanguinis retentio corpus conterit et dololorosa est. In ejus vehemente statu infirmitas, vertigo, animi deliquium, caligo, sitis, aestus, delirium, pallor, lassitudo, morbique ab aëre orti.

Feminae junioris, bonae et venerandae hoc symptoma, adhuc exiguum, medicus secundum haemorrhagiae biliosae regulam convenienter curet. Post meatum vitiis opertum menstrua femina pereunt. Ei pisces, Dolichos biflorus, Oxalis monadelpha, Sesamum orientale, Phaseolus radiatus, liquor spirituosus, in potu urina lacque ebutyratum, in cibo lac coagulatum acetumque salubria sunt. Tenuis et ante tempus profluens sanguis ad curandum indicationem praebet. Ibi vero ita constituenda medendi ratio est, ut in sanguine perdito."

Sic vir incorruptum semen, femina vero purgatum menstruum habet.

In menstruis a primo die in posterum femina, Brahmae Deo addicta, diurnum somnum, collyriorum usum, lacrymarum profusionem, lavationem, illitum, inunctionem, unguium resectionem, egressum, risum, garrulitatem, vehementem clamorem, auscultationem, scriptionem, ventos et fatigationem evitet. At qua ex causa? A diurno somno lethargia, a collyriorum usu caecitas, a lacrymatione deformatus visus, a lavatione et illitu dolores, ab inunctione olei lepra, ab unguium abscissione unguium deformitas, ab egressu tremor, a risu querela de atris dentibus, labiis, palato et lingua, ab ingente garrulitate, clamore et auscultatione surditas, a scriptione calvitium, a ventis et fatigatione vesanus foetus oritur. Itaque haec evitet.

In lecto Poâ cynosuroide facto jacentem, aut Galedupae arboreae, aut Borassi flabelliformis, aut Sacchari sarae foliis et butyro clarificato vescentem feminam medicus a marito per triduum custodiat. Deinceps die quarto pure lavatam, novis vestibus ornatam, fausto omine et mysticâ caeremonía benedictam marito ostendat. Qua ex causa hoc? „Qualem virum menstruis purgata femina primo intuetur, talem filium parit. Idcirco eam marito ostendat. Inde hanc regulam ad filios pertinentem praeceptor spiritualis servet. In curationis fine hanc rationem medicus expertus obtineat."

Deinde tempore postmeridiano maritus, per unum mensem Brahmae Deo addictus, butyro clarificato inunctus, oryzamque cum butyro clarificato et lacte coctam epulatus, feminam, per unum mensem Brahmae Deo addictam, oleo Sesami orientalis inunctam, oleo Sesami orientalis, Phaseolo

radiato et superioribus rebus cibatam ineat; eam hymnis sacris etc. consolatus moratusque nocte quarta, sexta, octava decima et duodecima ineat. Sic agit filii desiderator.

„In illis superiorem superioremque vitae durationem medicus sciat esse sanitatem. Progeniei felicitas, potestas et firmitas in diebus (posita est).“

Porro quinta, septima, nona et undecima nocte (cum femina coëat) filiae desiderator. Tertiam decimam noctem subsequentes vituperandae sunt. Die primo coitus cum femina menstruante maritis insaluber est. Qui foetus tum concipitur, is natus moritur. Secundo die in gynaeceo (maneat); tertio etiam die foetus, incompleto corpore aut brevi vitae duratione praeditus fit. Nec vero, profluente menstruo, semen virile ingressum efficax est; sicut enim in fluvium, obviam fluentem, projecta substantia revertitur, nec sursum progreditur, sic etiam huic substantiae simile cerni potest semen virile. Hac ex causa feminam, religiositati addictam, tres noctes evitet. Reliquo mensis tempore cum ea coire potest. His post purgationem diebus tres quatuorve guttas liquoris, aut de Spondia mangifera, aut de Lakshaná, aut de Ficu indica, aut de Sahadéva, aut de Hedysaro lagopodioide cum aqua destillati, medicus in dexteram narem feminae filium desideranti indat; nec vero has guttas exspuat femina.

„Certe post quatuor dierum decursum foetus ad superiorem normam fieri potest. Sicut enim anni temporum, campi, aquae et seminum integritate germen, sic progenerati formosi, magna mente praediti, longinquo aevo fruentes, se aere alieno liberaturi probi filii fiunt parenti salubres.“

Seminis elementum, omnium colorum procreator, quando in foetu procreando aquae elementi plus habet, tum album foetum facit; quando terrae elementi plus habet, tum violaceum; quando terrae et aetheris elementorum plus habet, ex violaceo nigrum; quando aquae et aetheris elementorum plus habet, ex albo nigrum foetum tum facit.

Qualis coloris cibum sumit gravida, talis coloris progenies editur. Sic quidam dicunt. Porro visus partis expers, semen foetum caecum genitum facit. Sic semen, sanguinem sequens, facit foetum rubris oculis praeditum; bilem sequens, e gilvo nigricantibus oculis praeditum; phlegma sequens, albis oculis praeditum; aërem sequens, deformibus oculis praeditum. —

Sunt hic ślokae:

„Sicut butyri globus, ignem ingressus, evanescit, sic feminae menstruum in maritorum coitu dimanat. Semine aëribus intus diviso, duae vitae, uterum ingressae, gemini vocantur, in justitia alios praecedentes.

Ob parentum perpaucum semen homo humectandus est. Is semen coacervando erectionem penis sine dubio adipiscitur. Qui ex purificato utero nascitur, is bene odorus cognominatus est; is uteri et penis odorem accipiendo robur adsumit. Qui viriliter cum feminis, ob coitum in ano jacentibus,

agit, is praecipuus cognoscendus est. Invidum audi alium! Qui aliorum coitum intuitus in coitu versatur, is invidus cognoscendus est. Eunuchum audi quintum! Si vir cum uxore menstruante ob salacitatem sicut femina coit, tum muliebriter agens puer nascitur, eunuchus cognominatus. Sin vero femina menstruans viriliter agit, ibi puella, si nascitur, viriliter agens nascitur. —

Humectandus, bene odorus, praecipuus et invidus semine instructus cognoscendus est; seminis expers est eunuchus cognominatus. — Isto abusu autem illorum seminifera vasa ob libidinem operationem adeunt; penis erectio tum fit. Qualibus cibis, moribus et actionibus addicti vir et femina coëunt, eorum infans etiam talis fit. Quando duae feminae lascivae quomodocunque profundentes semen mutuum coëunt, tum ossibus orbatus nascitur foetus. — Si vero femina menstruans in somnio coitum exercet, aër, menstruationem tollendo, foetum in utero efficit. Singulis mensibus uteri fructus a gravida augeri potest; foetus illius nascitur, paternis qualitatibus privatus.

Qui vero foetus, ut serpentes, scorpiones et cucurbitae, deformatum habent speciem, illi peccatis feminae sic effecti sane cognoscendi sunt. — Foetus aëris irritatione in spreto praegnantis desiderio fierei potest gibbosus, manibus mutilus, claudus, mutus et surdus. Matris vero et patris sceleribus antea ex atheismo factis, aërisque etc. irritatione foetus deformis fieri potest. Propter excretionum paucitatem et aëris in maturitatis sede versati separationem embryo flatus, urinam et excrementa non reddit. Si os utero obductum et collum phlegmate circumdatum est, embryo, propter constrictam respirationis viam, non lacrymatur. Suspirium, anhelitum, tremorem, et somnum, a matris suspirio, anhelitu, tremore et somno orta, foetus adit. Constructio corporum, dentium occasus ortusque, in pedum plantis pilorum absentia, — id naturaliter fit. Orti in prioribus corporibus sacrarum doctrinarum (śástra) sapientes, fiunt plurima probitate (satva) et prioris stirpis reminiscentiis instructi homines. Qua actione impulsus fuit homo, eam suscipit in regeneratione. Qui abjecti in priori corpore fuerunt, easdem colunt qualitates.

Caput III.

Nunc vero embryonis procedentis somatologiam expadituri sumus.

Placidum semen virile, menstruum igneum, aliorumque illic elementorum adpropinquatio adsunt ob mutuum auxilium, mutuum favorem et mutuam penetrationem per exiguam differentiam. — Ibi in feminae marisque copulatione lucem ex corpore aër emittit. Tum ex lucis et aëris collectione profusum semen virile uterum aggreditur et cum menstruo conjungitur. Deinde ex

ignis et aquae copulatione foetus conjunctus uterum ingreditur. Animatus, intelligens, tangens, olfaciens, videns, audiens, gustans homo, qui agens, se movens, testans, se conservans et voce instructus est, ille his praeeminentibus propriis attributivis nominibus compellatur. Propter ejus cum Diis copulationem indebilis, indeclinabilis, indivisibilis quoad animum, ex Diis, Asuris aliisque entibus, probitate (satva), affectu (rajas) et obscuritate (tamas) praeditis, per aërem emanatus, uterum ingeessus commoratur. — Illic ex seminis virilis parte majori mas, ex mentrui autem parte majori femina, ex aequali parte utrorum androgynus oritur. Menstruum vero per duodecim noctes est visum profluvium. „Non viso menstruo affecta femina adeo exsistit;" sic quidam dicunt.

Sunt hic ślokae:

„Pleno serenoque vultu, ore et dentibus humidis instructam, maris amantem, dulce loquentem, abdomine, oculis et crinibus collapsis, brachiis, uberibus, lumbis, umbilico, femoribus, veneris monte et natibus turgidis praeditam, majore gaudio et anxietate affectam esse feminam menstruantem medicus sciat. Sicut coërcita Nymphaea nelumbo, die praeterito, se contrahit, sic, menstruo praeterito, feminae uterus operitur. Menstruum, mensis spatio per vasa collectum, paululum violaceum et odore orbatum ex vulvae orificio aër educit. Ille post duodecimum annum apparens sanguis iterum in decrepitis et excoctis corporibus adit quingentis modis cessationem. Nuptialibus autem diebus mas declaratus est; aliter femina, haec enim menstruationis tempore purificata est. Idcirco propagationis avidus mas feminam inire vult."

Ibi foetum statim conceptum gestantis foeminae signa sunt: lassitudo, languor, sitis, femorum dolor, seminis et menstrui connexio trepidatioque vulvae.

„Uberum papillae fiunt furvae, capillorum series erecta est, ejus cilia quoque connivent, praesertim invite vomit, odorem timet gratum, destillatio, dolor etiam, praegnantis signum dicitur."

Abhinc in posterum fatigationi, coitu, jejunio, vexationi, diurno somno, nocturnae vigiliae, moerori, vehiculorum adscensioni, timori, erectae sessioni, modum excedentibus et ceteris actionibus, sanguinis missioni intempestivae, impetuum perseverantiae ne femina sit addicta.

„Quaecunque praegnautis pars vitiis humorum vexatur, eadem pars infantis in utero versati vexatur."

Ibi primo mense germen oritur; secundo per frigus, calorem et aërem maturatorum elementorum congesta materia exoritur: si (materia) globulus est, mas, si ovum, femina, sin vero insensilis nodus, androgynus fit; tertio mense manuum, pedum et capitis quinque congregationes nascuntur, ac membrorum et percipiendi organorum partes subtiles fiunt; quarto mense

omnium membrorum et percipiendi organorum partes evidentiores fiunt. Post cordis evidentem in foeto existentiam elementum mentis fit manifestum. At ex qua localitate? Ex hac: foetus quarto mense intentionem in sensuum objectis commonstrat, et duo corda habere feminam cupidam indicat. Post cupiditatum recusationem gibbosum, mutilum, claudum, mutum, pusillum, deformibus oculis instructum aut caecum femina partum edit. Idcirco illa quodcunque desideret, id ei dari medicus jubeat. Cupiditatibus enim expletis, robustum femina et longe viventem parit infantem.

Sunt hic ślokae:

„Quibuscunque vero sensuum objectis frui desideret gravida, ea omnia medicus, metuens, ne foetum vexet, adparari et dari jubeat. Femina, cupiditatibus expletis, infantem virtute praeditum parere potest; inexpletis vero cupiditatibus, in foetu aut in suo corpore nancisci potest timorem. In quibuscunque sensuum objectis recusatio cupiditatum fit, in eodem sensu sic oriri potest infantis vexatio. In regis conspectu cujus feminae cupiditas oritur, opulentum perbeatumque filium illa parit. Bombycinarum vestium, xylinorum, sericorum aliorumque ornamentorum cupida femina cupidum infantem, ornatus optantem, parit. In eremitarum sede infantem coërcito animo bonaque indole praeditum parit. In filio a femina divina nato aliquid dominatori simile est. Serpentem genera intuens femina parit truculentum infantem; alligatoris carnem edens somniculosum et pertinacem; bubulam carnem edens robustum et omnes molestias perferentem; bubalinae carnis cupida heroëm rubris oculis praeditum, comis ornatum; suillam carnem edens parere potest somnolentum heroëm; ferinam carnem edens validum cursorem, semper in sylvis venantem; leporinam carnem edens fracto animo praeditum semperque a perdice perterritum. — Porro in haud narratis quae femina cupiditate ardet, ea corpori, moribus et indoli similem pariet.

Sicut opere dictum hominis officium rursus fieri potest, sic etiam intimâ divinitatis unione desiderium (muliebre) in corde ingenerari potest.“

Quinto mense mens distinctior fit; sexto intellectus; septimo omnium membrorum et percipiendi organorum partes evidentiores fiunt; octavo mense foetus instabilis fit; vitalitas ibi orta nisi durare potest, tum propter vitalitatis et motionis defectum validam cum carne concoctam oryzam illi dari medicus jubeat. Nono, decimo, undecimo aut duodecimo mense foetus nascitur, sin aliter, deformis fit.

In matris autem chylifero vase ligatum est umbilicale embryonis vas, quod huic matris cibum, chyli vim nactum, adducit. Hac inunctione embryonis incrementum efficitur. Inde ab humectatione partium, nondum procreatis membris et percipiendi organis instructarum, in posterum inunctio vasorum, totum corpus et artus permeantium, chyliferorum et tortuose procedentium, foetum animat. Embryonis exorientis enim caput prius exoriri Śaunaka

dicit, propter corporis sensuum originem a capite; cor prius exoriri Kritaviryya dicit, propter animi et mentis sedem ibi exsistentem; umbilicum Párásaryya dicit, deinde increscere hominis corpus; manus et pedes Márkańdéya dicit, propter originem motus embryonis ab illis; medium corpus Subh'úti et Gautama dicunt, propter illigationem omnium ortorum membrorum in illo. Quae vero res non omnino sic se habet. Omnia enim membra et percipiendi organa simul exoriri, neque vero propter embryonis subtilitatem, ad Bambusae arundinaceae surculorum et Mangiferae indicae fructuum similitudinem, animadverti posse D'hanvantari dicit. Quomodonam? In Mangiferae indicae fructu maturo filamenta, caro, ossa, et pulpa singulatim conspiciuntur, ob temporis operationem. Sed haec in recente fructu ob subtilitatem non animadvertuntur. Horum subtilium filamentorum etc. visibilitatem tempus efficit. Eo etiam Bambusae arundinaceae surculus explicatus est. Sic in recente embryone membris et percipiendi organis adeo exsistentibus, ob subtilitatem animadversio locum non habet; sed haec ex temporis operatione visibilia fiunt. —

Porro embryonis corporalia signa a patre, a matre, chylo, ab animo, a natura et a vitalitate orta exponimus.

Embryonis capilli, barba, crines, ossa, ungues, dentes, vasa, tendines, nervi, semen virile et cetera dura a patre orta sunt.

Caro, sanguis, tela cellulosa, medulla, cor, umbilicus, hepar, lien, intestina, anus et cetera mollia a matre orta sunt.

Corporis incrementum, robur, color, firmitas et decrementum a chylo orta sunt.

Sensus, conscientia, distinctio, vitae duratio, voluptas, dolor etc. ab animo orta sunt.

A natura orta posterius dicam.

Fortitudo, sanitas, robur, color et intelligentia a vitalitate orta sunt.

Porro in cujus feminae dextro ubere prius conspicitur lac; cujus dexter oculus magnus fit et dextra coxa prius ob plenitudinem extenditur; cujus cupiditas in rebus mares indicantibus defixa est; quae in somniis Nelumbium speciosum, Nymphaeam caeruleam, Nymphaeam esculentam, Spondiam mangiferam etc., et quae mares videt; quae pellucido oris colore praedita est: illam puerum parituram esse medicus dicat. Sin aliter, puellam. — Cujus laterum par altum, venter a fronte egressus et supradictis signis praeditus est, illius androgynum medicus cognoscat. In cujus medio corpore profundus et valli similis venter est, illa partum gemellum edit.

Sunt hic ślokae:

„Dii, Bráhmańae et alii, purificationis religiosae salute gavisi, magnis qualitatibus instructos generant; pravi vero bonis qualitatibus orbatos. Membrorum et percipiendi organorum evolutio a propria natura oritur.

Quicunque vero in membrorum et percipiendi organorum evolutione bonis aut pravis qualitatibus praediti fiunt, ii ex justitiae aut injustitiae causa orti dignoscendi sunt."

Caput IV.

Nunc vero embryonis syntaxin sic appellatam somatologiam exposituri sumus.

Ignis, ventus, aër, intellectus (satva), affectus (rajas), animi motus (tamas), quinque sensus et anima sunt principia vitalia (práńá).

Embryonis revera progenerati, a semine virili et menstruis orti, expansibiles septem membranae, ad cocti lactis similitudinem, fiunt, quarum prima splendida omnes colores collustrat et quintuplicem umbram illuminat. Haec unius oryzae grani octodecim partes explet et pustularum, naevorum in facie horripilationisque sedes est. Secunda membrana rubra sedecim partes explet et petechiarum, ecchymosis atrarumque macularum sedes est. Tertia alba duodecim partes explet et ichthyosis, mentagrae cuticulariumque pustularum sedes est. Quarta colore cuprino octo partes explet et variarum pustularum leprarumque sedes est. Quinta sensitiva quinque unius oryzae grani partes explet et leprae herpetisque sedes est. Sexta sanguineo rubore unius oryzae grani crassitudinem explet et nodorum, tumorum, insensilium intumescentiarum, elephantiasis tumorumque colli sedes est. Septima, carnem continens, duorum oryzae granorum crassitudinem explet et fistularum in ano, phlegmonarum, haemorrhoidumque sedes est.

Quae mensura hic demonstrata est, ea in musculosis locis, neque vero in fronte, in minimis digitis etc. est. Unde medicus dicet: — in ventribus per oryzae granum mensuram pollicis submersam esse scire licet.

Segmenta reapse septem oriuntur, corporis elementa, sedes externas et terminos continentia.

Sunt hic ślokae:

„Sicut enim succus in lignis fissis conspicitur, sic etiam corporis elementum in carnibus fissis conspicitur. Tendinibus obductas, utero expansas et phlegmate circumdatas esse has segmentorum partes medici sciunt."

Horum segmentorum primum carnem tenet; in cujus carne expansiones vasorum, tendinum, nervorum et sensuum organorum oriuntur.

Est hic ślokas:

„Sicut Nymphaeae odoratae et Nelumbii speciosi fibrae undique in terra crescunt, in limo et aqua sitae, sic in carne vasa etc."

Secundum segmentum sanguinem continet. In hoc carnis sanguis per intervalla, praecipue in vasis, in hepate et liene, oritur.

Est hic ślokas:

„Sicut ex arbore caesa Mimosae kauki succus provenit, sic ex carne caesa sanguis celeriter profunditur.“

Tertium segmentum telam cellulosam continet. Tela cellulosa enim omnium animalium uterinorum in ossibus magnis medulla fit.

Est hic ślokas:

„In crassa ossa praecipue medulla introgressa est; in aliis vero omnibus partibus tela cellulosa una cum sanguine adesse dicitur. Quod vero purae carnis unguentum est, id adeps nuncupatur.“

Quartum segmentum phlegma continet et in omnibus articulis respirantium oritur.“

Est hic ślokas:

„Axe amurcâ uncto, sicut rota bene circumagitur, sic articuli bene circumaguntur, phlegmate circumdati.“

Quintum segmentum, faeces continens, quod in coctionis sede collocatum est, excrementa in stomacho secernit.

Est hic ślokas:

„Hepar et sic stomachus undique ad intestina aggressa sunt. In abdomine collocata excrementa hoc excrementa continens segmentum secernit.“

Sextum segmentum, bilem continens, quadruplices cibos et potus commixtos, e cruditatis sede elapsos et coctionis sedem assecutos tenet.

Est hic ślokas:

„Comesum, devoratum, potatum, linctum, in stomachos hominum ingressum hoc digeritur, suo tempore per bilis vim perustum.“

Septimum segmentum semen virile continet, quod omnium animantium totum corpus penetrat.

Sunt hic ślokae:

„Sicut in lacte butyrum et sacchareus in Arundine saccharifera succus est, sic in corporibus virorum semen virile esse medicus insignis sciat. In dextro duos pollices longo latere abdominalis portae subter ex urinalis profluvii via semen virile procedit. Universum corpus ingressum hoc semen virile maris serena mente praediti et in feminas intendentis gaudio procedit.“

Foetum conceptum gerentium et menstrua ferentium organorum meatus foetu praecluduntur. Propterea feminarum conceptum foetum gerentium menstrua non conspiciuntur. Deinde haec menstrua infra obstructa, sursumque in uterum gressa, collecta in uterum ingrediendo deponuntur. Reliquum, magis sursum gressum, mammas assequitur. Propterea praegnantes feminae pinguibus editisque mammis instructae fiunt. —

Embryonis hepar et lien e sanguine nata sunt; e sanguine et spuma ortus est pulmo; e sanguine et secretionibus ortum est abdomen.

„Sanguinis phlegmatisque conciliatio eximia credita est. Hanc bile maturescentem aër etiam accedit.

Deinde hominis intestina, anus et abdomen oriuntur in utero, ob maturescentium elementorum inflationem, auri essentiae similem. Phlegmatis, sanguinis et carnis essentia, lingua, oritur. Sicut cum calore conjunctus aër aquas dilacerare potest, sic, carnem intrando, carnis partes dividit. Vas, adipem telae cellulosae tollendo, tendinis naturam nancisci potest. Vasorum maturitas mollis, tendinum deinde dura, quietis et exercitationis conjunctione efficit sedis originem.“

E sanguinis et telae cellulosae conciliatione praecordia, ex carnis, sanguinis, phlegmatis et telae cellulosae conciliatione testiculi oriuntur, e sanguine et phlegmate cor, cujus vicinitates sunt nervi, vitalitatem afferentes. Infra cor sinistrorsusque lien et pulmo, dextrorsus hepar et vesica oriuntur.

Hoc cor praecipue mentis sedes est. Itaque, obducto tenebris corde, omnes animantes dormiunt.

Est hic ślokas:

„Nymphacae albae simile cor est, ore demisso. Vigilantis cor nictatur, dormientis connivet,“

Somnum Vishńuicum vero vitiositatem declarant; hic somnus certe naturaliter omnes animantes attingit. Ibi quando cognitionem affererentia sensuum organa phlegma tenebris (tamas) plenissimum assequitur, tunc tenebrosus scilicet somnus oritur; inconscius hic est dissolutionis (pralaya) tempore. Tenebris plenissimus somnus nempe diebus noctibusque exsistit. Affectuum impetu (rajas) plenissimus somnus suum signum habet. Veritate (satva) plenissimus somnus media nocte exsistit. Tenui phlegmate et multo aëre instructorum, mentem corpusque castigantium somnus certe non deformis fit.

Excelsa dormientis anima, per mentem impetu affectuum praeditam, res pulcherrimas, in priori corporatione visas, percipit. In sentiendi autem instrumentorum perturbatione, tenebris (tamas) auctâ, anima, quamvis non dormiens, quasi dormiens dicitur.“

Omnibus anni temporibus diurnus somnus interdictus est, excepto fervido tempore. Quamquam vero diurnus somnus interdictus est, tamen infantum, senum, feminarum, laceratorum, vulneratorum, emaciatorum, vino, longinqua itione, vectione, itinere et labore defatigatorum, incoenatorum, emaciato adipe, sudore, phlegmate, chylo et sanguine praeditorum indigestioneque vexatorum diurnus somnus per unum Muhúrtam (unam horam atque octies et quadragies sexagesimam horae partem) non interdictus est.

A noctu vigilantibus propter vigiliae tempus per dimidium Muhúrtam

desideratur diurnus somnus. Deformitas enim diurnus somnus est; ibi dormientium injustitia omniumque humorum irritatio oriuntur. Ex humorum irritatione tussis, anhelitus, catarrhus, capitis gravedo, membrorum fricatio, cibi fastidium, febris et ignis (digestionis) infirmitas oriuntur. Noctu autem vigilantium symptomata, ab aëre et bile profecta oriuntur.

Sunt hic ślokae:

„Idcirco ne vigilet noctu, diurnum autem somnum evitet. Cum sapiens cognoverit has duas vitia humorum efficientes causas, somno modico se det. Certe enim sanus sacrae doctrinae antistes (sumaná), robusto colore praeditus athleta, non nimis corpulentus macerve vir fortunatus centum annos vivere potest. Quibus vero somnus naturaliter factus est, aut nocturnus aut diurnus, iis, aut dormientibus aut vigilantibus, nullum humorum vitium efficitur. Insomnia ab aëre, bile, animi sollicitudine, morbo et percussione oritur; remediis vero cessat. In insomnia salubria sunt: unguenti usus in capite, olei Sesami orientalis adhibitio, corporis frictio, de Oryza sativa, Tritico aestivo, de contritis cibis et alimentis cum saccharo paratis, de lacte, carnis jure etc., pariterque de juribus serpentium et avium victus dulcis et blandus. Substantiarum de uva et albo saccharo usus sit nocte. Cubationem, sessionem et itionem placidam et mitem, aliaque hujusmodi, prudens efficiat. —

Evomat vero in nimio somni amplexu, instituatque ablutiones, jejunium, sanguinis missionem et animi motus.

Phlegmate, adipe et veneno vexatis nocturna vigilia salubris, diurnus autem somnus siti, arthritide, singultu, indigestione et diarrhoea affectis hominibus saluber est. In sensuum organis imperfectio, gravitas, oscitatio, defatigatio et contentio cui quasi somnis vexato, est, ejus syncopen medicus demonstret.

Inhibitum aëris haustum intercludens hiante ore, qui simul oculi lacrymam profundit, o s c i t a n s appellatur.

Quae contentionis expers lassitudo in corpore aucta et suspirio vacua est, haec d e f a t i g a t i o sensuum organa vexans cognoscenda est.

Voluptatis contagio sic cognominata, hominisque adeo robusti intolerantia in laboribus, i g n a v i a ab homine dolorem et odium dissolvente appellatur.

Torquendo cibus, irrigatione vomituque agitatus, egredi non potest, cor etiam cruciatur. Haec t o r m i n a esse medicus demonstret.

Dulcedine in ore, syncopa, cordis angustia et vertigine qui affectus est, cibumque non appetit, ejus t o r p o r e m medicus demonstret.

Humida cute instructum corpus qui consentit, pariterque ultra modum grave caput, hanc g r a v e d i n e m medicus demonstret.

Animi deliquium a bile et tenebris (tamas); ab affectum impetu (rajas),

bile et aëre et phlegmate syncope; somnus a phlegmate et tenebris originem trahit."

Embryonis incrementum reapse chyli, aëris et inflationis causâ adfertur.

Sunt hic ślokae:

„In medio embryonis umbilico sedes luminis certa commemorata est. Cum calore etiam consociatus embryonis aër sic perumpit sursum, oblique deorsumque, ut fontes.

Oculus et pori nunquam crescunt, stabilia enim haec in mortalibus sunt, ut D'hanvantaris autumat. — Sed, corpore quamvis intereunte, semper haec duo, propriam indolem evolvendo, crescunt: unguis et caesaries. Sic status est."

Septem indoles (hominum) fiunt: singulis, binis et copulatis tribus humoribus.

„In seminis virilis et menstrui copulatione qui humor furiosus fit, ab eodem humore indoles oritur. Hujus indolis signum ex me audi!"

Ibi insomnis, frigori inimicus, turpis, furtificus, hostilis, invidus, non venerandus, de Gánd'harbis cogitans, pressis manibus et pedibus, horrida barba, unguibus et caesarie instructus, iracundus est et dentibus ungues rodit;

„instabilis, non valde benevolens, ingratus, macer et severus, crudelis, delirus, celeripes, mobilis, inconstanti mente praeditus est, in sublime fertur, velociter dormiens est, inconstanti opinione et vacillanti cogitatione praeditus, stultus et gemmarum divitiarumque cumulo amicus est, paululum quoque implorat hominem non impeditum. Hic est aëris indole instructus homo. Aëre instructi homines caprarum, schacalorum, leporum, porcorum, camelorum, canum, vulturum, cornicum, asinorum etc. naturis praediti esse dicti sunt." —

Sudorus, male olens, flavo et flaccido corpore praeditus, in unguibus, oculis, palato, lingua, labiis, manibus et pedum plantis cuprino colore instructus, turpis, ob vehementem motum et incessum non dilectus, polyphagus, frigori inimicus, celeriter iracundus et tranquillus, mediocriter robustus, mediocri duratione vitae praeditus est;

„intelligens, perita mente praeditus, bellicosus, eloquens, splendidus, in pugnis fortitudine difficiliter arcenda instructus est, dormiens aurum, Buteam frondosam et Weberam corymbosam, Hutáśi (Agnis) fulgura et meteora cernit, non prae timore reverenter se inclinat, non reverenter inclinatis immitis est, reverenter autem inclinatis salutationem, donum et hilaritatem offert, semper perturbatus est ejus incessus. Hic est bilis indole instructus homo. Bile instructi homines serpentium, ululorum, cuculorum nigrorum, Yaksharum, felium, simiarum, tigrium, ursorum et Viverrae ichneumonis naturis praediti commemorati sunt." —

Agrostis linearis aut Nymphaeae caeruleae, Nistrinśae, Amomi zingiberis,

Sapindi saponariae, aut Sacchari sarae caulium colorem ducit, pulcher, grata specie instructus, dulciter gratus, beneficii memor, constans, tolerans, non avidus, fortis, longe impugnans et vehemens hostis est;

„albis oculis, firmis, cincinnatis et pernigris capillis praeditus, fortunatus, nubis, tympani et leonis voce instructus est, dormiens simul Kamalas, anseres, Anates casarcas et grues cernit in aqua sedentes animoque indulgentes; in oculorum margine ruber, bene dispositis membris, amato splendore et veritatis qualitatibus (satvaguńa) praeditus, molestias perferens et honorator magistrorum (guru) cognoscendus est phlegmatis indole instructus homo. Hic sacrorum dogmatum (śástra) pergnarus et stabilium amicorum dives est, longe computans offert, valde consideratae orationis processum semper obtinet et magistros (guru) assidue honorificat. Brahmae, Rudrae, Indrae, Varuńae, leonibus, equis, elephantis et tauris, Tarksae (Garuda) et anseribus similem naturam recipiunt homines, phlegmatis indole instructi. —

Ex duplicis aut triplicis indolis signis medicus intelligat et demonstret, indoles a copulatione esse ortas. Irritatio, aut alia affectio, aut occasus non oritur ab indolis proprietate, sed homo aetatis durantis expers oritur. Sicut insectum a veneno ortum non veneno interit, sic indoles hominem vexare non valent.

Indolem hominum ab elementis natam esse quidam dicunt, nam ab aëre, igne et aqua hae tres indoles oriundae dicuntur. —

Firmo et magno corpore instructus, tolerans, purus, macrobius et aëribus magnis aetherius rex est.

Purificatio, pietas, experientia in Védis, magistrorum (guru) veneratio, hospitalitas et sacrificatio est Brahmae corpore praediti hominis signum.

Magnanimitas, fortitudo, imperium, sempiterna sacrorum dogmatum (śástra) intelligentia et servorum cibatio est corporis signum magno Indrae simile.

Frigoris appetentia, patientia, fuscus color, nigricans capillus et suaviloquentia est corporis signum Varuńae simile.

Mediocris corporis constitutio, patientia, divitiarum aditio et coacervatio magnaque progeniei vis est corporis signum Kuvérae simile.

Suaveolentis serti florei delectatio, saltationis musicorumque instrumentorum desiderium et voluptatum instiuctus est corporis signum Gánd'harbis simile.

Recte faciens, valde fortis, timoris expers, memoriâ instructus, purus, a cupidine, stultitia, timore et odio liberatus homo Yamae natura praeditus est.

Preces submissa voce dictas, vota, castimonias, holocausta sacrorumque librorum lectiones colentem et cognitione distinctioneque praeditum hominem Rishium (sacrosanctorum) natura instructum esse sciunt.

Septem haec corpora a veritate orta (sátvika) sunt. Subsequentia ab affectuum impetu orta (rájasa) corpora a me cognosce, omnipotentem scilicet terribilemque heroa, iracundum, maledicum, separatim coenantem et voracem. Asurarum natura talis est.

Acrem, miserum, timidum, iracundum, praestigiis pariter praeditum, in ambulatione actioneque trementem virum serpentium natura instructum esse sciunt.

Magnis cupiditatibus inserviens semperque edens, vehemens et instabilis est. Hoc est corporis signum avibus simile.

Vehemens interceptio, terrificatio, maledictio, injustitia et permagna caecitas est corporis signum Rakshasis simile.

Ciborum vomitio, acritudo, crudelitatis gaudium, feminarum appetitus et impudentia est corporis signum Piśáchis simile.

Indispositum, pigrum, dolorosa indole praeditum, maledicum, appetentem et nihil tribuentem veritate orbatum hunc hominem esse sciunt.

Sex haec ab affectuum impetu orta corpora sunt. Subsequentia a tenebris orta (támasa) corpora a me cognosce!

Alienata mens, stultitia, in somno coitus sempiternus et oppositio sunt qualitates pecuinae cognoscendae.

Instabilitas, stupiditas, aquae appetitus et mutua vastatio signum est hominis piscium natura instructi.

Uno loco delectatus et semper cibo uni deditus vir arboreus est, mente, justitia, amore et utilitate privatus.

Sic haec triplicia a tenebris orta corpora declarata sunt. —

Corporum indoles cum cognoverit medicus, congruam curatîonem adhibeat. Magnus medicus eas indoles affectuum impetu (rajas), veritate (satva) et tenebris (tamas) effectas explicatasque juxta signa simul animadvertere valet.“

Caput V.

Nunc vero corporis (partium) numeros exhibentem somatologiam exposituri sumus.

Semine virili et menstruis constans, in utero collocatus et suae naturae mutationisque inscius esse embryo dicitur. Hunc mente constantem aër distribuit (in partes); lumen eum maturat; aquae humectant; terra condensat; aether auget. Sic auctus embryo, quando manibus, pedibus, lingua, naso, auribus, natibus, reliquis membris instructus est, tum cognomen „corpus“ sumit. Corpus sex membra habet: extremitates quatuor, medium corpus (truncus) et caput.

Porro percipiendi organa indicabuntur: caput, venter, dorsum, umbilicus, frons, nasus, mentum, abdomen et collum sunt singula organa; aures, oculi, nares, supercilia, tempora, humeri, mammae, testiculi, latera, nates, genua, brachia, femora etc. sunt bina organa; viginti digiti; et indicanda etiam sensuum organa. Haec percipiendi organorum partitio facta est.

Protinus corporis partium enumeratio.

Membranae, segmenta, corporis elementa, secretiones, humores, hepar et splen, pulmo, ren, cor, sedes, intestina, praecordia, sensuum organa, magna vasa, retia, capitula, ligamenta, suturae, commissurae ossium, membranae capsulares, ossa, articuli, tendines, musculi, membra vitalia, vasa, nervi, conjunctiones efficientia organa.

Septem sunt membranae; segmenta septem; sedes septem; corporis elementa septem; septingenta vasa; quingenti musculi; nongentae tendines; trecenta ossa; ducenti et decem articuli; centum et septem membra vitalia; viginti quatuor nervi; tres humores; tres excretiones; novem organa sensuum. — Sic haec breviter dicta sunt. In posterum fusius edisserentur membranae sic dictae, segmenta, corporis elementa, excretiones, humores, hepar splenque, pulmo, ren, cor et praecordia.

Sedes vero sunt: aëris sedes; bilis sedes; phlegmatis sedes; sanguinis sedes; cruditatis sedes; maturitatis sedes; urinae sedes; feminarum uteri sedes octava.

Sesquitertias orgyias longa intestina virorum, feminarum dimidiâ orgyiâ breviora sunt.

Aures, oculi, os, nares, anus et urethra sunt novem sensuum organa virorum, externis orificiis instructa; feminarum etiam alia tria exsistunt: duae mammae et menstruorum ductus.

Sedecim magna vasa sunt, quorum quatuor in pedibus, totidemque in manibus, collo et dorso. Ibi manus et pedes aggressorum vasorum germina ungues sunt. Collum corque amplectentium et ad inferiores partes gressorum, urethram, femora dorsumque implicantium et ad inferiores partes gressorum, ad caput, femora, pectus, oculorum bulbos etc. pertinentium magnorum vasorum orbis exsistit.

Carnis, vasorum, tendinum et ossium retia singulatim quatuor sunt. Haec usque ad carpos et tarsos congressa, invicem illigata, invicem connexa et invicem perforata sunt, quibus corpus perforatum est.

Capitula sex sunt: haec in manibus, pedibus, collo et pene sunt; in duobus pedibus duo, in collo unum et in pene unum.

Magna carnis ligamenta quatuor sunt, — columna vertebralis a duabus partibus musculos alligat, — duo externa et duo interna.

Septem suturae sunt: in capite distributae sunt quinque; linguae et penis singula frenula sunt, scalpello secabilia.

Quatuordecim ossium commissurae sunt: harum tres sunt in tarso, genu et coxa. Eo etiam altera inferior extremitas et duae superiores extremitates expositae sunt. Una commissura in regione sacrali et una in capite est. Quatuordecim quoque membranae capsulares sunt; hae sicut ossium commissurae numerandae sunt, quia per eas conjunctae sunt ossium commissurae. Ossium vero commissurae apud quosdam octodecim indicatae sunt.

Trecenta, simulque sexcenta, ossa dicuntur a Védarum interpretibus; in Śalyatantra veruntamen trecenta.

Centum et viginti ossa sunt in extremitatibus; centum et septemdecim in lumbis, lateribus, dorso, abdomine et pectore; circa cervicem et sursum sexaginta et tria. Trecenta ossa sic supplentur.

In singulo pedis digito tria ossa sunt; haec tria efficiunt quindecim (in uno pede). In planta, tarso et talo congressa sunt decem ossa; in calce unum; in cruce duo; in genu unum; in femore unum. Triginta sic ossa sunt in unaquaque extremitate inferiori. Eo altera inferior extremitas et duae superiores extremitates expositae sunt.

In lumbo ossa quinque sunt, quorum quatuor circa anum, pudenda et podicem sunt, et unum regionem sacralem aggressum est.

In latere sunt sex et triginta ossa: tot in uno latere; in altero totidem.

In dorso triginta ossa sunt; octo in pectore: duo appellantur claviculae; in cervice novem; in aspera arteria quatuor; duo in maxillis; duo et triginta dentes; in naso tria ossa; unum in palato; in genis, auribus et temporibus singula sunt; sex in capite.

Ossa quinquegena sunt hoc modo: craniformia, acuta, exilia, robusta et fistulosa appellata.

Ossa circa genu, podicem, humeros, genas, palatum, tempora et caput sunt craniformia; dentes sunt ossa acuta; in nasi, aurium, colli et oculorum cavitatibus ossa exilia sunt; in manibus, pedibus, lateribus, in dorso, abdomine et pectore robusta; reliqua (in extremitatibus) fistulosa sunt.

Sunt hic ślokae:

„Sicut arbores intermediis medullis perstant, sic ossium medullis hominum corpora certe sustentantur. Idcirco, membranis carnibusque jam diu interitis, ossa non evanescunt; sunt enim hominum essentiae. Carnes illic illigatae sunt cum vasis tendinibusque pariter; ossa, fulcimen efficiendo, neque destruuntur, nec collabuntur.“

Articuli vere duplices sunt: mobiles et immobiles.

„In extremitatibus, maxillis et in lumbo mobiles sunt articuli; reliqui vero articuli omnes doctis cognoscendi sunt immobiles.“

Numerati sunt ducenti et decem articuli, quorum octo et sexaginta in extremitatibus, novem et quinquaginta in trunco, circa collum et sursum tres et octoginta.

In singulo pedis digito tres, in hallice autem duo articuli sunt; hi itaque quatuordecim sunt. In genu, talo et coxa singuli articuli sunt. Sic sunt septemdecim articuli in una extremitate inferiori. Eo altera extremitas inferior et duae superiores extremitates expositae sunt.

Tres articuli in lumbo et cranio sunt; quatuor et viginti in columna vertebrali; totidem quoque in duobus lateribus; in pectore octo; totidem quoque in collo; tres in gula; in tubis, cordi vesicaeque urinariae adnexis, duodeviginti; dentium numerum habent articuli in dentium radicibus; unus articulus in cervice et naso est; duo in palpebrarum orbibus sunt orti, oculis proximi; in genis, auribus et temporibus singuli sunt; duo maxillarum articuli exsistunt; duo supra supercilia et tempora; quinque in capite et cranio; unus in capite.

Hi ipsi articuli octuplices sunt: nodati, mortario similes, pyxidati, processi, fractis suturis similes, cornicis rostro similes, orbiculares et conchati.

In digitis, carpis, tarsis, genubus et palpebris articuli nodati sunt; in axillis, coxis et dentibus mortario similes; in scapulis, coccyge, ano, pudendis et podice pyxidati; in cervice columnaque vertebrali processi; in capite, lumbo et cranio fractis suturis similes; in maxillis a duobus lateribus rostro cornicis similes; in gulae, cordis, oculorum et vesicae urinariae tubis orbiculares; in aurium portis conchati.

Horum articulorum nominibus formae etiam explicatae sunt.

„Omnes hi ossium articuli sunt nuncupati; vaginarum autem, tendinum et vasorum numerus non est demonstratus."

Nongentae sunt tendines; harum sunt sexcentae in extremitatibus; ducentae et triginta in trunco; circa collum et sursum septuaginta.

In unoquoque autem pedis digito sex tendines sunt; hae collectae (in uno pede) triginta sunt. Totidem etiam in pedis planta, circa malleolos et in tarso sunt; totidem etiam in cruce; decem circa coxam. Sic centum et quinquaginta in una extremitate inferiori tendines sunt. Eo altera inferior extremitas et duae superiores extremitates expositae sunt.

Sexaginta tendines sunt circa lumbum; octoginta in dorso; in lateribus sexaginta; in pectore triginta; triginta sex circa collum; cira caput triginta quatuor.

Sic sunt nongentae tendines expositae.

Sunt hic ślokae:

„Tendines quadruplices esse medicus cognoscat. Has vero omnes audi a me! Extendentes, rotundae, latae et perforatae tendines exsistunt. Extendentes in extremitatibus et articulis sunt. Rotundae autem hoc loco vasa magna omnia gnaris dignoscenda sunt.

In cruditatis et maturitatis sedis finibus et in abdomine perforatae revera

tendines sunt; in lateribus, in pectore, pariterque in dorso et in capite latae sunt.

Sicut navis, velis expansa, rudentibus valde colligata, onera adferens, viris instructa et ad scopum directa est, sic etiam in hoc corpore quot articuli commemorati sunt, tendinibus multis ligati sunt. Eo onera suscipiunt homines. Neque enim ossa, nec musculi, nec vasa, nec mortui articuli sic animantem movent, ut tendo. Qui tendines internoscit externas pariterque internas, absconditum telum e corpore hominum educere valet.“ —

Quingenti musculi sunt. Horum quadringenti sunt in extremitatibus, in trunco sex et sexaginta, in collo et sursum triginta quatuor.

In unoquoque pedis digito tres musculi sunt. Hi tres quindecim (in uno pede) efficiunt. Decem in anteriori pedis parte sunt; super pedem circa malleolos accumulati totidem sunt; decem in tarso et planta; inter tarsum et genu viginti; quinque in genu; viginti in femore; decem in coxa. Sic centum musculi in una extremitate inferiori sunt. Eo altera inferior extremitas et duae superiores expositae sunt.

Tres musculi sunt in ano; unus in pene; in scroti raphe alter; duo in duobus testiculis; in duabus natibus decem; duo in abdominis capite; quinque in abdomine; in umbilico unus; in dorso et sursum accumulati sunt decem longi musculi; sex in duobus lateribus; decem in pectore; circa claviculam et scapulam undique septem; duo in corde et in cruditatis sede; sex in hepate, liene et rene; in collo quatuor; octo in maxillis; singuli in cervice et gutture; duo in palato; unus in lingua; in labiis duo; in naso duo; duo circa oculos; in genis quatuor; in auribus duo; quatuor in fronte; unus in capite.

Sic sunt hi musculi quingenti.

„Vasa, tendines, ossa, ossium commissurae et articuli animantium musculis ibi obducta sunt et hinc efficacia fiunt.“

Feminarum vero viginti insuper exsistunt musculi; decem in earum uberibus; in unoquoque ubere quinque. In juventute hi musculi incrementum capiunt. In vulva quatuor musculi sunt; horum duo extensi sunt in interiori vaginae parte; orificium aggredientes externi duo versantur. In uteri cavitate congesti sunt musculi tres; in seminis virilis et menstrui transitu (in uteri orificio) etiam tres sunt. Inter bilis et cruditatis sedem uterus est, ubi embryo versatur.

Musculi compacti, subtiles, magni, parvi, lati, rotundi, breves, longi, duri, molles, lenes et asperi sunt, articulos, ossa, vasa et tendines obducunt et pro corporis regione eorum fit proprietas.

Est hic ślokas:

„Virorum musculi, qui supra dicti sunt, testiculorum signa habent: feminarum musculi, fructum intus reconditum involventes, adsunt.“

Membrorum vitalium, vasorum, nervorum et sensuum organorum dispositio alibi. —

„Frontis umbilicique forma et uterus appellati sunt vertices feminae. In illius autem tertio vertice embryonis cubile collocatum est. Sicut Cyprini denticulati piscis os est quoad formam, eadem figura et forma praeditum esse cubile embryonis sciunt docti. Incoenatus, aversum vultum habens jacet embryo in feminae utero. Ille ex sua natura vulvam capite accedit circa partum. Corporis cute terminati membrorum ratio quae sit, ea in nullis Aṅgis praeter Śalyae (anatomiae) scientiam, describitur. Idcirco dubii expertem scientiam afferet Śalyae studium. Mortuum abluendo simul visibilis est membrorum ratio. Ante oculos enim quod visum est et quod doctrinâ (śástra) visum est, id uno verbo magis scientiam auget."

Propterea medicus hominem integro corpore instructum, veneno non laesum, non vexatum longis morbis, non centies madefactum pluviis, ab intestinorum faecibus liberatum, in rivo se movente adligatum, in cavea collocatum, Sacchari munjae cortice, Poa cynosuroide, Cannabi sativa aliisve rebus non circumdatum in loco non lucido maceret, omninoque maceratum extrahat. Tum cadaver post septem noctes Andropogonis muricati, Andropogonis shoenanthi Bambusaeque arundinaceae cortice, Artocarpo lacucha aliisve lente fricandum est. Cutem et cetera omnia externarum internarumque partium et organorum genera dicta oculo conspicere potest.

Sunt hic ślokae:

„Non potest minimi domini corpus oculo conspici; conspicitur autem scientiae et devotionis oculis. Rebus in corpore doctrinaque visis instructus sit peritus medicus. In visis et auditis rebus dubitationem tollens medicus curationes adhibeat."

Caput VI.

Nunc vero singula membra vitalia exhibentem somatologiam exposituri sumus.

Centum et septem membra vitalia sunt. Haec membra vitalia quintuplicem habent naturam, hoc modo: carnosa membra vitalia, vasculosa, tendinea, ossea et articulosa. Non sane carnis, vasorum, tendinum, ossium et articulorum separatione membra vitalia fiunt alia; quapropter etiam alia non animadvertuntur.

Porro undecim carnosa membra vitalia, quadraginta unum vasculosa, viginti septem tendinosa, octo ossea, viginti articularia. Haec sunt centum et septem membra vitalia.

Horum undecim in una extremitate inferiori sunt. Eo altera extremitas inferior et duae superiores extremitates expositae sunt.

In abdomine et pectore duodecim sunt; quatuordecim in dorso; circa collum et sursum triginta septem.

Porro extremitatis inferioris membra vitalia sunt: celere membrum vitale, planta media, calx, malleoli, tarsus, sura, genu, patella, femur, caput femoris et perinaeum. Eo altera inferior extremitas exposita est.

In abdomine et pectore sunt: anus, abdomen, umbilicus, cor, mammarum radices, eminentiae, pulmones et bronchi.

Dorsi membra vitalia sunt: lumbus, pelvis, coxae cavitas, ossa ilium, laterum articuli, incrementum dorsi, humerus, duae scapulae.

Superiorum extremitatum membra vitalia sunt: membrum celere, palma media, condylus, metacarpus, carpus, antibrachium, ulna, olecranon, brachium, caput humeri et fossa axillaris. Eo Extremitas superior exposita est.

A clavicula sursum membra vitalia sunt: quatuor nervi, octo nutrices (arteriae), duo colli articuli, duo colli motores, duae choanae, duo anguli oculorum externi, rotatores duo, duo flabella, duo tempora, una frons, quinque capitis suturae, quatuor quadrivia, unus vertex.

Porro planta (palmaque), sura, anus et eminentiae mamarum, sunt carnosa membra vitalia.

Livida vasa (venae), nutrices (arteriae), quadrivia, externi oculorum anguli, frons, choanae, mammarum radices, pulmones, bronchi, cor, umbilicus, laterum articuli, dorsi incrementum, femoris capita et femora sunt vasculosa membra vitalia.

Patella, perinaeum, fossa axillaris, calx, malleoli, abdomen, celere membrum, scapulae, colli motores et flabella sunt tendinosa membra vitalia.

Lumbus, pelvis, ossa ilium, humerus et tempora sunt ossea membra vitalia.

Genu, ulna, suturae, capitis vertex, tarsus, carpus, coxae cavitas, rotatores et colli articuli sunt articularia membra vitalia.

Haec ipsa membra vitalia quincuplicia sunt, hoc modo: statim vitalitatem auferentia; post temporis spatium vitalitatem auferentia; post evulsam sagittam occidentia; imbecillitatem efficientia; morbos efficientia.

Hic statim vitalitatem auferentia undeviginti sunt; post temporis spatium vitalitatem auferentia triginta tria; tria post evulsam sagittam occidentia; quadraginta quatuor imbecillitatem efficientia; octo morbum efficientia.

Sunt hic ślokae:

„Laesa quadrivia, vertex, tempora, guttur, caput, anus, cor, abdomen, umbilicus et pectoris membra vitalia statim hominem occidunt. Laesas capitis suturas, plantas, celeria membra, suras, lumbum, pelvem, a latere ortos articulos, dorsi incrementum et ossa ilium post temporis intervallum vitali-

tatem aufere, laesa vero flabella et frontem post evulsam sagittam interficere medicus demonstret.

Laesum caput femoris, genua, femora, calces, perinaeum, ulnas, coxae cavitates, fossas axillares, cervicis motores, gutturis articulos, scapulas, humeros, angulos oculorum externos, livida vasa, cervicis tendines, cervicis extensores et duo rotatores imbecillitatem efficere medici dicunt.

Laesa haec octo, tarsos scilicet duos, carpos duos et quatuor malleolos, morbum efficere sapiens sciat.

„Celeria (membra vitalia), vulnerata tantummodo, post temporis spatium occidunt.“

Membra vitalia nominatim sunt carnes, vasa, tendines, ossa, articuli et humores. His naturaliter etiam praecipue insunt vitalitates. Idcirco vitalitates in membris vitalibus repulsae, has illasve substantias aggrediuntur.

Porro statim vitalitatem auferentia laesa (membra vitalia) ignea, ignis qualitatibus celeriter perditis, abjiciunt hominem. Post temporis spatium vitalitatem auferentia aquosa igneaque sunt. Ignis qualitatibus celeriter perditis, gradatim in aquae qualitatibus per temporis spatium abjiciunt hominem.

Post evulsam sagittam vitalitatem auferentia aëre impleta sunt. Sagittae cuspide praeclusus quamdiu intrinsecus manet aër, tamdiu (homo) vivit; extractâ autem sagitta, aër, membrorum vitalium sedem aggressus, excedit. Ideo cum sagitta vivit, post extractam autem sagittam homo moritur.

Imbecillitatem efficientia sunt aquosa. Aqua enim, ob suam stabilitatem et frigus, vitalitatem dependulam efficit.

Morbos efficientia plurimum ignis et aëris habent, praecipueque illa morbos efficiunt. Morbos autem a quinque elementis ortos esse singuli dicunt: propter carnis et ceterarum quinque partium (vasorum, tendinum, ossium, articulorum et humorum) universarum et auctarum collectionem statim vitalitatem auferunt (laesa membra vitalia); si una pars deest aut imminuta est, vitalitatem post temporis spatium auferunt; si duae partes desunt, vitalitatem post evulsam sagittam auferunt; sin tres partes desunt, imbecillitatem efficiunt; in una parte autem morbos efficiunt. Unde etiam tum in percussis membris vitalibus, quamvis osseis, sanguinis aditus exoritur.

Vasa vero, quae quadruplicia sunt in corpore, plerumque in membris vitalibus congressa sunt; tendines, ossa, musculos pariterque articulos satiando corpus sustentant. Deinde, occiso membro vitali, vasa auctus undique aër obtegit. Increscens vero hic aër morbos perhorridos in corpore excitat. Corpus autem morbo superatum rursus dissolvitur, hominisque conscientia exstingitur. Sagittam extrahere qui cupit, membris vitalibus diligenter exploratis, eam evellat. Eo reliquum expositum est.

Membrum vitale statim vitalitatem auferens, si in fine tantummodo vulne-

ratum est, post temporis spatium interficit (hominem); — post temporis spatium vitalitatem auferens, si in fine vulneratum est, imbecillitatem adducit; — vitalitatem post evulsam sagittam auferens, si in fine vulneratum est, post temporis spatium vexat morbosque efficit; — morbos efficiens valde dolorosum fit.

Porro membra vitalia (laesa) statim vitalitatem auferentia, post septem noctium intervallum hominem interficiunt. Membra vitalia autem, post temporis spatium vitalitatem auferentia, post quatuordecim dies aut post mensem (hominem interficiunt): in his vero celeria membra vitalia (laesa) interdum cito hominem interficiunt. Vitalitatem post evulsam sagittam auferentia et imbecillitatem efficientia membra vitalia, interdum valde percussa, hominem interficiunt. —

Inde in posterum sedes membrorum vitalium singulatim exposituri sumus.

In hallicis et pollicis medio membrum vitale celere est; ibi vulnerati hominis morbo mors oritur. Ex ordine medii digiti in media pedis planta est plantae centrum; ibi quoque morbis mors oritur. Super celere membrum vitale a duobus lateribus calx est; ibi pedis rotatio et tremor fiunt. Infra tarsi articulum a duobus lateribus malleolus est; ibi morbosae intumescentiae fiunt. In pedis et cruris conjunctione tarsus est; ibi morbus fit immobilitas pedis aut claudicatio. E regione calcis in medio crure sura est; ibi in sanguinis amissione mors oritur. In cruris et femoris conjunctione genu est; ibi claudicatio oritur. A genu tres transversos digitos in duobus lateribus sursum est patella; ibi oritur incrementum intumescentiae et immobilitas extremitatis inferioris. In medio femore carnatio est; ibi post sanguinis amissionem oritur tabes inferioris extremitatis. Supra femur et infra articulationem coxae in femoris radice caput femoris est; ibi in amissione capitis femoris oritur lateris destructio. Coxam inter et scrotum perinaeum est; ibi eunuchismus et semnis virilis paucitas oriuntur.

Sic haec undecim membra vitalia inferioris extremitatis exposita sunt. Eo altera extremitas inferior et duae extremitates superiores expositae sunt. Praecipue vero quomodo in extremitate inferiore tarsus, genu et perinaeum, sic in extremitate superiore carpus, ulna et axilla se habent; ut inter coxam et scrotum perinaeum, sic in pectoris et axillae medio fossa axillaris est.

Superiori extremitate laesa, eadem phaenomena oriuntur, praecipue vero in carpo debilitas; in ulna incurvatio; in fossa axillari destructio lateris. Sic haec quadraginta quatuor organa vitalia in extremitatibus exposita sunt. —

Porro sedes membrorum vitalium in abdomine et pectore exposituri sumus.

Ibi aërem et faeces retinens, crassum intestinum obstruens anus est

membrum vitale statim mortiferum. Exiguis carnibus et sanguine instructa interne in lumbo urinalis sedes (vesica) adomen inferius appellatur; ibi etiam statim mors oritur, calculi vulnere excepto; ibi vero etiam a duobus lateribus fissâ vesicâ homo non vivit; ab uno autem latere fissâ, urinam fundens vulnus fit; hoc autem vulnus nisu curatum supercrescit. In maturitatis et cruditatis medio umbilicus, capitis indole praeditus, est; ibi etiam statim mors oritur. Sub mammarum medietate habitans in pectore, crudae sedis porta atque veritatis (satva), affectuum (rajas) et obscuritatis (tamas) regnum cor appellatur; ibi etiam statim mors oritur. Duos digitos transversos sub mammis a duobus lateribus mammarum radices sunt; ibi, a phlegmatis pleno trunco, catarrho et anhelitu laborans moritur.

Duos digitos transversos super mammarum papillas a duobus lateribus sunt mammarum eminentiae; ibi, a sanguinis pleno trunco, catarrho et anhelitu laborans moritur.

Infra humeri protuberantias in laterum superiorum partibus sunt pulmones; ibi a sanguine pus, a profluvio mors oritur. Utrinque in pectoris tubo (aspera arteria) sunt bronchi aërem ferentes; ibi aëris pleno trunco, catarrho et anhelitu mors oritur.

Sic haec duodecim membra vitalia in abdomine et pectore exposita sunt. —

Porro dorsi membra vitalia expondituri sumus.

Ibi columna vertebralis a duobus lateribus ad illam lumbus, regio sacralis, ossa, coxa et pelvis appellata; ibi post sanguinis amissionem pallidus, decolor et pulchritudine privatus homo moritur.

In laterum et lumborum externa parte ad columnam vertebralem a duobus lateribus, non valde profundae sunt duae coxarum cavitates; ibi oritur contactus insensibilitas in inferiori corpore et agitatus morbus.

Supra lumbi et regionis sacralis sedem folia sunt, laterum intervallis illigata, dua scilicet ossa ilium; ibi inferioris corporis tabes et ob infirmitatem mors oritur.

Inferiorum laterum intervallis illigata, in lumbi et lateris medietate, oblique et sursum a lumbo, sunt lateris articuli; ibi, a sanguinis pleno trunco laborans moritur.

A mammarum radice in duobus columnae vertebralis lateribus incrementum dorsi est; ibi symptomatibus, nimio sanguinis processu effectis, vexatus homo moritur.

Supra dorsum a duobus columnae vertebralis lateribus cum scapulae triangulo connexi sunt humeri; ibi brachiorum paralysis, aut tabes oritur.

In brachiorum, capitis et cervicis medietate sunt scapulae, scapularum basin et humerum constringentes; ibi oritur brachiorum rigor.

Sic haec quatuordecim membra vitalia dorsi exposita sunt. —

Porro claviculam transgredientia membra vitalia expposituri sumus.

Ibi a duobus lateribus asperae arteriae quatuor nervi sunt, opposite collocati; duo scilicet lividi et duo tendinosi; ibi infantia, vocis deformitas et gustatus inopia oriuntur.

A duobus lateribus in cervice quatuor vasa arteriosa sunt; ibi statim oritur mors.

In capitis et cervicis conjunctione sunt articuli colli; ibi capitis nutatio oritur.

A duobus lateribus nasalis ductus sunt choanae, effluvii ductibus intrinsecus impeditae; ibi oritur insensibilitas odoris.

Infra superciliorum caudatos fines, deorsum et extra oculos, anguli oculorum externi sunt; ibi obscuritas, aut visus privatio oritur.

Supra supercilia profunda duo rotatores sunt; ibi obscuritas et visus privatio oriuntur.

Supra superciliorum caudatos fines, in auris et frontis intervallo, tempora sunt; ibi statim mors oritur.

Supra tempora in cappillorum fine sunt duo flabella; ibi si sagitta inhaeret aut post suppurationem elapsa est, homo vivit; sin extracta est, non vivit.

In superciliorum medio glabella e t; ibi ut in flabellis res se habet.

Quinque compages, in capite dispositae, suturae appellantur; ibi deliratione, timore et mentis alienatione mors oritur.

In vasorum, nares, aures, oculos et linguam saturantium medietate est vasorum conglomeratio, quadrivia illa quatuor membra vitalia; ibi etiam statim mors oritur.

Supra cranium medium est vasorum et compagium congregatio, scilicet capillos flectens vertex; ibi etiam statim mors oritur.

Sic haec triginta septem membra vitalia claviculam transgredientia exposita sunt.

Sunt hic ślokae:

„Femora, capitula, perinaeum et fossae axillaris latera unius digiti mensuram implent; prior mammarum radix, duorum digitorum mensuram; carpus, tarsus, genua et ulnae, trium digitorum mensuram implent. Cor, abdomen, (vesica urinaria), calx, anus, umbilicus, novem membra vitalia in capite et duodecim in collo quae sunt, ea ut medici dicunt, propriam manuum et plantarum incurvatarum mensuram implent. Cetera memba vitalia intellige omnino dimidii digiti mensuram implere.

Hanc mensuram intuiti dicunt artis periti. Actuosum membrum vitale evitantes in latere dispercussum membrum scalpello resecant. Idcirco vitalium membrorum sedes relinquendae sunt. Scissis manibus et pedibus vasa

hominum contractionem inire possunt; sanguis exiguus tum effluit; homines, nacti tum immensam calamitatem terribilem, non mortem, ut in scissis extremitatibus et trunco, obeunt.

Celeribus membris vitalibus ibi et plantis vulneratis, sanguis valde procedit aërque morbum facit.

Sicut vulneratae arbores, sic telo ictis et laesis mammarum radicibus affecti occasum adeunt. Ideo hominis circa ubera percussi manus et pes celeriter incidenda sunt in carpi et tarsi regione. Membra vitalia dimidiam sagittarum et materiarum partem exprimunt; qua ex causa in membris vitalibus laesi homines non statim sunt occisi; nam indubitate vivunt nonnulli, si ibi medicorum virtute imbecillitatem tantummodo adipiscuntur.

Vulnerati perforatique in extis, capite, et cranio varii pugnatores, quorum membra vitalia non sunt delapsa, vivunt, sagittatis corporis regionibus et dissectis extremitatibus, manibus et pedibus totis.

Aqua, aër, lumen, affectuum impetus (rajas), veritas (satva) et caecitas (tamas), plerumque etiam virorum vitalitas, in membris vitalibus collecta sunt. Propterea animantes, in membris vitalibus percussi, non vivunt. In sensuum organis imperceptibilitas, mentis animique alienatio et varii morbi terribiles exoriuntur, laeso membro vitali, celeriter vitam rapiente; laeso autem membro, post temporis spatium occidente, certus corporalium elementorum interitus in hominibus oritur. Deinceps homo, post corporalium elementorum interitum, doloribus perit. Laeso membro, debilitatem efficiente, universum corpus, quamvis curationi subjectum medici dexteritate, imbecillitatem nancisci potest.

In membris vitalibus post extractam sagittam occidentibus dignoscenda est prius dicta causa.

Membra vitalia morbifera laesa varios morbos afferunt, postremo imbecillitatem, si aegrotus malo medico morem gerit.

Post sectionem, fissionem, vulnerationem, combustionem et dilacerationem medicus morbum dignoscat membrorum vitalium, aequalibus signis praeditum. In membris vitalibus laesus nemo est, qui aut paululum molestus aut expers molestiae sit. Plerumque in membris vitalibus percussi imbecillitatem adeunt aut moriuntur. Quae passiones variae membra vitalia praetergrediendo in hominum corporibus sopiuntur, eae plerumque misserimae fiunt, quamvis sanabiles hominis contentionibus.“

Caput VII.

Nunc vero ad vasorum colores et distributiones pertinentem somatologiam expposituri sumus.

Septingenta vasa sunt, quibus hoc corpus, sicut hortus aquae ductibus et sicut campus canalibus irrigatur et adjuvatur inflexione, processu et hujusmodi generibus. Ut in arboribus folia et acus se praetendunt, sic vasorum umbilicus et radix procedunt sursum, deorsum et oblique. Quot vero vasa in corpore exoriuntur animantium, in umbilico omnia connexa se undique praetendunt. In umbilico collatae sunt viventium vitalitates; vitalitates umbilicus adipiscitur; vassis tectus est umbilicus, sicut disci umbilicus Valisneriis octandris.

Horum vasorum quadraginta radicalia (primaria) vasa sunt: aërem ferentia decem; bilem ferentia decem; phlegma ferentia decem; decem sanguinem ferentia.

Aërem vero ferentia vasa, ad aëris sedem aggressa, centum et septuaginta quinque sunt; totidem etiam sunt bilem ferentia in bilis sede, phlegma ferentia in phlegmatis sede et sanguinem ferentia in hepate et liene sunt.

Sic haec septingenta vasa exposita sunt.

Porro aërem ferentia vasa in una extremitate inferiori viginti quinque sunt. Eo altera extremitas inferior et duae extremitates superiores expositae sunt. Praecipue vero in trunco triginta quatuor (vasa aërem ferentia) sunt: horum octo in lumbo ad anum et penem aggressa sunt; bina sunt in duobus lateribus; sex in dorso; totidem etiam in abdomine; decem in pectore. Quadraginta unum (vasa aërem ferentia) supra claviculam sunt. Horum quatuordecim in collo, quatuor in auribus, novem in lingua, sex in naso et octo in oculis sunt.

Sic haec centum et septuaginta quinque aërem ferentia vasa exposita sunt.

Haec etiam reliquorum vasorum distributio est. Praecipue vero bilem ferentia vasa in oculis decem et in carnibus duo sunt. Sic sanguinem ferentia et phlegma ferentia vasa se habent.

Sic haec septingenta vasa et eorum distributiones expositae sunt.

Sunt hic ślokae:

„Actionum corporalium imperturbationem, liberationem stultitiae in mentis actionibus aliasque bonas qualitates efficit aër, sua vasa adiens. Quando autem irritatus aër sua vasa aggreditur, tum varii morbi ab aëre orti nascuntur.

Splendorem, cibi appetentiam, bonam digestionem, vacuitatem morborum aliasque bonas qualitates efficere potest bilis, sua vasa ingrediens. Quando

irritata bilis appetit vasa bilem ferentia, tum varii morbii a bile orti nascuntur.

Inunctionem in membris, articulorum firmitatem, robur, excellentiam aliasque bonas qualitates efficit phlegma, sua vasa adiens. Quando autem irritatum phlegma sua vasa aggreditur, tum varii morbi a phlegmate orti nascuntur.

Neque vero quaedam vasa aërem tantummodo, aut bilem, aut phlegma ferunt, illa tum omnes humores ferentia relata sunt; corruptorum enim humorum, evectorum et egredientium certi ad superiores vias progressus, vasa, omnes humores ferentia, appellantur.

Ibi fusca, aërem ferentia, vasa aëre implentur; ob bilem calida et nigra sunt; frigida, graviora et stabilia ob phlegma; sanguinem ferentia autem vasa rubra, non valde calida et frigida sunt. —

Porro vasa declarabo, quae secare medicus haud debet.

Perturbatio morsque ex sectione horum vasorum certo oriuntur. Quadraginta vasa dignoscat in extremitatibus sapiens medicus; centum et triginta sex in trunco; sexaginta quatuor in capite.

„Non secanda in extremitatibus sedecim vasa; in trunco triginta duo; quinquaginta supra claviculam indicata sunt.“

Prorsus centum vasa in unaquaque inferiori extremitate sunt, quorum unum reticulare et tria intermedia, scilicet femoralia duo et unum pertinens ad femoris caput, non secanda sunt. Eo altera inferior extremitas et duae superiores extremitates expositae sunt. Sic cultro non adtingenda sunt sedecim vasa in extremitatibus.

Triginta duo vasa in lumbo sunt, quorum octo non curanda sunt cultro, scilicet quatuor in perinaeo et coxa pelvique.

Octona vasa in unoquoque latere sunt, quorum singula, sursum adscentia et duo, lateris articulos ingredientia, medicus evitet.

Viginti quatuor vasa ad columnam vertebralem a duobus lateribus sunt, quorum sursum adscentia bina medicus evitet, scilicet bina ad dorsum latum. Totidem vasa etiam in abdomine sunt, quorum bina supra penem ad crinium lineam a duobus lateribus evitet.

Quadraginta in pectore sunt, quorum quatuordecim cultro non sunt curanda. In corde bina, duo in mammarum radice, in mammarum eminentiis, pulmonibus et bronchis a duobus lateribus octo vasa sunt.

Sic triginta duo vasa in dorso, abdomine et pectore non sunt cultro secanda.

Centum et sexaginta quatuor vasa supra claviculam sunt. Ibi quinquaginta sex sunt in cervice, quorum octo et quatuor in membris vitalibus collecta, duo in colli articulis et duo in colli motoribus medicus evitet. Sic in collo sedecim vasa non sunt vulneranda.

In maxillis a duobus lateribus octona vasa sunt, quorum vero bina, ad articulorum nervos pertinentia, medicus evitet.

Triginta sex vasa in lingua sunt, quorum infra sedecim, duo succum ferentia et duo vocem ferentia non sunt cultro adtingenda.

Duo et duodecim vasa in naso sunt, quorum quatuor supranasalia et unum in palato molli medicus evitet.

Triginta octo vasa in duobus oculis sunt, quorum singula in oculorum angulis medicus evitet. In auribus decem vasa sunt, quorum sonos ferentia singula medicus evitet.

Nasum simul et oculos ingredientia vasa in fronte sexaginta sunt, quorum quatuor capillorum finem sequuntur. In rotatoribus unum et in fronte unum vas evitandum est.

In temporibus decem vasa sunt, quorum singula, temporum compages adeuntia medicus evitet. Duodecim vasa in capite sunt, quorum duo in flabellis medicus evitet, in capitis suturis singula, et in capitis vertice unum.

Sic vasa supra claviculam quinquaginta cultro non adtingenda exposita sunt.

Est hic ślokas:

„Penetrant omnino corpus vasa, non omnino progressa, sicut fibrae ex Nelumbii speciosi bulbo et fibrae Nymphaeae odoratae aquam."

Caput VIII.

Nunc vero de vasorum sectione praecipientem somatologiam exposituri sumus.

Infantium, senum, durorum, ulceratorum, emaciatorum, timidorum, defatigatorum, vino viaque debilitatorum, inebriatorum, purgatorum, firmorum, fumigatorum, insomnium, eunuchorum, macrorum et gravidarum feminarum, catarrho, anhelitu, tabe, acutis febribus, flatibus, laterum laesionibus, jejunio, siti et lipothymia confectorum vasa medicus ne secet; illaque, quae non secanda; secanda, quae invisibilia; visibilia, quae non deliganda; deliganda, quae non exsurrecta sunt, ne secet.

Sanguinis missione curabiles morbi ante relati sunt. In his incoctis aliisque non dictis medicus proxime et convenienter vas secet. Vasorum quamvis interdictorum sectio etiam in aegrotis, veneno et daemoniaco morbo laborantibus, non interdicta est.

Porro aegrotum suaviter sudabundum, cibos vitiis humorum contrarios jurulentosque epulatum, aut fermentatâ oryzae aqua usum, sedentem aut stantem, conveniente tempore medicus, illius animum non perturbans, accedat, panno, taenia bombycina, corio, libro aut surculo ne nimis arcte, neve nimis

laxe colliget, anteriori corporis regioni adsideat, descriptum scalpellum prehendat et tum vas secet.

„Non in aegroto perfrigido, non in percalefacto, non in vaporoso, non in jejuno sectio vasorum instituenda est, nunquamque in sano homine.“

Porro in vasis secandum hominem, vertentem os ad solem, in sedili unum cubitum alto considere medicus jubeat; illius extremitates inferiores flexas intret supra genuum articulos; duas ejus manus, cum pollice introrsus abscondito pugnum formantes, in cervicis tendinibus collocet; constrictivam fasciam super colli pugnos circumjiciat; alii homini pone collocato sinistra manu supinata duas fasciae intermedias partes prehendendas mandet; tum medicus dicat, dextra manu, vas erigendi causâ, ne nimis longam laxamque fasciam ille colliget, sanguinisque fluendi causâ fasciam in medio dorso comprimat, deinde curandum hominem, in vultu aëre impletum, stare jubeat medicus, qui in sectione vasorum, caput aggressorum, a medio vultu arcendorum, restrictivam methodum cognoscit.

Porro hominis in pede phlebotomandi pedem in aequo loco bene constituat, alterum pedem paululum flexum clara voce efficiat, pedem secandum infra genu articulationem fasciâ circumdet, manibus comprimat tarsum, tum pedis vas, quatuor digitos transversos supra locum secandum taenia etc. ligatum, medicus secet.

Superne vero manus, cum pollice introrsus abscondito pugnum formantes, omnino in sedili collocet, laete considentis fasciam, ut supra, liget et manus vas medicus secet.

In arthritide et rheumatismo aegrotus contractis genibus ulnisque affectus esse potest. In lumbo, dorso et humeris aegroto homini dorsum incurvanti, caput deorsum demittenti, considenti et dorsum expandenti vas medicus secet; in abdomine et pectore aegroto, pectus protendenti, caput extollenti et corpus expandenti vas secet; in brachiis aegroto, corpus ad latera vertenti; in pene penem declinanti; in linguae inferiore parte, cacumen linguae extollenti et immordenti; in palato et dentium radicibus aegroto, valde hianti vas medicus secet.

Sic ligandi auxilia aliasque vasorum erigendorum conditiones medicus cognoscat perspiciatque, et ex voluntate corporis morbique adhibeat.

In corporis intervallis medicus scalpellum ad grani hordei mensuram, in aliis vero ad dimidii grani hordei mensuram, aut ad mensuram grani oryzae, cum mucrone oryzae simili demittat. Supra ossa scalpello ad dimidii grani hordei mensuram vas medicus secet.

Sunt hic ślokae:

„Pluviis anni temporibus medicus sub innubi die secet; aestivo autem tempore sub frigidulo die; hiemali tempore sub medio die. Haec sunt tria scalpelli adhibendi tempora indicata.

Omnino post scalpelli sectionem quod vas fluit sanguine, et, per Muhúrtam (quartam decimam unius diei noctisque partem) constrictum, insistit, id bene sectum medicus demonstret. Sicut ex Carthami tinctorii floribus prius effluit succus flavus, sic ex vasis sectis corruptus humor ante excedit.

Lipothymiâ affecti, valde perterriti, defatigati et sitientis hominis vasa secta non manant; pari modo etiam vasa, ligata quidem, sed non edita.

Hominis emaciati, corruptis humoribus valde affecti et lipothymiâ tentati vas tempore postmeridiano, aut altero die, aut tertio, ut plus fluat, efficiendum est. Sanguinem a vitiis liberatum expertus medicus efficiat, ne vero valde profluum; reliquum sedaminibus vincat. Robusti, corruptis humoribus valde affecti et aetate florentis hominis summam mensuram in sanguinis missione esse unum Prast'ham optant."

Si pedum ustio, pedum horror, brachiorum dolor, herpes, rheumatismus, arthritis, scabies, pedum fissurae etc. exsistunt, duos digitos transversos supra celere membrum vitale medicus scalpello, oryzae cacuminibus simili, vas secet; si elephantiasis, ut in ejus therapia edissceretur; si in canis aurei caput, rigiditas, claudicatio et rheumatici dolores, quatuor digitos transversos supra tarsum in crure; si intumescentia, duos digitos transversos infra suram; si arthritis, quatuor digitos transversos supra aut infra articulum genu; si colli tumor, vas, cum femoris radice congressum, medicus secet. Eo altera extremitas inferior et duae superiores extremitates expositae sunt.

Praecipue vero in sinistra manu intra ulnae articulum, scilicet in media extremitate superiore, aut digitum minimum inter et annularem, si lienis affectio subest, vas secandum est; sic etiam in dextra manu, si hepatis laesio et phlegmaticum abdomen adsunt. Eadem vasa in catarrho anhelituque medici demonstrant, pariterque in arthritide et rheumatismo. Undique duos digitos transversos procul a lumbo medicus vas secet, si diarrhaea et colica exsistunt; si fissurae, morbus venereus, seminis virilis corruptio interitusque, in medio pene; in testiculorum latere autem, si urinae incrementum adest; quatuor digitos transversos infra umbilicum acu, si in sinistro latere hydrops abdominis; in sinistro latere axillam inter et uber, si interna phlegmone et lateris dolor; si brachiorum tabes et dolor, inter scapulas sanguinem esse mittendum quidam dicunt.

Vas, mediam columnae vertebralis articulationem aggressum, medicus in tertiana secet; humeri articulationem aggressum et in altero latere situm, in quartana; mediam axillae articulationem aggressum, in animi deliquio; temporum et capillorum finis conjunctionem aggressum et in pectore, angulis oculorum externis et fronte situm, in mania et animi deliquio. Si linguae morbi et dentium aegrotationes exsistunt, medicus vas secet sub lingua; in palato, si palati morbi exsistunt; supra aures undique, si aurium dolores et earum morbi; si olfactus suppressio nasique morbi, in nasi apice; si

gutta serena, oculorum coctio aliique oculorum morbi, in nasi dorso et in frontali orbe; eadem vasa etiam secanda sunt in capitis morbis, commotionibus et ceteris capitis morbis. —

In posterum perversam sanguinis missionem exposituri sumus.

Vas male sectum, valde sectum, inflexum, abscissum, inflammatum, non profluum, valde dissectum, in fine laesum, exsiccatum, collapsum, tremefactum, non erectum sectum, scalpello laesum, oblique sectum, sectum non secandum, elapsum, vaccinum, identidem sectum, in vasis, tendinibus, ossibus, articulis membrisque vitalibus sectum — viginti perversae sectiones sunt.

Ibi quod vas tenui scalpello sectum non manifesto sanguine fluit et morbosum intumescit, id male sectum est.

Vase ultra mensuram secto, interne extravasatur sanguis, aut sanguinis nimia profluentia oritur. Id est valde sectum vas. Sic etiam, vase inflexo, res se habet. Vas obtuso scalpello commotum et amplam naturam nactum, abscissum est; non adtactum, identidem et in duobus finibus vehementer scalpello laesum, inflammatum est. Frigore, timore et animi deliquio sanguinem non emittens vas, non profluum est; scalpello, acuta magnaque acie instructo, sectum vas, valde dissectum est; exiguo sanguine profluens vas, non sectum est; emaciato sanguine impletum vas, exsiccatum est; ad quartam partem depressum, paululum emittens sanguinem, collapsum est; ob male collocatam ligaturam sanguis trementis vasis conturbatus fit: hoc tremefactum vas est; sic etiam, non erecto vase secto, res se habet. Fissum, nimio sanguine fluens et curandi desiderium efficiens vas, scalpello laesum est; oblique scalpello ictum et paululum laesum, oblique sectum est; multipliciter vulneratum immissione mali scalpelli, laceratum est; scalpello non tangendum, non secandum est; ob multiplicem loci secandi demissionem sursum sectum et iterum iterumque sanguine fluens vas, vaccinum est; ob sectionem cum tenui scalpello saepius fissum vas, identidem sectum est; in tendinibus, ossibus, vasis, articulis, et membris vitalibus sectum vas morbum, tabem, perturbationem, aut mortem adducit.

Sunt hic ślokae:

„Vasorum peritus non exsistit, instabilia enim ob propriam naturam vasa sunt; ad piscium similitudinem circumversantur; ideirco intente medicus ea secet. Ab indoetis prehenso et corporibus infixo scalpello, illae calamitates et multa symptomata exoriuntur.

Oleamentis et ceteris remediis atque emplastris non tam celeriter morbi sedationem adeunt, quam omnino post vasorum sectionem.

Vasorum sectio in Śalyatantra, sicut omnino alvi purgatio in Káyachikitsita, curatio semifacta appellata est.“

Porro inunctis, sudatis, vomitione alvoque soluta purgatis, infirmis, fumigatis et circa vasa sectis hominibus iracundiam, defatigationem, coitum, diurnum somnum, sermonem, laborem, incessum, contentionem, sessionem, disci jaculationem, coërcitam frigore, vento, solisque candore naturam et indigestionem evitanda esse per unum mensem usque ad roboris adeptionem nonnulli credunt. — His de rebus prolixe serius edisseremus.

Sunt hic ślokae:

„Vasculis, cornibus, cucurbitulis, hirudinibus pariterque punctionibus medicus perturbatum et ex ordine ceterum corruptum sanguinem extrahat. Sanguine perturbato, hirudo contraindicata est; congesto autem sanguine, indicata; sanguine in vasa membraque diffuso, cornua et cucurbitulae cuti imposita indicata sunt."

Caput IX.

Nunc vero nervos exhibentem somatologiam exposituri sumus.

Viginti quatuor nervi, ex umbilico orti, relati sunt. Quidam dicunt: „Vasorum, nervorum canaliumque individuitas est; vasorum transformationes etiam nervi canalesque sunt."

Quod vero non omnino sic est. Diversa enim sunt nervi canalesque a vasis. Propter qualem manifestationis diversitatem, radicum cohibitionem, functionum differentiam et aditum? Certe vero propter mutuam propinquitatem, similem aditum, functionem et subtilitatem etiam diversarum operationum quasi individuitas in functionibus exsistit.

Horum vero ex umbilico ortorum nervorum decem sunt adscendentes, decem descendentes et quatuor oblique procedentes. Adscendentes nervi, sonum, contactum, formam, gustatum, odorem, inspirationem, exspirationem, oscitationem, emunctionem, risum, narrationem, lacrymationem et ceteras hujus generis actiones adducentes, corpus sustentant. Hi vero, cor aggressi, triplicati fiunt et triginta oriuntur. Horum vero bini aërem, bilem, phlegma, sanguinem et chylum sustinent et decem sunt. Sonum, formam, gustum et odorem homo octo nervis percipit; duobus nervis loquitur; duobus vocem efficit; duobus dormit; duobus expergiscitur; duo in lacrymarum ductu sunt; duo, in mammis congressi, lac maternum ferunt, iidemque etiam semen virile mammis adducunt.

Hi vero nervi ipsi triginta cum suis partibus expositi sunt. His ab umbilico adscendentibus nervis abdomen, latus, dorsum, pectus, humerus, collum et superiores extremitates sustentantur et moventur.

Est hic ślokas:

„Nervi adscendentes omnino illas operationes faciunt; descendentes autem nervos secundum eorum operationes indicabo.“

Descendentes nervi aërem, urinam, faeces, semen virile, menstrua etc. deorsum ferunt. Hi vero, bilis sedem aggressi, ibi collocatum etiam cibi potionisque chylum, calore coctum, separantes ac provehentes, corpus exhilarant et movent, locum chyli adscendentibus et oblique procedentibus ramis mplent, urinam, faeces et sudorem excernunt, in cruditatis et coctionis sede intermedia triplicati fiunt et triginta oriuntur. Horum vero nervorum bini aërem, bilem, phlegma, sanguinem et chylum sustinent et decem sunt; duo in ciborum tractu sunt, intestina ingressi; duo aquam adducentes, vesicam aggressi, uriniferi sunt; duo seminiferi; duo pro seminis virilis apparentia; duo pro emissione, qui etiam feminarum sanguinem, menstruum appellatum, adducunt; duo pro stercoris ejectione in crassis intestinis illigati sunt; octo reliqui oblique procedentium nervorum sudorem movent.

Hi vero nervi triginta cum suis partibus expositi sunt. His ab umbilico descendentibus nervis sedes coctionis, lumbus, urina, faeces, anus, abdomen, penis et inferiores extremitates sustentantur et moventur.

Sunt hic ślokae:

„Nervi descendentes omnino illas operationes faciunt; oblique autem procedentes nervos secundum eorum operationes indicabo.“

Oblique vero procedentium quatuor nervorum singuli in centum milleque partes et ultra distribuuntur et innumerabiles sunt. His corpus foraminosum, constrictum et tensum est. Horum nervorum orificia in poris sunt illigata. Quibus foraminibus nervi sudorem afferunt et chylum intrinsecus et extrinsecus exhilarant, iisdem quoque foraminibus vires inunctionum, adspersionum, lavationum et illituum, in cute maturatae, internum corpus ingrediuntur; iisdem etiam homo ex contactu voluptatem aut dolorem capit.

Hi vero ipsi quatuor nervi, universum corpus penetrantes, cum suis partibus expositi sunt.

Sunt hic ślokae:

„Sicut proprii aëres in Nelumbii speciosi et Nymphaeae odoratae fibris, sic exsistunt nervorum aëres, quibus chylus colligitur.

Nervi, quinque elementis subjecti et quinque elementis effecti, quinque sensus in quinque elementis cum sustentaverint, in quinque elementa tempore destructionis redeunt.“

D e i n c e p s   c a n a l i u m ,   e o r u m q u e   r a d i c i s   e t   p e r f o r a t i o n i s   s i g n a   d e m o n s t r a t u r i   s u m u s .

Canales vero sunt respirationem, cibum, aquam, chylum, sanguinem, carnem, telam cellulosam, urinam, faeces, semen virile et menstrua ferentes, in quibus principatus est. Singulorum horum vero multi exsistunt, quorum differentiae multae sunt.

Ibi respirationem ferentes canales duo exsistunt; horum radix cor et nervi sunt: ibi perforati hominis clamatio, incurvatio, mentis alienatio, vertigo, tremor aut mors oritur. Aquam ferentes duo sunt; horum radix palatum et vesica urinaria: ibi perforati hominis sitis et celeris mors. Chyliferi canales duo sunt; horum radix cor et cyhliferi nervi: ibi perforati hominis tabes et sicut in illis respirationem ferentibus mors indicium est. Sanguinem ferentes duo sunt; horum radix hepar, lien et sanguinem ferentes nervi: ibi perforati hominis corpus lividum, febris, inflammatio, pallor, sanguinis transgressio et rubor oculorum. Carnem ferentes duo; horum radix tendo, cutis et sanguinem ferentes nervi: ibi perforati hominis intumescentia, carnis tabes, vasorum nodi et mors. Telam cellulosam ferentes duo; horum radix lumbus et praecordia: ibi perforati hominis sudatio unguinosum corpus, palati tabes, crassus tumor et sitis. Uriniferi duo; horum radix abdomen et penis: ibi perforati hominis tympaniticum abdomen, urinae retentio et tentus penis. Faeces ferentes duo; horum radix sedes coctionis et anus: ibi perforati hominis urinae suppressio, malus odor et constricta intestina. Seminifera duo; horum radix ubera et testiculi: ibi perforati hominis eviratio, tarda seminis exspersio et rubor seminis. Menstruum ferentes duo; horum radix uterus et menstrua ferentes nervi: ibi perforatae feminae sterilitas, coitionis intolerantia et menstruationis interitus.

Post suturarum fissionem morbi exoriuntur.

Perforati abdominis et ani signum ante indicatum est.

Hominem, in canalibus perforatum, repudians (invitus) medicus curet; a sagitta vero liberatum secundum vulnerum methodum curet.

„A radice et aëre intrinsecus in corpore progressas substantias efferens ductus canalis dignoscendus est, vasis et nervis destitutus.“

Caput X.

Nunc vero gravidarum somatologiam expositure sumus.

Gravida inde a primo die in posterum semper laeta, pure exculta, candide vestita, tranquillitate et felicitate, ut Dii, Bráhmaňae et Guri, eximia sit; sordida, deformia et trunca corpora ne tangat; male olentia visuque turpia corpora et terribiles narrationes evitet; siccum, adustum, putrefactum et madidum cibum ne comedat; eggressionem, vacuam domum, aram sacrificam, sepulcretum, arborum vicinitatem, iram, timorem et Śaňkaram, onera et claram vociferationem evitet, ceteraque, quae embryonem interficiunt; neve identidem oleamentorum inunctioni, suffitioni etc. inserviat; neu corpus intendat, anteaque dicta evitet. In lecto sessionem, molle cubile, non nimis

altum, conseptis instructum, cancellis praeditum, eligat. Gratam substantiam, dulcedinis plenam et cibum mitem, aromate conditum, comedat.

Haec in universum usque ad partum observanda sunt.

Praecipue vero gravida primo, secundo et tertio mense cibum, dulcis et refrigeratoriae substantiae plenum, capiat. Tertio mense Oryzam praecocem in aqua coctam praecipue comedat, quarto mense in lacte coagulato, quinto in aqua, sexto in butyro clarificato. Sic nonnulli dicunt. —

Quarto mense aquam cum butyro recente commixtam sumat et cum perdicis carne compositum gratum cibum comedat; quinto cibum, cum lacte et butyro clarificato commixtum; sexto cum Flacourtia cataphracta parati butyri clarificati essentiam bibat, aut aquam oryzae fermentatam; septimo mense butyrum clarificatum cum Hemionite cordifolia etc. paratum. Sic embryo crescit. Octavo mense embryonem per Zizyphi jujubae aquam, cum Pavonia odorata, Sida cordifolia, Anetho sowa, carnis jure, lacte coagulato, sero lactis, oleo Sesami orientalis, sale marino, Vangueriae spinosae fructibus, melle et butyro clarificato commixtam, meconii purgandi et aëris regulandi causâ, stabiliat. Deinceps Sesami orientalis oleo, cum aqua dulcibusque substantiis et adstringentibus parato, fumiget; regulato enim aëre, voluptas producitur et gravida expers morbosorum phaenomenorum fit.

Inde in posterum mitibus aquis oryzae fermentatis et jusculis de perdicum carne utatur usque ad pariendi tempus.

Gravida, his sic usa, laeta, robusta, hilaris et expers morbosorum phaenomenorum fit. Nono mense in puerperarum domum gravidam inducat, faustae lunaris diei initio. Ibi conclave obstetricale Bráhmańarum, Kshatriyarum, Vaiśyarum et Śúdrarum in albis, rubris, flavis et nigris terrae regionibus ex Aegle marmelo, Ficu indica, Diospyro glutinosa et Semicarpo anacardio constructum, integra domo sic dicta constans, lecto ex pilis camelinis instructum, fissuras oblitas habens, bene dispositis ornatum administris, portâ aut ad orientem aut ad meridiem versâ exornatum, octo ulnas longum et quatuor ulnas latum, custodiis et faustitate praeditum, eligendum est.

„Foetu relaxato, soluto cordis ligamento in abdomine et doloribus affecto lumbo, femina parturiens cognoscenda est.“

Porro partum aggressae feminae dolor circa regionem sacralem undique exoritur; identidem stercus ejicitur et urina phlegmaque ex vulvae orificio profunduntur. Feminae parturienti, faustitate benedictioneque praeditae, a pueris circumdatae, Myristicae moschatae fructum in manibus tenenti, bene unctae, calida aqua conspersae atque nutritae imperet medicus, ut aquam oryzae fermentatam usque ad gulam bibat. Deinde parturientem in lecto, pulvinaribus instructo, molli et expanso, collocatam, inferioribus extremitatibus incurvam et supinatam uxores quatuor intrepidae, aevo maturae et

partui habiles, unguibus resectis, circumgrediantur. Tum parturientis telum internum (embryonem) normaliter et aperturae convenienter medicus inungat, et puerperam una femina alloquatur; o felix, nititor! — infecta adhuc re nititor! — Tum, dissoluto funiculi umbilicalis ligamento, doloribus affecto lumbo, inguine, abdomine et capite: — lentius nitaris! — Deinceps, sub embryonis exitu: valde! Deinde, embryone orificium vulvae aggresso: valdius! — usque ad extractam sagittam (embryonem).

Ex intempestivo nixu infantem surdum, mutum, dejecta axilla affectum, in capite percussum, catarrho, anhelitu et tabe implicatum, gibbosum, aut horribilem parit. Ibi medicus abnormem infantem ad normam dirigat.

Embryone autem aggresso, vulvam aut exuviis lividi serpentis, aut Vangueriâ spinosa medicus fumiget; liget aureae floris radicem, in manibus et pedibus sustentet puerperam valde splendidam expertemque sagittae (embryonis). Tum neonati abdomen osque Sind'huensi butyro clarificato purget; eryoxylon butyro perlitum capiti superimponat; dein funiculum umbilicalem octo digitos transversos intendat, filo deliget, resecet et fili regionem in infantis collo simul liget. Porro infantem frigidis aquis libere respirare et, finito pariendi labore, cum mellis, butyri clarificati, Panici dactyli et Siphonanthi indicae succo pulveres Cassiae fistulae ex uno digito lambere faciat. Deinde infantem oleo Pavoniae odoratae inungat, ac Fici glomeratae infusione, aut suaveolente aqua, aut aquâ argento aurove ustâ, aut Cratoevae valangae filorum infusione calida, tempori, vitio et materiae convenienter abluat.

„Proxime post nervorum in corde sitorum expansionem, post quatuor tresve noctes, mulierum lac provenit.“

Idcirco die primo mellitum butyrum, cum Panico dactylo commixtum et sacris hymnis (mantra) lustratum ter bibendum det; secundo tertioque die butyrum cum Lakshmańá paratum. Deinde lac antea vetitum, melle et butyro clarificato mistum, quantum manu cava capi potest, bis bibendum det. Tum puerperam, Pavoniae odoratae oleo iuunctam, decoctione herbarum aërem rapientium curet. Mulieri autem, reliquis humorum vitiis tentatae, eodem die pulveres Piperis longi, Pigeris longi radicis, Hastipippalis, Plumbaginis zeylanicae et Zingiberis officinalis cum saccharata aqua calida bibendos mandet. Sic biduum usque ad emendatum sanguinem medicus agat. Tum, muliere purificatâ, cum Hedysaro gangetico etc. paratam oleosam aut lacteam aquam oryzae fermentatam triduum bibendam curet. Deinceps medicus, sanguinem et igneum sanguinem intuitus, cum perdicis jure, parato ex Hordeo hexasticho, Zyzipho jujuba et Dolicho bifloro, ptisanarium oryzae edendum praebeat.

Puerpera, ad hoc praescriptum ultra dimidium mensem curata, his vic-

tus rationibus liberata et e puerperio egressa declarari potest; nonnulli vero, menstruis rursus adparentibus, id fieri posse ajunt.

Ex terrae solo ortam aut butyri clarificati aut olei substantiam bibendam, aut ex Piperis longi etc. infusione potum medicus puerperae porrigat, illaque semper inuncta sit per tres aut quinque noctes. Inde in posterum medicus gratâ ciborum communicatione illam curet et saepius copiosâ aqua calida circumspergat. Ipsa vero iram, contentionem, coitum etc. evitet.

Sunt hic ślokae:

„Qui puerperae morbus ex perversa vivendi ratione exoritur, ille curatu difficilis, aut incurabilis fieri potest post nimiam inediam. Idcirco puerperam, locum tempusque medicus cum circumspexerit, morbi naturae accommodatam curationem adhibeat. Sic illa mortem non obit."

Iam vero uterus prolabens urinae suppressionem inflammationemque efficit; quapropter medicus collum ejus digito, capillis cirumvoluto, detergat; aut Echite antidysenterica, Cucurbita lagenari, Kr̆itavéd'hana, Sinapi dichotoma et serpentium exuviis, cum acri oleo mistis, orificum uteri fumiget; aut sedimento ex radice Commelinae salicifoliae palmas puerperae plantasque illinat; aut ejus capiti lac Euphorbiae antiquorum adspergat; aut ex Costi arabici et Commelinae salicifoliae radice sedimentum cum vino urinave bibendum curet; aut sedimentum ex Oryzae sativae radice, Pipereve longo etc., vel cum vino, Sinapi albae, Costo arabico et lactibus Commelinae salicifoliae Euphorbiaeque antiquorum admixto, vel cum spuma vini fermentata, applicet. Oleo Sinapis albae, cum illis parato, placentam medicus eliciat, aut manu inuncta et unguibus instructa excipiat.

Puerperae aspero corpore praeditae sanguis, acrimoniis contaminatus, et aëre, hanc regionem aggresso, valde obstructus, infra umbilicum, in lateribus, in abdomine aut in inguine nodos facit. Exinde umbilici et abdominis intumescentia et dolores oriuntur sedesque coctionis acubus quasi pungitur, finditur et quasi laceratur. Undique in abdomine inflatio atque urinae reddendae impetus oriuntur. Hoc surdi (embryonis) signum est. Ibi medicus ex Pentaptera arjuna paratam aquam, salinis substantiis conspersam, bibendam curet; aut puerpera Nitratis potassae pulverem cum butyro clarificato grataque aqua, aut pulverem Muriatis sodae cum decoctione Piperis longi etc., aut Piperis longi etc. pulverem cum spuma vini fermentata, aut decoctionem Capparis trifoliatae etc. cum quincuplice specie (Pipere longo, Piperis longi radice, Pipere chavya, Plumbagine zeylanica et arido zingiberi) et Elateria cardamomo paratam, aut decoctionem Hemionitis cordiofoliae etc. cum Pinu Dévadáru et Pipere nigro compositam, aut vetus saccharum officinarum cum triplice specie (Pipere nigro, Pipere longo et zingiberi arido) et Chaturjátaka commixtum comedat, aut hoc liquefactum bibat.

Tum infantem linteo circumdatum in lecto, linteis vestibus obtecto,

cubare medicus jubeat; ramis Salvadorae persicae, Zizyphi jujubae, Meliae azidaractae et Xylocarpi granati illum ventilet; ab illius capite erioxylon, respirationem obstructurum, amoveat; cum suffimentis, Rakshas discutientibus, fumiget; Rakshas discutientia remedia in illius manus, pedes, caput et collum effundat; illic Sesamum orientale, Linum usitatissimum, Sinapim dichotomam et Piper longum prospergat; in residuo ignem accendat; vulneratum infantem curandumque respiciat.

Deinceps decimo die mater paterque, prosperitate gaudioque praediti, religiosum ritum faciendo nomen infanti dent, quod praeterito astro est.

Tum tribui convenientem infans nancisci debet nutricem, media statura mediaque aetate praeditam, non morbidam, bona indole instructam, non tremulam, non cupidam, non emaciatam, non corpulentam, favente repletam lacte, non prominulis labiis, non prominulis aut sursum adscensis mammis instructam, non mutilam, non calamitosam, proli adulantem, poëtriam, blandam, non humiliter agentem, in bona familia natam, tum plurimis bonis qualitatibus praeditam et fuscam, pro sano et valido infantis incremento.

Porro nutrix sursum adscensis mammis instructa infantem terribilem efficere potest; prominulis mammis instructa, nasi orificium obducendo, mortem adferre potest.

Porro medicus fausto die lunari infantem, in capite lavatum, recentibus indutum vestibus et vultu erectum deponat; nutricem vero, vultu versam ad orientem considere jubeat; tum dextram mammam, purgatam et paululum stillantem sugendam curet, recitando hunc sacrum hymnum (mantra):

„Quutuor oceani tibi in mammis semper lactiferi sunto, beata, pro infantis robusto incremento! Lac, ambriosio liquore praeditum, sugendo, puer tibi, pulchro ore praedita, longum aevum adipiscitor, sicut **Dii** ambrosiam comedendo!"

Aliter ob multi lactis adhibiti corruptionem origo morbi nascitur.

Ubere non stillante, post suctum mammae, valde crasso lacte repletae, in infante pituitam ejiciente catarrhus, anhelitus et vomitus apparent. Propterea tale lac ne detur. Irâ, moerore, austeritate etc. femina jacturam lactis facit. Deinde nutricis animum, lactis producendi causâ, tranquillum efficiat medicus et Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Oryzam sativam, Oryzam praecocem, jus carnis, liquorem spirituosum, Zizyphi jujubae fructus, amurcam, Allium sativum, pisces, Scirpum Kysoor, Trapam bispinosam, Nymphaeae odoratae fibras, Convolvuli paniculati bulbos, Glycyrrhizam glabram, Asparagum racemosum, Hibiscum cannabinum, Cucurbitam lagenarem, Convolvulum turpethum nigrum, Galedupam arboream etc. praebeat.

Porro maternum lac in aquis exploret medicus. Hoc, si frigidum, clarum, tenue, ut concha lucidum, in aquis depositum unicolor, non spumosum, non filiforme procedit, non supernatat et non considit, tum medicus

purum lac esse sciat. Ab illo pueri sanitas, augmen corporis et roboris incrementum oriuntur. Ne vero lac famelicae, moerore adflictae, defatigatae, corruptis corporis elementis vexatae, inter graviditatem morbidae, valde emaciatae, valde corpulentae et combusto cibo alimentoque contrario satiatae nutricis, neve indigestibile herbarum decoctum infanti det. Ex corruptorum enim decoctorum sedimentis ortum vehementem impetum timeat.

Sunt hic ślokae:

„Nutricis vero gravidis cibis, iniquis et corruptis vitia humorum in corpore irritantur; deinceps lac corrumpitur. Perverso alimento gavisae feminae aër etc. corruptus corrumpit lac; ex eo corporales morbi infantis oriuntur, quos vero peritus medicus simul animadvertere potest. In membrorum et sensuum regione scilicet infantis aegritudo ubi exoritur, iterum iterumque infans tangit hanc regionem; qua vero tacta, lacrymatur. Si morbus in capite situs est, infans conniventibus oculis caput sustentare haud valet; affectione morbosa autem in abdomine sita, infans, impetu urinae vexatus, sitit et deliquium animi patitur. A faecum et urinae impetu et decoloratione, a vomitu, inflatione et intestinorum crepitu, medicus in stomacho sita vitia, ubique vero sita vitia a vagitibus dignoscat.“

In his, sicut relatum est, mitis et non concidenda medica herba ex lactentis et nutricis lacteo et butyraceo alimento tribuere potest infanti, lacteum cibum et nutricis cibum edenti, adstrictum gustum ceterosque gustus, nec vero nutrici.

Ibi post mensem medicus cum lacte et aqua commixtam herbarum substantiam, quantam duae cavae manus usque ad digitorum nodos capere valent, praebeat; cum nucleo ex Zizyphi jujubae fructu commixtam oleosi sedimenti substantiam infanti, lacteum cibum edenti, cum Zizyphi jujubae fructu autem commixtam, cibum alium edenti, praebeat.

„Quorum morborum remedia medici praedicabunt, in his morbis ubera, oleosis illorum remediorum sedimentis oblita, infanti praebeantur. Per unum, duos aut tres dies in aëris, bilis et phlegmatis febre butyrum liquidum salubre est infanti lactenti, aliisque, prout res postulat. Neve prae sitis timore ibi ubera infanti praebeantur; medicus alvi purgationem, clysterem et vomitum adhibeat, ne vero modum excedat.

Cujus aër ob cerebri phthisin os palati incurvare potest, illi sitienti butyrum liquidum ex mellibus elixum in potionibus et inunctionibus adhibendum, aqua autem frigida est timenda.

Aëre inflatum etiam umbilicum morbidum, rostrum cognominatum, oleamentis vapores occidentibus, diaphoreticis et emplastris medicus sedare potest. In ani coctione vero curationem fel tollentem instituat. Collyrium praecipue in potionibus et linimentis salubre est.“

Infanti lactenti butyrum liquidum cum Sinapí alba, Acoro calamo,

Valeriana jatamensi, Asclepiade rosea, Achyranthe aspera, Asparago racemoso, Echite frutescente, Ruta graveolente, Pipere longo, Curcuma longa, Costo arabico et sale fossili paratum bibendum medicus praebeat; lacteum cibum edenti, cum Glycyrrhiza glabra, Acoro calamo, Pipere longo, Plumbagine zeylanica et tribus Myrobalanis paratum; cibum edenti, cum bis quinque radicibus (conf. tom. I. pag. 95), lacte, Tabernoemontana coronaria, Pinu Dévadáru, uvis et duplice Ruta graveolente paratum. Eo sanitas, robur, intellectus et longum aevum infantis oriuntur. Infantem rursus membris laetis prehendat; ne vero illi comminetur; subito ne expergefaciat prae metu horroris; subito ne capiat aut tollat; prae metu aërem etc. impediendi ne illum considere jubeat; prae metu claudicationis semper illum benevolus centum deliciis prosequatur. Sic inconcusso animo praeditus adolescit semper infans, alta mente instructus, non morbidus et valde propitio animo praeditus fit. Ab aëre, solis calore, fulgure, radiatione, arboribus, plantis reptantibus, vacuis aedibus, profundis locis, domuum umbris etc., fatalium morborum et daemoniacorum (Grahacorum) causâ, medicus infantem custodiat.

„Ne in impuro loco deponat infantem, neve in atmosphaera, ne in loco iniquo, ne in calore, vento, pluviis, pulvere, fumo et aqua. Lactibus addicto infanti lac caprinum aut etiam vaccinum praebeat usque ad lactis satietatem, infantium mensuram respiciendo."

Semestri infanti cibum comedendum det levem salubremque. Semper velamentis gavisus et a custodiis adservatus sit infans, prae timore morborum daemoniacorum. Studiose a daemoniacis (Grahacis) morbis custodiendi infantes sunt. Tum puer trepidat, timet, lacrymatur, deliquium animi patitur, unguibus et dentibus nutricem ac se ipsum circumagit, dentes frendet, indistincte loquitur, oscitat, supercilia vibrat, sursum conspiciat, spumam evomit, commorsis labiis affectus, saevus, diviso et crudo colore praeditus est, misere et tristius flet, noctu vigilat, infirmus et flaccido corpore instructus est, piscis, Soricis moschati et bubali odorem habet; sicut antea nutricis lac appetivit, sic non amplius appetit.

Generaliter dictum symptoma, daemoniaci morbi particeps, fusius in ultimo tractatu (Uttaratantra) edisseremus.

Vim finemque cum cognoverit, secundum tribum scientiam comprehendendam curet. Tum illi, viginti quinque annos nato, uxorem duodecim annos natam adducat. Sic paternam justitiam, opulentiam, amorem et progeniem adipiscitur.

„Mas sedecim annis minor si feminam viginti quinque annos natam sumit, embryo vexatur. Hic natus aut diu vivere non potest, aut infirmis sensibus instructus vivit. Propterea in femina modum excedente ne conceptionis caeremoniam instituendam curet."

In femina, aut aetate valde provecta, aut longinquis morbis oppressa,

aut aliis morbidis alienationibus affecta ne conceptionis caeremoniam instituat.

Viri quoque vitia hujusmodi oriuntur.

Porro, embryone causis antea dictis delapsuro, dolores uteri, lumborum, inguinum et abdominis oriuntur, et sanguis profluit. Ibi frigidis adspersionibus, lavationibus, illitibus etc. medicus ministret, lacteisque cum aqua coetis potionibus. In vacillatione embryonis iterum iterumque, illius retinendi causâ, lac cum saccharo etc. paratum bibendum curet.

Decidente embryone, inflammatio, laterum dorsique dolores, haemorrhagia, suppressio retentioque urinae exoriuntur; exque loco in locum femina transit; in utero et intestinis exsistit rabies. Ibi oleosae et refrigeratoriae curationes adhibendae sunt. In dolore aquam cum Wrightea antidysenterica, Phaseolo trilobo, Glycyrrhiza glabra, Flacourtia cataphracta et Flacourtia sapida paratam et cum Saccharo officinarum et melle commixtam bibendam curet; in retentione urinae cum Saccharo cylindrico etc. paratam; in suppressione urinae cum Asa foetida, Saurbbala, Allio sativo et Acoro calamo paratam.

Valde profluente sanguine, pulverem Costi arabici, Andropogonis serrati, domesticae terrae, Mimosae pudicae, floris de Grislea tomentosa, Jasmini arborescentis, rubricae, resinae de Shorea robusta et Amomi anthorhizae cum melle lingat femina pro dosi; vel Fici indicae etc. corticis et coralliorum contritum pulverem cum aqua ad bibendum medicus det, aut Nymphaeae caeruleae etc., Scirpive Kysoor, Trapae bispinosae et Nymphaeae nelumbonis sedimentum cum cocta aqua, aut cum decoctione fructuum Fici caricae et succosae Ari campanulati radices; aut cum sacchari officinarum et mellis dulcedine Oryzam sativam pulveratam; vel in Ficus indicae etc. sedimento tinctum panni frustum in vulvam ingerat. Sed in dolore sine apparente sanguine lac cum Glycyrrhiza glabra, Pinu Dévadáru et Asclepiade rosea paratum medicus bibendum det, lac quoque cum Oxalide, Asparago racemoso et Asclepiade rosea paratum, aut sic cum Solano jacquini, duabus Nymphaeis caeruleis, Andropogone racemoso, Echite frutescente, Asclepiade rosea et Glycyrrhiza glabra paratum. Ex celeriter aggresso dolore morbi exoriuntur et embryo etiam abit.

Edito embryone, cibum ex vaccino lacte, parato cum Ficu carica et Śalátú medicus det; emortuo autem embryone, ptisanis Paspali frumentacei etc., sale et oleo privandis, coquendo confectis, utatur tot dies, quot menses embryonis abierunt.

In doloribus abdominis alvique vetus saccharum cum Ligustico ajwaën compositum, aut spirituosum liquorem bibendum medicus curet. Post aëreorum phaenomenorum impetum in sensuum organa factum embryo solvitur. Hic ultra tempus commorans (in utero) interficitur; illam feminam miti

oleorum etc. methodo medicus curet. Cum ossifragae jusculo commixtam, valde mitem aquam oryzae fermentatam bibendam det.

Vel cum phaseolo radiato, Sesamo orientali, Aegle marmelo et Śaláťu parata orzae juscula fermentata comedat femina; ac mel et spiritum de Bassiae latifoliae floribus septem noctes bibat.

Ultra tempus commorante (in utero) embryone, femina praesertim cum Oryza sativa Bdellium pistillo conterat, aut in confragoso loco incedat et considat.

Aëri obnoxius embryo exsiccatur, matris abdomen non explet et paululum tantumodo se movet. Hunc nutrientibus lactibus et juribus carnis curet.

Semine virili et menstruis impletum, aëri abnoxium et vita desertum abdomen se inflat. Hoc, aliquando sponte sedatum, derivatione sublatum esse dicunt. Hoc etiam aliquando liquescens „anguium abdomen“ appellant. Ibi etiam, ut in colliquationibus, remediatio locum habet. —

„Porro mense majorem embryonem expositúri sumus.

Glycyrrhiza glabra, Tectouae graudis semen, Asclepias rosea et Pinus Dévadáru; — Oxalis (asmantasa), Sesamum orientale, Piper longum, Rubia manjista et Asparagus racemosus; — Hedysarum gangeticum, Asclepias rosea, Cardiospermum halicacabum et Echites frutescens; — Panicum dactylon, Echites frutescens, Mimosa octandra, Hibiscus mutabilis et Glycyrrhiza glabra; — cum Solano jacquini Gmelina arborea, Mimusopis Kauki calyces et cortices, ac butyrum clarificatum; — Hedysarum lagopodioides, Pavonia odorata, Morunga guilandina, Flacourtia cataphracta et Lycopodium imbricatum; — Trapa bispinosa, Nymphaeae odoratae fibrae, uvae, Scirpus Kysoor, Glycirrhiza glabra et Saccharum candidum.

Discipule! haec septem remedia sint semidistichis exposita. Sicut enumerata, sic adhibenda sunt in embryonis fluxu, cum lacte commixta.

Crataevam valangam, Solanum jacquini, Aeglen marmelon, Trichosanthen dioecam, Saccharum officinarum, Solanum nigd'hakám, radices cum lacte paratas bibendas det medicus mense octavo. Nono mense Glycyrrhizam glabram, Panicum dactylon, Asclepiadem roseam et Echiten frutescentem femina bibat. Lac cum zingiberi arido et asclepiade rosea paratum salubre esse potest decimo mense; aut cum lacte salubre est zingiber aridum, Glycyrrhiza glabra et Pinus Dévadáru.

Sic enim se movet embryo, horribilisque morbus cessat.“

Feminae, partum finientis, et rursus post sex annos parientis, infans brevi vita praeditus fit.

Porro gravidam in adflictione, a morbi ortu profecta, medicus vomere faciat; dulcaciditate, in cibis data, regulet eam: sedativum mite tribuat ei; in cibis et potionibus femina mitem vim, dulcedine plenam, embryonique

innoxiam, comedat; embryoni innoxias et quoad medicamina mitigativas curationes medicus adhibeat.

Sunt hic ślokae:

„Pulchre coloratus, bene confectus et contritus Costus arabicus, mel, butyrum clarificatum et Acorus calamus; — Asclepias acida, Andropogon aciculatus, mel, butyrum clarificatum et Bauhinia variegata; — Arkapushpi, mel, butyrum clarificatum, contrita Datura metel et Acorus calamus; — Hémachúrna, Kaiturya, saccharum candidum, Agrostis linearis, butyrum clarificatum et mel; — hi quatuor cibi, in quatuor semidistichis expositi, infantium corpus, intelligentiam et mentem augent." —

Sic in Suśruta, Áyurvédae doctrinam continente, tertius Liber, Somatologia (Śárírast'hána), peractus est. —

CHIKITSITAST'HÁNA.

ID EST

THERAPIA.

Caput I.

Nunc vero amborum vulnerum (vulneris et ulceris) therapiam expositurі sumus.

Duo ulcera exsistunt: a corpore ortum (ulcus) et adventicium (vulnus).

Ulcus a corpore ortum, aëre, bile, phlegmate, sanguine et trium humorum vitiis simul effectum est; adventicium vero vulnus ab hominibus, bestiis, avibus rapacibus, serpentibus, anguibus, lapsu, cruciatu, verberatione, igne, causticis, veneno, acribus medicamentis, loris, craniis, cornibus, telis, sagittis, securibus, hastis, lanceis, aliisque armis effectum est.

Haec ulcerum (et vulnerum) genera, propter duplicem eorum causam, originem, rationem et vehementiam, duplicem naturam habentia appellantur.

In omni vulnere adventicio prima curatio est sedatio ardoris, vulneri supervenientis; ut in bilioso statu, sic ibi frigidae curationis continuatio specialiter praescribitur, vulnerisque deligatio cum melle et butyro clarificato. Haec vero posterior curatio, duplicem ulcerum causam, originem et rationem respiciens, ob corruptorum humorum impetus differentiam, corporis sanatio est. —

Corruptorum humorum impetus differentiae breviter quindecim sunt, secundum ulceris progressum et vehementiam dictae; sed ulceris inquisitione adjectâ, purificandi causâ, sedecim sunt, ut quidam dicunt. —

Vulneris signum duplex est, generale et speciale. Ibi generale signum est laesio; vulnus a corporis dilaceratione vulnerante sic dictum est Speciale vero signum est differentia qualitatis in aëre et ceteris humoribus. —

Porro ulcus fusco, furvo colore praeditum, tenue, frigidum, mucosum, exigue profluens, durum, perforatis viis instructum, parvis tumoribus, tensionibus, vexationibus, fissuris, doloribus affectum, ab aëre ortum est. —

Ulcus celeriter ortum, flavido, nigro, Buteae frondosae succi colore praeditum, calide profluens, ardore, coctione, pigmento corruptum, flavidum, tumore vexatum, a bile ortum est.

4*

Ulcus valde extensum, calidum et pruritivum, turgidum, solidum, durum, a vasis et tendinibus ortum, amplum, expansum, densum, flavido colore, soporato dolore, albo, frigido, crasso mucosoque, profluvio instructum et grave, a phlegmate ortum est. —

Ulcus, coralliorum surculorum congeriei simile, nigrum, divulsum, tumoribus et excavationibus refertum, equilis odore praeditum, dolorosum, fumario simile, sanguinis profluvio instructum, bilisque indolem habens, a sanguine ortum est. —

Ulcus dolorosum, urens, fumario simile, flavido fuscoque colore praeditum et ejusdem coloris profluvia habens, ab aëre simul et bile ortum est. —

Ulcus pruritivum, dolorosum, horribile, iterum iterumque frigido mucosoque profluvio affectum, ab aëre simul et phlegmate ortum est. —

Ulcus grave, urens, calidum, flavidum, subpallido effluvio praeditum, a bile simul et phlegmate ortum est. —

Ulcus asperum, tenue, multis doloribus affectum, soporatum, rubrum, fuscum et ejusdem coloris profluvia habens, ab aëre simul et sanguine ortum est. —

Ulcus, sicut Kákolí coloratum et sicut aqua ex piscis purgatione odorem habens, molle, extensum, calido nigroque effluvio praeditum, a bile simul et sanguine ortum est. —

Ulcus rubrum, grave, mucosum, pruritivum, durum, rubro pallidoque effluvio affectum, a phlegmate simul et sanguine ortum est. —

Ulcus tremens, dolorosum, urens, fumario simile, flavido, tenui et rubro effluvio praeditum, ab aëre simul et bile sanguineque ortum est. —

Ulcus pruritivum, tremens, murium cavernis simile, pallido, spisso rubroque profluvio praeditum, ab aëre simul et phlegmate sanguineque ortum est. —

Ulcus urens, coctum, tinctum, pruritivum, pallido, spisso rubroque profluvio praeditum, a phlegmate simul et bile sanguineque ortum est. —

Ulcus triplici colore, dolore, profluvio praeditum, ab aëre simul et bile phlegmateque ortum est. —

Ulcus comburens, agitatum, tremens, dolorosum, combustum, coctum, tinctum, pruritivum, multo sopore, variis coloribus, doloribus et profluviis praeditum, ab aëre simul et bile phlegmateque et sanguine ortum est. —

Ulcus, ut linguae dorsum coloratum, molle, unguinosum, lene, doloris expers, bene collocatum et sine profluvio, vitiis vacuum est. —

Ulcerum (vulnerumque) sexaginta medelae exsistunt, hoc modo: jejunium, illitus, adspersio, inunctio, sudatio, mollimentum, emplastrum, decoctum, derivatio, oleamentum, vomitus, evacuatio, incisio, exsectio, dissectio, scarificatio, exploratio, extractio, punctio, effluvium, suturarum confectio,

reunio, compressio, sanguinis cohibitio, sanguinis missio, fomentum, infusum, collyrium, sedimentum oleosum, butyrum clarificatum, oleum Sesami orientalis, liquor, pulvis, ulceris suffitio, adlevatio, decrementum, mollitiae effectio, dilaceratio, cauterium potentiale, cauterium actuale, denigratio, palloris et cicatricis effectio, pilorum ortus, pilorum demtio, clyster, deligatio, foliorum impositio, vermium deletio, nutrimentum, antidotum, capitis purgatio, nasi purgatio, stomatices retentio, fumigium, mel butyrumque clarificatum, instrumenta, victus, custodiens praeceptum. —

In his infusio, turunda, sedimentum oleosum, butyrum clarificatum, oleum Sesami orientalis et purulentationis contractio sunt sordes delentia. —

In his octo instrumentorum operationes: sanguinis cohibitio, causterisatio, cauterisatio, apparatus, amotio, conservationis comparatio, adligationis applicatio indicata sunt. —

Oleamentum, sudationem, vomitum, evacuationem abdominis, superioris abdominis et capitis purgationem, nasi purgationem, fumigationem et ciborum tributio alibi explicabimus.

Quae alia relicta est medelarum classis, ea hoc loco explicatur.

Sextuplex antea demonstratus est tumor; hujus vero undecim curationes sunt, a jejunio incipientes et cum evacuatione finientes. Haec praecipue tumorum remedia sunt.

Ulcus nacti hominis etiam medelae non praecluduntur. Frequenter enim ulcerum sanationem efficiunt.

Haec a jejunio incipiens medela omnibus tumoribus communis et praestantissima est.

„Corruptorum humorum in homine, corruptis humoribus instructo, domandorum causâ, respectis humoralibus vitiis et vi vitali, instituendum est jejunium; sed hominibus aëre surgente, siti, sternutatione, oris siccitate et lassitudine vexatis, gravidatis, senibus, infantibus, infirmis et timidis non instituendum est. —

Tumoribus, ulceribus durisque morbis exortis, medicus ex propriis medicamentis compositum linimentum faciat. Sicut, incensâ domo, aquae adspersio subita domat ignem, sic illitus morbum. Sic etiam in oblectatione, purgatione, tumoris exstirpatione, purificatione et perturbatione illitus adhibeatur; hoc enim utilitatem adfert.“

In aëris organici tumore autem, dolorem sedandorum causâ, medicus, butyro clarificato, oleo Sesami orientalis, aquâ oryzae fermentatae, jusculo carnis aëremque tollentibus herbis decoctis, non frigidis, adspersiones faciat. —

In bilis, sanguinis, percussionis et veneficii symptomatibus medicus lacte, butyro clarificato, melle, aqua sacchari officinarum saccharique rudis,

Mad'hurâ (Jívaca), herbis medicatis et Ficu glomerata decoctis, non calidis, adspersiones faciat. —

In phlegmatis tumore autem medicus oleo Sesami orientalis, urinâ lixivio, liquore spirituoso, aceto et herbis phlegma occidentibus decoctis, non frigidis, adspersionem faciat. —

„Sicut aquis irrigatus ignis sedationem dat, sic humorum corruptorum ignis adspersione cito cessat.“

Inunctio vero, in humorum corruptorum serie utilis, sedationem mitigationemque facit.

„Ante sudationem, mollimentum et subsequentes operationes haec inunctio indicatur; deinde illa etiam in derivatione et subsequentibus operationibus demonstrata est. Morbosis, horribilibus similiterque duris tumoribus sudatio adhibenda est, illisque ulceribus, quae talem habent indolem. —

Fixis morbis paululum adhibendum est mollimentum. Medicus doctus, cum inunxerit sudoremque moverit, vel Bambusâ arundinacea, vel palmâ manus, vel pollice tardius abstergat. —

Tumoribus duobus autem emplastrum medicus adhibeat, crudis et perustis. Tumor non perustus mitigationem adit; perustus autem maturitatem adit. —

Qui tumor non cessat, purgatione aliisque medicaminibus adhibitis, medicus huic faciat decoctum, adsumendo herbas, cum lacte coagulato, lacte ebutyrato, liquore spirituoso, aceto et aqua oryzae fermentata mixtas. Mitia cum medicus salsa effecerit, coquat Utkárikam salubrem, et calido Sairańdi folio tumorem colliget. Commodum etiam alimentum est, si tumor maturitati proximus est, doloris sedandi et coctionis cohibendae causâ. Tumore elato, statim instituat medicus missionem sanguinis. —

Tumido, duro, livido, rubro, doloroso, furente, iniquo et venenato ulcere (vulnere) orto, derivatio salubris est, praesertim hirudinibus et motionibus, doloris sedandi et coctionis refraenandi causâ. —

Symptomatibus asperis, emaciantibus et ulcus (vulnus) exsiccantibus, oleamenti potio, propriis herbis medicatis parata, praebetur. —

Ulceri (vulnerique), carne degenerata tumido, pituitoso, praesertim sanguinem vexatum et lividum habenti, salubris est vomitus. —

In ulceribus, aëre bileque corruptis, longo tempore retentis, ulcerum gnari indicant evacuationem. —

In immaturis morbis, duris, fixis, tendinum inflammationibus etc. incisio apta dicitur. —

In morbis intus suppurantibus et orificii expertibus, fixis et mobilibus, exsectio apta dicitur. —

Infantium, senum, infirmorum, emaciatorum, timidorum virorum et feminarum morbis circa articulationes ortis dissectio indicata est. Tumore

valde cocto, accumulato, doloribus cruciato, humoribus corruptis et coctione elevatis, haec dissectio instituenda est medico discernenti.

Medicus indurata, rassa facta, saepiusque dissilentia labia et induratas sublatasque carnes curet scarificatione per instrumenta bene secantia, aut per vitrum. Similiter scarificet bene scarificatum, scarificetque indesinenter; palpebram apto cultro similiter scarificet. Linteum, pannum, crioxylon, os sepiae, nitrum cum sale fossili, aspera folia in scarificationis operatione praeberi jubeat. —

Fistulosa ulcera, sagittas embryonesque alte adhaerentes, surculis, pilis, digitis aut specillo medicus lente exploret. Oculos, palpebras, ano proximas fistulas inapertas, sanguinolentas, a Marsilia dendata et Basella rubra ortis mollibus surculis exploret. —

Ex opertis et inopertis vulneribus sapiens medicus, sicut dictum, extrahat sagittam, extractionis signa nactam. —

In morbo, punctionibus curabili, sicut explicatum est, scienter cultrum medicus demittat, — humorumque vitium effluendum, ut limum, curet. —

Quae (vulnera) immature destillant, in carne versantur inopertaque sunt in his, sicut dictum est, sutura reunioque efficiendae sunt. —

Vulnera (et ulcera) in parte interiori purulenta, exiguis oris praedita et organa vitalia aggredientia, compressionis instrumentis, sicut dictum est, medicus undique circum comprimat. Exsiccescere videre potest purulentiam compressione; neque vero coram illinat; sic enim humorum vitium humectatur. His causis multipliciter cruore valde profluente, efficienda est medico, sicut dictum est, sanguinis cohibitio. —

Urentibus, coquentibus, febricitantibus vulneribus (ulceribus), sanguineque superatis, ut in biliosa irritatione, instituenda est sanguinis missio. Ex dictis refrigeratoriis substantiis, aquâ contritis, butyroque clarificato humectatis, illinat unguenta pauca, perfrigidaque ingerat. —

Vulneribus (et ulceribus), emaciatâ carne instructis, tenuiter fluentibus crudis, dolore, induratione, asperitate, arthritide tremoreque praeditis, ex medicamentorum classe vapores pellente, ex acidorum turba, pariterque ex turba medicamentorum a Kákolí incipiente, exque oleosis seminibus, medicus coquat fomentum salubre. —

Ulcerum (et vulnerum) stabilium, dolorosorum, male olentium, humidorum fluidorumque praesertim sudatio efficienda est. — Infusis purgatoriis, prius prolatis, alvi purgatio efficienda est. —

Vulnera (et ulcera), interioribus sagittis instructa, exiguis hiatibus praedita, profunda, carne exuberantia, collyriis, conjunctis cum purgantibus substantiis, ordinatim, foetidisque carnibus tecta, et magnis humorum vitiis corrupta, medicus purget. — Collyrii substantiis, ex oleoso sedimento

apte paratis, supradictis, et purgativo butyro, mixto cum Gossypii fructibus, medicus devincat vulnera (ulcera) felle corrupta, profunda, ustione et coctione vexantia. —

Destructis carnibus praedita, immitia, pariterque parce effluentia vulnera (et ulcera) sapiens medicus purget oleo Sesami orientalis, commixto cum Sinapis dichotomae oleo. —

Vulnerum (et ulcerum) oleo Sesami orientalis non purgabilium, purgandorum, duraque carne instructorum liquorem conficiat medicus ex substantiis ante dictis. Infusione ex his ad normam factâ, misceat iterum terram fragrantem cum Vitriolo Martis, addatque etiam Arsenicum rubrum flavumque; sapiens medicus tum illum liquorem praeparet. Hic liquor, citri succo praeditus, cum melle contritus, inditus vulneribus, in his postea perstet triduum. —

Profunda, telis cellulosis corrupta et male olentia vulnera (et ulcera) medicus doctus pulveratis purgaminibus, mitibus, paratis cum expurgantibus collyriis, curet. Vulneribus purificato signo praeditis, infusum mixtum salubre est, ibi medico sapienti parandum ex substantiis jam demonstratis. Indoloribus, puris, profundisque vulneribus (et ulceribus) salubria sunt mixta collyria, ex mixtorum collyriorum corporibus confecta. —

Vulneribus, foetida carne liberatis, in carne collocatis, non crescentibus, sedimentum oleosum vegetabile conficiendum est, paratum ex Sesamo orientali, mixtumque cum melle. Hoc sedimentum dulcedine, pariterque acritudine et lenitate aërem pellit; adstrictionis indole autem, dulcedine et amaritudine bilem tollit; acritudine, adstrictionis indole et amaritudine bili salubre est; purificare et erigere potest, compositum cum purificantibus mixturis; cum Meliae azidaractae foliis autem et mellibus compositum, purgativum aestimatum est; cum antecedentibus et butyro clarificato compositum vegetare potest.

Sesami orientalis instar sedimentum Hordei hexastichi quidam docti memorant. Domare etiam immite ulcus (et vulnus), mite vero maturare, maturatum dirumpere, diruptum purificare pariterque vegetare potest. —

Bile, sanguine venenoque orta et profunda ulcera per conficiendum butyrum, lacte paratum, medicus vegetet. — Phlegmate aëreque oppressis ulceribus sapiens medicus oleum Sesami orientalis adhibeat, mixtum cum medicamentis jam dictis. — Non deligandis, tremulis, puris, sed corrumpentibus ulceribus, vegetandi causâ, liquorem cum duabus Curcumis longis compositum, medicus paret. Aequalibus, dura carne instructis et in cute sitis ulceribus medicus doctus vegetantem pulverem ad normam priori loco dictam adhibeat. Purgativa et etiam vegetans quae sit methodus, ea indicata est in universa omnium vulnerum (ulcerum) ratione. Neque vero exposita est methodus secundum corruptorum humorum differentiam; ea enim ex sacrae

doctrinae demonstratione pariterque ex fructuum specie rite efficienda, neque vero excogitanda est ullo modo. Sed proprio consilio medicus regulariter discernat in adstringentibus et ceteris gustibus medicamenta, quae indicata sunt antea a me. —

Primae duae classes, pertinentes ad quinas radices (tom. I. pag. 95.), turba (medicamentorum) est, quae aërem delet. Haec, aëre corrupto, danda est in adstringentibus et ceteris septem gustibus. — A Ficu indica incipiens medicamentorum classis, et quae a Kákolí incipiens commemorata est, illae duae, bile corrupta, dandae sunt in adstringentibus et ceteris septem gustibus. — A Cassia fistula incipiens classis et quae ad Piper nigrum pertinens demonstrata est, illae duae, phlegmate corrupto, dandae sunt. Omni humore corrupto, compositae medicamentorum classes dandae sunt. —

Vulnera (et ulcera) aëre repleta, horrifice morbida dolorosaque Lino usitatissimo, Hordeo hexasticho, butyro clarificato et suffimenti speciebus medicus suffiat. —

Exsiccata atque exigua carne instructis atque profundis vulneribus (et ulceribus) adhibeat medicus adlevantes, cum butyro clarificato paratos, illitus. Carnivororum animalium carnes ad regulam homo comedat. Pura mente praediti hominis caro carne crescit. —

Ulcerum (et vulnerum) adlevata mollique carne praeditorum decrementum medicus efficiat substantiis jam demonstratis, cum melle contritis. —

Ulceribus induratis, carnis expertibus, aëre corruptis, molliens curatio adhibenda est. Medicus sanguinem mittat, et oleamenta, cum medicaminibus aërem tollentibus mixta, et adspersiones faciat. —

In ulceribus, molli carne instructis, dilaceratio salubris est. Grisleae tomentosae, Panici italici, Jonesiae Aśókae, et Asclepiadis acidae cortices, tres myrobalanos, flores Grisleae tomentosae, resinam Symploci racemosae et Shoreae robustae, singulorum partes aequales subtiliter conterat et ulcus his conspergat. —

Ulcera (et vulnera) carne supercrescente intructa, dura, pruritiva, diu exorta, sic etiam valde impura medicus purget cauterio potentiali. —

Fluentia, calculosae urinae instar, in articulis fissis vulnera (et ulcera) medicus cauterio actuali perficiat. —

Propterea, quod alba ulcera sanatu difficilia sunt, denigratio locum habere potest. Semicarpum anacardium medicus maceret in aqua, prius cum urinâ mixtum; bipartito cum dissecaverit, in ferreum vas condat. Sed vasi alteri infosso illud vas tum adjungat medicus, orificium orificio admovens; deinceps vaccinis stercoribus calefaciat. Quod oleum egreditur, id medicus ex illo vase tarde eximat. Porcorum bubalorumque ungulas combustas efficiat sutilem pulverem, et cum hoc oleo mixtum albo ulceri (vulnerique) illinat. — Ex Semicarpi anacardii formula essentias oleosas medicus conficiat;

et quorumcunque oleorum, ex fructibus parandorum, formula in illis constituta est. —

Propterea, quod fusca ulcera (vulneraque) sanatu difficilia sunt, palloris effectio utilis esse potest. Per septem noctes (et dies) in lacte caprino tinctus Asclepiadis acidae fructus, cum hoc lacte contritus, pertenuis et concolor factus, utilis est. Recentem cranii, Calami fasciculati, Shoreae robustae, Vitrioli Martis, et Glycyrrhizae glabrae pulverem cum melle mixtum illinat. Carne supercrescente, imbuat urinâ caprina Crataevam valangam, Vitriolum Martis, Convolvulum turpethum album, Vitriolum caeruleum, Arsenicum flavum, Arsenicum rubrum, Bambusae arundinaceae folia, Cassiae torae collyrium; id per mensem sub gramine in terra deponi medicus jubeat; deinde post mensem eo lividum ulcus inungat. —

Testas gallinaceorum ovorum, Strychnum potatorum, Glycyrrhizam glabram atque pulverem maritimae Rubiae manjistae et gemmarum dari jubeat. Pilulae ex his confectae et cum urina contritae ulcera (vulnera) cicatricant. —

Raphanum sativum et caulem Nyctanthae tristis medicus redigat in praecipuum collyrium, quo pili oriuntur, manuum palmis illito. Quadrupedum animalium corii, pilorum, ungularum, cornuum et ossium cinere, cum oleo Sesami orientalis commixto et contrito, locus iterum fit pilosus. Vitriolum Martis, Galedupae arboreae summitates etiam recipiat, quae, cum Crataevae valangae infusione contrita, pilorum incrementum eximium efficiunt. Pilis obductum ulcus (vulnus) non omnino recrudescit. —

Novaculâ, forfice et forcipe pilos demat. Concharum pulveris partes duae, arsenicumque flavum divisum, cum aceto contrita, optimum pilos destruens medicamen est. Oleum Semicarpi anacardii et Euphorbiae antiquorum lac, a docto medico uniter recepta, optimum pilos destruens medicamen est. Ex Musa paradisiaca et Bignonina indica cineream potassam aut Mimusae sumae semen, in frigida aqua contritum, pilos destruens medicamen adhibeat. Domestici Alligatoris gangetici caudam, Bambusae arundinaceae et Terminaliae catappae semina medicus comburat; horum cinis, oleum et aqua, sole concocta, pilorum mortem efficiunt. —

Si aëre corruptum est ulcus, asperum et ultra modum dolorosum, in inferiori corporis parte praesertim, clyster applicatur. In ulcere, urinae suppressione, urinae et seminis virilis corruptione, calculis et menstruorum corruptione affecto, superior clyster quoque salubris est. —

Quia purificatur adligatione ulcus (et vulnus) aditque mollitudinem et fit informidatum, idcirco adligatio eligitur. —

Ulceribus induratis, exili carne praeditis et ob asperitatem non coalescentibus, folia superimponenda sunt, pro humorum vitio et anni tempore. Ulceribus ab aëre ortis, Ricini communis, B'huryyae, Caesalpiniae bon-

ducellae, Curcumae longae, Sacchari spontanei et Gmelinae arboreae folia; ulceribus vero sanguine et bile corruptis, folia Ficus glomeratae aquosa superdet medicus expertus. Cysampeli hexandrae, Sansevierae zeylanicae, Menispermi cordifolii, Solani indici, Curcumae longae et Bignoniae indicae folia adhibeat, ulceribus phlegmate affectis. Tenerum, inhumectum, expers maeroris, recentius, ab insectis non arrosum mitteque folium praecipuum dicitur.

Folium, circumdatis ligamentis subditum, quod non corrumpit oleamenta medicamentorumque succos, medicus super unguentum imponat. Frigoris aut caloris producendi et oleamenti continendi causâ, remediis datis, folium superdandum est medico sapienti. —

Quando muscae in ulcere (vulnereque) deponunt vermes, tumor in epulato homine ab his oritur perquam terribilis. Vehementes morbi variaque sanguinis profluvia oriuntur. Anethum sowa etc, salubria sunt ibi in pleno (sanguinis) cursu. Echites scholaris, Galedupae arboreae, Asclepiadis giganteae, Meliae azidaractae et Bauhiniae latifoliae cortices, cum vaccina urina contriti, salubres sunt, aut adspersio kali diluti. Medicus cum texerit ulcus (vulnus) frusto carnis, vermes ex ulcere (vulnere) excipiat. Viginti vermium species praeterea indicabo particulatim. —

Hominibus longum tempus aegrotantibus et ulcere (vulnereque) exsiccatis nutriens methodus universa adhibenda est a medico, corporis ignem conservaturo.

Veneno laesi hominis diagnosin, venenorumque dijudicationem et curationem particulatim exponam in libro de antidotis (Kalpast'hána).

Si sunt prurientia et tumida super claviculam ulcera, in his capitis purgationem gnarus medicus exhibeat. —

Si sunt dolorosa, aëre affecta, aspera et super claviculam, in his medico dignoscenti efficienda est nasi purgatio, corruptorum humorum eluendorum, morbosique caloris delendi causâ. —

In lingua et dentibus collocati excrementi amovendi causâ, stomatice ulceris in ore orti purgativa et vegetans, vel calida frigidave, desideratur. —

A clavicula sursum adscendentes morbos et ulcera, a phlegmate et aëre orta, cum tumoribus et profluviis morbosis complicata, fumi haustibus medicus curet. —

Ulcerum caloris cohibendi et ulcerum deligandorum causâ, statim in ulceribus mel et butyrum clarificatum adhibentur. —

Quae vulnera immersa, exiguis oris instructa, sagittis vexata et sine manu a sagittis liberanda sunt, in illis instrumenta adhibentur. —

Modicum, levem, mitem, calidum, ignis more clarum victum omnibus vulneratis (ulcerosisque) medicus semper praebeat. —

A Noctambulis (Rakshasis) vulnere (ulcere) aegrotans semper

custodiendus est custodientibus praeceptis jam expositis, religiosisque obligationibus et observantiis. —

Ulcus (vulnus) sextuplicem originem octuplicemque circumplexum habens, et quinque signis conspicuum, sexaginta medendi rationibus demonstratum est, et quatuor sanatur. —

Si ex paucis medicamentis remedium factum est a me, multas compositiones timente, ibi talium substantiarum textura non corrumpitur, sive mixta appellata, sive difficilia ad adipiscendum medicamenta continens.

Sicut accessio (paroxysmus), sic ibi etiam therapia instituenda est. Quae materia, in sua classe exposita, ulceri (vulneri) non utilis esse potest, eam amoveat medicus, et utilem, quamvis non dictam, applicet. Symptomata duplicia sunt, vulneris et vulnerati hominis. Ibi odor etc. quinque vulneris (ulcerisque) symptomata commemorata sunt. Febris, diarrhoea, deliquium animi, singultus, vomitus, cibi fastidium, suspirium, tussis, indigestio et sitis sunt vulnerati (ulcerosi) symptomata. —

Vulnerum curationes, sic celeriter expositas, denuo extensius exponam in recentium vulnerum therapia."

Caput II.

Nunc vero vulnerum (ulcerumque) recentiorum therapiam exposituri sumus.

„D'hanvantaris, justitiam sustinentium excellentissimus, linguarum peritus, Viśvámitrae filium, Rĭshem, discipulum Suśrutam edocuit:

Quae vulnera, ob cultros variis aciebus mucronibusque instructos et variis locis infixos, varias habent formas, eorum signa expositurus sum. —

Vulnera longa, quatuor aut tribus aciebus inflicta, orbicularia, dimidiae lunae similia, lata, curva, in medio profunda et ibi magnitudinem grani hordei quae habent, adventicia, aut ab humoribus corruptis orta, spontanea, fissa, nec vero a medico effecta sunt. —

Medicus, vulnerum specierum gnarus, in errorem non inducitur, si vulnera valde turpes visu formas habent et destructa sunt. Variis speciebus praeditum vulnus (ulcus), hoc adventicium, a medicis antiquissimis breviter, quoad signa, sextuplex relatum est: dissectum, fissum, perforatum, inflictum, caesum et contusum dicunt. Horum signa expositurus sum. — Vulnus obliquum, aut sicut filum rectum, longum esse potest. — Membri abscissio dissectum vulnus monstrat. — Hastae, lanceae, ensis acinacisque cuspide, cornicibus etc. ictus locus paululum profluit. Hoc autem vulnus fissum appellatur. Sedes cruditatis, digestionis et coctionis, urinae et

sanguinis, stomachus, pulmo, extaque referuntur. In hoc vulnere fisso, sanguinis pleno, calor et aestus nascuntur. Ex urinae via, ano, ore et naso sanguis effluit. Animi deliquium, anhelitum, sitim, inflationem, indigestionem, incuriam etiam propositi, stercoris, urinae et vaporum accumulationem, sudoris fluxum, oculorum ruborem, sanguinis odorem ex ore, malum corporis odorem, cordis laterumque dolorem praecipue ex me audi!

Sanguine in eruditatis sede accumulato, cruorem iterum iterumque evomit (vulneratus), anhelitus, ultra modum dolor et vehemens horror adsunt; sanguine autem coctionis sedem ingresso, dolores et gravitas, frigus quoque infra umbilicum, aëris sanguinisque accessio; in sede intestinorum non fissa, intestinorum expletio aëribus tenuibus, et gravitas, sicut in vase clauso, conspiciuntur. —

Illud membrum, quod sagittâ, mucrone tenui praeditâ, ictum, extra sedem suam excussum egressumque est, perforatum medicus demonstret. —

Membrum magnum et osseum, quod pugnis et cruciatu caesum est, medullâ et sanguine circumfusum cognoscat. — Sin contusione aut alio modo membrum cute privatum et profluvio affectum est, id contusum medicus demonstret. — Membro dissecto, fisso, perforato aut inflicto, sanguis profluere potest. Ex sanguinis inanitate morbum vehementem ibi efficit aër. Olei potus ibi saluber, olei inunctio autem insalubris est. Ex condimentis (de Pipere nigro, caryophyllis et macide) cum massis (de lacte, Sesamo orientali et Oryza sativa) valde mitibus emplastrum, vaporem Oryzae sativae et mitia linimenta medicus faciat. Olea, ex herbis aërem tollentibus parata, abdomini ingeruntur. — Membro contuso et fricto, non valde profluit sanguis. Accedit in illud membrum aestus vehemens, coctioque oritur. Ibi caloris, aestus pariter et coctionis cohibendae causâ, frigidum linimentum adhibendum est adspersioque refrigeratoria. —

Ex his sex expositis, a dissecto membro incipientibus, vulneribus, breviter cognoscenda est omnis oblata recentis vulneris therapia. —

Protenus exsequar dissectorum membrorum therapiam.

Quae vulnera hiulca, quaeve capiti lateribusque inflicta sunt, ea medicus suat ex praescripto dicto, deligetque magnopere. —

Aurem a sede sua avulsam cum medicus adjunxerit, suat, sicut dictum est; oleoque Sesami orientalis profluvium placandum est. Cervicis fine dissecto, ventoque flante simul ingresso, medicus deliget suatque, nulla dans intervalla, et butyro oleoso butyroque clarificato adspersionem faciat. Aegrotus supinus cibum comedat et jaceat bene vinctus. — Brachiis imposita, oblique inflicta et valde hiulca vulnera omnino suat medicus, adducens celeriter artuum ossa ex ordine; cum deligaverit celeriter herbâ Véllitakâ, tum oleo Sesami orientalis adspergat. Cortice vincturae apto facienda est adligatio, quaeve salubris est. —

Cujus vero vulnus in dorso est, eum supinum jacere medicus jubeat; aliter vero hominem jacere jubeat, orto vulnere in pectore. —

Dissecta omnino brachia eum medicus sapiens usserit oleo Sesami orientalis, deliget vaginali ligamento; propriumque coalescendi medicamentum efficiendum est. Sirium myrtifolium, Nelumbium speciosum, Symplocos racemosa, Nymphaea caerulea, Panicum italicum, Curcuma longa, Glycyrrhiza glabra et lac octavum remedium. Cum his concoctum oleum Sesami orientalis praestantissimum vulneris remedium est.

Sirium myrtifolium, Momordica myxa,| sustinens Valeriana jatamensis et Menispermum cordifolium, Pisa sativa, Andropogon muricatus, tres myrobalani, Nelumbium speciosum, Nymphaea caerulea, tredecim membris instructus Convolvulus turpethum album; id cum lacte mixtum et cum oleo Sesami orientalis concoctum adspergendo vulneri aptum remedium est. —

Porro expositurus sum fissorum membrorum therapiam.

Fissus oculus incurabilis est; qui vero haud fissus prolabitur, eum, nervo optico imperfosso, reponens suo loco medicus lente reprimat manu, simulque exteriori folii Nelumbii speciosi latere. Deinde ejus exhilaratio efficienda est de nare per butyrum liquefactum. Butyrum oleosum, butyrum liquefactum, Mimusopis Kauki folium, Glycyrrhizam glabram, Nymphaeam caeruleam, Bryoniam grandem et Carpopogonem prurientem cum medicus contriverit, butyrum liquefactum concoquat. Toto autem oculo eliso, butyrum hoc liquefactum comprobatur. —

Ex cujus hominis abdomine quasi turunda telae cellulosae egressa est, eam, adstringente cinere et terra tectam, liget ex praescripto medicus, praescriptorum gnarus, scalpello excandefacto resecet et melle illitum vulnus deliget. Cibo bene digesto, butyri liquefacti potio optatur. Praeter oleosum potum etiam lactis potio datur, cum saccharo officinali, Glycyrrhizâ glabra, lacca, Flacourtia cataphracta, Salvinia cucullata commixta, dolorem aestumque delens. Tumor, aut mors, aut cruciatus oritur ab illa turunda non resecta. Quod oleum in nodo telae cellulosae indicatur, id medicus adhibeat. Sagitta, cutem transeundo, vasa etc. aut findendo, aut auferendo in intestinum penetrata, symptomata dicta efficere potest. Ibi aegrotum intus sanguinantem, pallidum, frigidis pedibus, manibus et facie laborantem, frigida respiratione praeditum, rubros oculos habentem et vinctum medicus relinquat. Sanguine in cruditatis sede versato, emeticum accomodatum esse dicitur; sanguine in coctionis sede sito, dandum est medicamentum purgatorium sine ulla dubitatione. Compositio olei expers facienda est ex calidis purgatoriis medicaminibus. Cibum ex hordei hexastichi, Zizyphi jujubae et Dolichi biflori jusculo, olei experte, sumat, aut ptisanarium oryzae fermentatum, sale fossili conditum, bibat. Vehemente sanguinis profluvio laborans, aut intestinis fissis laborans, bibat sanguinem.

Cujus hominis faeces, urina et vapores suas vias ingressa sunt, ille, intestino quamvis fissò, vivere potest, symptomatum morbosorum expers. Haud fissum intestinum prolapsum reponendum est, ne quid mali accidat. Intestinum etiam a formicae magnae capite devoratum esse quidam dicunt. Cum intestinum, graminibus, sanguine et pulvere pollutum, medicus lacte laverit, id butyro clarificato illitum sensim sensimque reponat, unguibus resectis. Reponat lacte madefactum siccum intestinum, butyro clarificato humectatum, digito; inquirat oram et aqua tremefaciat. Viri magna vi praediti tum manibus pedibusque prehendant et erigant vulneratum, et, ut fiat intus repositio, eum concutiant. Hoc modo intestina intrant et intus suas portiones reprimunt. Propterea quod vulneris magnitudine aut parvitate difficilis repositio fit, medicus illuminatus dijudicans intestinum reponat.

Intestino in suam sedem diducto, vulnus suat medicus haud cunctanter A sua sede digressum aut etiam convolutum intestinum spiritus vitales eripit. Hoc autem reposito, cum ligamento addat adspersionem butyri liquefacti. Butyrum liquefactum, jucunde calidum, vulneratus bibat, cum oleo Salviniae cucullatae commixtum. Emolliendi causâ stercoris et aëris dejectiones deorsum fiant; deinde oleum illud medicus conficiat, vulneris vegetandi causâ. Cortices Shoreae robustae et Grisleae tomentosae, Morungae hyperantherae et Asclepiadis geminatae, Boswelliae thuriferae et Terminaliae alatae glabrae, Convolvuli paniculati, Mimusopis Kauki, pariterque efficaces radices recipiens, oleum ex his coquat. Vulnus erigat eo oleo, et per annuum spatium operam det. —

Pedes et oculos hominis, a prolapsis testiculis laborantis, aquâ conspergat medicus; testiculos tum reponat; ne vero acu suat ulterius. Applicanda est comprimens ligatura, in lumbum inserto retinaculo. Ne fiat olei adspersio; hac enim vulnus madescit. Ex Gummi Benzoës, Aquilaria ovata, Elettaria cardamomo, Myristica moschata, Sirio myrtifolio et Nelumbio specioso, arsenico, Curcuma zanthorrhiza, Menispermo cordifolio oleum conficiat glutinativum.

Extractâ capitis sagittâ, turundam e pilis factam medicus immittat. Turunda haud applicatâ, cerebrum ex vulnere prodit. Occidere potest cerebrum aër; idcirco sic negotium persequatur medicus. Vulnere coëunte, singulos pilos tarde eximat. —

Sagittâ ex alio membro erepta, torundam, in oleo Sesami orientalis tinctam, immittat. Sanguine suppresso, methodus, ut in recentiore vulnere, salubris est. —

Longinqua, submersa et angusta quae sunt vulnera, ea medicus cum exsanguia fecerit tenui radicula, oleo Sesami orientalis mitiget. Mimosam pudicam, Indigoferam tinctoriam, Hibiscum mutabilem, tres myrobalanos, Vitriolum caeruleum, Embeliam ribem, Wrighteam antidysentericam, Termi-

naliam chebulam, Menispermum cordifolium simul cum Galedupa arborea recipiat medicus, et coquat tempore oleum glutinativum praestantissimum. Flacourtia cataphracta, Nelumbium speciosum, Valeriana jatamensi, Pisum sativum, Aquilaria ovata, Sirium myrtifolium, Curcumae ambae, Nelumbii speciosi semina, Andropogon muricatus et Glycyrrhiza glabra, cum illis cocta, in recentioribus vulneribus fit oleum dictum glutinativum praestantissimum. —

Vulnere inflicto, plagarum curandarum ratio obtinenda est; vulnere caeso, fracturarum curandarum ratio. — Contusione effectâ, medicus dolores cum celeriter detraxerit, pulveribus juvet vulnus. — Hominem corpore haud reunito laborantem, praecipitatum, commotum et pulsatum medicus immergat alveo olei Sesami orientalis pleno, carnis jure adhibito. Hoc praescriptum servandum etiam est apud emaciatum et ex articulis laborantem; semper etiam in vegetante et humectante potu vulneratorum oleum Sesami orientalis aut butyrum liquefactum admiscendum est, corporis annis respectis. —

Butyra, quae indicabo studiose in biliosa phlegmone, ea in recentioribus vulneribus adhibenda sunt medico scienti. Recenter inflictum vulnus dolorosum medicus adspergat butyro clarificato, non valde frigido, aut rursus oleo Pavoniae odoratae. Mimosam pudicam, Indigoferam tinctoriam, Hibiscum mutabilem, Terminaliam chebulam, Vitriolum caeruleum, Linum utilatissimum, Nelumbium speciosum, Symplocon racemosam, Glycyrrhizam glabram, Embeliam ribem, Pisum sativum, Flacourtiae cataphractae folium, Andropogonis muricati radicem, Sirium myrtifolium, Nelumbii speciosi fibram, Rubiam manjistam, Andropogonem muricatum, laccam, Mimusopis Kauki surculos, Chironjiae sapidae semen, Diospyri glutinosae et Achyranthae asperae fructus pro dosi cum medicus receperit, ex iis coquat oleum vegetans omnia recentiora vulnera incorrupta. Adstringentes, dulces, refrigeratorias et emollientes curationes medicus adjungat. Vulnera per septem dies ceu recentiora curet in posterum vero ea curet, sicut prius dictum est. Vulneribus corruptis, efficienda est et sursum et deorsum purgatio, exsiccatio, nutritio et sanguinis missio, purificansque infusio ex Buchanania latifolia etc., et ex Anetho sowa etc. Horum enim duorum ex infusione oleum purgativum desideratur, aut oleum vel a potassae simili materia, vel a potassae materia paratum. — Anethum tuberosum, Galedupa arborea, Danti, Plumbago zeylanica, Alpinia cardamomum, Meliae azidaractae folia, Vitriolum Martis, Vitriolum caeruleum, Trĭvrĭt, Pothos officinalis, Indigofera anil, Curcumae ambae, sal fossile, Sesamum orientale, terra, Nauclea cadamba, Convolvulus turpethum album, Bignonia indica, Commelina salicifolia, Nyctanthes tristis, Jáliní, Jasminum arabicum, Cucumis coloquintida, Euphorbia antiquorum, Sanseviera zeylanica, Asclepias gigantea, Kíťarí, Arsenicum flavum, Galedupa arborea, — convenienter

ex his oleum purgativum, vel butyrum aptum et sedimenta purgativa facienda sunt. —

Sal fossile et sedimentum ex Trĭvrĭt Ricinique communis foliis in ulcere, aëris pleno, adhibenda sunt; sedimentum ex Trĭvrit, Curcuma longa et Glycyrrhiza glabra, oleis mixtum, in bilioso ulcere; in ulcere a phlegmate orto butyrum Sesami orientalis, Dantí, Svarjjaka et Plumbago zeylanica. —

Corruptorum vulnerum curandorum ratio etiam obtinenda est in vulneribus ab urethritide gonorrhoica et lepra ortis.

Quod sextuplex recentiorum vulnerum curandorum praeceptum edoctum est antea, id in posterum non amplius potest tradi a praeceptorum peritis. Sed illud praeceptum nonnulli doctores arrogantes, morbosis mutationibus et symptomatibus adducti, eloquuntur multipliciter, arrogantia elati. Haec vero multiplex istorum elocutio in his sex (vulnerum recentium curandorum regulis) consistit. Praecipue autem generatim numerus senarius eximie excogitatus est."

Caput III.

Nunc vero fracturarum therapiam exposituri sumus.

„Hominis pauca comedentis, sui non compotis, aëri obnoxii, aut phaenomenis morbosis inflicti fractura difficilis curatu est. Salsas, pungentes, kalinas et acidas substantias, coitum, solis calorem, contentionem et asperum alimentum homo fracturis laborans ne appetat. Oryza sativa, jus carnis, lac, butyrum liquefactum, jus pisinum, nutriens cibus et potus intelligenti fracturis laboranti danda sunt. Basiliae latifoliae, Fici glomeratae, Fici religiosae, Buteae frondosae et Pentapterae arjunae radices, aut Bambusae arundinaceae, Shoreae robustae et Fici indicae aquosam substantiam sumat. Linimentum, Rubiam manjistam, Glycyrrhizam glabram, Pterocarpum santalinum et cum centies clarificato butyro commixtam oryzam contritam sumat. Placidis anni temporibus deligatio instituenda est post septimum quemque diem; igneis anni temporibus post tertium quemque diem, aut pro fracturae vitio, medicus deligationem instituat.

Porro valde laxa in deligato ne fiat membrorum vinctura. Agitatione etiam tumor cutis etc., morbus coctioque oriuntur; itaque continentem fasciam in fractura indicant artis periti. Fici indicae etc. infusionem perfrigidam ad circumspergendum, lac autem cum quinque radicibus coctum paret medicus in dolente fractura; aut suaviter calida rotae axungia paranda est ab intelligente medico. Tempus (stadium) et humorum vitium discernens medicus cum medicaminibus, humorum vitia tollentibus, commixtam circum-

spersionem et linimentum frigidum etiam applicet. Vaccinum lac ebutyratum, dulcibus medicamentis paratum, frigidum et cum lacca commixtum homo, fractura affectus, mane bibat. Simul medicus vulneri hominis vulnerati et fractura affecti occurat butyro clarificato, melle etc.; reliquum vero infusionibus, ut fracturam (simplicem), peragat. Prima aetate autem fracturam facilem demonstret, pariterque in homine exiguis humorum vitiis vexato et anni tempore frigido. Prima hominis aetate post unum mensem membrum firmum fieri potest; media aetate post duos menses; provectiore aetate post tres menses (firmum) commemoratum est. Declinatam partem medicus sursum liget, eminentem deprimat, aliam super aliam elatam extendat, deorsum gressam sursum vertat extendentibus, comprimentibus et contrahentibus deligationibus. Membra autem in corpore omnia, et mobilia et immobilia, his solidantibus auxiliis solidet prudens medicus. Contusum vero et disjunctum membrum medicus ne agitet, sed illi frigidas adspersiones et infrictiones adhibeat. Fracturâ repositâ, membrum rursus adit suam naturam, si cum fascia, butyro clarificato illita, ex praescripto deligatum est. Super fasciam funem dando convenienter medicus vincturam peragat. —

Deinceps de singularum partium fracturis praeceptum dabitur.

Ungulis articulum contusum, cruore suffusum, subulâ incidat medicus et, cruore effluxo, oryzae pulte illinendum curet.

Fractum aut articulatione orbatum digitum medicus solidet, exiguâ fascia aequaliter circumdet et butyri clarificati adspersionem applicet.

Oblinat butyro clarificato pedem in planta fractum, super ligamentum deliget linteâ fasciâ, ne vero lassitudinem efficiat.

Medicus oblinat intendique jubeat crus et femur perintentus, applicet arboreos cortices frigidos, et linteâ fasciâ circumdet; medicus prudens rotae usu extendat os femoris egressum, fractum et etiam caesum; priorique modo deliget.

Extendat sursum deorsumve etiam hominem coxae fracturâ affectum; deinceps, articulo in suam sedem reposito, panniculis negotium persequatur.

Costis vero fractis, sive dextris, sive sinistris, medicus purificet fascias hominis, butyro obliti et stantis; deinde cibo dato, perintentus eas circumdet et in olei plenum ahenum aut solium descendere hominem jubeat.

Pistillo evehat medicus foveam axillarem, articulo humeri luxato. In suam sedem repositum articulum fasciâ cruciata (Suastica) expertus deliget.

Ulnarem vero articulum pollice purificet medicus, deinde purificatum articulum, ex ulna egressum, comprimat, protendendo inflectat et mitem adspersionem applicet. Sic in genu, tarso, et carpo medicus faciat. Cum ambas plantas hominis, talo fracto vexati, aequales effecerit, deliget et crudo oleo circumspersionem faciendam curet. Primo vaccini fimi massam

(aegrotus) teneat, deinde terrenam, tum, manu valida facta, lapides sustineat.

Paululum sublevet medicus deformatam claviculam pistillo, tum sublevatam comprimat valdeque deliget.

Ut femori, sic etiam brachio fracto adhibenda est curatio.

Collo autem obtorto et deorsum inclinato, medicus indefessus hominem in cervice et maxillis prehendat et sublevet, deinde ligaturam aequaliter applicet, linteam fasciam circumdet et supinum septem noctes dormire illum jubeat.

Maxillaria ossa in maxillari articulatione disjuncta cum conduxerit ac sudorem elicuerit medicus, a stante aegroto simul quinque digitos submoveat.

Butyrum clarificatum, cum dulcedinibus aërem delentibus paratum, in nasali remedio magni aestimatum est.

Infractos, vacillantes sanguinolentosque dentes adolescentis hominis comprimat et frigidis extrinsecus illinat; deinde aquis frigidis humectando negotium persequatur et Nymphaeae caeruleae caule fistuloso potum lactis praebeat. Senis autem hominis relinquat vacillantes dentes.

Nasum destructum aut detortum cum medicus rectum effecerit sagittâ, in nares tubos bifores singulatim immittat; deinde fasciâ circumdet nasum et butyri liquefacti adspersionem adhibeat.

Fractam aurem medicus deliget, cum aequalem statim effecerit inunctam butyro liquefacto; deinde in posterum illud vulnerum observet praeceptum.

Sine cerebro si fissum est cranium, mel butyrumque clarificatum medicus adhibeat, deinde deliget; aegrotus vero septem dies butyrum liquefactum bibat.

Post prolapsionem aut contusionem tumido membro, quod invulneratum est, frigidas et unguenti expertes adspersiones medicus adhibeat.

Cruris et femoris fracturis lectus portâ instructus idoneus est. Quinque columnae (ferulae), deligandi causâ, medico intelligenti faciendae sunt, scilicet, ne vacillatio fracturae fiat, in duobus membri lateribus binae, et in planta pedis una columna.

In coxa aut in columna vertebrali, in pectore et in claviculis fractis et articulatione privatis hoc praeceptum observet.

Articulationes diu amissas quidem, sed inunctas, sudore humectatas et emollitas dictis modis et consilio omnino ad priorem functionem reducere medicus moliatur.

Fracturam in regione sacrali eminentem et evidenter inique conjunctam medicus cum depresserit, cohibeat eam et, sicut in aliis fracturis, negotium persequatur.

Praeparet studiosus egressum et in vulneris fine siccum os; in articulationis fine vulnerato curationem adhibeat, sicut in fracturis vulnere complicatis.

Fracturis autem in capite sitis salutaris est butyraceus potus, cerebro idoneus, auresque implens, et suffitio nasi turionibus. —

Porrro declarabimus oleum Sesami orientalis, fracturas sanans.

Per duas noctes Sesamum orientale nigrum medicus maceret in aqua instabili; interdiu, cum exsiccaverit, misceat cum vaccino lacte; tertia aut septima nocte misceat cum Glycyrrhizae glabrae aqua; deinde in lacte iterum flavum effectum et bene exsiccatum conterat. Kákolím etc., Siphonanthum indicam, Rubiam manjistam, Echiten frutescentem, Costum arabicum, resinam Shoreae robustae, Valerianam jatamensem, et Pinum Dévadárum, Sirium myritifolium et Anethum sowam conterat misceatque cum pulvere Sesami orientalis. Doloris causâ facienda est aqua, omnibus odoribus praedita. Cum aqua, quatuor qualitatibus (guńa) instructa, hoc oleum Sesami orientalis medicus coquat. Elettariam cardamomum, Hedysarum gangeticum, folium Lauri cassiae, Bryoniam grandem, Tabernoemontanam coronariam, Symplocon racemosam, Nymphaeam albam, Gummi benzoës, Barleriam cristatam, Convolvulum paniculatum, Panicum dactylon, Sansevieram zeylanicam, Trapam bispinosam, et supradicta medicamina conterat et cum his coquat artis peritus oleum Sesami orientalis leni calore. Hoc oleum Sesami orientalis semper salubre est in omnibus fracturarum operationibus. In flatulescentia, in hemiplegia, in cervicis rigore, in capitis morbo, in aurium dolore, in maxillari spasmo, in perturbatione obcaecationeque, et in morbis, qui feminis pneumophthisin adducunt, salubre est, in potione, in inunctione, in nasali sorbitione, in clystere et cibo adhibitum. Cervicis, humeri et pectoris incrementum etiam ab hoc oleo oritur; os loto simile fit et suaveolentias efflat. Suaveolens hoc oleum nominatim omnes ab aëre ortos morbos pellit; rege dignum hoc oleum praeparandum est regum gnaris.

Cucumeris sativi, Terminaliae belericae et Buchananiae latifoliae olea cum dulcibus, adipe admixto, pro dosi, in decem partibus lactis excoquat. Oleorum hoc praestantissimum celeriter etiam sanationem fracturarum efficere potest, in potione, inunctione, in nasali sorbitione, in clystere et in adspersione medicus operam impendat; in carnis, vasorum et tendinum coctione fractura difficile absolvitur. Fractum articulum non amplius incurvatum, indefecto membro praeditum, non conspicuum et faciles motus dantem, omnino conjunctum medicus demonstret.

Caput IV.

Nunc vero morborum ab aëre ortorum therapiam expositluri sumus.

„Cruditatis sedem ingresso aëre, aegrotus cum vomuerit ad praescriptum, dandum est sextuplex remedium per septem dies noctesque cum dulci aqua! Plumbago zeylanica, semina Nerii antidysenterici, Cysampelos hexandra, Wrigthtea antidysenterica, Ativisha, et Terminalia citrina.

Morbos ab aëre ortos sedans remedium sextuplex illud appellatum est.

Coctionis sedem ingresso aëre, dandum est oleosum alvum solvens medicamentum; abdomen purificandum est; cibi sale sint valde conditi. Adhibenda est, aëre abdomen ingresso, diacta alvum purgans. Aure etc. irritatà, adhibenda est methodus aërem pellens. Oleum, unguentum, emplastrum, fricamentum et linimentum, aëre cutem, carnem, sanguinem et vasa agresso, adhibeat medicus, sanguinisque missionem. Oleum, emplastrum, ustionem, deligationem et infrictionem, si aër tendines, articulationes et ossa aggressus est, adhibeat medicus in aëre curando impiger. Incluso instabilive aëre et manuum agitationibus perfracto, fistulam medicus det et auram fortiter hauriendam curet. Aëre semen virile aggresso, adhibenda est curatio seminalium vitiorum, lavatione, suffitione, igne aridi stercoris vaccini, extensione et inunctione abdominali. Devincat medicus sapiens aërem ex universo corpore exortum missionibus sanguinis e vasis; singula autem membra aggredientem et fixum aërem sapiens cucurbitulis devincat, complicatumque cum indomito phlegmate, bile et sanguine. In soporoso aëre autem medicus missionem sanguinis saepe adhibeat et oblinat sale fossili, domesticoque vapore (fuligine) cum oleis commixto. Cum quinque radicibus coctum lac, fructuum acidus succus etiam, aut permite ptisanarium oryzae salubria sunt hominibus aëre laborantibus. Kákolí etc. simul aërem delens, cum omnibus acidis substantiis composita, cum bubalis vero juribus et carnibus parata et cum omnibus oleis praedita, suaviter calefaciens, manifeste salina et adstringens demonstrata est. Ex hac Kákolí emplastrum medicus semper conficiat pro hominibus ex aëre aegrotantibus. Incurvatum, aut morbo afflictum, aut rigidum membrum valde deliget fasciis, ex lino, erioxylo et libro confectis; aut involvat felis, Viverrae ichneumonis, cameli aut antilopae pelle membrum bene inunctum et adstringenti emplastro obductum. Humeros, pectus regionemque sacralem adeptum et cervicis tendines aggressum aërem vomitus discutit nasaleque remedium a perito medico adhibitum.

Caput ingredientem aërem discutit Śirovasti sanguinisve missio. Oleosas materias mille conservet medicus ibi convenienter. Omnia membra aggressum, aut in uno membro versatum aërem includit solum abdomen, sicut

ventorum impetum mons. Oleosa et sudorifera inunctio, oleosa abdominis purgatio, Śirovasti, capitis inunctio, fumus oleosus, suaviter calida oleosa oris elutio, nasale remedium oleosum, jura, lac, carnes, olea et oleosae substantiae, cibi pomorum, acrimoniam continentes, mites et salsi, suaviter calefacta adspersio, vectationes, Crocus sativus, Tamarindus indica, Costus arabicus, Elettaria cardamomum, Tabernoemontana coronaria, bombycini, lanei et e pilis constantes panni, eximia, non ventosa et solis candori non exposita cubicula atque habitacula, mollis lectus, calefactio per ignem, religiositas (brahmacharyya) etc. summatim sunt aëre aegrotantibus adhibenda."

Convolvuli turpethi albi, Dantí, Cassiae fistulae, Mimusopis kauki, Jasmini zambac floribus multiplicatis, Andropogonis aciculati, trium myrobalanorum et Embeliae ribis sedimenta oleosa, Aksham unum aequantia; unius Vilvae mensuram aequans sedimentum oleosum Symploci racemosae radicis et Convolvuli turpethi albi; trium myrobalanorum succi et lactis coagulati vasa bina; butyri clarificati vas unum; — haec singulatim commiscendo medicus concoquat. Symploci racemosae butyrum hoc oleosum purgatorium in aëris morbis medici indicant. Symploci racemosae praeceptum etiam in Jonesia aśoka et Trichosanthe dioeca conspici potest.

Sesami orientalis ligna ad exprimendum apta, per longum tempus in oleo Sesami orientalis macerata medicus recipiat, frustatim minuta efficiat, concidat, et in magno aheno in aqua irriget atque coquat; deinde illud oleamentum, quod in aquae dorso supernatat, movente una manu capiat et infusam substantiam herbarum aërem tollentium, juxta praeceptum coquendorum oleorum, concoquat. Hoc minutum sic dictum oleum Sesami orientalis in morbis ab aëre ortis indicant. Ex minutis Sesami orientalis substantiis efficitur minutum sic dictum oleum Sesami orientalis.

Porro multis magnarum quinque radicum lignis medicus comburat nigrum terrae locum; per unam noctem in quieto igne exustum cinerem auferat; interitam (reductam) terram centum urceis olei de Hedysaro gangetico etc. parati et aequali aquae parte irriget; per unam noctem deponat; deinde quantum coeni oleosi est, id recipiat, fervidâ aqua in magno aheno infundat; ibi quod oleum exsurgit, id manibus recipiat et bene opertum asservet. Deinceps oleum ex mille partibus decoctionis herbarum aërem pellentium, juris carnis, lactis aciditatisque, millecoctum sic dictum, medicus decoquat. Quamdiu hoc coquitur et in eo substantiae infusae atque Himavantica et a meridionali regione profecta odoramenta aërem pellentia parantur, tamdiu conchas inflari tympanumque pulsari medicus jubeat, umbraculum teneat, flabellis ventilet, mille Bráhmaṅas cibet. Hoc probatum praeparatum cum confecerit, in aureo, argenteo aut figlino vase bene operto asservet. Hoc ipsum millecoctum, invicta vi praeditum regeque dignum oleum, cum centum partibus decoctum, centicoctum etiam appellatur.

Ricini communis, Bignoniae indicae, Galedupae arboreae, Justiciae adhenatodae, Caesalpiniae bonducellae, Cassiae fistulae, Plumbaginis zeylanicae etc. folia humida cum sale fossili in mortario conterat, in vas oleare indat, oblinat merdis bubulis et tum comburi medicus jubeat. Hoc foliatum sal indicant in aëris morbis. Foliatum sal enim hoc appellatur.

Gańdíram, Buteam frondosam, Echiten antidysentericam, Aeglen marmelon, Asclepiadem giganteam, Euphorbiam antiquorum, Achyranthen asperam, Bignoniam suaveolentem, Erythrinam fulgentem, Calamum fasciculatum, Piper nigrum, Micheliam champacam, Ixoram bandhucam, Nirdahanyatam, Justiciam ganderussam, Galedupam arboream, Caesalpiniam bonducellam, Solanum jacquini, Flacourtiam sapidam, Semicapum anacardium, Terminaliam catappam, Aeschynomenen sesban, Musam paradisiacam, Varsháb'hum, Andropogonem shoenanthum, Barleriam longifoliam, Tribulum lanuginosum, Cucumim colocynthidem, Andropogonem aciculatum, Mokshasam, et Jonesiam aśokam, scilicet classem humidam, radicibus, foliis ramisque constantem, medicus recipiat, cum sale fossili commixtam priorem in modum comburat, secundum lixivii parandi praeceptum infundat et concoquat has infusas substantias cum asa foetida etc., aut cum Pipere longo etc. Sic hoc eximium sal sic dictum in aëris morbis eorum, qui induratione glandularum mesentericarum, lienis affectibus, ignis desiderio, indigestione, haemorrhoidibus et cibi fastidio vexati catarrhisque etc. oppressi sunt, in potionibus et cibis medici indicant.

Est hic ślokas:

„Ob vim instillandi, calefaciendi, humores corruptos coquendi et accumulationes maturandi illud in aëris morbis laudatur."

Caput V.

Nunc vero magni aëris (rheumarthritidis) morbi therapiam exposituri sumus.

„Biformis aërosanguis (rheumarthritis) est, superficialis et submersus." Sic quidam dicunt. Ille vero non omnino, ut lepra, superficialis exsistens, temporis intervallo submersus fit. Itaque non biformis est rheumarthritis.

Puguis etc. valde irritati et gravibus, calidis nimiisque cibis affecti aëris viam obstruendo corruptus sanguis, cum aëre in unum confluxus, subito dolores, aëris sanguinisque signa habentes procreat. Aërosanguis (rheumarthritis) autem primum in manibus pedibusque suam sedem collocat; deinde corpus penetrat. Ejus priora symptomata sunt: cruciatus, aestus, pruritus,

tumor, rigor, cutis asperitas, vasorum, tendinum nervorumque tremor, inferiorum extremitatum infirmitas, fuscarum rubrarumque macularum exortus subitus in palmis, plantis, digitis, tarsis etc. Hic irremediabilis et non coquibilis morbus manifestatus est; ejus signum jam dictum est. Hic vero irremediabilis morbus deformatio fit.

Est hic ślokas:

„Macrorum hominum frustra cibis gavisorum et corpulentorum voluptariorum aërosanguis (rheumarthritis) frequenter irritatur (exacerbatur)." — Porro vitalitatis carnisque interitu, siti, febre, lipothymia, anhelitu, catarrho, rigore, cibi fastidio, indigestione, distentione et contractione intactum, robustum, sui compotem et auxiliatum hominem hic morbus corripit.

Initio autem (valde flatulento, aspero et flaccido corpore excepto) hominem, ob viarum obstructionem corrupto sanguine affectum, medicus saepe paululum conspergat, aëris irritationem metuens. Deinde vomitu et ceteris curationibus nactus resolutum et cultum sanguinem, in aëre praevalido vetus butyrum liquefactum bibendum curet, lacque caprinum, dimidiam partem olei Sesami orientalis continens et cum Glycyrrhiza glabra Terminialiaque belerica commixtum, aut cum Śrĭgálavinná paratum, aut Saccharum officinarum, mel et syrupum continens, aut cum Zingiberi arido, Trapa bispinosa Scirpoque kysoor paratum, aut cum Convolvulo turpetho floribus nigris, Mimosa octandra, Momordica charantia, Śrĭgálavinná, Salvadora Persica, Asparago racemoso, Flacouratia cataphracta et bis quinque radicibus paratum.

Per aquam cum bis quinque radicibus decoctis et octo qualitatibus paratam medicus oleum ex infusione Glycyrrhizae glabrae, Asclepiadis geminatae, Flacourtiae cataphractae, Pinus longifoliae, Pinus Dévadáru, Acori calami, Micheliae champacae et Terminaliae belericae coqui medicus jubeat et in potionibus etc. adhibeat; aut ex Asparagi racemosi, Achyranthae asperae, Glycyrrhizae glabrae, Convolvuli paniculati, Pavoniae odoratae, Sidae cordifoliae, quinque radicum et graminum decoctione paratum, aut ex Kákolí etc. infusione paratum validum oleum centicoctumque sic dictum.

Aquâ ex radicibus aërem tollentibus parata aspersionem medicus faciat.

Ex Hordeo hexasticho, Glycyrrhiza glabra, Ricino communi, Sesamo orientali, Trigonella corniculata et terra unguentum conficiendum est.

Porro pulveratis Hordeo hexasticho, Tritico aestivo, Sesamo orientali, Phaseolo mungone Phaseoloque radiato, et singulatim commixtis cum sedimento oleoso Kákolí, Kshírakákolí, Bryoniae grandis, Carpopogonis prurientis, Pavoniae odoratae, Sidae cordifoliae, Nymphaeae odoratae fibrarum, Andropogonis muricati, Śrĭgálavinnae, Sacchari officinarum, Scirpi kysoor, Micheliae champacae et Acori calami, quinque linimenta, inungendi causâ, cum butyro clarificato, oleo Sesami orientalis, adipe, medulla et lacte parata,

laudata sunt; aut oleosi fructuum succi et grana; aut pulveratis Hordeo hexasticho, Tritico aestivo, Sesamo orientali, Phaseolo mungone et Phaseolo radiato, ex variorum piscium carnibus condimentum; ex Aegle marmelo, Valeriana jatamensi, Tabernoemontana coronaria, Pinu Dévadáru, Pinu longifolia, Mimosa octandra, Piso sativo, Costo arabico, Anetho sowa, liquore spirituoso, lacte coagulato et sero lactis compositum linimentum; cum Citro medica, Oxalide monadelpha, sale fossili et butyro clarificato commixtum linimentum; Hyperantherae morungae radix in linimento; et Sesami orientalis oleosum sedimentum in aëre praevalido laudata sunt.

In bile praevalida infusionem uvarum, Cassiae fistulae, Cayaphal, Asclepiadis roseae, Glycyrrhizae glabrae, Sirii myrtifolii Gmelinaeque arboreae et syrupum Sacchari officinarum mellisque bibi medicus jubeat, et infusionem Asparagi racemosi, Glycyrrhizae glabrae, Trichosanthae dioecae, trium myrobalanorum, Micheliae champacae Asclepiadisque acidae, aut Menispermi cordifolii infusionem, bilem febresque delentem Sirii myrtifolii etc. infusionem, Sacchari officinarum mellisque syrupum, aut cum amaris adstringentibusque paratum butyrum liquefactum.

Ex Nymphaeae odoratae fibrarum, Andropogonis muricati, Santali albi et Nelumbii speciosi infusione semilactea adspersus; aut ex lacte, Saccharo crudo, melle, Saccharo officinarum, Embelia ribe et aqua, cum uvarum infusione commixtis, aut ex sero lactis, melle et aqua oryzae fermentata, aut ex butyro clarificato, cum Celte orientali parato, inunctio fiat. Aut ex butyro cum oleosis Kákolí etc. substantiis cocto, aut ex Oryza sativa, Oryza praecoce, Arundine karka, Calamo rotang, Flacourtia cataphracta, Trapa bispinosa. Galodya, Convolvulo turpetho albo, calce rubra, Valisneria octandra, Nelumbio specioso, Nelumbii speciosi folio etc., cum aqua oryzae fermentata tritis, unguentum butyro mistum conficiatur.

In aëre praevalido etiam suaviter calidum unguentum conficiendum est.

In sanguine praevalido etiam saepe sanguis adspergendus et frigidissimae inunctiones faciendae sunt.

In phlegmate praevalido autem infusionem Phyllanthi emblicae et Curcumae longae, aut trium myrobalanorum infusionem, aut Glycyrrhizae glabrae, Zingiberis officinalis, Terminaliae chebulae, Wrighteae antidysentericae sedimentum oleosum cum melle et urina bibi, aut ex aqua Saccharum officinarum et Terminaliam chebulam comedi medicus jubeat.

Olei Sesami orientalis, urinae, lixivii, aquae, liquoris spirituosi, aceti et herbarum phlegma delentium decoctionibus adspersio; aut Cassiae fistulae etc. infusionibus calidis, aut butyro parato cum sero lactis, urinâ, liquore spirituoso, aceto, Glycyrrhiza glabra, Echite frutescente et Nelumbio specioso fiat inunctio. Sesami orientalis, Sinapis dichotomae, Lini usitatissimi et Hordei hexastichi pulveres, cum Cordia myxa, Cratoeva valanga et

Hyperanthera morunga commixti, fiant unguentum, cum lixivio urinaque tritum.

Sinapis albae sedimentum, Sesami orientalis et Physalidis flexuosae sedimentum, corticum Buchananiae latifoliae, Cordiae myxae et Crataevae valangae sedimentum, Hyperantherae morungae et Boërhaviae diffusae alatae sedimentum, ac Speciei ex Pipere nigro, Pipere longo et arido zingiberi, Wrighteae antidysentericae, Hemionitae cordifoliae et Solani jacquini sedimentum sunt quinque unguenta suaviter calefacientia, trita cum lixivio et aqua.

Hedysarum gangeticum, aut Hedysarum lagopodioides Solanumque jacquini cum lacte contrita commixtaque cum Tarpaňa. —

Unione et compositione medicus conficiat medendi viam, mistionem dictam.

In omnibus Saccharum officinarum aut Terminaliam chebulam recipiat.

Pipera, cum lacte contrita, aut cum aqua contrita, quintuplice decemplicеve adjectione aegrotus bibat; ex lacte oryzaque cibum per decem dies noctesque et ultra medicus removeat, tamdiu scilicet, quamdiu quintuplex et decemplex piperum adjectio locum habet. Rheumarthritidem, dolores, febres, cibi fastidium, lienis tumorem, haemorrhoides, catarrhum, anhelitum, intumescentiam, tabem, aestum, lassitudinem, cordis morbos et asciten pipera discutiunt.

Cum Celte orientali butyrum, in lacte decoctum, medicus inungat.

Sahá, Sahadévá, Sirium myrtifolium, Sanseviera zeylanica, Cyperus rotundus, Buchanania latifolia, Asparagus racemosus, Scirpus kysoor, Nelumbium speciosum, Glycyrrhiza glabra, Anethum sowa et Costus arabicus fiunt cum lacte contritum unguentum, cum butyri spuma commixtum. Item Barleriae cristatae, Justiciae adhenatodae, Pavoniae odoratae, Sidae cordifoliae, Celtis orientalis et Momordicae charantiae sedimentum cum caprino lacte contritum. Item Gmelinae arboreae, Glycyrrhizae glabrae et Tarpaňae sedimentum, et cum mellis residuo, Rubia manjista, resina Shoreae robustae, Echite frutescente et lacte paratum crassum oleum, unguentum est.

In omnibus vetus butyrum clarificatum cum Phyllanthi emblicae succo coctum pro potu; cum Celte orientali paratum pro adspersione, aut cum sedimento coctae Kâkolí etc. paratum, aut cum Momordicae charantiae decocto paratum, aut cum Cleomes pentaphyllae decocto paratum.

Aut oleum Celtis orientalis in adspersionibus, balneis, clysteribus et cibis adhibeat; Oryzae sativae, Oryzae praecocis, Hordei hexastichi et Tritici aestivi panem non recentem comedat ex aqua, aut ex jure carnis, aut ex jure Phaseoli mungonis insulso.

Sanguinem medicus identidem mittat.

Edito humorum vitio, vomitus, purgationis, erectionis et suffitionis negotium gerendum est.

Sunt hic ślokae:

„Primis etiam medelarum usibus non ita pridem exorta rheumarthritis facile a medicis sanatur; sed jam pridem exorta curatu difficilis est.

Emplastra, adspersiones, unguenta, oleamenta, praeservativa aëre carentia, grata praecipuaque, mitis vultus ac benignitas, lecti accepti et vectationes in rheumarthritide probantur; contentiones, coitum, iracundiam, calidum, acidum et salsum alimentum, diurnum somnum, stillaticium graveque cibum evitet.“

Tympaniticum, oculos non collapsos et supercilia non curvata habentem, non rigido pene praeditum, sudore non diffluentem, non trementem, non delirantem, lecto non illapsum, externe non intensum medicus curet. Ibi oleo antea inunctum sudoro corpore affectum aegrotum compressione acri curet, capitis purgandi causâ. Proxime post Hedysari gangetici etc. decoctum, jus carnis, lac atque lac coagulatum coctum et butyrum liquefactum bibendum curet; sic enim non ultra modum aër procedit.

Deinde a Pinu Dévadáru incipientem aëres tollentem classem medicus cum receperit, cum Hordeo hexasticho, Plumbagine zeylanica, Dolicho bifloro, bubalino jure carneque, scilicet quintuplice classe, singulatim praecoxerit, hanc decoctionem acceperit et commiscuerit cum acidis lactibus, tum coquat cum butyro clarificato, oleo Sesami orientalis, adipe et medulla suave remedium. Hoc ipsum ex illis electum medicus tympaniticis in adspersionibus, balneis, inunctionibus, potionibus, cibis, suffitionibus et nasalibus remediis tribuat. Sic dictis diaphoreticis methodis sudorem eliciat. Valde vehemente aëre, in cavo, suaviter calidae paleae, glumae et aridi fimi vaccini pleno, aegrotum ore tenus deponat; aut eum ad calefactum carbonarium caminum, aut ad calefactum lapidem, spirituosis liquoribus circumspersum et Buteae frondosae foliis opertum considere jubeat; aut pulmentis, ex lacte, Sesamo orientali et oryza confectis, condimentis et jusculis ex lacte, oryza et saccharo confectis sudorem eliciat.

Ex Raphano sativo, Ricino communi, Diospyro glutinoso, Ocymo sancto, Asclepiade gigantea, Śaptalá, Andropogone aciculato et Aristolochia indica confectum oleum tympaniticis in adspersionibus etc. adhibendum est. Ab incoenato homine potatum acidum lac coagulatum, cum Pipere nigro et Acoro calamo commixtum oleum Sesami orientalis, butyrum liquefactum, adeps et mel tympaniten tollunt. — Illud puro (solo) aëre praediti tympanitae praeceptum datum est; in composito (complicato) tympanita compositum praeceptum observandum est.

In exacerbationum finibus compressionem medicus adhibeat.

Galli gallinacei, Cancri crangonis, Kokilae, Delphini gangetici piscis et porci adipes aegrotus comedat, aut lac cum medicamentis aërem tollentibus paratum, aut cum Hordeo hexasticho, Plumbagine zeylanica, Dolicho bifloro,

Raphano sativo, lacte coagulato, butyro clarificato et oleo Sesami orientalis paratam oryzam fermentatam. Inunctione, purgatione, fultura et suffitione illum, per decem noctes cumulatis exacerbationibus vexatum, medicus curet, aëreique morbi therapiam respiciat et praeservativum negotium gerat.

Lateris doloribus affectum et membris non flaccidis instructum aegrotum, scilicet sui compotem et auxiliatum, medicus curet. Ibi aegrotum antea oleamentis et sudoriferis usum, cum medicus purgaverit miti purgativo, fumigaverit fulsiveritque, pro tempore (stadio morbi) ex flatulescentiae praescripto curet. Hic distinguuntur cerebrum, caput et abdomen. Minutum oleum sic dictum inunctione, Śálvacum oleum emplastris, validum oleum in suffitionibus adhibetur. Sic indefessus medicus tres quatuorve menses medendi viam persequatur. In columna vertebrali circa cervicales tendines hoc etiam praescriptum medicamentis aërem phlegmaque tollentibus, nasalibus remediis et perquam sudoriferis servet.

Incantato aegroto medicus satisfacere non valet; vomitionem, suffitionem et fulturam ne adhibeat.

Respirationem, aëre phlegmateque impeditam, solvat medicus acribus expectorantibus. Coriandrum sativum, Costum speciosum, Asam foetidam, Rumicem vesicarium, Terminaliam chebulam et tria salia (sal fossile, maritimum et facticium) ex Hordei hexastichi decocto bibere det.

In quinquaginta partibus Terminaliae chebulae et quatuor partibus lactis unum Prast'ham butyri clarificati medicus coquat et negotia aërem phlegmaque removentia gerat.

Hemiplegia affectum aegrotum robustum et auxiliatum medicus ex aërei morbi praescripto curet, specificisque ad cerebrum, caput, abdomen et nasum pertinentibus, fumis, emplastris, oleamentis, tuborum vaporibus etc.

Porro cum herbis magnas quinque radices, Kákolím etc., Hedysarum gangeticum etc. aquosam bubali carnem, pariterque aquaticos bulbos medicus cum receperit, in duabus aquae partibus et uno Drona lactis decoxerit, reliquum fluidum deduxerit, a sedimento transfuderit et unum Prast'ham olei Sesami orientalis admiscuerit, iterum igni id admoveat. Deinde oleum Sesami orientalis, lacti obsecutum, cum ab igne amoverit, frigidum factum agitet; ibi quod oleamentum exsurgit, id sumat et cum lacte, dulces herbas medicales continente, commixtum decoquat. Hoc lacteum oleum Sesami orientalis aegrotis hemiplegia affectis adhibendum est in potionibus, inunctionibus etc.; aut oleo Sesami orientalis orbatum lactis butyrum, oculis gratum.

In arthritide, in rheumatismo, in schakali capite sic dicto, in debilitate et clauditate, in aëris horrore, in pedum aestu et podagra, in brachiali dolore cruciatuque et in aëris morbis nervos aggressis, sicut dictum est, suo loco angeiotomiam medicus faciat, et, excepto brachiali dolore, aërei morbi therapiam respiciat.

In aurium dolore succum Zingiberis officinalis cum oleo Sesami orientalis et melle commixtum atque fossili sale perfectum, suaviter calidum, in aurem instillet; aut caprinam urinam; aut dulcia olea; aut oleum Sesami orientalis vel cum Citri medicae, mali granati et Tamarindi indicae sedimento atque urina paratum, vel cum aceto, liquore spirituoso, lacte ebutyrato, urina et sale fossili paratum. Tuborum vaporibus sudorem medicus eliciat, aëreique morbi therapiam respiciat. Plura in ultimo tractatu (Uttaratantra) exponemus.

In sacrali et colica passione oleum et sal fossile medicus ex aqua bibere det; aut Piperis longi etc. pulverem; aut commixtum cum Asa foetida et kali nitrico butyrum liquefactum; vestibusque aegrotum contegat.

In inflatione autem jejunio, manuum calefactione, aromaticis pulveribus et fructibus, turundarum applicatione, digestivis et vestibus utatur. Proxime post abstinentiam, coenae tempore cibos cum Coriandro sativo, Cumino cymino ceterisque aromaticis paratos praebeat. In recidiva inflatione vomitum, jejunium et aromatica adhibeat.

In tumoribus ventosis rotundis infra et circa umbilicum curatio, ut in. indurationibus glandularum mesentericarum internisque phlegmonis, disponitur

Asam foetidam, speciem ex Pipere longo, Pipere nigro et arido zingiberi, Acorum calamum, Carum carvi, Coriandrum sativum, Ocymum gratissimum, Malum granatum, Tamarindum indicam, Cysampelon hexandram, Plumbaginem zeylanicam, kali nitricum, sal fossile, sal facticium, natron, Svarjikám, Piperis longi radicem, Rumicem vesicarium, Curcumam zerumbet, Costi speciosi radicem, Piper chavyam, Cuminum cyminum et Terminaliam chebulam conterat, acido citrico saepius madefaciat et bolos, tali mensuram implentes, medicus conficiat; deinde mane singulos aëreo morbo affectus comedat. Hoc autem remedium catarrhos, anhelitum, indurationes glandularum mesentericarum, abdominis intumescentiam, cibi fastidium, cordis morbos, inflationem, lateris intumescentiam, abdominis dolorem, ischuriam, urinae difficultatem, lienis affectum, haemorrhoides, tumores ventosos rotundos infra et circa umbilicum discutit.

Sunt hic ślokae:

„Omnis sive cum humorum vitiis conjunctus, sive corporis elementis tectus aër ex signis et die (stadio) dignoscendus est, sicut curatio sine controversia. Morbosam, densam et frigidam intumescentiam aër cum tela cellulosa conjunctus facit, quam medicus, sicut tumores, curet.

Phlegmate telaque cellulosa tectus aër quando femora aggreditur, tum corporis tritu, languore, horripilatione, aegritudine, febribus et sopore afflicta, rigida, frigida, insensilia, gravia tremulaque femora fiunt et aegrotus quasi non sua credit femora. Hunc morbum alii femoris columnam, alii divitem aërem appellant. Ibi oleo privatum, sex substantias continentem,

salubrem pulverem, sicut ex Pipere longo ceterisque classibus confectum, aegrotus ex calida aqua bibat; aut ex melle lingat trium myrobalanorum pulverem cum Pipere nigro, Pipere longo et Zingiberi arido commixtum; aut ex urinis bibat bdellium optimum aut etiam bitumen. Haec discutiunt cum phlegmate adipeque complicatum aërem, cordis morbos, cibi fastidium, indurationem glandularum mesentericarum, pariterque internam phlegmonen. Ex lixivio et urina vapores, asperasque infrictiones medicus faciat, et inungat urinis impletos Galedupae arboreae fructus et Sinapim dichotomam.

Comedenda sunt vetus Panicum frumentaceum, Paspalum frumentaceum, Cordia latifolia et Oryza sativa ex jure pisino, exsiccatum Raphanum sativum continente, aut ex Trichosanthae dioecae jusculo, cum ferinis, butyro non conditis, carnibus, et cum oleribus insulsis salubribus.

Quando maxima ex parte phlegma et adeps sunt perdita, tum ibi olei etc. inungendi negotium rursus geri medicus jubeat.

Suaveolens, perleve, subtile, acre, calefaciens, pungens, liquidum, pungens in coctione, salsum et gratum est bdellium, acceptum et viscosum. Hoc recens nutriens et stimulans, vetus autem abripiens est. Ob suam acritudinem et calefacientem vim phlegma et aërem delet; ob salsitudinem secretiones et bilem pellit; ob subtilitatem ignem (digestionem) accendit. Hoc (bdellium) mane cum tribus myrobalanis, Curcuma zanthorhiza, Trichosanthe dioeca, Poa cynosuroide et aqua bibat, aut infusum urinis, lixiviis, aut calida aqua. — A sene ex pisino jure et lacte comesum illud (bdellium) discutit singulis mensibus indurationem glandularum mesentericarum, urethritidem gonorrhoicam, flatulescentiam, abdominis intumescentiam, fistulas in ano!, vermes, pruritum, cibi fastidium, lepram, insensiles intumescentias, rheumarthritidem, tubis divitem aërem, tumores, leprosin, corrupta ulcera, atque aërem, exta, articulos et ossa aggressum, sicut arborem fulmen Indrae."

Caput VI.

Nunc vero tuberculorum haemorrhoidalium therapiam exposituri sumus.

Quadruplex tuberculorum haemorrhoidalium curatio exsistit, hoc modo: medicamentum, lixivium causticum, ignis et scalpellus. Porro non ita pridem orta tubercula haemorrhoidalia et exiguis humorum vitiis, signis et symptomatibus affecta, medicamentis curanda sunt; mollia, egressa submersaque, et eminentia, lixivio caustico; violentia autem, immobilia, ampla et dura, igne; tenuibus vero radicibus instructa, eminentia et humida, scalpello.

Medicamentis curandorum tuberculorum haemorrhoidalium medicamentum exsistit; lixivio caustico autem, igne et scalpello curandorum praeceptum dandum intellige!

Ibi robustum aegrotum tuberculis haemorrhoidalibus affectum, inunctum, circumsudantem et, aëris dolorisque sedandi causâ, gratis, calidis, paucis et substantiarum divitibus cibis fruitum medicus considere jubeat loco rebus necessariis instructo puroque, tempestate constante innubilaque, in aequabili scuto aut lectulo, in coxaque, cum ano et cervice versam ad solem; tum, considente ad orientem corpore, aegrotum elevatum, paululum erectum in coxa, veste et lodicula indutum, constrictivo amiculo circumjectum in collo et inferioribus extremitatibus, et a famulis bene prehensum, intremulo corpore praeditum efficiat; deinde instrumentum (speculum ani) butyro liquefacto inunctum, rectum et parvo orificio instructum in anum lente se proferentis aegroti indat; immisso instrumento haemorrhoidalia tubercula inspiciat medicus, haec lanceolâ dissecet, erioxylo aut linteo detergeat, lixivium causticum injiciat, post injectionem manu januam instrumenti claudat et per centum vocum tempus exspectet. Deinceps detergeat, lixivii caustici et morbi vim respiciat et rursus oblinat. Deinde haemorrhoidale tuberculum coctis fructibus Eugeniae jambu simile cum viderit medicus, collapsum et paululum incurvatum circumvolvat. Lixivium causticum abluat aqua oryzae fermentatae, aut lacte coagulato, sero lactis, aceto et acido pomorum succo. Deinde, butyrum cum liquiritia commixtum bibat, instrumentum abducat, exsurgere jubeat aegrotum, calidae aquae impositum frigidis aquis conspergat, aut calidis secundum nonnullos. Deinde in domum aëri non expositam deducat aegrotum, doceat diaetam, comburat rursus reliquias. Post septenas noctes (et dies) singulum tuberculum medicus aggrediatur; sed inter multa primo dextrum, post dextrum sinistrum, post sinistrum posticum, post posticum anticum,

Porro ab aëre et plegmate orta tubercula haemorrhoidalia igne lixivioque caustico medicus curet; a bile sanguineque orta lixivio miti. Ibi aëris ordinatio, ciborum appetentia, ignis incensio, levatio, roboris colorisque productio, mens et gaudium sunt omnino cauterizati aegroti signa. Aegroto autem ultra modum cauterizato, dilaceratio ani, aestus, lipothymia, febris, sitis, nimia sanguinis eruptio et inde profecta phaenomena exsistunt; violacea parva ulcera, pruritus, aëris corruptio, sensuum perturbatio et morbi inquietatio, aegroto male cauterizato.

Magna hominis tubercula haemorrhoidalia cum dissecuerit medicus, cauterizet; prolapsa ultra modum et humorum vitiis impleta sine instrumento (speculo ani) curet diaphereticis, unguentis, oleamentis, balneis, emplastris, derivantibus, linimentis, lixivio caustico, igne et scalpello; sanguinis eruptioni obnoxia, ex haemorrhagiae biliosae praescripto; fissum stercus facientia, ex

dysenteriae praescripto; constrictum excrementum reddentia, ex olei potandi praescripto aut ex flatulescentiae praescripto.

Hoc est cauterizandi praeceptum, tuberculis haemorrhoidalibus quasvis sedes aggressis.

Medicus autem cum perforaverit tuberculum haemorrhoidale aut cochleari, aut acu, aut lanceolâ, lixivium causticum injiciat.

Ani procidentiae autem sine instrumento (speculo ani) lixivium causticum etc. adhibeat. — In omnibus tuberculis haemorroidalibus cibum aegrotus ex Oryza sativa, Oryza praecoce, Hordeo hexasticho et Tritico aestivo, conditum butyro clarificato, sumat cum aqua, aut cum Meliae azidaractae jure, aut cum Trichosanthae dioecae jure, aut, pro homorum vitio, cum oleribus, scilicet cum Chenopodio albo, Amarantho polygamo, Celte orientali, Basella rubra, Saccharo spontaneo, Andropogone shoenantho, Raphano sativo, Gummi olibano, Pentaptera tomentosa, Chillí, Marsilia dentata, Piso sativo, Ligustico ajwaën etc.; aut alium cibum gratum, ignes incendentem, haemorrhoides delentem, urinam faecesque egerentem sumat.

Cauterizatis tuberculis haemorrhoidalibus, oblitus, ignem accendendi et aëris irritationem praecavendi causâ, generaliter inungendi etc., specialiter autem medendi ineat rationem.

Butyra liquefacta, cum calefacientibus et aërem delentibus substantiis parata, et commixta cum Asa foetida ceterisque pulveribus bibat. In fellis haemorrhoidibus ex Hemionitidis cordifoliae etc. infusione antiphlogisticum Pini Dévadáru etc., Piperisque longi etc. butyrum liquefactum; in sanguinis haemorrhoidibus ex Rubiae manjistae et Hyperantherae moruggae infusione; in phlegmatis haemorroidibus ex Anethi sowae infusione butyrum liquefactum bibat; — Symptomata medicus convenienter curet. —

Summam operam navans medicus lixivium causticum, ignem et scalpellum adhibeat in ano; nam ex ejus perturbatione oriuntur eviratio, intumescentia, aestus, dementia, lipothymia, borborygmus, dysenteria, diarrhoea aut ipsa mors. —

P o r r o i n s t r u m e n t i (s p e c u l i a n i) m e n s u r a m d e m o n s t r a t u r i s u m u s.

Instrumentum hoc ferreum, mite, corneum, aut ligneum, vaccae uberibus simile, quatuor digitos transversos longum et quinque digitorum transversorum mensuram in circuitu implens pro viris; sex autem digitorum transversorum mensuram in circuitu implens pro feminis, unamque palmam longum est. Id duobus foraminibus (fenestris) instructum est, scilicet inspiciendi causâ unum foramen, alterum foramen autem pro operatione locum habet. In u n a janua enim scalpelli, lixivii caustici ignisque transitio (applicatio) fieri non potest. Foraminum mensura autem tres digitos transversos longa et pollicis crassitudinem ampla est. Qui unus digitus transversus reliquus est,

ejus dimidium deorsum et alterum dimidium sursum rotundaeque inauri simile est. — Haec est instrumenti formae brevis descriptio. —

Protenus tuberculorum haemorrhoidalium unguenta indicaturi sumus.

Cum Euphorbiae antiquorum lacte commixtus Curcumae longae pulvis primum unguentum est. — Stercoris Galli domestici, Abri precatorii, Curcumae longae Piperisque longi pulvis, cum vaccina urina felleque tritus, secundum unguentum est. — Danti, Plumbaginis zeylanicae, alkali et Commelinae salicifoliae sedimentum oleosum, cum vaccino felle contritum, tertium unguentum est. — Piperis longi, salis fossilis, Costi arabaci, Mimosae sirishae et Echitae antidysentericae sedimentum oleosum, cum Euphorbiae antiquorum lacte contritum, aut cum Asclepiadis giganteae lacte contritum, quartum unguentum est. — In Vitrioli Martis, arsenici flavi, salis fossilis, Nerii odori, Embeliae ribis, Caesalpiniae bonducellae, G'hoshae, Eugeniae jambu, Asclepiadis giganteae, Jasmini auriculati, Premnae spinosae, Danti, Plumbaginis zeylanicae, Solani trilobati et Euphorbiae antiquorum aquis oleum Sesami orientalis coctum et inunctum tubercula haemorrhoidalia delet.

Deinceps haemorrhoidalium tuberculorum remedia, illa collabefactandi causâ, indicaturi sumus.

Mane Saccharo officinarum et Terminalia chebula fruatur. Homo religiosus (Brahmachári) centum Drońas Terminaliae chebulae cum uno Drona vaccini stercoris paratos mane, pro viribus, ex melle adhibeat; aut Achyranthae asperae radicem ex oryzae jure cum melle quotidie; aut Asparagi racemosi radicis sedimentum ex lacte; aut cum Plumbaginis zeylanicae pulve re compositum spiritum destillatum excellentem; aut cum Semicarpi anacardii pulvere compositam oryzam tritam insulsam ex lacte ebutyrato; aut in fictilem hydriam, intrinsecus sedimento radicis Plumbaginis zeylanicae oblitam, ingestum lac ebutyratum, acidum, aut non acidum, in potionibus cibisque, adhibeat. Haec etiam lactis ebutyrati praeparatio cum Siphonantho indica, Jasmino angustifolio, Hordeo hexasticho, Ligustico ajwaën, Phyllantho emblica et Menispermo cordifolio locum habet.

In Pipere longo, Piperis longi radice, Pipere chavya, Plumbagine zeylanica, Embelia ribe, Zingiberi arido et Terminalia chebula, sicut supra, incoenatus lac ebutyratum quotidie per unum mensem adhibeat; aut lac cum Zingiberis officinalis, Boërhaviae diffusae alatae et Plumbaginis zeylanicae infusione paratum; aut decoctionem radicis corticisque Echitae antidysentericae, Pipere longo etc. conditam, ex melle. In aëris morbis indicatum Asae foetidae etc. pulverem adhibeat, aut ex lacte ebutyrato cibum; aut ex lacte cibum; aut cum alkalino sale, vel cum lixivio radicis Plumbaginis zeylanicae et aqua paratum lac; aut cum lixivio Buteae frondosae arboris paratum jus oryzae fermentatum; aut Bignoniae suaveolentis, Achyranthae asperae, Solani

jacquini et Buteae frondosae lixivium destillatum quotidie cum butyro clarificato commixtum; aut sedimentum radicis Echitae antidysentericae et Vandakis ex lacte ebutyrato; aut Plumbaginis zeylanicae, Caesalpiniae bonducellae et zingiberis aridi sedimentum ex Caesalpiniae bonducellae lixivio; aut cum lixivio et aqua paratum butyrum clarificatum, cum Pipere longo etc. conditum; Piperis nigri Sesamique orientalis Prasrĭtam unum aut Prasuńcham unum mane adhibeat in frigidae aquae vehiculo. — His increscit ignis et tubercula haemorrhoidalia sedantur.

Bis quinque radicum, Dantí, Plumbaginis zeylanicae et Terminaliae chebulae Tulam unam medicus recipiat et in quatuor Drońis aquae decoqui jubeat. Deinde a sedimento relictum fluidum recipiat, valde refrigeratum cum Tula una Sacchari officinarum commisceat, in ollam butyri infundundat et unum mensem exspectet; deinde in vase Hordei hexastichi mensuram certam mane bibere det. Eo haemorrhoides, diarrhoea, humorum vitia, aurugo, flatulescentia cibique fastidium non oriuntur; accensus autem ignis oritur.

Piperis longi, Piperis nigri, Embeliae ribis, Elaválukae, Symploci racemosae, singulorum duo Pala, Cucumeris colocynthidis quinque Pala, mediae ex Cratoeva valanga partis decem Pala, dimidium Prast'ham fructuum Terminaliae chebulae, Prast'ham unum fructuum Phyllanthi emblicae medicus recipiat. Haec singulatim in quatuor Drońis aquae decoquat, a sedimento relictum fluidum transfundat, valde refrigeratum cum duabus Tulis Sacchari officinarum commisceat, in ollam butyri infundat, quatuordecim dies exspectet, deinde in vase certam mensuram Hordei hexastichi mane, pro viribus, adhibeat. Hoc reapse optimum est remedium, lienis affectus, ignem, cupiditatem, haemorrhoides, diarrhoeam, cordis morbos, auruginem, tumores, lepram, indurationem glandularum mesentericarum, abdominis intumescentiam vermesque tollens et vim colloremque efficiens.

Porro in tuberculis haemorrhoidalibus aëris plenis, oleosum, diaphoreticum, vomitorium, purgativum, roborans et suffitorium medicamentum indicatum est; in tuberculis haemorrhoidalibus ortis a bile, purgativum; in ortis a phlegmate, zingiberis officinalis et Dolichi biflori usus; omnia humorum vitia delens medicamentum, sicut dictum, in haemorrhoidalibus tuberculis, ortis ab omnibus humorum vitiis, indicatum est; cum convenientibus autem herbis paratum lac, in omnibus tuberculis haemorrhoidalibus. —

Porro Semicarpi anacardii praeparatum demonstraturi sumus.

Semicarpi anacardii fructus maturos inviolatosque decerpat, unum recipiat, bis, ter quaterve findat, ex infusionum praescripto decoquat et unam concham infusionis non calidae, palato, lingua labiisque butyro clarificato illitis, mane sumat. Deinde postmeridiano tempore lac, butyrum clarificatum

oryzaque cocta cibus sit. Sic singulum fructum Semicarpi anacardii multiplicet usque ad quinque; tum quinos fructus multiplicet usque ad septuaginta. Nactus septuaginta rursus subtrahat quinos usque ad quinque; ex quinque singulos usque ad unum fructum. Sic Semicarpi anacardii mille fructus cum adhibuerit, ab omnibus lepris tuberculisque haemorrhoidalibus liberatus, robustus, sanus et centaevus (grandaevus) homo fiet.

Juxta praeceptum de ambobus vulneribus (vulnere et ulcere) datum, a Semicarpo anacardio expressum oleum recipiat aegrotus, maneque unius conchae mensuram adhibeat. —

In sene superiorem ad modum cibus et fructuum usus. — Aut ex Semicarpi anacardii pulpis oleum recipiat aegrotus, corruptis humoribus liberatus reunioneque (vulnerum) praeditus, in domum, ventis non expositam, ingrediatur et pro viribus Prasṛitam unum et unum Prakuńcham olei adhibeat. — In sene lac, butyrum clarificatum oryzaque cocta cibus sit. — Sic, per unum mensem (illud) adhibendo, aegrotus, per tres menses cibum demonstratum sumens, se ipsum servare potest. Deinde omnibus morbis sublatis, coloratus, robustus, audiendi, accipiendi tenendique facultate praeditus fit et centum annos vivit. Adhibendo per singulum mensem, centum annos vivet; centum anni sunt aetatis provectio. Sic adhibendo per decem menses, mille (permultos) annos vivet.

Sunt hic ślokae:

„Sicut omnes lepras discutiunt Mimosa ferruginea et Citrus medica, sic etiam tubercula haemorrhoidalia omnia Wrightea antidysenterica et Semicarpus anacardium discutiunt. Sicut incurabiles urinarii affectus non Indigoferam tinctoriam praetergrediuntur, sic lixivium causticum non praetergrediuntur visibiles ani productiones (tubercula haemorrhoidalia). Butyra clarificata splendida, cibum validum facientes liquores spirituosi et spiritus destillati adhibenda sunt aegroto, humorum corruptorum exortum intuito. Impetum, perturbationem, uxores, in dorso (equorum etc.) profectionem, multam sessionem, sicut improprium corruptumque cibum, in haemorrhoidibus evitet.“

Caput VII.

Nunc vero calculi (lithiasis) therapiam expositurì sumus.

„Calculus horribilis morbus est, letho similis creditus. Medicamentis adolescens curabilis est; aetate provectus autem lithotomiam desiderat.

In calculi prioribus formis oleamenti etc. ratio quaeritur, qua hujus morbi elementa ad maturitatem omnino perveniunt. Plectranthus scutellaroi-

des, Aeschynomene grandiflora, Pothus officinalis, Oxalis, Asparagus racemosus, Flacourtia cataphracta, Solanum jacquini, Flacourtia sapida, Columba domestica, Solanum melongena, Barleria caerulea, Pentaptera arjuna, Andropogon muricatus, Trapa bispinosa, Hedysarum gangeticum, B'ballúca, Capparis trifoliata, Tectonae grandis fructus, Hordeum hexastichon, Dolichos biflorus, Zizyphus jujuba et Strychni potatorum fructus, — ex horum scilicet decoctionibus confectum butyrum, salinis terris etc. conditum, celeriter calculum, ab aëre ortum, resolvit. Lixivia caustica, aquas fermentatas, jura, infusiones, emulsiones et cibos conficiat illa ex classe aërem delente. —

Poa cynosuroides, Saccharum spontaneum, lac coagulatum, Cyperus pertenuis, Cassia fistula, radix Sacchari officinarum, Plectranthus scutellaroides, Asparagus racemosus, Convolvulus paniculatus, Varáhí, Oryza sativa, radix Ari campanulati, Ruellia longifolia, B'hallúka, Bignonia suaveolens, Cysampelos hexandra, Achyranthes triandra, Barleria prionitis, Trianthema monogynia et Mimosa sirisha decoquuntur; in his paratum butyrum, styrace et Glycyrrhizae glabrae, Nymphaeae caeruleae, Cucumeris sativi, Cucumeris utilatissimi etc. seminibus conspersum, comprobatum est et celeriter resolvit calculum, a bile ortum. Lixivia caustica, aquas fermentatas, jura, infusiones, emulsiones et cibos conficiat illa ex classe bilem delente. —

Medicamentorum classis autem a Cappari trifoliata incipiens, Bdellium, Elettaria cardamomum, Pisum sativum, butyrum caprinum cum Costo arabico, Phrynio dichotomo etc., Pipere nigro, Plumbagine zeylanica, simul et cum Pinu Dévadáru et cum classe a terris salinis incipiente paratum, celeriter resolvunt calculum a phlegmate ortum. Lixivia caustica, aquas fermentatas, jura, infusiones, emulsiones et cibos conficiat illa ex classe phlegma delente.

Cum Vangueriae spinosae, Alangii hexapetali, Strychni potatorum, Galedupae arboreae et Nymphaeae caeruleae fructibus contritis aquam saccharo mistam, calculos mitigantem, bibat. Ardearum, camelorum et asinorum ossa, Flacourtia cataphracta, Curculigo orchioides, Carum carvi, Naucleae cadambae radix et zingiber aridum sorpta ex liquore spirituoso aut ex calida aqua calculum resolvere valent. Pulverem seminum Ruelliae longifoliae cum melle compositum ex lacte ovillo per septem dies lithontripticon bibat. Substantiarum autem butyracearum lixivium, in ovillam urinam stillatum et cum porcinae essentiae excrementique lixiviis compositum, lente paratum est. Ibi salinae terrae etc. inspersio facienda est, cum Pipere nigro, Pipere longo et arido zingiberi commixta. Hoc lixivium calculum, indurationem glandularum mesentericarum et arenam resolvit. Ex Sesami orientalis, Achyranthae asperae, Musae paradisiacae, Buteae frondosae et Hordei hexastichi cortice confectum lixivium bibendum est in ovilla urina, arenam delens medicamen eximium. Bignoniae suaveolentis et Nerii odori lixivium etiam sumat; aut

sedimenti Flacourtiae cataphractae, liquiritiae et Rutae graveolentis unum Aksham bibat; aut Barleria alba et Aedaka bibendae sunt, aut Hyperanthera morunga et Kamárkava; aut Kapotavankae radicem bibat ex acidis, liquoribus spirituosis etc.; aut ex hoc confectum jus bibat homo doloribus affectus, aut ex Terminalia chebula etc. confectum. Quovis modo etiam adhibenda est classis medicaminum a Pentaptera arjuna incipiens in butyris liquefactis, lixiviis, infusionibus et lactibus animalibus.

Sin non sedationem adipiscitur aegrotus, sectio optima ratio est.

Medici quamvis periti operatio incerta est. Itaque ultima curatio illa est appellata. Omissa hac operatione, certa est mors; operatione autem peracta, in dubio esse potest vita. Idcirco Isvarae benedicens probus operator operari debet.

Aegrotum inunctum, vitiis humorum privatum, paululum emaceratum, illito exhalatoque corpore praeditum, coenatum, sacrificii, faustitatis atque benedictionis compotem ex sacrificali ritu prius dicto, et praeparatis rebus necessariis instructum medicus consoletur; dein fortem impavidumque virum in scuto usque ad genua aequali prius considere jubeat; tum in coxa innitentem antea corpus, deinde supinum cubantem, coxas erigentem, in vestium receptaculo sedentem, genua cubitosque adtrahentem et vinculo aut tunicis interioribus constrictum aegrotum, scilicet ejus sinistrum bene inunctae umbilicalis regionis latus, terat medicus, pugno premat inde ab umbilico deorsum, donec calculus deorsum delapsus est. Deinde oleo inunctos, unguibus purgatos digitos, scilicet sinistrum indicem digitum et medium ano inserat, secundum suturam intret, studio et vi intervallum ani penisque adducat, indolor, incontentum et non inaequale abdomen inferius (vesicam) aggrediatur valdeque sursum premat duobus digitis, ut nodi instar editus fiat calculus.

„Homo, si prehenso calculo patitur animi deliquium, quasi occisus dependulo capite praeditus mortuoque similis est, ne illius calculum medicus extrahat; sin vero extrahit, illi necesse est mori. His autem absentibus symptomatibus, extrahere calculum medicus aggrediatur.“

In sinistro latere suturam ad Hordei hexastichi magnitudinem declinans medicus quaerat scalpellum pro calculi magnitudine; aut in dextro latere, propter operandi facilitatem. Sic quidam dicunt. Ne findatur, neve conteratur calculus, medicus operam det. Pulvis enim remanens quamvis exiguus incrementum denuo capit. Idcirco integrum calculum forcipe medicus excipiat.

Feminarum vero uterus, abdominis inferioris (vesicae) latus ingressus proximus est. Idcirco ne feminis, ut in epigastrica sectione (virorum), scalpellum demittat, sed sane aliter; illis (feminis) vulnus circa urinae fluxum (urethram) fiat.

In viro autem post laesum urinae effusorem (urethram) urinae dispersio oritur.

Calculi sectione exceptâ, abdomen inferius (vesica) ne simpliciter quidem findatur; dupliciter in abdomine inferiori (vesica) fissus calculosus non sanatur. Sed calculi sectandi causâ simpliciter in abdomine inferiori (vesica) fissus vivit ob curationis propinquitatem plagamque ex praescripto factam, et ob incrementum effluvii calculorum.

Illum, cujus calculus extractus est, in solium calidae aquae demittat sudoremque eliciat; sic enim abdomen inferius sanguine non impletur. Impleto autem abdomine inferiore, Ficus glomeratae infusionem ex florum oculis medicus tribuat.

Est hic ślokas:

„Ficus glomeratae infusio ex florum oculis adhibita celeriter extrahere valet calculos sanguinemque ingressum in abdomen inferius."

Urinalis viae purgandae causâ aegroto sacchari saturitatem offerat. Calculo evulso vulnereque mellibus butyrisque illito aquam oryzae fermentatam, cum urinae purgandae substantiis paratam, calidam conditamque butyro medicus bibere det per trinoctium; post trinoctium autem ex aqua saccharo saturata exiguam mitis oryzae coctae partem per decem noctes edendam medicus curet, urinae sanguinisque purgandi causâ; vulneris vero humectandi causâ, post decem noctes juribus carnis, acido fructuum conditis, curet. Deinde medicus non vesanus sudorem aegroti per decem noctes moveat oleo aut decoctionum vapore. Aut Ficus glomeratae infusione illius vulnus abluat. Sedimenta Symploci racemosae, Glycyrrhizae glabrae, Rubiae manjistae et Prapauńdárikae adhibeat vulneri. In his vero, cum Curcuma longa commixtis, oleum Sesami orientalis, aut butyrum coctum, vulneris linimentum est. Spisso sanguine vexatum superioribus vestimentis curet. Urinâ post septem noctes suam viam non ingrediente, vulnus ex praescripto jam dicto medicus urat igne. Ingressâ suam viam urinâ, superiorum vestimentorum et habitationis suffitionibus dulcibus adstringentibusque medicus curet. — Vel urinae iter sponte ingredientem et intus inhaerentem seminalem calculum aut arenam fluxu (injectione) egerat; sin vero id impossibile est, fitulam (urethram) scalpello dissecet et calculum hamulo extrahat. Impleto vulnere, elephantos, equos, montes, serpentes, currus et arbores ne ascendat; per pluvium anni tempus in aquis ne incedat, neve gravem cibum comedat.

Urinae viam, seminis virilis viam, scroti organa (testiculos), urinae effusorem, suturam, vulvam, anum et abdomen medicus evitet. Ibi enim, dissectâ urethrâ, mors post impletum urinis abdomen oritur; seminis virilis viâ dissectâ, mors aut eviratio; scroti organis laesis, penis debilitatio; effusore vulnerato, urinae dispersio; suturâ et vulvâ dissectis, morborum apparentia; abdominis anique fissi signum antea jam dictum est.

Sunt hic ślokae:

„Membra hominum vitalia octo aquigena non noscens medicus, multos mortales interficit, operationum scalpellis ignarus: scilicet qui suturam, seminis virilis ductus, organa fructuum (testiculos), anum, urinae effusorem, urinae viam, vulvam et abdomen octavum non noscit."

Caput VIII.

Nunc vero therapiam fistularum in ano exposituri sumus.

Quinque fistularum genera in ano dicta sunt; in his insanabilis fistula, bivalvularum concharum instar turbine instructa, sagittae similis; reliquae sunt difficiles curatu.

Ibi fistularum tumoribus praeditum aegrotum medendi ratione, a jejuniis incipiente, et cum purgationibus finiente, undecimque praecepta continente, medicus curet, scilicet immaturatis tumoribus praeditum. Maturatis tumoribus, inunctum et in aqua calida sudantem aegrotum lecto imponat, sicut illum tuberculis haemorrhoidalibus affectum restringat, ani fistulam inspiciat, aut aversam, aut deorsum versam, aut externo internove orificio instructam; deinde demittat medicus specillum illamque erigat et simul cum sede eam eximat scalpello. Interno orificio pariter instrumentum penitus ingerat, in aegroti se protendentis orificium fistulae intret, specillum demittat et injiciat scalpellum, aut, cum intraverit, causticum lixivium. Hoc in omnibus ani fistulis commune est.

Specialiter vero:

„in media fistula, externis orificiis praedita, medicus faciat vulnera; deinde in vulneribus inflictis reliquas fistulas aggrediatur. Itinera mutuo connexa extera multifariam incidenda sunt. Fistulas inconnexas qui medicus simpliciter findit, ille facere potest hiulcum hominis vulnus, quod anum dissecet. Hujus vulneris hiulcam viam faeces urinaque sequuntur; borborygmum et ani dolorem valde faciunt flatus. Ibi doctrinas quamvis persecutus medicus sine dubio perturbari potest. Idcirco hiulcum vulnus in aegroto, externis fistulae orificiis affecto, non est faciendum. Ibi in multiforo morbo dignoscenti medico facienda est incisio aut semipalmata, aut palmata, aut cruciata, aut lateralis. A duobus aequalibus lateribus incisio palmata est appellata; sin vero alterum latus brevius est, illa semipalmata est commemorata; suturâ (raphe) evitatâ et ano quadrifariam dissecto, cruciatam incissionem vocant medici incisionis periti; scalpello propius ad latus accedente fiat incisio lateralis. Quoquoversus effluentes vias medicus igne urat. In timido enim infante incisio fistularum multiforarum difficilis est; morbosa effluvia delentem sudorem ibi medicus moveat diaphoreticis sic indicatis, pulmentis de

lacte, Sesamo orientali oryzaque, jusculis de lacte, oryza saccharoque officinarum etc., porcinis bubalinisque jusculis carnibusque, perdicibus ceterisque avibus. Hedysarum gangeticum, Ricinum communem recipiat, infusionem perfectam ab his conficiat et in vas olearium infundat; deinde tubi vapore medicus eliciat vaporem vulneris. Sesamum orientale, Ricinum communem, Linum usitatissimum, Phaseolum radiatum, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Sinapim dichotomam, sal fossile et acidorum medicaminum classem in urceo praeparet, hisque sudorem aegroti eliciat: sic aegrotus a curante medico sanatur. Exsudanti etiam Costum arabicum, sal fossile, Acorum calamum, Asam foetidam et Carum carvi, singulorum aequales partes, medicus bibere det ex butyro liquefacto, aut ex vinosa aciditate, aut ex spiritu Sauvirensi. Deinceps medicus liquiritâ et oleo Sesami orientalis illinat vulnus aegroti et circumlinat anum oleis aëreos morbos depellentibus. Hac methodo faeces urinaque suam viam ingrediuntur, aliaque vehementia phaenomena sine dubio solvuntur. —

Aegroti multiforis fistulis affecti et camelino sic dicto collo (fistula) vexati curationem audi!

Camelinum autem collum (fistulam) cum medicus exploraverit atque extenderit, lixivium causticum inspergat. Putris carnis enim inquirendae causâ ignis honoratus (indicatus) est. Sed hanc fistulam Sesamis orientalibus cum butyro clarificato commixtis contritisque inungat; deinde fasciam applicet atque conspersionem butyri liquefacti faciat. Tertio die resolvat medicus apteque purget. Dein, purgatum cum reddiderit, ex praescripto deliget. Cum vero viam non fluentem sapiens medicus effluam effecerit, lixivio caustico iter effluvii urat aut igne; tum placide calefacto exiguo oleo Sesami orientalis madefaciat circumferentiam ani. Inunctiones et superlitiones urinis lixiviisque causticis et vomitoriis medicaminibus faciendae sunt, atque adspersiones modicae. Ani fistulam exiguo effluvio morboso praeditam, mitem reddat, viam exploret et scalpello incidat. — Elatae sylvestris folio, dimidiae lunae, lunae orbi, acus foramini similem et demissis orificiis praeditam fistulam findat, igne eam penitus urat, aut rursus lixivio caustico. Tum purgativis et prius indicatis emollientibus purget.

Cujus infantis fistula externo internoque orificio instructa est, illi incommodus est purgamenti, ignis, scalpelli et lixivii caustici usus. Quodcunque mite et non acutum est, id infanti adhibeat. — Cassiae fistulae, Curcumae longae et Convolvuli turpethi nigri pulvis, melle butyroque clarificato humectatus eximiaeque turundae inditus, vulneribus commodum purgamen est. Hoc remedium celeriter delet fistulae viam, sicut nubem ventus.

Morbo adventiciis ex causis orto, fistulam scalpello diligenter dissecet et Eugeniâ jambu ignea aut Vangueriâ spinosa combusta vulnus, sicut dictum est, urat prudens perintentusque medicus.

Vermes interimentem (anthelminthicam) sagittasque adducentem methodum adhibeat; quam vero cum repudiaverit, a fasciis liberanda est fistula tribus humoribus corruptis orta. Haec medendi ratio indicata est in omnibus fistulis ex ordine. Ubi vero in iis ex scalpello demisso oriuntur dolores, ibi exiguo oleo Sesami orientalis calido adspersio laudatur. In urceo, medicamentis aërem pellentibus impleto, unum Śarávam capiente; calefacto exhalanteque anus, oleamentis illitus, insideat, aut per tubum jacenti aegroto vaporem morbos depellentem medicus adducat, aut calidae aquae immergendus est aegrotus. Sic dolor sedatur.

Ex Kadalí, Cervo axe, Cane aureo, Priyaka et Antilope composita unguenta medicus expertus suffimentaque etc. conficienda curet. Speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Acorum calamum, Asam foetidam, Hordeum hexastichon et Ligusticum ajwaën bibere det ex acido Dolichique biflori liquore spirituoso Sauvirensi etc. Cardiospermum halicacabum, Commelina salicifolia, Convolvulus turpethum album, Sesamum orientale, Costus arabicus, Anethum sowa, Galomi, Symplocos racemosa, Clitoria ternata et illa purifica classis ex Vitrioli Martis collyrio et lacte composita desiderantur.

Convolvulus turpethum album, Sesamum orientale, Rottleria tinctoria, Dantí et Rubia manjista cum lacte fiant purgamentum, idque cum sale fossili ac melle commixtum.

Collyrium, ambae Curcumae, Rubia manjista, Meliae azidaractae surculi et sedimentum Convolvuli turpethi albi, Pothi officinalis et Dantí ulcera fistularum delent.

Costus arabicus, Convolvulus turpethum album, Sesamum orientale, Dantí, Jasminum auriculatum, sal fossile, mel, Indigofera tinctoria, tres myrobalani et sulphas curpi sunt salubre purgamentum vulnerum; sic etiam Jasminum auriculatum, Glycyrrhiza glabra, Symplocos racemosa, Costus arabicus, Elettaria cardamomum, Pisum sativum, Mimosa pudica, Grislea tomentosa, Echites frutescens, Indigofera duplex (tinctoria et anil), Panicum italicum, resina Shoreae robustae, Nelumbium speciosum et Nelumbii speciosi filamentum.

Euphorbiam antiquorum, Acorum calamum, Commelinam salicifoliam et ceram cum sale fossili congerat, e congerie oleum coquendum curet doctus medicus. Hoc in cervicis inflammationibus glandulosis, in rotundis maculis urinalibusque affectionibus destruendis salubre oleum est, anique fistulas delet.

A Ficu indica incipiens classis etiam salubris est, purifica destruensque. Oleum butyrumve ex hac classe excoctum fistulas ani delet.

Convolvulus turpethum album, Dantí, Curcuma longa, Aristolochia indica, ferrum, Nerium odorum, Embeliae ribis succus, tres myrobalani, Euphorbiae antiquorum et Asclepiadis giganteae lac, mel et cera commisceantur, ex

quibus oleum coquendum est. Fistularum ani delendarum causâ praesertim hoc est adhibendum.

Plumbaginem zeylanicam, Asclepiadem giganteam, Convolvulum turpethum album, Cysampelon hexandram, Ficum oppositifoliam, Nerium odorum, Euphorbiam antiquorum, Acorum calamum, Commelinam salicifoliam, Echiten scholarem, alkali et Cardiospermum halicacabum doctus medicus congerat oleumque excoquat. Hoc enim oleum destillatum fistulis ani valde indat medicus. Id purgamen, destructivum simul et colorem efficiens duobusque vulneribus (vulneri et ulceri) utile remedium sapiens medicus in vulnerum conditionibus respiciat. —

A cavo sursum versum ferat medicus labium haemorrhoidalis instrumenti, hujus instrumenti gnarus; deinde hoc semilunare instrumentum in ani fistulam demittat.

Defatigationem, coitum, equitationem et gravia per unum annum evitet homo, vulnere hoc affectus.“

Caput IX.

Nunc vero leprarum therapiam exposituri sumus.

A malis cibis, intemperantia, impetu et laesione, pariterque ab inunctionum etc. applicationibus, improba curatione et a praemissae curationis remedio oritur cutis vitium. Cutis vitio affectus aegrotus carnem, adipem, lac, lac coagulatum, oleum, Dolichon biflorum, Phaseolum radiatum, Saccharum officinarum, corruptos, acidos malosque cibos, indigestibiles calefacientesque liquores, diurnum somnum et concubitum evitet.

Deinceps Oryzam sativam, Oryzam praecocem, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Paspalum scrobiculatum, Panicum frumentaceum, Cordiam latifoliam etc. recentia comedat, aut ex Phaseoli mungonis Cytisive cajan jure, aut ex sorbitione cum Melia azidaracta, Lauri cassiae foliis et Semicarpo anacardio commixta, aut ex Cotyles asiaticae, Serratulae anthelminthicae, Justiciae adhenatodae et Asclepiadis giganteae floribus, cum butyro clarificato vel cum Sinapis dichotomae oleo paratis, aut ex amara jam demonstrata classe. Carni addicto homini medicus praebeat perdicis carnem non adipalem comedendam; aut oleum ex Sesami orientalis floribus inungendum; aut a Cassia fistula incipientes infusiones, purgandi causâ; et in potionibus, adspersionibus, lavationibus etc. Mimusae ferrugineae infusionem.

Sic ciborum et vivendi rationis dispositio.

Porro in prioribus leprae formis medicus a duobus lateribus ablutionem

colat; leprâ autem cutem aggressâ, ablutiones et inunctiones; sanguinem aggressâ, ablutiones, inunctiones, infusionum potiones et sanguinis adspersiones; carnem aggressâ, ablutiones, inunctiones, infusionum potiones, sanguinis adspersiones, Sapindi saponariae et ptisanae cibum adhibeat.

Lepra autem quarta, reactionis qualitatem nacta, dubia est quoad essentiam et quoad medendi rationem. Ibi post ablutionem et sanguinis adspersionem medicus Semicarpi anacardii, bituminis, bdellii, Aquilariae ovatae, Cytisi cajan, Mimosae ferrugineae, Terminaliae alatae tomentosae et Ayaskr̆ti praeceptum observet. — Quintam leprae formam ne vero curet.

Ex Asclepiade geminata, Flacourtia cataphracta, Śárngashía, Menispermo cordifolio et bis quinque radicibus confectum oleum butyrumve aegrotis aëreâ lepra affectis in potione inunctioneque adhibeat.

Ex Grislea tomentosa, Shorea robusta, bdellio, Butea frondosa, Vangueria spinosa, Melia azidaracta, Oldenlandia biflora, Glycyrrhiza glabra, Symploco racemosa et Mimosa pudica confectum butyrum aegrotis biliosâ lepra affectis adhibeat.

Ex Chironjia sapida, Shorea robusta, Cassia fistula, Melia azidaracta, Echite scholari, Plumbagine zeylanica, Pipere nigro, Acoro calamo et Costo arabico confectum butyrum aegrotis phlegmaticâ lepra affectis adhibeat.

Ex Semicarpo anacardio, Terminalia citrina et Embelia ribe confectum butyrum omnibus leprosis adhibeat; sic etiam Cytisi cajan et Semicarpi anacardii oleum.

Echites scholaris, Cassia fistula, Ativisha, Cysampelos hexandra, Michelia champaca, Asclepias acida, Menispermum cordifolium, tres myrobalani, Trichosanthes dioeca, Melia azidaracta, Oldenlandia biflora, Hedysarum alhagi, Tráyamáńa, Cyperus rotundus, Sirium myrtifolium, Nelumbium speciosum, Curcuma longa, Piper longum, Cucumis colocynthis, Sanseviera zeylanica, Asparagus racemosus, Echites frutescens, Echites antidysenterica, Hordeum hexastichon, Justicia adhenatoda, Acorus calamus, Glycyrrhiza glabra, Gentiana cherayta et Lycopodium imbricatum, scilicet horum partes aequalès, fiant sedimentum; hoc sedimento parato, quatuor partes butyri clarificati, duas partes succi ex Phyllanthi emblicae fructibus et quatuor partes aquae recipiat, tum simpliciter agitet et decoquat. Hoc peramarum sic dictum butyrum miseriam leprae, febres, haemorrhagiam biliosam, cordis morbos, delirium, epilepsiam, indurationem glandularum mesentericarum, phlyctaenas, aneurysmata, colli tumores, tubera colli glandulosa, elephantiasin, icterum, herpetem, impotentiam virilem, pruriginem, impetiginem etc. sedare valet.

Tres myrobalanos, Trichosanthen dioecam, Meliam azidaractam, Justiciam adhenatodam, Micheliam champacam, Asclepiadem acidam, Hedysarum alhagi, Tráyamáńam et Oldenlandiam bifloram, scilicet duo Pala, in unum Drońam aquae injiciat, sedimentosam infusionem recipiat; cum sedi-

mento conterenda sunt haec medicamina, scilicet dimidium Pala, Tráyamáńa, Cyperus rotundus, Echites antidysenterica, Hordeum hexastichon, Sirium myrtifolium, Gentiana cherayta et Piper longum; ea in unum Prast'ham butyri clarificati deponat et decoquat. Hoc amarum sic dictum butyrum miseriam leprae, febres, indurationes glandularum mesentericarum, tubercula haemorrhoidalia, diarrhoeam, trium humorum vitia, tumores, icterum, herpetem et impotentiam virilem sedat.

Porro unum, duo, tria, quatuor vel quinque vasa (venas) leprosi hominis ullo butyro inuncti sudabundique incidat, rotundas maculas editas scarificet aut identidem abscindat; aut leprosum osse sepiae, foliis Tectonae grandis, Goji et Fici oppositifoliae fricet, tum oblinat aut sedimentis Lákshae, resinae Shoreae robustae, collyrii, Cassiae torae, Serratulae anthelminthicae, Pothi officinalis, Nerii odori, Asclepiadis giganteae, Echitae antidysentericae, Cassiae fistulae et Ari campanulati, cum urina bileve contritis; aut sedimentis Svarjikae, vitrioli caerulei, vitrioli Martis, Embeliae ribis, fuliginis, Plumbaginis zeylanicae, Wrighteae antidysentericae, Euphorbiae antiquorum, Curcumae longae et salis fossilis (haec etiam deponat juxta lixivii praeceptum in fluido viridi lixivio, decoquat ut saccharum crudum, deinde productum eximat atque illinendum curet); aut Cardiospermi halicacabi, Echitae antidysentericae, Lákshae, Piperis nigri et Caesalpiniae bonducellae foliis; aut sedimentis arsenici flavi, arsenici rubri, Asclepiadis giganteae lactis, Sesami orientalis, Morungae guilandinae et Piperis nigri; aut sedimentis Svastikae, Costi arabici, vitrioli caerulei, Echitae antidysentericae, Plumbaginis zeylanicae, Embeliae ribis, Piperis nigri et arsenici rubri, aut sedimentis Terminaliae chebulae, Galedupae arboreae, Embeliae ribis, Sinapis albae, muriatis sodae, Rochanae, Valguchae et Curcumae longae.

„Omnia lepram depellentia unguenta confecta septem indicata sunt. Dehinc autem specialia in herpetibus leprisque ex me audi!"

Lacca, Costus arabicus, Sinapis dichotoma, Śríniképta, Rátri, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis confecta et semen Cassiae torae in unum coacta atque in lacte ebutyrato contrita fiant unguentum in herpetibus indicatum, cum semine Raphani sativi compositum.

In Sind'hu natum Cassiae torae semen, saccharatum Nelumbii speciosi filamentum et collyrium ex calce aeris confectum fiant contritum unguentum, quod remedium cum Crataevae valangae succo herpetes celeriter delet.

Asclepias acida, Cassia fistula, Mimosa sirisha, Melia azidaracta, Shorea robusta et Wrightea antidysenterica cum Terminalia alata tomentosa velociter horribiles delent herpetes, in lavationibus, inunctionibus et frictionibus adhibita.

Phrynii dichotomi et Ficus glomeratae radici similem medicus det radicem

Ficus oppositifoliae, conterendamque curet; parata aqua flava, in igne leniter calefacta, tubera in lepra febreque efficere potest. Tigris elephantive cutis combusta et cum oleo Sesami orientalis commixta unguentum fit pro dissecto tubere.

Foetor, insectum quoddam, cum Buchananiae latifoliae lixivio paratus, lepram unicus delet. Nigri colubri atramentum bene combustum et Terminaliae belericae oleum est secundum. Hoc totum contritum inungatur; lepras omnes celeriter delet.

In aqua ultra dimidium sumta oleum Sesami orientalis ex bene fluentis lixivii praescripto septies coctum est. Ex hoc oleo, quatuor qualitatibus praedito, fit linimentum lepras delens. Hoc praestantissimum est.

Cum butyro clarificato commixtum Cassiae torae semen, Costum arabicum, Siphonanthum indicam et Glycyrrhizam glabram medicus conterat et albo, quadrupliciter culto esurientique gallo domestico det; hujus faeces colligat excoctasque quoquoversus illinat. Per spatium menstruum adhibeat hoc remedium, tum lepram delebit.

In lixivio bene usto, ex elephanti testiculis orto, per elephanti urinam copiose effluxo, mensuram unius Dronae implente, semen Serratulae anthelminthicae, cum decem partibus commixtum, deponat et coquat. Hoc semen, quando ad mollitudinem pervenerit, tum integros bolos conficiat medicus; lepram inungat; cum vero fricuerit hac massa, celeriter justam coloris naturam lepra recipit.

Ex infusionum praescripto bene infusam cutem foliorum Mangiferae indicae et Terminaliae chebulae cum in cuprinam lampadem medicus sapiens demiserit, ellychnium, lacte Fici indicae bene infusum, accenderit, hoc effectum atramentum exemerit, idque conveniente aqua infuderit, asservatum hoc remedium, pungente Sesami orientalis oleo humefactum, pustulam valde aggredietur.

Ex Serratula anthelminthica natum semen, praestantissimum, aquigenum, Ardisia solanacea, Ficus glomerata, lacca, ferrum, Jasmini auriculati, Shoreae robustae styracisque pulvis et nigricolora Sesama orientalia aequalia facienda sunt; globosam massam medicus ex his faciat cum bubulo felle contritam. Inunctio facienda est, leprosorum lepram delens. Post inunctionem fel taurinum lepram delet, Andropogonve combustus et cum illo commixtus.

Sulphas cupri, auripigmentum, Wrightea antidysenterica, Species de Pipere longo, Pipere nigro et Zingiberi arido, Justicia adhenatoda, Asclepias gigantea et Nerium odorum, Costus arabicus, Serratula anthelminthica, Semicarpus anacardium, Mimusops kauki, Sinapis dichotoma, Euphorbia antiquorum, Symploci racemosae, Sapindi saponariae, Salvadorae persicae et Cassiae fistulae folia; — semen Embeliae ribis et Aśvahantris, duae Curcumae et duo Solana. Duo haec sunt remedia, post quorum inunctionem lepra omnino interit.

Ficus oppositifoliae, Solani indici et Mollugìnis pentaphyllae, singulorum centum partes medicus cum receperit, ferri pulverati duos Prast'has et trium myrobalanorum tres Ád'hakas, in tribus Droñis aquae decoquat ad remanentiam duarum partium. Residuum decoquat denuo cum sequentibus subtiliter contritis sedimentis, scilicet ex Echite antidysenterica, Hordeo hexasticho, specie Piperis longi, Piperis nigri et zingiberis aridi, Lauro cassia, Pinu Dévadáru, Cassia fistula, Cardiospermo halicacabo, Dantí, Serratula anthelminthica, Mesua ferrea et Flacourtia sapida confectis; butyrum clarificatum cum his concoctum medicus adhibeat leprosis. Hoc remedium, vitia humorum et elementa corporis ingressum ex potione, ex inunctione autem cutem aggressum, lepram feminarum quasi incurabilem, nominatim lividam, coërcet.

Trium myrobalanorum, Lauri cassiae, speciei de Pipere longo, Pipere nigro aridoque zingibere, Anethi sowae, Jasmini arabici, Ficus oppositifoliae et Cassiae fistulae, singulorum unam Tulam, Solani indici, Asclepiadis giganteae, Capparis trifoliatae, Dantí, Echitae antidysentericae, Plumbaginis zeylanicae, Curcumae zanthorhizae et Solani jacquini, singulorum decem Pala medicus recipiat, in tribus Droñis aquae coquat ad remanentiam Prast'harum sex; stercorei liquoris, lactis coagulati, lactis et urinae, singulorum Ád'hakam unum addat. Sic butyri ex his confectio fiat. Cum Gentiana cherayta, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Plumbagine zeylanica, Galedupa arborea, Echite antidysenterica, Nyctanthe tristi, Convolvulo turpetho floribus nigris, Serratula anthelminthica, Salvadora persica, Indigofera anil, Melia azidaracta et Carthamo tinctorio compositum hoc butyrum, lepram delens, post inunctionem in leprosarum feminarum corpore colorem generat, ani fistulas, vermes, haemorrhoides et rheumarthritidem coërcet.

Urina vaccina cum Plumbagine zeylanica, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et melle commixta, in butyri vas ingesta, leprosis in posterum bibenda est. Observet ibi medicus praeceptum de lepra datum.

Caesalpiniae bonducellae, Asclepiadis giganteae, Euphorbiae antiquorum, Narac, Pentapterae arjunae et Jasmini grandiflori gemmae cum urinis contrita fiant unguentum, quod lepram discutit, herpetisque ulcera, corrupta tubercula haemorrhoidalia et ulcera fistularum.

Postea, sursum effluente corrupto sanguine, medicus non vesanus reviviscentem butyro clarificato inungat, acribus remediis vomitum faciat et difficile humorum vitium deinde eripiat.

Qui prave vomuit aut prave purgatus est, fieri potest leprosus, corpore vitiis surrectis impleto vexatus. Infectum aegrotum adit insanabilitas; celeriter igitur universa humorum vitia illius medicus eripiat. Dehinc vomitoria bibat aegrotus singulis mensibus; purgativum etiam est dandum; sanguis

quotannis est bis mittendus; exiguum sternutatatorium medicus det tertio quoque die.

Terminaliam chebulam et speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis cum Saccharo officinarum oleoque Sesami orientalis compositas lingendo aegrotus celeriter liberatur a lepra.

Vel Phyllanthum emblicam, Terminaliam chebulam, Terminaliam belericam, Piper longum et Embeliam ribem ex melle butyroque oleoso singulatim delingat.

Vel cum biberit per mensem unum Curcumae longae Pala unum ex urina, finem maligni morbi faciet. Sic bibenda est Plumbago zeylanica, subtiliter cantrita, aut Piper longum, ut prius dictum est, cum urina commixtum. Pari modo etiam collyrium per mensis spatium est bibendum; eo semper etiam corpus illinat.

Sapindi saponariae et Echitae scholaris cortices, parem etiam laccae partem, Cyperum rotundum, quinque parvas radices, duas Curcumas, Rubiam manjistam, Terminaliam belericam, Justiciam ganderussam, Pinum Dévadáru, Terminaliam chebulam, Plumbaginem zeylanicam, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Phyllanthum emblicam, Embeliam ribem, singulorum partes aequales medicus commisceat pulveremque ex illis faciat; de hoc unum Pala commedens aegrotus a lepra liberatur. Aut butyri clarificati, cum tribus myrobalanis et specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis commixti, unum Dron̋am adhibens, aut cum vaccinae urinae et aquae Dron̋a uno paratam Terminaliam belericam et Pinum longifoliam, aut cum his paratam butyrum, delere etiam potest lepram.

Symplocos racemosa, Sapindus saponaria, Nelumbium speciosum, Raktasára, Saptáhva, Terminalia belerica, Wrightea antidysenterica et Citrus medica adhibenda sunt in balneo cauterisati hominis; aut bibendus est Convolvulus turpethum album, cum melle commixtus.

Comedat leprosus, carne collapsa, veteres Phaseolos mungones, commixtos cum Meliae azidaractae aqua et oleo Sesami orientalis.

Decoctionem Meliae azidaractae bibat mente praeditus, aut decoctionem Asclepiadis giganteae, Solani trilobati et Xanthocymi pictorii.

Peresis membris, Nerii odori radix fiat unguentum cum Embelia ribe et urinis commixtum. Urinis leprosum humectet et omnes cibos cum Embelia ribe commixtos illi praebeat comedendos.

Aut Galedupae arboreae, aut Sinapis dichotomae, aut Morungae guilandinae et Mangiferae indicae oleum ulceribus instillandum est; aut decoctum ex omnibus pungentibus, calefacientibus et amaris, et residuum, pro vitiis humorum, adhibenda sunt.

Radices Echitae antidysentericae, Galedupae arboreae, Asclepiadis giganteae, Jasmini grandiflori, Nerii odori, Euphorbiae antiquorum, Mimosae

sírishae, Plumbaginis zeylanicae et Jasmini angustifolii, fibras Nelumbii speciosi, Commelinam salicifoliam, Siphonanthum indicam, Saccharum spontaneum, Shoream robustam, arsenicum rubrum, semen Galedupae arboreae, speciem Piperis nigri, Piperis longi aridique zingiberis, tres myrobalanos, duas Curcumas, Sinapim albam, Embeliam ribem et Cassiam toram colligat; ex his cum urina contritis coquatur oleum, lepram delens. Haec carbonas sodae impurae post inunctionem ulcera fistularum corrupta depellit.

Sinapim albam, Galedupam arboream, duas Curcumas, collyrium Amomi anthorhizae, Echiten antidysentericam, Cassiam toram, Echiten scholarem, Cucumim colocynthidem, laccam, resinam Shoreae robustae, Asclepiadem giganteam, Jasminum angustifolium, Cassiam fistulam, Euphorbiam antiquorum, Mimosam sirisham, Cytisum cajan, Semicarpum anacardium, Acorum calamum, Costum arabicum, Eryciben paniculatam, Rubiam manjistam, Commelinam salicifoliam, Plumbaginem zeylanicam, Jasminum grandiflorum, Kutútumbim, Micheliam champacam, Raphanum sativum, sal fossile, Nerium odorum, fuliginem, fibras Nelumbii speciosi, Convolvulum turpethum album, oxydum plumbi rubrum, aurum et vitriolum caeruleum, singulorum partes aequales pro sedimento conterendas medicus curet; vaccinae urinae partes duas, olei Sesami orientalis, aut olei pervalidi Galedupae arboreae, aut olei magnifici Sinapis dichotomae partes quatuor addat. Post inunctionem omnes lepras, tubera colli glandulosa, ani fistulas, ulcera fistularum corrupta horribilia ibi sine dubio depellere potest. — Magna soda hoc sic appellatum oleum, magnis qualitatibus praeditum, oleum videlicet ex fellis pulveribus, cum urina contritis, et ex illa medicaminum classe a lacca incipiente confectum, septem dies in pungente Cucurbita lagenari medicus deponat; hominem deinde, qui quantitatem potavit et eo inunctus est, exsiccet in solis candore; et aegroti humores corrupti omnino abeunt.

Effluente humorum vitio affectum aegrotum medicus cum surgere fecerit, lavatum aquâ Mimosae ferrugineae, tum jus oryzae fermentatae, paratum cum Mimosae ferrugineae aqua, illi bibere det. Sic ex purgativa classe et ex medicaminibus lepram tollentibus conficiat olea, butyra et unguenta contrita. Mane adhibeat remedia purgativa proba, quinque, sex, septem aut octo. Qui vero surgere non valet, bibat urinam cameli; tabescens autem cibum ex illius lacte confectum; ortas lepras veras sex mensibus auferet.

Qui, leprâ vexatus, leprae finem videre desiderat, Mimosam ferrugineam quovis modo adhibeat in lavationibus, potionibus, cibis etc.

Sicut enim post incrementum lepra aegrotum vi occidit, sic adhibita Mimosa ferruginea lepram vi occidit.

Brevibus capillis unguibusque instructus, indefatigatus, salubribus comedendis herbis indulgens, feminas, carnem et liquores spirituosos evitans leprosus lepram tollit.“

Caput X.

Nunc vero magnae leprae therapiam exposituri sumus.

In lepris magnis, cum phlegmate morboso et intumescentia omnium membrorum complicatis, horribilibus, macie vexantibus et adiposis, medicamenta sequentia medicus, eximo ingenio instructus, praebeat.

Extrita Hordei hexastichi grana, purgata, noctu in vaccinis urinis macerata, in magna tegete exsiccet; sic per septem noctes infundat exsiccetque; deinde illa in cranio tosta conterat et cum quatuor partibus seminum Semicarpi anacardii, Cassiae torae, Serratulae anthelminthicae, Asclepiadis giganteae, Plumbaginis zeylanicae, Embeliae ribis et Cyperi rotundi commixta quotidie mane leprosis aut urinâ laborantibus ex infusione Shoreae robustae etc., aut ex infusione Mimosae catechu et Wrighteae antidysentericae bibere det.

Sic etiam Hordei hexastichi grana in Shoreae robustae etc. resinae infusionibus macerata, aut macerata in infusione Cassiae fistulae, aut vaccinis urinis superfusa et tosta cum contriverit et Semicarpi anacardii etc. pulveres cum adsperserit, tum haec potanda aut ex Mimosae ferrugineae, aut Terminaliae alatae tomentosae, aut Meliae azidaractae, aut Andersoniae rohitakae, aut Menispermi cordifolii infusionibus, cum Saccharo officinarum, melle syrupoque conditis, commixtis cum uvis, cum mali granati et Calami rotang acido compositis et sale fossili saleque marino praeditis, medicus omnium intrimentorum guarus praebeat.

Hordeaceos cibos, oryzam tostam, Lunchakam, fermentatam oryzae aquam, farinae plena ova, frumenta, ptisanam, Kákuňam, Víkonalim etc. comedenda medicus curet. Ex hordei praescripto Triticum aestivum et Bambusam arundinaceam adhibeat.

Deinceps spirituosos liquores indicaturi sumus.

Caesalpiniae bonducellae, Piperis chavyae, Plumbaginis zeylanicae, Pini Dévadáru, Echitae antidysentericae, Dantí et speciei de Pipere longo, Pipere nigro et arido zingiberi, singulorum Pala sex, Zizyphi jujubae Kuďava unus et trium myrobalanorum Kuďava unus fiant pulveres. Deinde in butyri vas, intus pipere, melle butyroque oblitum et antea rite purificatum, medicus ingerat septem Kuďavas aquae, ferri pulverati dimidium Kuďavam et sacchari officinarum dimidiam Tulam; tum nominatos pulveres inspergat, bene vas operculet, in hordeario corbi septem noctes (et dies) asservet et dein pro viribus adhibeat. Hic spirituosus liquor lepram, urethritidem gonorrhoicam, adipem, icterum et intumescentias depellit. Sic ex medicamentorum classibus aut a resina Shoreae robustae, aut a Ficu indica, aut a Cassia fistula incipientibus conservas medicus conficiat.

Porro spiritus destillatos indicaturi sumus.

Aquae calidae, in Buteae frondosae cinerem infusae et refrigeratae, tres partes, sacchari crudi duas partes simpliciter in spirituosorum liquorum modum medicus praebeat. Sic ex Sesami orientalis etc. lixiviis, aut ex medicamentorum classibus a resina Shoreae robustae, Ficu indica Cassiaque fistula incipientibus et urinis, spiritus destillatos medicus conficiat.

Nunc siceras indicaturi sumus.

Dalbergiae Sisu et Mimosae ferrugineae succum medicus sumat; Jasminum auriculatum, Premnam spinosam, Rutam graveolentem et Trichosanthen dioecam recipiat; hoc totum singulatim infusionis instar decoquat, aquam sumat et aequae, fermentationis gratiâ, fermentum contritum instillet, sicut dictum est. Ad hunc modum sicera fiat. Ex medicamentorum classibus a resina Skoreae robustae, Ficu indica et Cassia fistula incipientibus siceram conficiat.

Nunc linctus indicaturi sumus.

In Mimosae ferrugineae, Terminaliae alatae tomentosae, Meliae azidaractae, Buchananiae latifoliae et Shoreae robustae resinae decoctionem medicus injiciat hujus resinae liba, subtiliter contrita, deinde decoquat; hoc ne nimis dilutum, neve nimis spissatum deducat; ab eo, cum mellibus commixto, quantum volâ capi potest, jejunus aegrotus lingat. Pari modo ex medicamentorum classibus a resina Shoreae robustae, Ficu indica et Cassia fistula incipientibus linctus conficiat.

Deinde pulverum confectionem indicaturi sumus.

Ex Shoreae robustae resinis etc. medicus recipiat resinae pulveratae Prast'ham unum; in Cassiae fistulae etc. infusione valde maceratum, ex infusione resinae Shoreae robustae etc. potandum praebeat. Eodem modo ex Fici indicae etc. fructibus, et ex floribus Cassiae fistulae etc., pulveres conficiat.

Porro ferri praeparata indicaturi sumus.

Acris ferri laminas, tenues, salibus oblitas, vaccini stercoris igne fervefactas, infusione trium myrobalanorum et resinae Shoreae robustae etc. medicus adspergat; deinde sedecim partes, carbonibus Mimosae ferrugineae ustas, sedato igne, in subtiles pulveres redigat, sub vehemente tritura madefactos; deinde pro viribus dosin, cum butyro clarificato et melle commixtam, adhibeat. Seni, pro morbi indole, ne acidum, neve salsum cibum conficiat. Sic homo, Tulam unam adhibendo et lepram, urethrididem gonorrhoicam, adipem, intumescentiam, icterum, delirium et epilepsiam depellendo, centum annos vivet. In singula Tula enim est centum annorum qualitas excellens.

Eo in omnibus ferratis medicamentis ferri praecepta exposita sunt. —

Convolvuli turpethi albi, Convolvuli turpethi floribus nigris, Premnae

integrifoliae, Jasmini zambac floribus multiplicatis, Costi speciosi, Andropogonis aciculati, Symploci racemosae, trium myrobalanorum, Buteae frondosae, et Dalbergiae sisu sedimentum medicus recipiat, in patina ex Buteae frondosae ligno facta humectet, ferreum globulum carbonibus Mimosae ferrugineae calefactum vicies semel immittat, hoc recipiat, iterum humectet et in fictili per vaccini stercoris ignem coquat. Huic confecto duas partes pulveris Piperis longi etc., tantundemque mellis et butyri clarificati indat. Deinde hoc quarta parte privatum deducat, irriget et denuo ferri laminas igne calefactas injiciat. Tum sedatum, in ferreo vase bene opertum asservet; dein pro applicatione Śuktim unam et Prakuńcham unum adhibeat. Seni pro morbi indole victum ministret. Hoc vegetabilium medicamentorum praeparatum lepram sanatu difficillimam sanat, corpulentiam removet, tumorem discutit, diminutum ignem (digestionem) excitet, praecipue etiam demonstratur ex phthisi pulmonali laborantibus utile; eo centum annos homo vivit.

Shoreae robustae resinae etc. commixtionem medicus irriget in patina ex Buteae frondosae ligno facta, ferreum globulum calefactum immittat, in rite confecto urceo id irriget, Piperis longi etc. pulveris partem, mel et saccharum officinarum addat et hoc bene opertum asservet. Hoc magnum vegetabilium medicamentorum et ferri praeparatum, per mensem unum aut per dimidium mensem repositum, pro viribus adhibeat. Id quoque in medicamentorum classibus a Ficu indica et a Cassia fistula incipientibus praebeat.

Nunc Mimosae ferrugineae formulam demonstraturi sumus.

A laudata regione ortam, illaesam et media aetate praeditam Mimosam ferrugineam circumcirca effodi medicus jubeat, mediam radicem dissecet, ferreum vas in illo intervallo deponat, ut succi capiendi capax fiat; deinde hoc vas, vaccino stercore et luto oblitum, circumdet lignis cremialibus cum vaccino stercore commixtis, et ignem subjiciat. Cum illius ferventis succus fluit deorsum, tum agnoscat medicus, plenam esse ollam. Cum vero sacrificaverit et libaverit, succum in aliam pateram indat; bene opertum asservet; deinde pro applicatione dosin cum Phyllanthi emblicae succo, melle et butyro clarificato commisceat et adhibeat. Ex Semicarpi anacardii praescripto victus et diaeta. Uno Prast'ha adhibito, ad centum annos aetas provehitur.

Mimusae ferrugineae resinae Tulam unam in uno Drońa aquae decoqui medicus jubeat; residuum sexta decima parte privatum deducat et opertum asservet. Hoc cum Phyllanthi emblicae succo, melle et butyro clarificato commisceat et adhibeat. Hoc in omnibus arborum resinis ratio est.

Pulveris resinae Mimosae ferrugineae Tulam unam, aut decoctae resinae Mimosae ferrugineae dosin quotidie mane adhibeat, aut butyrum ovillum cum decocto resinae Mimosae ferrugineae paratum.

Menispermi glabri sedimentum aut decoctum quotidie mane adhibeat,

vel butyrum cum eo paratum. Tempore postmeridiano oryzam coctam butyro clarificato conditam ex Phyllanthi emblicae jure comedat. Hoc per mensem unum adhibito, ab omnibus lepris homo liberatur.

Oleum Piperis nigri, Sesami orientalis et Semicarpi anacardii, succi Phyllanthi emblicae et butyri clarificati Drońam unum, infusionis resinae Shoreae robustae etc., trium myrobalanorum, speciei de Pipere longo, Pipere nigro et zingiberi arido, pulpae et fructuum Xylocarpi granati, fructuum et resinae Embeliae ribis, Salviniae cucullatae, Asclepiadis giganteae, Serratulae anthelminthicae, Curcumarum ambarum, Convolvuli turpethi albi, Dautí, seminum Nerii antidysenterici, Glycyrrhizae glabrae, Ativishae, collyrii Amomi anthorrhizae et Panici italici, singulorum Pala unum simpliciter ex oleorum excoquendorum praescripto concoquat, hoc bene paratum deducat, superfundat et opertum asservet. Deinde refecto corpore praeditus quotidie mane, cum surrexerit, manualis conchae mensuram, cum melle commixtam, adhibeat. In senectute ex Phaseoli mungonis et Phyllanthi emblicae jure insulso mitem oryzam coctam, butyro clarificato conditam, cum Mimosae ferrugineae aqua comedat. Aqua Mimosae ferrugineae sic paratur. Drońam unum adhibeat prudens, ab omnibus lepris liberatus et purificato corpore instruetus; centum annos sanus vivet.

Est hic ślokas:

„Siceras, cibos hordeaceos, spiritus destillatos, spirituosos liquores, linctus, pulveres et ferri praeparata millenatim conficiat ex semine intelligens medicus.“

Caput XI.

Nunc vero urinalium morborum therapiam exposituri sumus.

Duo urinales sunt morbi: ingenitus et a perniciosis causis ortus. Ingenitus ex matris patrisque seminibus corruptis effectus est; a perniciosis causis ortus ex insanabili victu effectus est.

Illorum morborum priore vexatus aegrotus macer, asper, pauca comedens, sitiens et valde circumeundi cupidus; posteriore autem morbo affectus aegrotus corpulentus, polyphagus, pinguis et cubandi, sedendi dormiendique saepe cupidus fit. Ibi macrum curationibus circa cibos potionesque perfectis medicus sanet; corpulentum autem curationibus cum jejunio conjunctis. Omnes evitent Zizyphi jujubae fructus, Terminaliae belericae aquam, acetum, spiritum Lythri fruticosi, liquores spirituosos, spiritus destillatos, aquam, lac, oleum Sesami orientalis, butyrum clarificatum, saccharum officinarum

corruptum, lac coagulatum, farinaceum cibum, acidos potus, porcinas et bubulas carnes in jure.

Deinde Oryzam sativam, Oryzam praecocem, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum, Paspalum frumentaceum et Cordiam latifoliam, ne vero recentia haec, comedat aut ex Ciceris arietini, Cytisi cajan, Dolichi biflori et Phaseoli mungonis apparatu, aut ex amaris et adstringentibus olerum classibus cum Jatropha glauca, Terminalia catappa, Sinapi dichotoma, Lino usitatissimo et oleo Sesami orientalis paratis, aut ex ferinis carnibus, ligatâ urinâ praeditis, adipe privatis, non acidis, butyro non conditis.

Porro urina laborantem pinguem ullo oleo, aut butyro ex Priyangu etc. confecto, vomere et valde purgari medicus jubeat. Proxime post purgationem infusione Anethi sowae etc., Allii sativi, Pini Dévadáru Cyperique rotundi adspersione cum melle saleque fossili commixta, aestuantem autem infusione Fici indicae etc., olei experte, restauret.

Deinde, purificato corpore, ex Phyllanthi emblicae succo Curcumam longam cum melle commixtam medicus bibere det; aut infusionem trium myrobalanorum, Cucumeris colocynthidis, Pini Dévadáru et Cyperi juncifolii; aut sedimentum Shoreae robustae, Convolvuli turpethi albi et Bignoniae indicae scilicet A k s h a m unum, vel mellitum syrupum, ex Phyllanthi emblicae jure, cum curcuma longa commixtum; aut sedimentum florum Echitae antidysentericae, Crataevae valangae, Carthami tinctorii, Terminaliae belericae et Echitae scholaris; aut infusiones corticum, foliorum, radicum, fructuum et florum Micheliae azidaractae, Cassiae fistulae, Echitae scholaris, Sanseviereae zeylanicae, Echitae antidysentericae, Serratulae anthelminthicae et Buteae frondosae. — Haec quinque remedia, omnium urinalium affectionum interfectores, exposita sunt. —

D e h i n c s p e c i a l i t e r.

Ibi a q u o s â urinâ affecto aegroto infusionem Erythrinae fulgentis potandam medicus mandet; s a c c h a r a t â urinâ affecto infusionem Aeschynomenes sesban; s p i r i t u o s â urinâ affecto infusionem Meliae azidaractae; g l a r e o s a urinâ affecto infusionem Plumbaginis zeylanicae; t a r d e p r o f l u e n t e urinâ affecto infusionem Mimosae ferrugineae; s a l i t a urinâ affecto infusionem Cysampeli hexandrae et Aquilariae ovatae; a r e n o s â urina affecto infusionem Curcumae longae et Curcumae zanthorhizae; c r a s s â urinâ affecto infusionem Echitae scholaris; s e m i n o s â urinâ affecto infusionem Panici dactyli, Vallisneriae octandrae, Ficus infectoriae, Pistiae stratiotae, Galedupae arboreae et Scirpi kysoor, aut infusionem Pentapterae arjunae et Sirii myrtifolii; s p u m o s a urinâ affecto aegroto infusionem trium myrobalanorum, Cassiae fistulae et uvarum dulcem; urinâ p h l e g m a t i c â affecto mellitum syrupum; b i l i o s â n i g r â q u e urinâ affecto infusionem resinae Shoreae robustae etc., aut infusionem Ficus religiosae medicus potandam mandet;

Curcumae simili urina affecto infusionem Buchananiae latifoliae; acidâ urinâ affecto infusionem Ficus indicae etc. cum melle commixtam; lixiviis simili urina affecto infusionem trium myrobalanorum; Rubiae manjistae simili urina affecto infusionem Rubiae manjistae et Sirii myrtifolii; cruentâ urinâ affecto infusionem Menispermi cordifolii, Diospyri glutinosae et osseae lapideaeque Elates sylvestris, cum melle commixtam.

Inde in posterum depellendarum urinalium affectionum quamvis difficilium sanatu remedia indicaturi sumus, hoc modo:

Aegroto butyris liquidis simili urina affecto sedimentum Costi arabici, Echitae antidysentericae, Cysampeli hexandrae, Asae foetidae, Micheliae champacae et Asclepiadis acidae ex infusione Menispermi cordifolii et Plumbaginis zeylanicae potandum medicus mandet; adipali urina affecto infusionem Premnae integrifoliae, aut infusionem Dalbergiae sisu; mellita urina affecto infusionem Mimosae ferrugineae et Arecae catechu; elephantina urina affecto infusionem Diospyri glutinosae, Crataevae valangae, Mimosae sirishae, Buteae frondosae, Cysampeli hexandrae, Sansevierae zeylanicae et Hedysari alhagi cum melle commixtam, et lixivium ossium elephanti, equi, porci, asini et cameli; aestuante urina, aegroto fermentatam oryzae alicam cum aquosi Ari campanulati decoctione paratam et cum lacte, saccharo, aqua syrupoque commixtam, potandam medicus mandet.

Ex Panici italici, Panici dactyli, Jasmini auriculati, Hibisci mutabilis, Tráyantikae, Andersoniae rohitakae, Jasmini auriculati, corticis Punicae granati, Hedysari gangetici, Nelumbii speciosi, Rottleriae tinctoriae, Mesuae ferreae, Grisleae tomentosae, Mimusopis elengi, Bombacis heptaphylli, terebinthinae et Hyperantherae morungae juribus spirituosos liquores, ferri praeparata, linctus et destillatos spiritus medicus conficiat, aut ex Trapa bispinosa, Citro medica, Údyavi, Andropogone muricato, Scirpo kysoor, Glycyrrhiza glabra, Mangifera indica, Eugenia jambu, Terminalia alata tomentosa, Dalbergia ougeiniensi, Pentaptera arjuna, Bignonia indica, Symploco racemosa, Semicarpo anacardio, Charmi graveolente, Barringtonia acutangula, Punica granato, Shorea robusta, Aristolochia indica, Buchanania latifolia, Zizypho napeca et Ruellia longifolia.

Hordea incorrupta adhibeat.

Sicut dictum est, cum infusione paratam alicam oryzae fermentatam aegroto praebeat medicus; aut infusiones potandas domino, pretiosum convenientemque victum habenti et medicaminibus inimico, mandet; aut Cysampelo indica, floribus Trapae bispinosae et Plumbagine zeylanica impletum, exiguo melle praeditum, aut ullum alium spiritum destillatum, aut prunis in veru assam escam mellitam identidem praebeat; et potiones, melle, Crataeva valanga Pipereque nigro conditas aegroto offerat; et pulveres excrementorum

cameli, muli asinique ei in cibis det; et juribus pisinis cum Asa foetida saleque fossili commixtis atque condimentis cum Sinapi dichotoma paratis cibet; et non prohibitos ei potus cibosque offerat sapidos. Auctis vero urinae affectibus vexati colant contentionem, pugnam, lusum, elephantorum equorumque curribus pedibusque vectionem et incessionem, aut armorum exercitationem; aut inops, amicis destitutus, calceis umbellisque orbatus, cibum emendicatum comedens, in villa unam noctem habitans, anachoretae (Munis) instar sedato animo praeditus centum milliaria aut plura ambulet; aut opulentus, fructum Panici frumentacei, Oryzae montanae, Vrĭttis, Phyllanthi emblicae, Crataevae valangae, Diospyri glutinosae et Asmantakae comedens, cum antilopis habitet, earumque urinam excrementaque edens semper sequatur bovem; aut Bráhmaňa, spicas relictas colligendo victum nactus, Brahmae currum cognoscat, semper legat, aut humilis fodiat speluncam, macrum semper se reducat.

Est hic ślokas:

„Inops, ex medici praescripto agens, indefessus, post anni spatium ab urinae affectu liberatur.“

Caput XII.

Nunc vero tumorum ex urinalibus affectibus ortorum therapiam expposituri sumus.

Tumor paterae similis ceterique novem antedicti tumores hominum, exiguam cutem carnemque nacti, molles, parum dolentes et celeriter maturantes dirumpentesque, curabiles sunt. His obnoxium hominem, urinalibus morbis vexatum medicus curet. Ibi in primis formis abstinentiam, infusiones et caprinam urinam commendet. Non sic agentis, sed dulcia edentis, dulcis fit urina, sudor et phlegma, urinaeque affectio fit manifesta. Ibi a duobus lateribus purificationi inserviat. Non sic agentis vitia humorum aucta, carnem sanguinemque corrumpendo, tumorem procreant, vel phaenomena morbosa quaedam. Ibi indicata remediatio et vasorum sectio. Non sic agentis tumor auctus et ultra modum morbosus in phlogosin transit. Ibi scalpelli immissio indicata est vulnerisque inflicti curatio. Non sic agentis auctum pus, internum spatium lacerando et in coxa magnum spatium efficiendo, incurabile fit. Itaque ab initio aegrotum, ex urinalibus affectionibus laborantem, medicus curet.

Semicarpi anacardii, Aegles marmeli, Ambi, Piperis longi radicis, Audakiryyae, Varsháb'hí, Boërhaviae diffusae alatae, Plumbaginis zeylanicae.

Curcumae zerumbet, Euphorbiae antiquorum, Capparis trifoliatae, Costi speciosi, Dantí et Terminaliae chebulae decem Palas, Hordei hexastichi, fructuum Zizyphi jujubae et Dolichi biflori Prastham unum in uno Droṅa aquae decoquat et, quatuor partibus amissis, deducat; dein cum Acori calami, Convolvuli turpethi nigri, Convolvuli turpethi albi, Siphonanthi indicae, Barringtoniae acutangulae, Zingiberis officinalis, Pothi officinalis, Embeliae ribis et Mimosae sirishae partibus dimidium Pala aequantibus unum Prast'ham butyri clarificati concoquat. Urethritidem gonorrhoicam, intumescentiam, lepram, indurationem glandularum mesentericarum, abdominis intumescentiam, haemorrhoides, lienis affectus, phlegmonen internam et urinales tumores nominatim hoc D'hanvantaricum remedium delet.

Difficiles purgatu enim urina dulci afficiuntur; adipe repleti corporis causâ illis acutam medicus adhibeat purgationem.

Tumoribus affecti et phaenomenis morbosis vexati omnes urinales morbi ex urinae dulcedine, ob dulcis odoris universitatem, prognosin dulcia mingentium adipiscuntur. Neque vero hos ullo modo sudare medicus faciat; propter multam enim eorum adipem destruitur corpus sudatione; ob exsudantium urinalibusque morbis affectorum imbecillitatem humores se erigere non possunt. Deinde in illorum dulci urina affectorum inferiore corpore tumores apparent. Immaturorum humorum remediatio, ut in ulceribus, indicata est. Oleum Sesami orientalis in ulceris exorti initio conficiat; infusionem Cassiae fistulae etc. in suffimento, infusionem resinae Shoreae robustae etc. in adspersione, infusionem Piperis longi in potionibus cibisque adhibeat. Pulveres Cysampeli hexandri, Plumbaginis zeylanicae, Śárṅgashṭae, Solani melongenae, Solani jacquini, Echitae scholaris, Cassiae fistulae, Echitae antidysentericae et radicis Ari campanulati cum melle commixtos comedat.

Infusionem illius classis, incipientis a resina Shoreae robustae etc., quatuor partibus destitutam, medicus deducat, superfundat, denuo apponat et conficiat. Sub praeparatione pulveres Phyllanthi emblicae, Symploci racemosae, Panici italici, Dantí, ferri et cupri inspergat. Hunc non combustum linctum factum medicus deducat et opertum asservet. Deinde ad regulam adhibeat. Hic linctus omnes urinales affectiones discutit.

Trium myrobalanorum, Plumbaginis zeylanicae, speciei Piperis longi, Piperis nigri, Zingiberisque aridi, Embeliae ribis et Cyperi juncifolii novem partes, totidemque partes ferri pulverati recipiat, hoc totum commisceat et ad regulam dosin, cum butyro clarificato melleque compositam, adhibeat. Illud novem morbos nacto aegroto edendum est; non fit tum collapsus igni, (digestionis), sed restituitur; haemorrhoides, intumescentia, icterus, lepra, indigestio, catarrhus, anhelitus et urinales affectiones non oriuntur.

„Decocto resinae Shoreae robustae etc., quarta parte privato, transfuso,

tum refrigerato, apum mel inspergat; Saccharum crudum purificatumque et subtiliter contritos pulveres illius classis a Pipere longo incipientis, simpliciter inspergat urnae perfectae butyroque clarificato illitae, Piperis longi pulveribus et mellibus inunctae, interne purae extensaeque; tenuia acuti ferri folia ibi sapiens, Mimosae ferrugineae prunis usta, multipliciter colligat; bene clausum hoc in hordeaceo corbe deponat menses tres quatuorve usque ad ferri interitum. Deinde illum natum succum quotidie mane pro viribus adhibeat et ad regulam ex eo conficiat cibum. Negotia gerentibus robustisque hominibus hic ferratus spiritus, magna qualitate praeditus, remedium collapsae digestionis est, intumescentiam depellens, indurationem glandularum mesentericarum auferens, lepram, urethritidem gonorrhoicam et icterum discutiens, lienis affectiones abdominisque intumescentiam demens, difficiles febres celeriter delens et destillationem tollens.

Urinalibus affectionibus vexati hominis urina quando non pituitosa, non turbida, sed pellucida, amara et pungens est, tum morbosa vocatur."

Caput XIII.

Nunc vero dulcis urinae (diabetae melliti) therapiam expositari sumus.

„In dulcis urinae passionem (diabeten mellitum) delapsum, a medicis destitutum, urinali morbo affectum aegrotum sapiens medicus ex hoc praescripto curet:

Mense Aprili — Majo, et Majo — Junio etiam, montes sole celeriter calefacti fiunt et laccae similem propriam pinguedinem ex petris effundunt. Bitumen (petrarum lacca) sic dictum omnes morbos delet; a singulis sex metallis, stannum subsequentibus (tom. I. pag. 95) suam originem trahens suaveolensque cognoscendum est; ex sex causis proficiscitur in terra; ex metallis oritur: quocirca bitumen splendore exornatum est. Illa hujus metalli vis chylum etiam sustentat. Stannum, plumbum, ferrum ceteraque praecipua metalla quo sunt superiora, eo in optima adhibitione meliores qualitates (bituminis) commemoratae sunt. Omne bitumen, quod ex amaro pungens, adstringente sapore praeditum, fluidum, pungens in coctione et calefaciente vi instructum, exsiccans pariterque incidens est; — in his quod purpureum, non leve, quod arenae expers et quod vaccinae urinae odore praeditum est, id praestantissimum vocatur. Hoc cum succorum classibus digestum homo corruptorum humorum expers ineunte die, aut cum succo aquoso subtiliter contritum pro viribus bibat, et cum jure carnis cibum ex hoc vetusto bitumine comedat. Adhibendo unam Tulam ex hac substantia

montana, Ambrosiae simili, homo colore roboreque corporis instructus, dulci urina (diabete mellito) liberatus, vivere potest centum annos plenos, non decrepitus, immortalibus similis. Centeni anni in singula Tula, mille anni vero in decem Tulis sunt.

Ex Semicardii praescripto contemnenda formula commemorata est. — Urethritidem gonorrhoicam, lepram, epilepsiam, insaniam, elephantiasin, veneficium, tabem, intumescentiam, haemorrhoides, indurationem glandularum mesentericarum, icterum, difficilem febrem aufert bitumen brevi tempore adhibitum. Non exsistit morbus, quem non discutiat bitumen; calculos jam pridem ortos dividit, pariterque arenam. Conscientia et insania etiam in homine fieri possunt ex medicamentis datis. — Hoc autem metallicum elementum (bitumen) ex calore ortum, Ambrosiae simile, dulce et auri instar splendidum, aut acidum et argenti instar lucidum qui bibit, discutit decrepitam aetatem, lepram, urethritidem gonorrhoicam, icterum et phthisin pulmonalem. Hoc qui sumsit, columbas domesticas et Dolichon biflorum evitet. Quinque actionum qualitates praetergressum, fide praeditum inter vivendi cupidos, leprosum hominem hoc medicamento sapiens medicus reficiat. — Arbores adstringentes, quae sunt in occidentalis maris terris, habent ramos, commotos ventis, fluctuum agitatione ortis. Horum fructus capiat permaturos sub nubium adventu; medullam ex illis eximat, eam exsiccet, conterat et sicut Sesamum orientale exprimat, aut in vase digerat sicut Carthamum tinctorium. Hoc oleum exemtum denuo coquat usque ad aquae amissionem, deducat et in vaccino stercore arido quindecim dies deponat. Inunctus, sudore madens, excrementis vacuefactus, quindecim diebus post actuosus, quarta alimenti parte orbatus, primo crescentis lunae die fausto dosin hujus olei, hymnis sacris (mantris) lustrati, pro viribus bibat. Nunc vero hymnum sacrum declarabo, quo hoc oleum consecretur:

Tu medullae essentia, magno robore praedita, omnia corporis elem'enta purga! Concham, discum clavamque manu tenens Deus Atshyutas hoc tibi imperat.

Corrupti humores hominis hoc oleo sursum deorsumque abeunt; saepius deinceps olei salisque expertem aquam oryzae fermentatam frigidam vespere bibat. Quinque dies oleum ex hoc praecepto confectum homo bibat; quindecim autem dies id evitet, Phaseoli mungonis jus et oryzam coctam comedens. Quinque diebus hoc modo ab omnibus lepris tum liberatur aegrotus. Hoc (oleum) etiam in Mimosae ferrugineae decoctione, tribus qualitatibus praeditâ, bene probatum discutit (lepras); priore modo coctum id per unum mensem indefessus bibat. Hoc oleo, corpus cum inunxerit, conficiat cibum conditum. Voce fissa rubrisque oculis praeditum, laesum et vermibus exesum hominem lepra vexatum hoc medicamento celeriter curare medicus potest. Cum butyro clarificato et melle commixtum et ex aqua Mimosae ferrugineae

bibitum hoc medicamentum hominem, ex aviariae carnis jure cibos sumentem, ducentos annos viventem efficit. Id etiam, naso quinquaginta dies adhibitum, efficit formosum, auditu praeditum, trecentos annos viventem. Purgant hominem potatae medullae ex hujus olei quantitate. Magno robore praedita; adstringens, lepram urethritidemque gonorrhoicam delens, eximia, interno fumo praedita illius medulla, usta et injecta in oleum Sesami orientalis, Sind'hicum collyrium, vulnerarium, discutere potest etiam oculorum noctes, obscurationes obcaecationesque, nigrum morbum guttam serenam inunctione."

Caput XV.

Nunc vero abdominalium tumorum therapiam exposituri sumus.

Octo abdominales intumescentiae antea demonstratae sunt; in his tanquam incurabilis ano obstructo affecta et proflua; reliquae vero difficiles curatu sunt. Quas vero omnes repudians medicus aggrediatur.

Inter illas prima ex quatuor intumescentiis constans classis curabilis est medicamentis; chronicae omnes scalpellis curabiles aut relinquendae sunt. Abdominali intumescentia vexatus gravem, destillantem, asperam combustam et adipalem carnem, adspersiones et ablutiones evitet. Oryzam sativam, Oryzam praecocem, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum et Oryzam montanam semper comedat.

Porro aërea abdominis intumescentâ vexatum hominem medicus butyro, ex Hedysaro gangetico etc. parato, cum inunxerit et Symploci racemosae decoctione fricuerit, tum infusione Hedysari gangetici, oleo Salviniae cucullatae conditâ, stabiliat, fumiget, Śálvańâ abdomen deliget, alat cum lacte parato cum Hedysaro gangetico, et jure carnis identidem eliciat sudorem.

Biliosa abdominis intumescentiâ vexatum medicus butyro, ex dulci medicaminum classe decocto, cum inunxerit et Convolvuli turpethi nigri, trium myrobalanorum Convolvulique turpethi albi decoctione fricuerit, tum infusione Fici indicae etc., saccharo, melle butyroque conditâ, stabiliat, fumiget, cum pulte oryzae deliget abdomen et alat cum lacte parato cum Hedysaro gangetico.

Phlegmatica abdominis intumescentiâ vexatum medicus butyro, ex Piperis longi etc. infusione parato, cum inunxerit et Euphorbiae antiquorum lactis decoctione fricuerit, tum infusione Bignoniae indicae etc., Pipere longo, Pipere nigro zingibericque arido, urinâ, lixivio et oleo Sesami orientalis conditâ, stabiliat, fumiget, cum oleosis sedimentis seminum Cannabis sativae

Lini usitatissimi, Grisleae tomentosae, Kiṅvae, Sinapis dichotomae Raphanique sativi deliget abdomen, et alat eum jure Dolichi biflori, cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis condito, aut pulte oryzae, et identidem eliciat sudorem.

Maligna vero (ob tres humores corruptos) abdominis intumescentâ vexatum repudians medicus, butyro, ex Jasmini zambac et Andropogonis aciculati oleosis sedimentis parato, purget per unum dimidiumve mensem, aut butyro, cum Euphorbiae antiquorum lacte, liquore spirituoso et vaccina urina parato. Abdomine purgato, sedimentum Nerii odori, Abri precatorii, Kákádanis et radicis Ari campanulati ex vino bibi, aut Sacchari officinarum caules cum nigro colubro commanducari et devorari, aut Ligustici ajwaën fructus, aut radicibus bulbisve oriundum venenum sumi medicus jubeat. Eo enim homo sanus fit, aut in aliam naturam transit.

Est hic ślokas:

„Ex origine irritati aëris et accumulatione excrementi in omnibus intumescentiis abdominalibus ostendunt saepe naturalem dispositionem.“

Porro generales curationes indicabimus hoc modo:

Oleum Ricini communis quotidie per unum duosve menses, cum qualibet urina vel cum lacte commixtum, adhibeat homo, aquam relinquens; aut bubalam urinam ex lacte jejunus per septem dies; aut camelinum lac edens, cibum vero et aquam relinquens, adhibeat Piper longum per unum mensem ex praecepto ante dicto; aut cum Sind'hico Caro carvi commixtum oleum Jatrophae glaucae, aut ex centum pateris succi Amomi zingiberis et Zingiberis officinalis confectum oleum in aëris dolore applicandum est; cum Amomi zingiberis succo decoctum lac adhibeat; aut Piperis chavyae et Zingiberis officinalis sedimentum ex aqua, aut Pini longifoliae, Pini Dévadáru et Plumbaginis zeylanicae sedimentum, aut Muraṅgi, Hedysari gangetici, Convolvuli turpethi floribus nigris et Boërhaviae diffusae alatae sedimentum; aut Cardiospermi halicacabi fructuum oleum ex lacte, cum Svarjika et Asa foetida commixtum, bibat; aut bolos duos Terminaliae chebulae comedat; aut cum Euphorbiae antiquorum lacte digesta mille grana Piperis longi cum Agallocho nigro, aut Terminaliae chebulae et Piperis nigri pulverem, aut cum Euphorbia antiquorum commixtum frumentum coctum medicus det.

Pulveris Terminaliae chebulae unum Prast'ham in uno Ad'haka butyri clarificati coquat carbonibus, cochleari agitet, operiat et dimidium mensem in Hordei hexastichi corbe deponat; deinde depromat, transfundat, Terminaliae chebulae decoctionem, Oxalidem monadelpham et lac coagulatum infundat, coquat id ex praescripto et unum aut dimidium mensem hoc bibere det.

Vaccino lacti lac Euphorbiae antiquorum infundat, decoquat, decoctum deducat, refrigeratum pistillo agitet, butyrum recens eximat, denuo cum

lacte Euphorbiae antiquorum coquat id ex praescripto, et unum aut dimidium mensem hoc bibere det.

Piperis chavyae, Plumbaginis zeylanicae, Dantí, Betulae albae, Costi arabici, Echitae frutescentis, trium myrobalanorum, Cari carvi, Curcumae longae, Andropogonis aciculati, Convolvuli turpethi albi et speciei de Pipere longo, Pipere nigro aridoque zingiberi, singulorum dimidium Karsham, pulpae fructuum Buchananiae latifoliae Karshas octo, lactis Euphorbiae antiquorum Pala duo, vaccini lactis et urinae octona Pala, — hoc omne cum uno Prast'ha butyri clarificati confundat, coquat id ex praescripto, et unum aut dimidium mensem hoc bibere det.

Haec cum Symploci racemosae butyro quarta butyra intumescentiis abdominalibus, indurationi glandularum mesentericarum, phlegmonae internae, globoso abdominis tumori, suppressioni urinae, lepris, delirio et epilepsiae utilia sunt, purgatoriae virtutis causâ.

Urinas, aquas, spirituosos liquores et siceras identidem cum Euphorbiae antiquorum lacte composita adhibeat; aut purgativarum substantiarum infusionem, Zingiberi officinali et Pinu Dévadâru conditam.

Vomitoriarum purgativarumque substantiarum, Píperis longi etc., Acori calami etc., Curcumae longae etc. indicatarum, subtiliter contritarum, et sic dictorum salium, singulorum Pala unum recipiat; hoc omne et lactis Euphorbiae antiquorum Prast'ham unum in urinarum classem injiciat et agitans leni igne excoquat inadustum sedimentum: hoc bene paratum deducat, refrigeret et tesselatos bolos medicus conficiat, quorum unum, duos vel tres, vi destructibiles, per menses tres quatuorve adhibeat. —

Haec est in retentionibus turundarum operatio, quae praecipue in magnis morbis adhibetur, vermes, in abdomine ortos, discutit, catarrhum, anhelitum, verminationem, lepram, tussim, cibi fastidium, indigestionem et flatulescentiam delet: — Pulpam fructuum Vangueriae spinosae, Echiten antidysentericam, Andropogonem serratum, Cucumim colocynthidem, Achyranten asperam, Convolvulum turpethum album, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Sinapim dichotomam et sal fossile cum lacte Euphorbiae antiquorum, aut cum urina conterat, pollicis instar turundam conficiat, in abdominali retentione in anum abdominis, oleo saleque illitum, unam aut duas turundas indat. Haec pro retentionibus operatio turundarum adhibenda est in acris urinae, faecum, flatuum et vaporum retentionibus.

Lienis affectionibus et abdominis tumoribus vexati, inuncti, sudati et lacte coagulato cibati hominis vasa in sinistro brachio circa articulum cubitalem medicus secet, conterat manu lienem, sanguinis emovendi causâ; deinde homini, purgato corpore, lixivium marinae ostreae ex aqua bibere det; aut kali nitricum ex lixivio fluido Asae foetidae vel Buteae frondosae; aut lixivium Erythrinae fulgentis, Sacchari cylindrici et Achyranthae asperae, cum

oleo commixtum; aut infusionem Hyperantherae morungae, cum Pipere longo, sale fossili et Plumbagine zeylanica compssitum; aut lixivium Caesalpiniae bonducellae acidum fluidumque, cum muriate sodae impurae, sale fossili et Pipere longo digestum.

Piperis longi, radicis Piperis longi, Plumbaginis zeylanicae, Zingiberis officinalis, kali nitrici et salis fossilis, singulorum Pala unum, butyri clarificati Prast'ham unum, et aequalem portionem lactis medicus recipiat; hoc tum simpliciter decoquat. Id ex sex Palis constans vocatum butyrum discutit affectiones lienis, ignem (inflammationem), accumulationes, indurationem glandularum mesentericarum, intumescentiam abdominalem, flatulescentiam, tumores, catarrhum, superiores vapores, dolores et febres. Torpido igne (indigestione) vexatus pulverem Asae foetidae etc. adhibeat. In hepatis dilaceratione etiam haec curationis distributio, sed praecipue in dextro brachio venaesectio, locum habet.

„Carpum medicus perpetuo reclinet et sinistro pollice agitatum vas celeriter perurat sagittâ, lienis affectionis sedandae causâ."

Constricto ano et circumfluo, alvum hominis inuncti, sudati et illiti, infra umbilicum, sinistrorsus quatuor digitos transversos declinando a crinium linea, incidat, intestina in quatuor digitorum longitudinem extrahat et intueatur. Hominis constricto ano affecti calculum, intestinorum obstructiones efficientem, aut embryonem reprimat, aut stercoris congeriem; deinde melle et butyro clarificato illinat intestina, in suas sedes reponat et externum vulnus alvi suat.

In circumfluo ano pariter etiam medicus extrahat sagittam, intestini effluvia purget, fissum intestinum cohibeat et fuscis formicis commordendum curet; intestino commorso, formicarum truncos abripiat, ne vero earum capita; deinde priorem in modum suat et reunionem, ut jam dictum est, efficiat. Luto, commixto cum liquiritia et melle, oblinat et fasciam applicet; deinde in domum non ventosam inducat aegrotum, morum probitatem doceat, deponat eum, lacte viventem, in olei alveo aut in butyri alveo.

Ascite autem affecti hominis, oleo aërem tollente illiti, calida aquâ sudati, collocati, ab habilibus ministris bene prehensi et usque ad foveam axillarem vincti, alvum ablutam, infra umbilicum, sinistrorsus quatuor digitos transversos declinando a crinium linea, rostro oryzae (instrumento) in pollicis latitudinem medicus incidat. Ibi ex stanno aut quovis alio metallo confectam biforem fistulam, vel lateralibus foraminibus instructam fistulam, inserat et vitiatam aquam derivet; deinde fistulam eximat, oleo salito vulnus illinat et vulneris fasciam applicet. Neve uno die omnem vitiatam aquam detrahat; subito enim aquâ detracta, sitis, febris, pruritus, dysenteria, anhelitus et pedis ardor oriri possunt. Neve impleatur valdius abdomen hominis respiratione carentis; itaque tertio quoque die, aut quarto, aut quinto, aut

sexto, aut octavo, aut decimo, aut duodecimo, aut sexto decimo vitiatam aquam paulatim derivet. Corrupto humore sensim sensimque effuso, valde pannis, vel ligaturis, vel coriis abdomen medicus circumdet; sic non adflat ventus. Sex menses aegrotum lacte nutriat, aut jure carnis; tres videlicet menses lacte cum dimidia portione aquae, fructuum acidis, aut juribus carnis commixto: reliquos tres menses cibum levem salubrēmque adhibeat. Post annum sanus fit homo.

Est hic ślokas:

„In roborante purgatorioque potu et in ciborum praeparationibus lac coctum, aut carnis jus, omnibus aegrotis, abdominali intumescentia vexatis, periti medici adhibeant."

Caput XV.

Nunc vero perturbati embryonis therapiam exposituri sumus.

Nec vero aeque vehementer dolens sagittae extractio est, ac perturbati embryonis extractio. Ibi enim in vaginae, hepatis, lienis, intestinorum cavaminis et uteri medietate opus faciendum est contactu. Diruptio, abruptio, loci inversio, avulsio, fissio, scissio, compressio, porrectio et laceratio unâ manu embryonem vel gravidam laedente, efficiuntur. Idcirco protomedicum consulendo et summam operam dando rem peragat.

Octuplex perturbati embryonis breviter demonstratus est adventus, suapte naturâ effectus (tom. I. pag. 187).

Tres casus fiunt ex mala collocatione capitis, humerorum aut coxarum. Vivente autem embryone, puerpera extractioni intenta sit. Sin vero extrahi embryo non potest, motorios sacros hymnos (mantras) audiat, quos hic dicemus:

„Hic ambriosa, luna, sol et Indrae equi, o dolorosa puerpera, in domo tua habitanto! Haec ambrosia, aquis expromta, tuum embryonem ipsum leviter emittito, uxor! Ideo Anala (Deus ignis), Pavana (Deus ventorum), sol et Vasava (Indra) simul cum Diis, sal aquamque tenentibus, danto tibi mitigationem! Soluti a pecore funes et soluti a sole radii luminis sunt: solutus etiam tu ab omni timore embryo exi, exi tranquillus!"

Medicamenta det, quae indicata sunt. Mortuo embryone, in vulvam feminae supinae, inflectentis femora, et erigentis coxam substratu pannorum, manum medicus, cum hanc inunxerit Pentapterae arjunae arboris, Vrittis et

Káśálmalis odoro unguento et butyro clarificato, ingerat, et embryonem extrahat. Porro intra femora aggressum embryonem in directum extendat. Si unum egressum est femur (extremitas inferior), alterum protendendo educat. Si embryo cum regione podicis aggressus est, tum podicis regionem extorqueat, sursum ferat et femora protendendo educat. Si embryo tortuose aggressus est, cunei instar, quasi inflexus pannus, posticam dimidiam partem medicus sursum ferat, anticam vero dimidiam partem, e regione vulvae, directe adtrahendo educat.

Humerum, in cujus latus caput conversum est, reprimat, sursum ferat, et caput, e regione vulvae, adtrahendo educat. Humeros embryonis cum duobus brachiis aggressi reprimat et caput directe adtrahendo educat. Duo ultimi perturbati embryones sunt insanabiles. — Si embryo educi non potest, medicus hoc modo cultrum adhibeat:

„**Animo praeditum** embryonem ne ullo modo secet cultro; nam si embryo secatur, genitricem simul et embryonem interficere medicus potest.“

Ibi uxorem consolatus, disci mucrone aut cultro digitis prehenso caput dissecet, capitis ossa adducat, hamo embryonem capiat in pectore axillave, educat in fisso capite, bulbo oculi aut gena; si humerus propinquus est, in humeri regione brachium abscindat, follis expansum aut aëre impletum abdomen dissecet, ejiciat intestina, embryonem laxum factum adducat, aut lumbalia ossa embryonis, lumbis implicati.

„Quodvis membrum enim hujus embryonis amplectitur medicus, id omnino extrahat abscissum, conservetque uxorem intente.

Embryonis itinera varia fiunt, aëre irritati. Ibi medicus non exigua mente praeditus priorem servet regulam. Ne negligat mortuum embryonem unam horam (muhúrtam) doctus (pańdita); ille enim celeriter interficit genitricem, sicut pecudem exhalantem. Disci mucrone incisura facienda est medico interiora discernenti. Magna lamina metallica enim, acuto mucrone instructa, uxorem nonnunquam interficere potest. Sed non delapsam aliam medicus priore modo demittat (in cubile); manu eam capiat, a duobus lateribus deprimendo, et agitet identidem feminam, aut premat humeralem verticem illius circa vulvam oleo Sesami orientalis jam inunctae, et sic eam prudens medicus prosternat (in cubile). Extrato embryone, uxorem medicus calida aquâ irriget. Deinde, corpore illito, oleum in vaginam ingerendum curet. Sic lubrica fieri potest vagina et ejus dolor cessat.

Piper longum, Piperis longi radicem, aridum zingiberi, Elettariam cardamomum, Asam foetidam, Siphonanthum indicam, Ligusticum ajwaën, Acorum calamum, Ativishám, Mimosam octandram et Piper chavyam conterat potandaque det ex oleo, humorum corruptorum humectandorum et dolorum mitigandorum causâ. Sic etiam coctum illorum sedimentum, aut pulverem

oleo privatum, olera, cortices, Asam foetidam, Ativishám, Cysampelon hexandram, Echiten antidysentericam et Asclepiadem acidam, pariterque Pothon officinalem potui det priore modo medicus. Per tres noctes et quinque septemve dies deinde oleum rursus femina bibat. Aut potandam medicus det aquam noctu, aut bene paratum liquorem spirituosum.

Aqua de Mimosa sirisha et Pentaptera arjuna ad eluendum os salubres sunt.

Symptomata quae alia exoriuntur, ea tum medicus curet. Quoquoversus purificata femina suavi, conveniente exiguoque cibo utatur, sudore illituque praecipua atque ab ira destituta sit.

Emulsio ex substantiis aërem tollentibus confecta per decem dies in victu salubris est.

Lochia per decem dies curet; reliquo autem tempore ex praescripto ministret, donec uxorem symptomatum morbosorum expertem, puram et robusto colore praeditam cognoverit. Post quatuor menses eam medicus relinquat, evitans eam in vulvae delectationibus, inunctionibus, potionibus, vestibus et epulis.

Pavoniae odoratae oleum, hoc aërem prohibens, uxori det; aut infusionis radicis Pavoniae odoratae, et infusionis a decem radicibus confectae, et decoctionis emulsionisque Hordei hexastichi, Zizyphi jujubae et Dolichi biflori, singulorum octo bonas partes, olei vero unam partem recipiat, hoc unice concoquat et inspergat dulcem classem (substantiarum), cum sale fossili commixtam. Pari modo eximiam resinam Shoreae robustae, Pinum longifoliam, Pinum Dévadáru, Rubiam manjistam, Sirium myrtifolium, radicem Costi arabici, gummi benzoës, Valerianam jatamensem, styracem, folia Lauri cassiae, Tabernoemontanam coronariam, Periplocam indicam, Acorum calamum, Asparagum racemosam, Physalidem flexuosam, Anethum sowam et Boërhaviam diffusam alatam recipiat, haec bene parata in aureum, argenteum aut etiam terreum vas injiciat, et omnino bene operta asservari jubeat medicus.

Pavoniae odoratae oleum illud dictum omnes ab aëre ortos morbos depellit. Pro viribus dosin puerperae medicus det. Si femina embryonem desiderat et mas exili semine praeditus est, si homo phthisi ab aëre orta, si membrorum percussione, si agitatione, si contusione, si fractura et lassitudine affectus est, id quovis modo adhibetur. Illud flatulescentiam et ceteros ab aëre ortos morbos removet, singultumque, catarrhum, vehementem commotionem, indurationem glandularum mesentericarum, anhelitum et dyspnoeam. Per sex menses id adhibitum removet intestinorum incrementum; homo recentia corporis elementa et firmam juventutem nanciscitur. Regibus id enim adhibendum est et illis, qui regales, beati, teneri et divites sunt homines. Qui Pavoniae odoratae infusionem potavit, ei, cum varie ex

Sesamis orientalibus oleum paraverit, hoc decoctione et centuplici maturitate confectum oleum salubre est. In vetere illo oleo comedat Oryzam praecocem lacte gratam. Ex illo praescripto unum Droṅam cum cibo commixtum adhibeat et cibum missum tum bis comedat robore coloreque praeditus.

Ab omnibus sceleribus liberatus homo centum annos vivere potest. Centum annos adeo excedit homo, singulis Droṅis adhibendo, ut relatum est.

Ad Pavoniae odoratae praeceptum ex Sida cordifolia, Menispermo cordifolio, solari Butea frondosa, Barleria cristata, Pentaptera arjuna, Asparago racemoso, Ruellia longifolia, Glycyrrhiza glabra et Paederia foetida peritus conficiat olea.

Nymphaeam caeruleam et Asparagi racemosi radicem in vaccino lacte decoquat. Deinde cum hoc centupliciter coctum oleum Sesami orientalis medicus decoquat.

Sedimenta bene contrita olei Pavoniae odoratae ibi dari jubeat.

Omnium adhibitionem quoque medicus cognoscat, et praecipue, ut olei Pavoniae odoratae, etiam illorum qualitatem."

Caput XVI.

Nunc vero phlegmonarum therapiam exposituri sumus.

„Sex phlegmonae indicatae sunt. In his vero insanabilis est illa ex omnibus humoribus corruptis orta; reliquis autem his morbis festinanter aeque, ac tumoribus, adhibenda est curatio.

Ex sedimentis radicis Murangi, cum butyro clarificato, oleo Sesami orientalis et adipe commixtis, unguentum suaviter calidum et densum adhibendum est phlegmonae ab aëre ortae.

Bubula caro cum jure, grata medicaminum classis a Kákolí incipiens, et sal fossile cum oleosis acidisque commixtum, adhibenda sunt in emplastro.

Condimentis cum pulte oryzae, emulsionibus et lactibus sudorem semper eliciat medicus, extrahatque etiam sanguinem. Phlegmone si sic aggressa est et in maturitatem se vertit, eam maturatam medicus scalpello dissecet, dissectamque purget. Quinque radicum infusione medicus cum claverit vulnus, id salitis oleis, cum Phrynio dichotomo et cetera dulci classe commixtis, impleat.

Convolvulo turpetho albo, cum purgativis medicamentis commixto, purget, et Convolvulo turpetho albo, cum Hemionite cordifolio etc. parato, vulnera explenda curet.

Biliosam phlegmonen sacchare officinarum, Andropogone muricato et Glycyrrhiza glabra cum Echite frutescente commixtis, vel Asclepiade rosea, Andropogone muricato et Sirio myrtifolio cum lacte contritis medicus oblinat; decoctionibus, aut refrigeratis infusionibus, lactibus et saccharis crudis, vel aquis et butyris cum saccharo officinarum commixtis, humectet. Pulverem Convolvuli turpethi albi et Terminaliae chebulae lingat aegrotus ex melle; hirudinibus sanguinem doctus medicus extrahat, maturitatem adducturus.

Infusione Fici glomeratae, vel aquâ oryzae vulnus cum laverit medicus et obliverit oleis cum succo liquiritiae, melle et butyro clarificato commixtis, tum pertenui panno circumdet.

Ex Nymphaea alba, Rubia manjista, Glycyrrhiza glabra, Andropogone muricato, Nelumbio specioso et Curcuma longa cum lacte confectum butyrum vulnus explet, aut butyrum ex Convolvulo paniculato, Hemionite cordifolio, Mimosa pudica, Symploco racemosa et Sirio myrtifolio cum Ficu indica etc., corallis aut eorum corticibus confectum.

Galedupae arboreae folia tenuia et fructus, Jasmini grandiflori, Trichosanthae dioecae et Sapindi saponariae folia, duas Curcumas, ceram, Glycyrrhizam glabram, Asclepiadem acidam, Panicum italicum, radicem Poae cynosuroidis, corticem, Barringtoniae acutangulae, Rubiam manjistam, Sirium myrtifolium, Andropogonem muricatum, Nymphaeam caeruleam, Echiten frutescentem et Convolvulum turpethum album, singulorum Karsham unum recipiat et cum his unum Prast'ham butyri clarificati decoquat. Hoc est corrupti vulneris lenimen et fistulosi vulneris purgamentum.

Statim sectis vulneribus Galedupa arborea etc. salubris est. Quae vulnera corrupta et curationis expertia, quae profundis fistulis instructa et statim secta, quaeque igne causticisque inflicta terribiliaque sunt, haec Galedupâ arborea etc. et butyro clarificato indubitate sedantur.

Laterculis, clareâ, ferro, stercore vaccino, paleâ, fimo et calidis urinis semper sudorem medicus moveat aegroto, phlegmatica phlegmone affecto.

Adstringentibus potionibus, vomitoriis, linimentis et emplastris detrahat humorum vitia, identidemque cucurbitulis sanguinem. Cassiae fistulae infusione phlegmonen maturam efficiat et purget. Curcumâ longa, Convolvulo turpetho albo, farina hordeacea et Sesamo orientali, cum melle commixtis, impleat vulnus et omnino deliget, ut demonstratum est. Deinde ex Dolicho bifloro, Dantí, Convolvulo turpetho albo, Convolvulo turpetho floribus nigris, Asclepiade gigantea et Symploco racemosa conficiat oleum salubre, cum urina vaccina et sale fossili commixtum.

Ut biliosae phlegmones curationem, sic nullo discrimine omnes curationes duarum phlegmonarum, a sanguine et causis adventiciis ortarum, dexter medicus instituat.

Decoctionem illius classis a Cappari trifoliata incipientis, et classem illam a terra salina incipientem in matura phlegmone interiore aegrotus bibat, phlegmones sedandae causâ. Cum his duabus classibus et cum purgativa substantia paratum butyrum mox phlegmonen depellit, quotidie mane comesum. Ex his medicaminum classibus etiam confectum et cum oleis commixtum medicamentum celeriter roborans faciendum est, pariterque suffimentum.

In potionibus, linimentis cibisque etiam Hyperanthera morunga arbor, secundum humorum vitia, immaturam depellit phlegmonen. Ex aqua vero, ex aqua oryzae fermentatae, ex urina, ex liquoribus spirituosis etc. etiam illa potanda est. Secundum humorum vitia etiam ex illarum classium decoctionibus bitumen, praecipuum bdellium, zingiberi aridum et Pinum Dévadáru aegrotus bibat. Oleamentum et unguentum semper recte medicus conficiat.

Dictum vas medicus secet in phlegmone a phlegmate ortâ; in phlegmonis a sanguine, bile et aëre exortis nonnulli brachia indicant.

Maturam, sive foras editam, phlegmonen findat medicus et vulnerum (ulcerumque) instar curet.

In fluentibus (phlegmonis) porro ex spiritu lythri fruticosi, acidis, liquore spirituoso et spiritu destillato bibenda est illa medicamentorum classis a Cappari trifoliata incipiens et Hyperanthera morunga arbor. Cum aqua radicis Hyperantherae morungae paratam oryzam coctam ex jusculis Hordei hexastichi, Zizyphi jujubae et Dolichi biflori homo comedat. Quotidie mane butyrum clarificatum cum oleo Sesami orientalis commixtum, aut cum decoctione illius a Convolvulo turpetho albo incipientis classis paratum modice adhibeat, sedandi causâ. Ne incurset, sed secundum maturitatem medicus operam det. Circum vero aggressâ phlegmone, paratus Echitae scholaris indicatus est. — Repudiando autem medicus curet phlegmonen a medulla ortam. — Adipe sudoreque praeditis phlegmonis sanguinem adspergat. Circa phlegmonas indicatam curationem adhibeat, aut in maturitate os dissecet. — Phlegmonen a sagitta liberatam cum cognoverit medicus, vulneris purgatio efficienda est. Purget amarâ infusione; amarum butyrum liquefactum pariter salubre est. Si medullam circumfluens phlegmone hominis non desinit, purgatorias infusiones etc. sapiens medicus conficiat. Panicum italicum, Grisleam tomentosam, Symplocon racemosam, Cayaphal, Tini et sal fossile recipiat; ex his oleum coquendum est, phlegmonarum vulnera (ulceraque) implens.“

Caput XVII.

Nunc vero abscessuum, fistularum et mammillarium morborum therapiam expposituri sumus.

„Curabiles sunt abscessus tres, qui primitivi (ab aëre, bile et phlegmate) sunt; nec vero ab omnibus humoribus simul corruptis et a vulnere orti abscessus curabiles sunt.

Curabilibus abscessibus butyra ex convenientibus medicaminum classibus confecta, adspersiones et inunctiones medicus adhibeat.

Cyperus rotundus, Anethum sowa, Pinus Dévadáru, Costus arabicus, Convolvulus paniculatus, Coriandrum sativum, Piper nigrum, Michelia champaca et calefacientes medicaminum classes abscessui, aëris naturam habenti, adhibenda sunt in adspersionibus, inunctionibus et butyris.

Quia quinae radices re vera acutae dictae sunt, tam parvae, quam magnae (tom. I. pag. 95,) et piper etiam, propterea medico adhibenda sunt in inunctione, adspersione, butyro et oleo.

Scirpus kysoor, Trapa bispinosa, Nelumbium speciosum, Saccharum sara, Valisneria octandra et Nymphaeae caeruleae caro in abscessu a bile orto unguenta applicanda sunt intra vestes, butyracea perfrigidaque.

Andropogon shoenanthus, Andropogonis muricati radix, Sirium myrtifolium, antimonium, margarita, gemma et rubrica, unguenta cum lacte contrita et butyracea perfrigidaque adhibenda sunt, ad corporis voluptatem. Nymphaea alba, Glycyrrhiza glabra, Asclepias rosea, Rubia manjista, Nelumbium speciosum, Sirium myrtifolium et Nymphaea lotus, ad voluptatem unguenta in bilioso abscessu medico adhibenda sunt.

Ex Ficus indicae speciebus adspersionem medicus et butyrum faciat; ex hujus butyri sedimento cum frigidis lactibus, mellibus et aquis, et cum sacchari officinarum et sacchari crudi aquis, conspersiones faciat.

Convolvulo turpetho albo, Glycyrrhizae glabrae, Nymphaeae nelumboni, Symploci racemosae aquae, Buchananiae latifoliae, rubricae, Rĭshab'hae, Nelumbio specioso, Echitae frutescenti, Kákoli, Médá, Nymphaeae esculentae, Nymphaeae caeruleae, Sirio myrtifolio, melli, saccharo, terrae salinae, Priśni et Anetho sowae, redactis his ad sedimentum, aquam medicus cum infuderit et ex classe Fici indicae, terrae salinae, Aeglesque marmeli et ex reliqua primarum quinque radicum classe quadruplex lac, scilicet unum Prast'ham decoctum, tum adspersione biliosas abscessus fistulas depellere potest. Pustulas, corrupta ulcera, capitis morbos et coctionem faciei depellit potu.

Infanti autem planctis vexato et exsiccato butyrum, cum Convolvulo turpetho albo paratum, dilectum est.

Ocymum gratissimum, Physalis flexuosa, Convolvulus turpethum album, Convolvulus turpethum nigrum, Saikaishiká et Śrĭngí, cum vaccina urina contrita fiant unguentum, quod adhibitum celeriter depellere potest abscessum a phlegmate ortum.

Gummi benzoës, Aquilariae ovatae cortex, Abrus precatorius, Mimosa octandra, Acorus calamus, Anethum graveolens, Echites antidysenterica, Pistia stratiotes, Convolvulus turpethum nigrum, Saccharum munja, Hingtsha repens et Nauclea cadamba salubria sunt ad abscessus phlegmaticam indolem habentes. Classis vero a Cappari trifoliata incipiens perito medico adhibenda est in omnibus (abscessuum) curationibus. Purgatio, sanguinis missio in abscessibus optima est curatio. Omnes maturos abscessus purget medicus sapiens et in vulnerum modum curet, ut dictum est. —

Fistula ex tribus simul corruptis humoribus orta curari non potest; reliquae vero quatuor fistulae studio curabiles sunt.

Porro ab aëre ortam fistulam medicus emplastret antea, omnino viam puris incidat, Sesamis orientalibus et Achyranthae asperae fructibus, cum sale fossili paratis, infricet, et tum deliget. Vulneris ablutioni etiam adhibenda est illa quinque magnarum radicum classis.

Valerianam jatamansem, Curcumam longam, Wrighteam antidysentericam, Pavoniam odoratam, Gojim et radices illius classis ab Aegle marmelo incipientis sumat, oleum excoquat, vulneris purgamentum, explementum et incrementum.

Biliosa indole praeditam fistulam peritus medicus primo emplastret farinis cum lacte butyroque commixtis; tum scalpellum demittat et eam sedimentis Sesami orientalis, Heliotropii indici et Siphonanthi indicae circumcirca impleat. In vulneris ablutione Curcuma longa etiam simul cum Asclepiade acida et Melia azidaracta felici medico semper est adhibenda. Cum Convolvulo turpetho nigro, Convolvulo turpetho albo, tribus myrobalanis, duabus Curcumis, Symploco racemosa et Wrigthea antidysenterica paratum butyrum lacteum ulceris placatione delere potest sinum fistulosum, qui in corporis truncum ingressus est.

Fistulam a phlegmate ortam medicus, salutem adferens, emplastret Dolicho bifloro, Sinapi alba, farinis tostis et fermento; emollitam exploret; sinum fistulosum cognoscat et demittat scalpellum. Ulceri indat semina Meliae azidaractae Sesamique orientalis bene contrita, et cum terra odorativa saleque fossili commixta. In ablutione etiam Galedupae arboreae, Meliae azidaractae, Myristicae moschatae, Terminaliae belericae et Salvadorae persicae sedimenta oleosa adhibenda sunt. Ex alkali, sale fossili, Plumbagine zeylanica, Jatropha glauca, Corypha taliera, Arundine karka, Asclepiade gigantea et fructibus Achyranthae asperae, cum urina commixtis, conficiat medicus sanitati oleum.

Fistulam vero a sagitta ortam dissecet medicus, extrahat sagittam, sinum fistulosum purget, repurget Sesamis orientalibus in melle butyroque clarificato maceratis, et vulneris expletionem efficiat. Ex immatura classe Rottleriae tinctoriae, Elates sylvestris, Cratoevae valangae et Aegles marmeli arboris conficiat infusionem et excoquat oleum; cum insperserit Cyperum rotundum, Pinum longifoliam, Panicum italicum, Nymphaeam lotum, Bombacis heptaphylli gummi et solarem florem, Symplocon racemosam et Grisleam tomentosam, illud medicus adhibeat. Illo oleo fistula a sagittis orta aut vulnus expleri facile celeriterque potest.

Macrorum, debilium et timidorum hominum fistulam atque illam, quae articulationes ingressa est, filo in lixivium causticum intincto, ne scalpello, prudens medicus findat, specillo sinum fistulosum exploret, lixivio caustico imbutum filum sequentem acum demittat usque ad sinus fistulosi finem, tum acum sublevet et celeriter extrahat. Fili finem coacervet et magnam fasciam adhibeat. Deinde, lixivii caustici vim intuitus, filum aliud medicus prudens injiciat, lixivio caustico imbutum; quamdiu autem sinus fistulosus non finditur, praeceptum de ani fistula datum medico intelligenti observandum est.

In intumescentiis insensilibus etc. has medicus sublevet, in radice filum, aut filum acubus hordeaceo orificio similibus opertum, imponat, undique in radice filo deliget et in fissura curet ulcus.

Quae vero in duplice vulnere (vulnere et ulcere) indicatae sunt turundae, eas omnibus fistulis medicus injiciat. Zizyphi jujubae fructus et cortex, sal fossile, lacca, aut Arecae faufel fructus salinumque folium et ex Euphorbiae antiquorum Asclepiadisque giganteae lacte sedimentum, in turundis adhibita, delent brevi tempore fistulas.

Terminaliae bclericae et Mangiferae indicae ossicula, Ficus indicae surculi, Pisum sativum, Andropogonis aciculati semen, et Convolvuli paniculati radix sunt danda in fistulis, cum oleo Sesami orientalis commixta.

Ex Datura fastuosa, Vangueria spinosa et Paspalo frumentaceo confecta aqua fermentata, Trichosanthes dioeca, Bignonia indica, Mrĭgab'hojaní et Alangii hexapetali semen floresque sinibus fistulosis adhibenda sunt.

Ex lacca, aquae experte, et ex Flacourtia cataphracta medicus conficiat pulverem; cum his pulveratis substantiis commixtum et cum oleo Sesami orientalis compositum medicamen brevi tempore delet sinum fistulosum. In illis cum urina commixtis etiam det medicus oleum Sesami orientalis; hoc paratum aufert sinum fistulosum post septem noctes.

Ex radicibus Vangueriae spinosae a porco animadversae et ex bulbis corticibusque Convolvuli turpethi albi confectum oleum sinum fistulosum celeriter aufert. Hoc oleum in bulbis et in animalibus immortaliter insigniterque pugnantibus cum Semicarpo anacardio, Asclepiade gigantea, Pipere nigro, optimo sale fossili, Embelia ribe, Indigofera tinctoria, duabus Plumbaginibus

et Markavac. succo paratum fistulam a phlegmate aëreque ortam, tumores ulceraque delet. —

Lacte materno in morbum transgresso, medicus celeriter Phyllanthum emblicam, Curcumam longam, butyrum clarificatum et circumflexo die vomitorium medicus det.

Ex Micheliae azidaractae aqua, cum melle Jasminoque auriculato commixta, vomitorio die aggresso, jus Phaseoli mungonis sit cibus. Sic per tres, quatuor aut sex dies vomat et butyrum liquefactum cum tribus myrobalanis commixtum bibat; aut Siphonanthum indicam, Acorum calamum, Ativisham, Pinum Dévadáru, Cysampelon hexandram, classem a Cypero rotundo incipientem, Sansevieram zeylanicam, Wrighteam antidysentericam et Phyllanthum emblicam bibat aegrotus ex lacte, purgandi causâ.

Ex Cassia fistula etc. confecta excellens infusio, cum melle commixta, haec generaliter indicata, specialiter vitia, a lacte orta, proprie mitigare valet.

Morbum medicus in ubere ortum intuitus observet praeceptum, quod de phlegmone saepius datum est. Maturescentem vero morbum sine emplastris, sed reapse comesu (medicamentorum) maturare nitatur.

Celeriter enim uber molli carnatione instructum universam in exulcerationem transit et dilaceratur. Cocto morbo, lactiferos evitans ductus scalpellum medicus in violaceam mammarum partem demittat. Morbo crudo, calido et ad coctionem tendente, matris ubera semper medicus exurat."

Caput XVIII.

Nunc vero nodorum arthriticorum, incoctorum tumorum, indolorum tumorum et colli tumorum therapiam exposituri sumus.

„Nodis arthriticis crudis medicus, praeceptorum gnarus, adhibeat curandi rationem in curandis intumescentiis adhibitam; et servet etiam semper hominis vim; quae servata vim morborum demit.

Oleum Sesami orientalis aegrotus bibat, tum butyrum liquefactum; aut utrumque medicus cum dederit aut adipem, adhibeat Convolvulum turpethum album, tum ex decem radicibus aërem delentibus paratum quadruplex unguentum, aut utrumque.

Ex Valeriana jatamansi, Asclepiade acida, Menispermo cordifolio, Siphonantho indica, Bignonia indica, Aegle marmelo, Aquilaria ovata, Pipere nigro, Michelia champaca, Gojí et Salvinia cucullata contritis confectum unguentum nodo arthritico aëreo adhibendum est. Sudorifera emplastra varia

medicus conficiat et alia celebrata unguenta. Maturum nodum dissecet, pus removeat eluatque, aquis Aegles marmeli, Asclepiadis giganteae, Narae Echitaeque antidysentericae, et oleis, commixtis cum Ricini communis foliis et compositis cum sale fossili, vulnus medicus purget. Purgatum vulnus autem implere medici possunt oleo Sesami orientalis, Mimosam octandram Pinumque longifoliam continente, aut parato cum Embelia ribe, Siphonantho indica, Glycyrrhiza glabra Menispermoque cordifolio et commixto cum lacte.

Hirudines, (nodo arthritico) a bile orto, salubres sunt adspersioque lactis et aquae. Ex Kákolí classe frigidas aegrotus bibat infusiones saccharo mistas. Ex Vitis viniferae succo (vino) aut ex Sacchari officinarum succo pulverem Terminaliae chebulae bibat. Ex corticibus Glycyrrhizae glabrae, Eugeniae jambu, Terminaliae alatae glabrae et Calami rotang unguenta conficiat; aut radicibus Jasmini arabici Pterospermive salicifolii saccharo mistis identidem illinat. Maturum nodum dissecet medicus, pus removeat eluatque infusione arborum, oleis cum Siphonantho indica Glycyrrhizaque glabra commixtis purget et butyrum cum syrupis decoctum adhibeat.

Sublatis humorum vitiis, medicus, ut in antecedente nodo, sic in phlegmatico, sudantis mollitudinem etiam efficiat pollice, ferreis, lapideis arundinaceisque bacillis. Vikankatae, Cassiae fistulae, Kákanantí, Kákádani et Terminaliae catappae radicibus, Cucumi colocynthide, Asclepiade gigantea, Siphonantho indica, Galedupa arborea, Convolvulo turpetho nigro et Vangueria spinosa sapiens medicus inungat.

Nodum non ortum in articulationibus, mitigatum, non intentum, immaturum, medicus exstirpet; cum eum exsecuerit, urat. Cohibito sanguine, medicus operationis peritus statim praeceptum de vulneribus datum adhibeat. Quae vero carnis tubercula dura magnaque sunt, in illis hoc praeceptum observandum est praeceptorum gnaris. Scalpello aggressus bene coctum nodum medicus celeriter purget convenientissimis infusionibus.

Purgativis medicamentis etiam vulnus purgare medici possunt, lixiviis optimis, melle butyroque impletis. Purgato vulnere, oleum adhibendum est, ex Embelia ribe, Bignonia indica et Indigofera tinctoria decoctum.

Supra nodum, ab adipe ortum, imponat unguentum ex sedimento oleoso Sesami orientalis confectum; bis fissum nodum ferro candente identidem sapiens striet. Ustio enim saluti est. Illinendo Curcumam zanthorhizon, aut laccâ ustâ sudor aegroti eliciendus est. Vel demittat medicus scalpellum, amoveat adipem, urat permaturum nodum dilacerandum. Nodum cum eluerit urinâ, et purgaverit Sesamis orientalibus bene tritis, cum alkali etc., arsenico flavo saleque fossili commixtis et melle, butyro liquefacto optimoque lixivio infusis; oleum ingerat ex Dvikaranja, Abro precatorio, Bambusa arundinacea, Avalêka, Terminalia catappa et urina confectum. —

Butyrum, ex fructibus Andropogonis serrati et Kośavatí, in Dantí,

Anthero tuberoso et Convolvulo turpetho albo confectum, depellit incoctum tumorem auctum. Hoc butyrum bifariam productum, praepotens, cum Vitice negundine, Myristica moschata resinaque Pini longifoliae commixtum, cum Andropogone serrato compositum et melle saleque fossili impletum, holocaustum magnum, in corruptis tumoribus incoctis optimum indicant.

Ex Kaitaryya, Momordica monadelpha et Nerio odoro confectum oleum salubre medicamentum capitis purgativum est.

Oleum, ex Trophis asperae sedimento oleoso paratum, salubre est in nasalibus remediis.

Bassiae latifoliae succus saluber est in concretione, fructus etiam Moringae guilandinae, aut Achyranthae asperae.

Nodos arthriticos, non ortos in articulationibus, crudos, medicus cum exstirpaverit, ignem postea adhibeat. Lixivio caustico vel etiam utatur, cum scarificaverit ad praeceptum.

A calce duodecim digitos transversos incidat, suram evitet sapiens medicus, dissecet, piscium ovis similia exstirpet retia et ignem adhibeat.

Supra carpum lineas tres medicus (candente ferro) faciat, digitis intercurrentes, tumorum omnino delendorum causâ.

Pulveris atramenta, ex serpentibus, anguibus, corvis, alligatoribus et testudinibus confecta, suo tempore det medicus cum oleo Terminaliae catappae, quod etiam dicitur elephantiasicorum oleum.

Evacuationem fumigiumque adhibeat, fiatque semper ex Hordeo hexasticho et Phaseolo mungone cibus. —

Indolorem tumorem ab aëre ortum pulveribus Convolvuli paniculati, Cucumis utilatissimi, Cocos nuciferae, Chironjiae sapidae, seminum Ricini communis, cum lacte, butyro, aqua et oleo paratis, peritus medicus inungat; faciat praecipuas inunctiones; paratis carnibus et condimentis sudorem peritus eliciat; cornibus (cucurbitulis) sanguinem ex vase saepius detrahat. Aërem pellentium substantiarum decoctum jus, aut cum acidis partibus paratum Anethum sowam Convolvulumve turpethum album bibat.

Sudorifica mitiaque unguenta convenientia sunt in bilioso tumore indolore, alvique purgatio. Contrita folia Fici glomeratae, Tectonae grandis et Gojí, cum melle commixta, valde illinat. Cum resina Shoreae robustae, Panico italico, Pterocarpo santalino, Symploco racemosa, collyrio et liquiritia, subtiliter contritis et liquefactis, Cassia fistula, Gojí, Asclepias acida et Convolvulus turpethum nigrum perito medico adhibenda sunt in inunctione.

Ex succis Convolvuli turpethi nigri, Girihvae, Anjanakí, Vitis viniferae et Jasmini zambac floribus multiplicatis butyrum, cum liquiritia paratum, homo tumore bilioso indolore vexatus et obstructus bibat.

Purgati hominis tumore indolore phlegmatico orto et sanguine huic tumori adsperso, substantias, quae sursum deorsumque vitia humorum eri-

piunt, redactas in oleosum sedimentum, inungat. Cum columbino palumbinoque stercore et vitriolo commixtam Bignoniam indicam et Commelinam salicifoliam, aut urinas cum radice Abri precatorii commixtas et lixivio mistas inungat. Phaseoli radiati, Asae foetidae Dolichique biflori sedimentis, carne impletis et cum lacte coagulato seroque lactis commixtis, inunctionem medicus adhibeat. Vermes ut ibi torpent, sic torpent etiam muscae. Parvo tumore relicto, vermibus affecto, scarificet, deinde ignem medicus adhibeat. Cum parvam (tumoris) radicem stanno, cupro, plumbo et fascia aut ferro circumdederit, saepius lixivium causticum, ignem et scalpellum medicus, vitam non auferens, non mente captus, adhibeat. Infusio, ex Echitae dichotomae, Myristicae moschatae et Nerii odorati foliis confecta, exoptata est, vulneris purgandi causâ. Vulnere purgato, oleum medicus infundat, ex Siphonantho indica, Embelia ribe, Cysampelo hexandra et tribus myrobalanis decoctum.

Sponte maturitatem adeptos tumores methodo maturefaciente curet praeceptorum gnarus.

Tumorem indolorem ab adipe ortum fotum medicus dissecet, purget et, sanguine amoto, celeriter consuat. Dein pulveribus Curcumae longae, fuliginis, Symploci racemosae et Pterocarpi santalini, cum arsenico rubro commixtis melleque humefactis, vulnus remediet medicus, et purgato vulneri oleum Galedupae arboreae infundat. Tumores indolores, qui vitia humorum relinquunt, celeriter renascuntur. Itaque integros tumores indolores medicus exstirpet; interficere possunt reliquiae, ut ignis. Tuber ab aëre ortum medicus sapiens cum antea foverit caulibus, foliis herbarum aërem pellentium contritis, acidis urinis, variis lactibus calidis, oleis et carnibus, emollitum tuber indefessus aperiat purgatumque vulnus emplastret. Oleis autem cum Cannabi sativa, Morunga guilandina, fermento, Buchanania latifolia, medulla, Convolvulo turpetho nigro, Menispermo cordifolio, Morunga guilandina, Boërhavia diffusa alata, Asclepiade gigantea, Gajádinámá, Vangueria spinosa, Costo arabico, Aekaishika, Wrightea antidysenterica et Symploco racemosa commixtis, et cum liquore spirituoso acidoque contritis saepius medicus illinat. —

Oleum ex Menispermo cordifolio, Ligastico ajwaën, Melia azidaracta, Hansàhvayá, Wrightea antidysenterica, Pipere longo, Pavonia odorata et Pinu Dévadáru confectum bibat; hoc semper salutem fert in colli tumore morboso.

Tumorem colli a phlegmate ortum medicus foveat et effluvium efficiat. Deinde Ocymum gratissimum, Ativisham, Menispermum cordifolium, Asclepiadem geminatam, Costum arabicum, Bignoniam indicam, contrita cum Buteae frondosae cinere et aqua, atque Abrum precatorium frigidum, inungat. Oleum cum decima et dimidia parte salis fossilis commixtum et cum Jas-

mino auriculato paratum bibat. Saluber est vomitus, alvi purgatio et suffitio purgatoria. Maturefaciens methodus etiam medico semper adhibenda est, si tumores ullo modo maturitatem adeunt. Cibus cum Michelia champaca, Ruellia longifolia, melle et urina commixtis, hordeacea alimenta, jura Phaseoli mungonis, Zingiberis officinalis, Trichosanthae dioecae et Meliae azidaractae salutaria danda sunt in colli tumore morboso.

Si tumor colli a phlegmate ortus est, indicatum hominis inuncto corpore praediti vas medicus secet. Ex Convolvulo turpetho nigro, Euphorbia antiquorum, ferro, faecibus, Dantí et collyrio confectum unguentum salubre est. Urinâ vexatus salubrem succum Shoreae robustae arboris mane bibat. Scalpello incidat medicus dissecetque hunc tumorem, adipem exstirpet, salubriterque consuat.

Medullâ, butyro, adipe et melle medicus urat. Tumore usto, butyrum et mel adhibenda sunt. Vitriolum Martis et vitriolum caeruleum deinceps ibi applicanda sunt pulverata, cum arsenico rubro commixta. Oleum inungat et salubrem adhibeat cinerem, ex Shorea robusta et vaccino stercore paratam. Salubris semper etiam est infusio trium myrobalanorum, firma ligatio et hordeaceus cibus."

Caput XIX.

Nunc vero scroti augmentorum, morborum (ulcerum) venereorum et elephantiasis therapiam exposituri sumus.

„Praeter scroti augmentum ab intestinis ortum (herniosum) sex scroti augmenta exsistunt. In his evitet equitationem in equo etc., contentionem, coitum, impetus accessionem, nimiam sessionem, velocem motionem, jejunium et onera.

Ab initio in scorti augmento aëreo aegrotum Convolvulo turpetho albo medicus inungat, et sudanti homini purgativum, aut olea ovorum, Mangiferae indicae, Symploci racemosae et seminum Ricini communis apte potanda praebeat.

Aut ex lacte aegrotus bibat carnem et oleum Ricini communis. Deinde suo tempore decoctionibus sedimentisque herbarum aërem pellentium aegrotum medicus prudens erigat; tum erecto et oryzae ptisanarium epulato praebeat oleum Sesami orientalis, cum Siphonantho indica et Glycyrrhiza glabra paratum. Oleamentum emplastrumque adhibeat, unguentaque aërem pellentia.

Dolorosum scroti augmentum maturans medicus raphen evitet. Dein findat et in fisso, ut dictum est, rationem medendi adhibeat.

In bilioso scroti augmento immaturo salubre est praeceptum de bilioso nodo arthritico datum. Maturum augmentum medicus findat, fissum purget melle butyroque; purgato vulneri infundat medicus oleum Sesami orientalis sedimentumque oleosum expletivum.

In sanguineo scroti augmento medicus sanguinem hirudinibus detrahat; aegrotus bibat purgatorium medicamentum cum saccharo et melle compositum. Praeceptum de nodo arthritico bilioso datum medicus semper observet in crudo et maturo scroti augmento.

Augmentum scroti phlegmaticum calefacientibus substantiis cum urina contritis medicus inungat. Infusionem Pini Dévadáru cum urina commixtam aegrotus bibat. Molimento excepto, praeceptum, de nodo arthritico phlegmatico traditum, salubre est. In maturo scroti augmento dissecto oleum purgativum, cum Tritico aestivo, Semicarpo anacardio, Alangio hexapetalo et Echite scholari paratum, desideratur.

In scroti augmento adipato sudorem moveat medicus, et illinat gummi myrrhae etc., aut substantias caput purgantes, placide calefacientes et cum urina commixtas.

Sudabundum scroti augmentum circumdet fasciâ, consoletur hominem, tueatur testiculos et raphen, dissecet lanceolâ; adipem deinceps exstirpet, vitrioleum Martis et sal fossile indat, deliget, ut dictum est, et purgato vulneri oleum Sesami orientalis, cum arsenico rubro, auripigmento, muriate sodae et Semicarpo anacardio paratum, adhibeat.

Ab urina ortum scroti augmentum sudare faciat medicus, linteis fasciis circumdet, sub raphe a latere perforet scalpello, oryzae aculeis simili. Tum ibi biforem tubum indat et urinam medicus detrahat. Urinam tubumque cum extraxerit, obtegente ligatione utatur. Purgato scroti augmento, expletionem medicus efficiat. Evitet augmentum ab intestinis ortum. Augmento testiculis non aggresso, praeceptum de nodo arthritico aëreo traditum salubre est. Si augmentum in inguine situm est, id medicus urat semilunari mucrone.

Omnino ob canalis abdominalis obstructiones tumorem, testiculos aggressum, evitet. Cutem medicus cum inciderit in pollice medio, urat, ob corporis calamitatem. Tali modo augmenta scroti, ab aëre et phlegmate orta, intentus medicus urat, quia tendinum consectio in his immodica est. Supra os temporum etiam, scilicet in aurium fine, suturam diligenter evitans medicus secet vas (arteriam temporalem), ut augmentum intestinorum in scroto cesset. —

In morbis (ulceribus) venereis curabilibus vas inuncti sudabundique hominis medicus secet in medio pene, aut imponat hirudines; eripiat etiam a duobus lateribus humores corruptos, ultra modum editos. Statim enim aegroti, corruptis humoribus privati, morbus et bubo sedantur. Sin vero

homo infirmus est, purgativum assumtum certe eripere valet ejus corruptos humores ultra modum editos.

Nymphaeâ alba, Siphonantho indica, ranis, Costo arabico, Pinu Dévadáru, Pinu longifolia, Aquilaria ovata et Mimosa octandra venereum bubonem aëreum medicus oblinat. Barringtoniae acutangulae et Ricini communis semina, Hordeum hexastichon, Triticum aestivum et Oryzam sativam medicus recipiat; his linimentis leniter calefactis bubonem aëreum oblinat. Adspersio Nymphaeae albae et subsequentium substantiarum comprobatur.

Rubrica, collyrio, Siphonantho indica, Echite frutescente, Andropogone muricato, Nelumbio specioso, Sirio myrtifolio, Nymphaea caerulea, scilicet linimentis, bubonem venereum biliosum medicus oblinat.

Nelumbio specioso, Nymphaea caerulea, Andropogone muricato, Shorea robusta, Terminalia alata et Calamo rotang, scilicet his cum butyro, oleo et liquiritia commixtis, bubonem biliosum oblinat, eumque adspergat butyro liquefacto, lacte, saccharo officinali et saccharo crudo, melle et aqua, aut perfrigida infusione Fici indicae etc.

Shoreae robustae, Terminaliae alatae tomentosae et Grisleae tomentosae corticibus, cum liquore spirituoso contritis, calefactis et cum oleo Sesami orientalis commixtis, bubonem phlegmaticum medicus oblinat; aut cum Indigoferâ tinctoria, Ativisha, Cypero rotundo, Pinu longifolia, Pinu Dévadáru, Lauro cassia, Cysampelo hexandra et Achyranthe triandra oblinat, adspergatque decoctionibus ex gummi myrrhae, Cassiae fistulae etc. confectis. Pariter purgativis, unguentis, adspersionibus, sanguinis missionibus, aliisque curandi rationibus prius descriptis salutaribus remediet. Ne adoriatur bubonem medicus, sed in maturando operam consumat. Combustis autem vasis, tendinibus, membranis et carnibus, penis destruitur. Scalpello celeriter secet medicus maturitatem aggressam. Deinde, pure amoto, illinat oleis cum butyro et melle commixtis. Nerii odori, Myristicae moschatae, Cassiae fistulae, Aeschynomenes sesban et Asclepiadis giganteae folia adhibenda sunt in ablutione. Terram odoram, rubricam, vitriolum caeruleum, vitriolum Martis, sal fossile, Symplocon racemosam, calcem aeris, Curcumam Zanthorizon, arsenicum flavum, arsenicum rubrum, Pisum sativum et Elettariam cardamomum subtiliter conterat. Hic pulvis, cum melle commixtus, in venereis morbis magni aestimatus est.

Eugeniae jambu, Mangiferae indicae, Tritici aestivi, Meliae azidaractae, Andropogonis aciculati et Kámbojí turiones, Boswelliae thuriferae, Zizyphi jujubae, Aegles marmeli, Buteae frondosae, Dalbergiae augeiniensis et Mimusopis kauki cortices adhibendi sunt in decoctione cum tribus myrobalanis. Hac decoctione cohibitum ulcus medicus eluat. In hac etiam infusione strenuus medicus decoquat oleum, cum Gojí, Embelia ribe, Siphonantho indica et aromatibus (kakoli, caryophyllo, agallocho et gummi benzoës) com-

positum. Hoc oleum in omnibus venereis morbis (ulceribus) optimum expletivum remedium desideratur. Carbonas sodae impurae, sulphas cupri, vitriolum Martis, styrax et calx aeris cum arsenico rubro et similibus fiant pulvis, ulcera herpetica delens.

Cyperi pertenuis combusti ciuis, arsenicum flavum et arsenicum rubrum sunt praecipuum linimentum venereorum herpetum.

Márkava, tres myrobalani, Dantí, cupri pulvis et limatura Martis morbum (ulcus) venereum discutiunt, sicut Indrae fulmen arborem.

In morbis venereis duobus hanc curationem medicus recusans suscipiat. His duobus morbis quae curatio adhibenda sit, cum videris humorum corruptorum vim aut infirmitatem in morbo venereo, a tribus humoribus corruptis orto, praecipue audi amplius!

Corrupti vulneris (ulceris) praeceptum medicus observet; putrefactum membrum virile relinquat; Eugeniae jambu labio et cauteriis postea reliquias urat. Omnino ustum locum cum dignoverit, mel et butyrum adhibeat. Purgato ulceri expletivum remedium indat; sedimentum oleosum et oleum Sesami orientalis utilia sunt. —

In elephantiasi autem ab aëre orta inuncta et sudabunda quatuor pollices supra talum medicus vas incidat et perforatum locum pannis circumdet. Unum mensem oleum ex Ricino communi confectum et cum urina commixtum aegrotus bibat, et oryzam coctam ex lacte decocto cum zingiberi arido comedat. Oleumque Convolvuli turpethi albi adhibeat; pariter comprobatum est cauterium actuale.

Infra talum vas medicus incidat in elephantiasi a bile orta, et curatione bilem delente utatur, ut in tumoribus indoloribus a bile ortis.

Vas pernotum medicus incidat in elephantiasi a phlegmate orta, et infusiones mellitas homo identidem bibat, aut bibat etiam Terminaliae citrinae sedimentum ex ulla urina, Wrighteam antidysentericam, Menispermum cordifolium, Zingiber officinale, Embeliam ribem, Pinum Dévadáru, Plumbaginem zeylanicam. Utilis vel in unguento semper est Pinus Dévadáru, Plumbagini zeylanicae immixta. Oleum in Embelia ribe, Pipere nigro, Asclepiade gigantea, zingibere arido, Plumbagine zeylanica, Pinu Dévadáru, Eluka et in omnibus salibus decoctum bibat; cibus hordeaceus semper utilis est. Vel oleum Sinapis dichotomae, elephantiasis delendae causâ, vel succum foliorum Caesalpiniae bonducellae pro viribus aegrotus bibat; vel succum Nageliae putranjivae eodem modo medicus sapiens et temporum (stadiorum morbi), dispositionum et distributionum gnarus adhibeat.

Ari colocasiae et Ari campanulati infusionem atque sal fossile, coctum jus, det; tum antedictum remedium bibendum est. Abrum precatorium, Leeam hirtam, Solanum jacquini, Flacourtiam sapidam, Kadambapushpím, Erythrinam fulgentem, Lambam et Bignoniam indicam comburat et hanc ci-

nerem urinâ infundat medicus, lixivii conficiendi gnarus. Ibi ingerat calcinata metalla, Fici oppositifoliae succum, decoctionem fructus Vangueriae spinosae et oleosum sedimentum Bignoniae indicae. Hoc lixivium potabile elephantiasin depellit inhaerentem, tumorem incoctum, colli tumorem et diarrhoeam.

Cibi abstinenentia depellere potest omnia venena.

Oleum cum illis substantiis paratum in nasalibus unguentis etiam utile est.

Hos etiam morbos depellunt illa medicamina, quae in ulceribus feminarum corruptis indicata sunt.

Anethum tuberosum, Convolvulum turpethum album, Dantím, Indigoferam anil, Convolvulum turpethum nigrum, Jasminum zambac floribus multiplicatis et Andropogonem aciculatum medicus comburat et ex urina comedi jubeat; detque decoctionem trium myrobalanorum: lixivium quoque ex his confectum salubre est et popatum deorsum descendit.

Prioribus medicaminibus benedictiones aequales sunt."

Caput XX.

Nunc vero turpium morborum therapiam exposituri sumus.

„Mentagram hirudinibus medicus curet. Conchis, alkaliis, nitrate potassae et sedimentis oleosis, aut Piperis nigri, Commelinae salicifoliae et Cysampeli hexandrae sedimentis sapiens medicus illinat. Decoctiones ex praecepto de vulneribus (ulceribus) dato conficiat.

Obcaecantem ophthalmiam, Hordeo hexasticho similem morbum, Artocarpi integrifoliae fructui similem pustulam, testudinatam pustulam et lapidi simile tuber antea sudore curet. Arsenico rubro, Borassi flabelliformis, Costi arabici et Pinu Dévadáru sedimentis illinat. Hos morbos maturitatem nactos dissecet et vulnerum in modum curet.

Ulcus rotundum, Indravrĭdd'ham, Gardd'habím, reticulatum tuberculum, Irivillam, Gand'hanámnim, axillare tuber et pustulam parvam ratione herpetis biliosi medicus curet; implet maturos hos morbos butyro cum dulcibus herbis parato.

Chipyam calidâ aqua humectatum dissecet medicus; effluere faciat; Anatis casarcae oleo illinat; Shoreae robustae pulvere fricet et fasciâ circumdet: difficilem curatu morbum igne urat; deinde oleo ex dulcibus herbis confecto impleat.

Ad deformem unguem eadem curatio medico admovenda est.

Bubonem oblinat, exsudantem flaccidum efficiat et inungat. Bubone ulceris naturam nacto, purgativam curationem radicibus Nagavrĭttikae, Varshab'hu et Aegles marmeli subtiliter contritis medicus suscipiat. Explendi causâ oleum ex adstringentibus et dulcibus decoctum salubre est. Cucurbitulis et hirudinibus immaturus bubo fluidus reddendus est. Sedimentis radicis Terminaliae alatae tomentosae et Buteae frondosae bubonem oblinat, maturum scalpello dissecet, et tum sedimento Trichosanthae dioecae et Meliae azidaractae, commixto cum oleo Sesami orientalis et butyro, inungat. Cum deligaverit, infusionibus Fici glomeratae et Mimosae ferrugineae eluat vulnus, purgatumque iterum implere studiat.

Ex praecepto de adipatis tumoribus indoloribus dato curet medicus tumorem calculosum.

Kachch'húm, scabiem et impetiginem in leprae modum curet. Unguentum aut oleum ex Indigofera tinctoria, Anetho sowa, Sinapi alba, Acoro calamo, Curcuma zanthorhizo, Sinapi dichotoma et Galedupa arborea confectum laudatur. Exsudatum oleum etiam in unctione adhibeat, cum pungentibus substantiis coctum.

In pedum dilaceratione (elephantiasi pedum) vas medicus secet, sudorem ciat et inunctionem faciat. Unguentum pedum, ex cera, adipe, medulla, pulvere Shoreae robustae butyroque confectum et cum Hordeo hexasticho Sinapique alba commixtum, laudatur. Ad pedes humectandos unguentum, ex oryza cocta fermentata confectum, in elephantiasi pedum tumida utile est; et etiam unguentum ex sedimentis Meliae azidaractae, Sesami orientalis, vitrioli Martis, auripigmenti et salis fossilis paratum; aut laccae succus; aut Terminalia citrina. Sanguis quoque mittendus. Utile etiam est oleum Sinapis dichotomae in succo Flacourtiae sapidae paratum; aut ex vitrioli Martis, Rochañae et arsenici pulveribus confectum remedium. His enim receptis combustisque et cum oleamento commixtis, vincat dilacerantem nodum sic dictum.

In alopecia vas aegroti, suaviter in corpore sudantis, secet; sedimentis cum Pipere nigro, arsenico, vitriolo Martis et vitriolo caeruleo commixtis oblinat. Aut unguentum ex sedimentis Cyperi rotundi et Pini Dévadáru confectum laudatur. Cum inquisiverit irrigaveritque, sedimentis Abri precatorii identidem inungat. Mitigandi causâ etiam faciat elixirium.

Oleum ex Jasmino grandifloro, Nerio odoro, Plumbagine zeylanica et Galedupa arborea coctum in inunctione probatum est. Hoc est optimum alopeciam depellens remedium.

Porriginem, detracto sanguine, medicus irriget aquâ Meliae azidaractae, inungat equini stercoris succo, commixto cum sale fossili; aut sedimentis arsenici flavi, Curcumae longae, Meliae azidaractae, Trichosanthae dioecae, Siphonanthi indicae, Indigoferae anil, Nymphaeae caeruleae et Ricini communis oblinat.

In caesarie horrida secet vas aegroti suaviter in corpore sudantis, et compressivam capitis fasciam applicet. In ablutione lixivium Paspali frumentacei et graminis dilutum comprobatum est. —

Insuper tradam praeceptum canitiei delendae.

In variola inunctio et cetera lepram depellens curatio utilis est; aut curatio herpetis a bile et phlegmate orti jam indicata comprobatur.

Laccae gemmam (furunculum) medicus dissecet; verrucam et petechias lixivio caustico aut convenienter igne sensim sensimque urat.

In naevo, in nigra faciei macula et ecchymosi missio sanguinis probatur. Secundum convenientiam curationemque frontalis ceteraque vasorum sectio instituenda est. Cutem fricet et illinat Mimusopem kauki contritam lacteque mistam. Unguentum Pavoniae odoratae, Sidae cordifoliae, Siphonanthi indicae et Indigoferae tinctoriae, aut unguentum Asclepiadis roseae, Aquilariae ovatae, Curcumae zanthorhizae et rubricae, melle butyroque mistum, aprino dente amplo illinat. Cratoevae valangae et Buchananiae latifoliae sedimentum probatum dicitur.

Ad juvenum papulas praecipue vomitus utilis est; unguentum etiam ex Acoro calamo, Symploco racemosa, sale fossili et Sinapi dichotoma, aut ex Coriandro sativo, Acoro calamo, Symploco racemosa et Costo arabico confectum utile est.

In morbo, qui spina Nelumbii spinosi appellatur, vomitum medicus moveat aquâ Meliae azidaractae. Ex hac aqua etiam butyrum mellitum potandum det. Meliae azidaractae et Cassiae fistulae decoctio salubris fieri potest in purificando.

Praeputii recessionem (paraphimosin) butyro inunctam et sudabundam medicus obducat per tres quinqueve noctes emplastris Sálvanicis aliisque aërem pellentibus. Deinde inungat, sensim praeputium adducat et glandem penis reprimat. Ingressâ penis glande, praeputium sudabundum efficiat medicus inunctionibus; adhibeat pannos aërem depellentes et det gratos cibos comedendos.

Praeputii laesionem medicus curet secundum humorum vitia.

In aperturae praeclusione (phimosi) fistulam ferream, a duobus lateribus perforatam, aut perfossam ex lacca confectam, butyro oblitam, medicus injiciat. Ad circumspersionem adeps medullaque Delphini gangetici et porci, atque oleum Anatis casarcae adhibenda sunt cum substantiis aërem pellentibus commixta. Tertio quoque die crassiorem fistulam injiciat, effluvium urinae augeat et suavem cibum det. Cum dissecuerit frenulum penis solveritque medicus, statim, ut in vulneribus, agat.

Praeclusum anum morbum, elephantiasin et igneam gutturis inflammationem medicus cum repudiaverit, convenienter curationem adhibeat. Ad praeceptum de herpete datum curet igneam gutturis inflammationem.

Ani praeclusioni adhibenda est phimoseos curatio.

Scalpello medicus dissecet elephantiasin, et lixivio caustico igneque curationem ad finem perducat. Ad praeceptum de humoribus indoloribus datum purget vulnus et impleat. Elephantiasis autem fieri potest non valde aucta et non orta ex articulis. Ibi purgationem medicus instituat, sanguinem mittat, et illinat radicibus Dolichi biflori Menispermique cordifolii, sale fossili, radicibus Cassiae fistulae, Danti et Convolvuli turpethi nigri, cum trito Sesamo hordeoque commixtis; et his valde mitibus et suaviter calefactis aegrotum emplastret. Maturam hanc elephantiasin et omnes ejus vias ex ordine dignoscere studeat peritus medicus. Cum cognoverit, eam incidat, urat, purget et corruptam carnem lixivio caustico aggrediatur. Vulnus purgatum cum dignoverit, id peritus medicus impleat. Jasminum grandiflorum, Grant'him, Semicarpum anacardium, arsenicum rubrum, gummi benzoës, Strychnon potatorum, Sirium myrtifolium et Aquilariam ovatam recipiat. Oleum Meliae azidaractae cum illis substantiis paratum salubre in elephantiasi implens remedium est. Super manus pedesque quae elephantiasis multis excavationibus circumdata tumidaque est, ea medico dignoscenti relinquenda est.

Lacte materno purgato, atrophia infantilis Ahipútana (a daemonibus Ahi et Pútaná) curabilis est. Ex Trichosanthae dioecae foliis, tribus myrobalanis et calce aeris decoctum flavum butyrum etiam delet molestiam Ahipútanicam. Infusio trium myrobalanorum, Zizyphi jujubae et Mimosae ferrugineae expletivum vulneris remedium est. Ex vitriolo Martis, Bezoar orientali, vitriolo caeruleo, arsenico flavo et calce aeris confectum unguentum cum acidis substantiis contritum, aut corticem Zizyphi jujubae cum sale fossili commixtum, et pulverem cranii et vitrioli caerulei adhibeat medicus tempore desquamationis.

Medicamentum in seroti prurigine, ut potio in atrophia Ahipútanica.

In ani prolapsu anum sudabundum et unguento oblitum medicus reponat, faciatque retentivam deligationem corio in medietate excavato. Egrediendi aëris causâ medicus vaporet identidem. Lac, quinque magnas radices, Salviniam cucullatam et Antravarjitám recipiat; deinde ex his coquat oleum cum medicaminibus aërem pellentibus commixtum. Ani prolapsum, hanc molestiam, inunctione hujus potionis ad finem perducat."

Caput XXI.

Nunc vero vitiorum, a spiculis ortorum, therapiam exposituri sumus.

„Tumorem Sinapi dichotomae similem medicus scarificet et penitus infusionibus conterat. Ex infusionibus etiam oleum conficiat ad vulnus implendum.

Tumorem abdominis globosum hirudinibus felix medicus tollat. Tumorem vero non cessantem auferat, ut nodum arthriticum phlegmaticum.

Tumorem nodosum sapiens vaporet semper vapore tubi; suaviterque calefactis et emollientibus emplastris emplastret.

Hordeolum, maturitatem aggressum, medicus dissecet; purgatum autem glutinet oleo trium myrobalanorum, Symploci racemosae, Diospyri glutinosae et Spondiae mangiferae.

Ophthalmiam hirudinibus tollat medicus et deinceps adspergat infusionibus: in his paratum oleum expletivum desideratur.

Tormen oleo Pavoniae odoratae tepido circumspergat, inungatque syrupis, butyro et oleamentis suaviter calefactis.

Torpidum tumorem medicus celeriter aggrediatur hirudinibus, dissecet maturatum et inungat mellito butyro.

Agitabili tumori, maturitatem nacto et dissecto, oleum datur ex Grislea tomentosa, Shorea robusta, Pterocarpo santalino, Boswellia thurifera et Diospyri glutinosae fructu resinoso confectum.

Omnem curationem tumoris Costo similis frigidam medicus adhibeat; hirudinibus sanguinem extrahat; butyro liquefacto adspergat.

In tactus inopia sanguinem medicus detrahat, inungat dulcibus substantiis, et lactibus, aquis saccharo mistis et butyris liquefactis adspergat perfrigidis.

Tumorem principalem sic vocatum medicus hamo extrahat. Eum cum extraxerit, infusionibus mellitis inungat.

In scarificata penis fistula solutio adhibenda est; ex Hemionite cordifolia etc. confectum oleum proxime post dandum est.

Cutis coctioni curationem sapiens medicus adhibeat, ut herpeti.

Ut in phlegmone sanguinosa, sic etiam in sanguinoso tumore curatio est. Infusiones, sedimenta, butyra, oleum, pulverem, solutionem medicus respiciat. Cum vero respexerit, adhibeat. Conveniens butyri liquefacti potio, apta alvi purgatio, salubris missio sanguinis et levis cibus.

Carnis tumorem et coctionem, phlegmonen et petechias repudians medicus earum curationem suscipiat.“

Caput XXII.

Nunc vero oris morborum therapiam exposituri sumus.

„Quadruplici unguento, cum cera composito, inunctionem in oris morbo aëreo medicus sapiens faciat vaporationemque per tubum.

Prudens medicus labiorum affectionibus Śálvanum in emplastro adhibeat; in cerebrali nasalique regione etiam oleum Sesami orientalis, aërem tollens, utile est. Terebinthinam et Shoreae robustae resinam, pulverem Pini Dévadáru, bdellii et Glycyrrhizae glabrae adhibeat remedium.

A bile sanguineque ortam affectionem hirudinibus curet, et ad biliosae phlegmones modum curationem plane adhibeat.

Capitis purgatio, fumigium et vaporatio ad os admota, sanguine extracto, adhibenda sunt in affectionibus labiorum phlegmaticis. Species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, carbonas sodae impurae, nitras potassae et murias sodae impurae, cum melle commixta, applicanda sunt remedia.

In labiorum affectione adipali vaporata, dissecta purgataque, ignis (cauterium actuale) et unguentum ex Panico italico, tribus myrobalanis, Symploco racemosa et melle confectum salubria sunt.

Haec affectionum in labiis sanabilium curatio demonstrata est; nunc vero morborum in dentium radicibus ortorum curatio demonstratur.

In morbo frigide exedente, medicus sanguine extracto, in aqua zingiberi aridum, Sinapim dichotomam, tres myrobalanos et Cyperum rotundum excoquat; eluens collyrium oris hoc fiat. Panicum italicum, Cyperus rotundus, et tres myrobalani fiant unguentum.

Nasale remedium, cum tribus myrobalanis paratum, ex Glycyrrhiza glabra, Nymphaea caerulea et Nelumbio specioso conficiendum est in dentium tumore; in adolescente autem sanguinis missio adhibenda est. Quinque salia et lixivium cum melle sunt remedium. Salubris etiam est capitis purgatio, nasale remedium et suavis cibus.

In effluente alveolari dentium morbo ulcera medicus curet pulvere Symploci racemosae, Pterocarpi santalini, Siphonanthi indicae et laccae cum optimis dulcibus commixto. Ad os eluendum emulsiones adhibendae sunt cum melle, butyro saccharoque paratae; et butyrum cum decem partibus lactis paratum in Kákoli etc. adhibendum est per nasum.

In perforante morbo, post sanguinem extractum, unguentum ex Symploco racemosa, Cypero rotundo, calce aeris et melle confectum laudatur; ad os eluendum emulsiones salubres sunt. Ex Echite frutescente, Nymphaea caerulea, Siphonantho indica, Symploco racemosa, Aquilaria ovata et Sirio

myrtifolio butyrum in lactis decem partibus paratum, in naso applicatum, comprobatum est.

Curationem dilaceranti morbo medicus expertus adhibeat, quae in morbo frigide exedente indicata est.

Purgando a duobus lateribus curandum est caput in gingivae tumore. Fici oppositifoliae et Gojí foliis sanguinem medicus eliciat; salibus, cum melle et specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis commixtis, remediet. Piper longum, Sinapim dichotomam, zingiber aridum et Barringtoniae acutangulae fructum, cum suavi aqua commixtum, in ore aegrotus teneat. Butyrum cum dulcibus substantiis paratum salubre est remedium, in ore nasoque adhibitum.

Scalpello in dentium vacillatione radices dentium medicus purget; deinde lixivium adhibeat et curationes omnes frigidas. Superiorem dentem eximat et deinceps ignem (cauterium actuale) applicet. Ut in verminosis dentibus curationem medicus dignoscens adhibeat.

Medicus cum dissecuerit carnis hypertrophiam, his pulveribus, cum melle commixtis, curet: Acoro calamo, Potho officinali, Cysampelo hexandra, carbonate sodae impurae et nitro. Duo Pipera (Piper longum et nigrum) cum melle commixta ibi sunt indicatum remedium in ore tenendum. Infusio Trichosanthae dioecae, trium myrobalanorum et Meliae azidaractae ibi in purificatione salubris est, et capitis purgatio, et suffitio purgativa.

Generalem curationem fistulosorum dentium praecipue ex me audi!

Quem dentem ulcus fistulosum (caries) opprimit, eum medicus extrahat. Carnes (gingivam) dissecet scalpello, si dens non eminet; purget; urat vel lixivio caustico, vel igne. Via fistulosa enim in neglecto dente os maxillare perforat certe. Propterea cum radice extrahat dentem osque fractum. Extracto autem dente superiore doloroso fixoque ex nimia sanguinis congestione prius dicti morbi horribiles oriuntur; luscus enim fit homo; hemiplegia etiam oritur. Vacillantem vero superiorem dentem medicus ne evellat. In purgatione pulvis Myristicae moschatae, Vangueriae spinosae Flacourtiaeque sapidae, infusio ex Myristica moschata, Vangueria spinosa, Echite antidysenterica Flacourtiaque sapida, et oleum ex Siphonanthi indicae, Simploci racemosae Rubiaeque manjistae pulveribus confectum purgativum, depellere possunt viam fistulosam dentes ingressam.

Exposita est curatio circa dentium radices; nunc curatio dentium indicatur.

Oleosae dentium lavationes tepidae, butyri, trium myrobalanorum et aërem pellentium substantiarum decoctiones sunt infrictiones in dentibus erectis. Oleosa suffitio, suavis cibus, jus, jurulenta oryzae fermenta, lac, flos lactis, butyrum, capitis pannus et aërem depellens methodus salubria sunt.

Dentium radices non laedens medicus incrustationem eximat, et laccae pulveribus cum melle commixtis deinceps incrustationibus occurat.

Ad dentes erectos curationem medicus eandem (sine discrimine) adhibeat.

Cephalica odontalgia molestissima est. Ibi quoque eadem curatio utilis est.

Immobilem dentem verminosum medicus vaporet et vincat (curet) derivationibus sanguinis, anodynis aërem delentibus, oleosis substantiis orique eluendo servientibus, unguentis ex Pinu Dévadáru etc. ranisque, et suavibus cibis.

Vacillantem dentem medicus evellat et locum excavationis urat. Porro oleum ex Convolvulo paniculato, Siphonantho indica, Trapa bispinosa Scirpoque kysoor confectum et cum decem partibus lactis commixtum, in naso salubre fieri potest.

Ad maxillae relaxationem medicus adhibeat curationem de hemiplegia dictam. Fructus acidi, aqua frigida et asper cibus sunt purgativum dentium remedium. Sed nimis duros cibos aegrotus ex dentibus laborans evitet.

Dentium morborum sanabilium therapia exposita est; nunc morborum linguam aggressorum sanabilium curationem continenter indicabo.

In labii affectionibus ab aëre ortis quae antea indicata est curatio, eadem ad linguae aculeos (dolores) ab aëre ortos adhibenda est medico. Ad aculeos (dolores) a bile ortos contritos, emisso corrupto sanguine, remedians oris elutio et nasale dulce medicamentum utilia sunt. Ad aculeos (dolores) a phlegmate ortos scarificatos, sanguine detracto, Piper longum etc. cum melle commixtum remedium adhibendum est. Accipiat quoque aegrotus elutiones oris, ex Sinapi alba, Sinapi dichotoma saleque fossili confectas; et juscula Trichosanthae dioecae, Meliae azidaractae, Solani melongenae et lixivii comedat. Linguae dorsum vero medicus cum scarificaverit, lixivio curet, et capitis purgatione suffitioneque utatur.

Linguam aggressorum morborum curatio dicta est; nunc in palatum invadentium morborum curatio indicatur.

Pollicis digitique forcipe uvulam (palatum molle) adtrahens, secet medicus scalpello ensiformi illam supra linguae dorsum sitam. Nec abreptum, neque relictum palatum tres in partes secet. Ex nimia correptione sanguis fluere potest; quo symptomate aegrotus mori potest. Ex neglecta sectione oriri possunt intumescentia, salivatio, somnolentia, vertigo et caecitas. Idcirco celebratus medicus, curatione diligenter perspecta, aegrotum ex uvula (palato molli) laborantem secet et illud praeceptum datum observet. Pipere nigro, Ativishá, Cysampelo hexandra, Acoro calamo, Costo arabico et Cypero ro-

tundo cum melle saleque fossili commixtis palatum molle (uvulam) persanet. Acorum calamum, Ativisham, Cysampelon hexandram, Mimosam octandram, Echiten antidysentericam, Asclepiadem acidam et Meliam azidaractam decoquat et ad os eluendum adhibeat. Ex Terminalia catappa, Achyranthe aspera, Dantí, Pinu longifolia et Pinu Dévadáru contritis turundam conficiat, quinque digitos longam, odoratissimam pulchramque. Deinde fumum, phlegma delentem, bibat homo duos per dies. Jus pisinum in Phaseolis mungonibus cum lixivio paratis ad edendum utile est.

In Momordicae monadelphae simili tumore, in angina, in testudinato tumore, in carnis accumulatione et in palati tumore idem praeceptum, praesertim de scalpelli operatione, observandum est. In palati coctione vero inunctio et vaporatio praeceptumque aërem delens adhibenda sunt.

Morborum in palato ortorum curatio dicta est; nunc vero faucem aggressorum morborum curatio indicatur.

Curabilibus gutturis inflammationibus salubria sunt missio sanguinis, vomitus, fumi potatio, oris elutio et nasale remedium.

Aëream autem inflammationem, sanguine extracto, salibus persanet. Suaviter calefactas oleosas lavationes in ore indentidem aegrotus teneat.

Biliosam gutturis inflammationem Pterocarpo santalino, saccharo et melle medicus persanet.

Ibi Vitis viniferae et Xylocarpi granati decoctiones ore eluendo perceptae utiles sunt.

Phlegmaticam gutturis inflammationem fuligine et Strychno potatorum persanet. Oleum ex Andropogone aciculato, Embelia ribe Dantíque confectum et cum sale fossili commixtum adhibendum est in nasali remedio et oris elutione.

Ut biliosam medicus curet inflammationem a sanguine ortam. Sanguinem extrahat ex faucis bulbo et hunc morbum curet aeque ac tumorem Momordicae monadelphae similem. Aliquamdiu hordeaceum cibum mitem parce comedat.

Aeque atque uvulam (palatum molle) medicus curet etiam linguae hypertrophiam. Simplicem accumulationem a sanguine liberet medicus et methodum purgatoriam adhibeat.

Giláyum sic dictum morbum scalpello curet.

Gutturis phlegmonen, non sitam in articulatione, permaturam dissecet. Ex aëre suo quoquoversus procedentem hanc phlegmonen pulveribus salis fossilis curet. Oleum ex substantiis aërem delentibus confectum salubre est in ore eluendo nasoque. Deinde huic aegroto oleosum eundem fumum medicus expertus det. A Shorea robusta, Buchanania latifolia, Ricino communi, Terminalia catappa et Bassia latifolia ortas medullas, bdellium,

Artemisiam absynthium, Valerianam jatamansi, gummi benzoës, Pinum longifoliam, resinam Shoreae robustae, styracem et ceram medicus recipiat; hunc totum bene praeparatum pulverem cum oleo convenienter misceat, et Bignoniae indicae caulem cum melle compositum; sapiens medicus hoc unguentum illinat. Idem fumus in gutturis phlegmone quoquoversus procedente comprobatus et oleosus judicatus est; phlegma delet aëremque, oris quoque morbos depellit.

In biliosa gutturis phlegmone quoquoversus procedente tutum praeceptum bilem tollens, dulce frigidumque aegroto purgato adhibendum est, et inductio cicatricis, oris elutio, suffitio et expurgatio.

In phlegmatica gutturis phlegmone quoquoversus procedente praeceptum medicus adhibeat antiphlegmaticum; homo aegrotus bibat Ativisham, Cysampelon hexandram, Cyperum rotundum, Pinum Dévadáru, Asclepiadem acidam, Echiten antidysentericam et fructus Micheliae champacae ex vaccina urina. Hoc remedium, singulorum D'harańam unum recipiens, omnes morbos a phlegmate ortos removet. Ex lacte, aqua saccharo mista, vaccina urina, lacte coagulato, sero lactis et acidis oryzae fermentatae aquis, cum oleo Sesami orientalis butyroque clarificato commixtis, medicus, cum humorum vitium perspexerit, oris elutiones det.

Morborum in ore ortorum sanabilium curatio explicata est; nunc vero insanabiles etiam indicantur morbi, et ubi sunt.

Labiorum affectiones a sanguine corrupto et a tribus simul corruptis humoribus ortae derelinquendae (non curandae) sunt.

In dentium radicibus derelinquendae sunt trium generum perforationes.

In dentibus non sanantur niger dens, findens morbus et morbus perforans.

In morbis linguam aggressis intumescentia non sanatur.

In morbis palatinis tumor insensilis non sanatur.

In fauce insanabiles morbi relati sunt novem decemve hi: morbus vocem delens, oesophagitis, accumulatio, phlegma, bubo, gutturis praeclusio, carnis extensio, tonsilarum augmentum, inflammatio. Horum curationem medicus repudians suscipiat."

Caput XXIII.

Nunc vero intumescentiarum therapiam expondituri sumus.

Sextuplex intumescentia est: in artubus orta, tumor relatus, symptomatica intumescentia, antagonistica, quoquoversus procedens, quintupliciter perforata. Porro ab aëre, bile, phlegmate, tribus simul corruptis humoribus et a veneno orta est intumescentia.

Porro corrupti humores hominis saturati vectione in curru, aut ultra modum comedentis contritos cibos, Harítakam, olera saliaque fossilia, aut macri ultra modum acida edentis, aut hominis post terrae, coctae glebae, graminis, sacchari et bubulini juris carnisque usum indigestione vexati, post coitus exercitationem, post perversi cibi usum, post nimiam in elephantis, equis, camelis et pedibus agitationem, elementa corporis corrumpendo intumescentiam universo in corpore producunt.

Ibi aëris intumescentia fusca aut caerulea, mollis, non fixa est; cruciatus, et cetera dolorum genera oriuntur.

Bilis intumescentia flava aut rubra est; celeris accessio, inflammatio, cutis ardor, et cetera dolorum genera oriuntur.

Phlegmatis intumescentia pallida aut alba, unguinosa, dura, frigida, parvis accessionibus praedita est; pruritus, et cetera dolorum genera oriuntur.

Trium humorum simul corruptorum intumescentia omnibus coloribus doloribusque praedita est.

Intumescentia venenosa post veneni applicationem, post corruptae aquae usum, post lavationem in putridis aquis, aut post venenosi oleosique pulveris infrictionem, aut post contactum venenatae urinae, faecum, seminis virilis, graminum, lignorum etc., est mollis, celeriter edita, dependula aut vacillans et plerumque inflammatione coctioneque praedita.

Sunt hic ślokae:

„Corrupti humores, in cruditatis sede siti, efficiunt intumescentiam sursum versam; in coctionis (digestionis) sede autem et in medio abdomine siti, faecumque locum aggressi, deorsum versam; universum corpus assecuti efficere possunt intumescentiam quoquoversus procedentem. In media abdominis regione sita et quoquoversus procedens intumescentia dolorifica est. In medio corpore quae intumescentia Sapindo saponariae similis est, sursum se movet; anhelitus enim, sitis, infirmitas, febris, vomitus, cibi fastidium, singultus, dysenteria, catarrrhus et timiditas exoriuntur.

Breviter horum morborum remedium distincte designabo."

Tumidi omnes homines evitent acida, salia, lac coagulatum, saccharum, adipem, lac, oleum Sesami orientalis, butyrum et cibos farinaceos graves.

Ibi in aëris intumescentia oleum Convolvuli turpethi albi aut Ricini communis per dimidium aut unum mensem medicus bibere det; ex Fici indicae etc. infusione confectum butyrum liquidum in bilis intumescentia; ex Cassia fistula etc. confectum in phlegmatis intumescentia; in trium humorum simul corruptorum intumescentia butyrum ex Euphorbiae antiquorum lacteo folio, cum duodecim acidis foliis commixtum et cum Dantí compositum decoquat et bibere det.

Venenatae intumescentiae remediatio in antidotorum doctrina (Kalpast'hána) demonstrabitur.

Nunc vero generalem curationem expposituri sumus.

Quatuor Symploci racemosae butyra, quae indicata sunt, sive unum, aut alterum (illorum butyrorum), in abdominis intumescentiis adhibitum, intumescentiam tollit. Stranguriae curationem medicus instituat; aut recens ferrum quotidie ex melle, aut Embeliae ribis, Ativishae, Echitae antidysentericae, Pini Dévadáru, zingiberis aridi et Piperis nigri D'harańam unum, ex calida aqua, aut pulveres Speciei de Pipere longo, Pipere nigro aridoque zingiberi et potassae ex trium myrobalanorum infusione, aut urinam cum aequali parte sacchari adhibeat. Pinum Dévadáru, aut zingiber aridum, aut bdellium ex urina, aut ranae infusae jus cum aequali parte sacchari, aut Zingiber officinale ex infusione ranae, aut cum sedimento Ari campaunlati et Zingiberi officinali lac quotidie per unum mensem, aut lac cum Pipere longo, radice Piperis longi, Pipere chavya, Plumbagine zeylanica, Celosia cristata et ranis paratum, aut cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et radice Ricini communis Convolvulique turpethi nigri paratum, aut cum ranis, Zingiberi officinali, Barleria alba et Pinu Dévadáru paratum aegrotus bibat; — aut sedimentum Cucurbitae lagenaris fructuumque terminaliae belericae ex aqua Amaranthi polygami.

Ex jure pisino, parato cum lixivio, Pipere longo, Pipere nigro Zingiberique officinali insulso et exigue oleis condito, comedendum medicus det hordeaceum aut triticeum cibum. Ex decoctionibus Wrighteae antidysentericae, Asclepiadis giganteae, Galedupae arboreae, Meliae azidaractae et ranarum adspersio, et ex Sinapi dichotoma, natro, sale fossili et Sárngasht'há inunctio faciendae sunt. Corruptis humoribus convenienter purgantia, roborantia, acria, oleamenta, sudatoria emplastraque semper medicus adhibeat; vasis iterum ac saepius sanguinem emittat, sed alibi, quam in morbosa intumescentia.

Est hic ślokas:

„Contritum cibum acidum, salia, vinum mite, diurnum somnum, coitum feminae, butyrum et grave oleum lacque, intumescentiae delendae cupidus, evitet."

Caput XXIV.

Nunc vero therapiam in morbos adhuc non aggressos dirigendam expostituri sumus.

„Cuicunque homini orto, salvo, sanitatem cupienti, sapienti, quod semper observandum est, hoc totum declarabitur. Ibi primo dentiscalpium, duodecim digitos transversos longum, digitum minimum latum, rectum, non incurvatum et invulneratum, non nodis praeditum homo adhibeat. Recens et a laudata terra ortum, cum respexerit anni tempus, vitium humorum, chylum viresque, adhibeat adstringens, dulce, amarum et pungens, mane surrectus. Melia azidaracta in amaris optima, in adstringentibus Mimosa catechu, Bassia latifolia in dulcibus optima, Galedupa arborea in pungentibus. Cum melle, specie Piperis longi, Piperis nigri et aridi zingiberis, tribus myrobalanis, sale fossili et pulvere Pothi officinalis dentes semper purget. Singulum dentem fricet miti penicillo, pulvere dentibus purgandis inserviente, dentium carnem (gingivam) non vexans. Penicillus malum odorem, sordem et pituitam removet, albitudinem, splendorem et pulchritudinem efficit. Ne laedat guttur, palatum, labia et linguam in morbi origine. In oris inflammatione, anhelitu, catarrho, singultu et vomitu homo imbecillis, senex, animi deliquio vexatus, delirio oppressus, capitis doloribus vexatus, sitibundus, defatigatus, potui lassitudinique obnoxius, hemiplegia affectus, aurium doloribus cruciatus et dolore dentium laborans fit. — Lingua circumrasa pulchra, pulchro colore praedita et lucida est. Linguae penicillus bene formatus sit, mollis, lenis, decem digitos transversos longus; oris corruptum succum, malum odorem et intumescentiae frigiditatem tollit.

Gratum, dentium duritiem efficiens et probatum est oleosum ori eluendo serviens fluidum, aut ex Fici glomeratae infusionibus cum lacte commixtis, aut ex infusione Billodakae et Phyllanthi emblicae confectum. Eluat os et oculos sanus frigidis aquis. Ecchymosin, oris siccitatem, phlyctaenam, maculam atram in facie et morbos sanguine bileque effectos semper medicus depellat.

Collyrium leve respiciat, efficax intueatur oculo; fluidum purum, a Sind'hu profectum, optimum aestimatum est. Aestum, pruritum et sordem delet, oculorum morbosos humores tollit, oculorum pulchritudinem affert; aërem et solis candorem tolerat. Ne oculorum morbi exoriantur, propterea collyrium medicus adhibeat. Epulatus, capite ablutus, defatigatus vomitionibus vectionibusque, noctu vigilans et febricitans homo ne collyrium illinat.

Cum camphorae, Myristicae moschatae, Kakkolae, Eugeniae caryophyllatae, Echitae antidysentericae et Arecae faufel pulvere commixtum folium Piperis betel salubre est; oris albitudinem, suaveolentiam, splendorem pulchri-

tudinemque efficit; maxillam, dentes, respirationem, sordes, linguam et organa sensualia purgat; destillationem cohibet, suave est, gutturis morbos delet, conveniens est homini e somno surrecto, epulato, lavato et vomitione uso. Hominibus ex haemorrhagia biliosa laborantibus, vulneratis, emaciatis, siti, deliquio animi vexatis, asperis, imbecillibus et ore sicco affectis non salubre est. — Morbos caput nactos unguentum cephalicum removet, capillorum mollitudinem, longitudinem, copiam gratamque nigritudinem, capitis exhilarationem et pulchra cute praeditum vultum efficit, exhilarationem organorum sensualium et capitis plenitudinem. Glycyrrhizam glabram, Convolvulum paniculatum, Pinum longifoliam, Pinum Dévadáru, Solanum melongenam, singulorum nominatorum partes aequales medicus recipiat; cum eorum sedimento infusioneque oleum Anatis casarcae decoquat. Semper frigidum humano capiti oleum adhibeat.

Pecten capillare pulverem humanasque excretiones removet.

Inauris dolores maxillae, cervicis, capitis et aurium eripit.

Inunctio mollitudinem efficit, phlegma aëremque refraenat, corporalium elementorum nutrimentum est, purgationem, colorem et vires affert.

Adspersio defatigationem removet, aërem, cor et fractos articulos reficit, vulneratorum, igne ustorum, percussorum et tritorum morbos depellit. Sicut in radice surculi arboris, aquâ conspersae, crescunt, sic corporalium elementorum incrementum in homine oleamentis consperso oritur. Per vasorum orificia, crinium cava et nervos inunctio satiat. Corporis robur assumit homo apte inunctus in balneo et peritus indolis, temporum anni, regionum, corruptorum humorum et morborum. Oleum Sesami orientalis aut butyrum liquefactum mente praeditus adhibeat in inunctione et conspersione. Quemvis hominem et in omnibus humoribus simul corruptis, nullo modo inungat. Juvenis, aut febre vexatus homo nullo modo inungendus est; sic etiam homo, qui alvum purgavit, vomuit et surrexit. In prioribus duobus dolor, morbi incurabilitas; in reliquis vero digestionis torpor et ceteri hodie dicti morbi oriuntur. In morbis ex satietate ortis aegrotus ne faciat opus, corporis defatigationem lassitudinemque adferens. Sin vero hoc fecerit, suaviter corpus fricet. — Corporis incrementum, splendor membrorum, bona dispositio, lucidus ignis (digestio), absentia inertiae, robur, levitas, mundities, lassitudinis, defatigationis, sitis, aestus, frigoris etc. toleratio et etiam optima valetudo, ex contentione oriuntur. Neque vero huic contentioni aequalis est ulla corpulentiae detractio; neque contentiosum mortalem occidunt hostes prae timore; neque eum senectus subito aggressa supervenit; firma fit caro hominis contentione delectati, corpus contentione contritum habentis atque in pedibus fricati. Invaletudines nec leonem, neque parva animalia aggrediuntur. Iuventudine, pulchritudine bonisque qualitatibus orbatum hominem contentio efficit eximium facie. Contentionem facienti semper interdictus

est cibus adustus; inadustus vitiorumque expers concoquitur cibus. Contentio enim semper salubris est robustis et opipare epulatis; illa frigido vere primo his saluberrima commemorata est. Omnibus anni temporibus quotidie viris, propriae salutis cupidis, facienda est dimidia vi contentio. Aliter vero laedit, quando aër, in corde collocatus, os ingreditur. Contentionem facientis hominis, dimidiam vim adhibentis, signum hoc est: aetatem, robur et corpus, regionem, tempus et cibum respiciens faciat contentionem; alio modo morbum nancisci potest. Phthisis pulmonalis, sitis, esuries, vomitio, haemorrhagia biliosa, vertigo, defatigatio, catarrhus, tabes, febris et anhelitus ex nimia contentione exoriuntur. Ex haemorrhagia biliosa laborans, emaciatus, tabidus, anhelitu, catarrho, ulceribus aegrotans, epulatus, feminis emaciatus et vertigine laborans contentionem evitet.

Fricatio aërem tollens, phlegmatis adipisque inunctio, confirmatio membrorum et cutis purgatio, praestantissima curatio est.

Vasorum orificiorum purgatio et incensio ignis, in cute siti, ab inunctione et odoramento oriri possunt sine dubio. Ab odoramento nascitur feminarum praecipue splendidum corpus, gaudio, pulchritudine, puritate, levitate et ceteris optatis qualitatibus praeditum. Inunctio autem dignoscenda est; pruritum, lepram excorticativam et aërem depellit. In femoribus celeriter generat spumosa inunctio firmitatem levitatemque; eadem pruritum, lepram excorticativam, aërem, rigiditatem et secretionum morbos depellit. Incensio ignis, cutem aggressi, purgat vasorum orificia. Inunctio autem corpori exoptata est, pruritum et lepram excorticativam delet; somnolentiam, aestum et defatigationem aufert; sudorem, pruritum sitimque depellit, grata est, excretiones delens optimum est, omnia organa sensualia purgat, syncopen et vitia humorum sedat, exhilarat, semen virile auget, sanguinem placat, abluit, ignemque (digestionem) incendit.

Calida capitis ablutio oculo inutilis semper est; frigidam capitis ablutionem oculo idoneam demonstret medicus. In phlegmatis aërisque irritatione cum cognoverit medicus aegrotum ex morbi vi infirmum, libenter calidam capitis ablutionem, curandi causâ, instituat. Nimium frigus et aquae frigus phlegma et aërem irritant. Nimis calida ablutio calido anni tempore bilem sanguinemque auget. Eadem etiam ab aegrotis, ex dysenteria, febre, aurium dolore aëreque laborantibus et inflatione, cibi fastidio indigestioneque post epulum vexatis, vituperata est. Felicitatem dat, pulchrum colorem efficit, voluptatem, splendorem et robur auget, sudorem, foetorem, decolorationem et defatigationem delet inunctio. Quibus ablutio contraindicata est, eis etiam inunctio. Eadem Rakshas depellit, splendorem felicitatemque efficit, praestantissima est, flores, odoramenta et gemmas continet, voluptatem auget. Post oris inunctionem oculus firmus et vultus adipali gena praeditus, macularum phlyctaenarumque expers et pulcher fit, Eugeniae acutangulae similis,

pilosus, albus, splendidus, nitidus, lucidus ut lunae discus. Oculus post collyrii adhibitionem fit nitidus in pupilla, gloriosus, caelestis, longe vivens, opulentiam augens.

Cibus saturat, statim vires facit, corpus sustinet, vitae spatium, splendorem, sustentationem, memoriam, vitalitatem et ignem (digestionem) auget.

Pedum lavatio absumit eorum excretiones, morbos et lassitudinem, oculos placat, aphrodisiacum est, Rakshas depellit, voluptatem auget.

Pedum inunctio somnum facit, corpori voluptatem adfert, lassitudinem somnolentiamque depellit, pedes cutemque mollia efficit, semperque salubris est, morbos depellit pedum, aphrodisiacum est, Rakshas removet, voluptatem auget.

Sempiternus calciatus morbos pedum depellit, aphrodisiacum est, Rakshas amovet, voluptatem auget, gaudio afficit, splendorem efficit, semper pedes sustentat.

Sempiterna cursura vitam non producit, oculorum morbos incutit, hominum pedibus corpus non sustinentibus semper nociva est.

Armatura vitia humorum sedat, capillos, ungues et crines purgat, voluptatem, levitatem et pulchritudinem efficit, vires, puritatem, colorem, splendorem roburque auget, purificat, capillis idonea est, calefacit, aërem, aestum et pulverem depellit.

Pluviam, aërem, pulverem, calorem, nivem etc. arcet, colorem dat, oculis idonea est, splendorem affert et prospera est umbellae portatio.

Sciponis gestatio timorem a cane, serpente, bestiis rapacibus et elephanto eripit, lassitudinem et offensationem amovet, in sene comprobatur, excellentiam, vires, robur, stabilitatem, strenuitatem et fortitudinem auget, firmitatem efficit et timorem eripit.

Commoratio domi colorem, phlegma, corpulentiam teneritatemque efficit et grata est.

Iter colorem, phlegma, corpulentiam teneritatemque delet. Nimium iter nocivum est; ideo relaxationem imbecillitatemque efficit. Quae cursura non ultra modum corpori incommoda fert, ea longam vitam, robur, intelligentiam digestionemque dat, sensuum organa excolit, lassitudinem aëremque eripit, irritat, nutritionem, somnum firmitatemque dat.

Grata sessio in lecto, perversa autem ingrata, credita est.

Muscarium flagellum eximium muscas etc. abigit.

Flabellum tabem, aestum, lassitudinem, sudorem et animi deliquium tollit.

Vectio quadrupedum efficit voluptatem somnumque, aphrodisiacum est, phlegma, aërem lassitudinemque tollit, carnem, sanguinem cutisque placationem facit et grata est.

Adspiratio ventorum asperitatem, decolorationem rigiditatemque efficit,

aestum coctionemque tollit, sudorem, animi deliquium sitimque depellit; ventorum absentia autem contraria efficit.

Gratum ventum homo appetit calido autumno; ventorum absentia in provecta aetate appetenda est et semper sanitati convenit.

Candor solis bilem, sitim, aestum, sudorem, animi deliquium, vertiginem et lacrymas facit, inflammationem decolorationemque efficit; umbra autem has affectiones tollit.

Ignis aërem, phlegma, rigiditatem, frigus tremoremque depellit, morbum, destillationem decrepitamque aetatem efficit, sanguinem bilemque vitiat.

Nutritionis, caloris roborisque sustentationem, digestionem indefessam et elementorum corporalium aequabilitatem efficit somnus suo tempore conciliatus.“

Primitus a bono comite, brevibus unguibus capillisque praedito, alba veste induto, levem vittam et umbraculum modestum gestante, scipionem in manu tenente, narrationes, suo tempore salubres, pensatas, dulces et antiquas exponente, creaturarum amico, Guris et senibus consentiente, non alias cogitationes habente, ministrandum est; nec vero nocte, nec loco crinibus, spinis, lapidibus, palea, cinere, granis, craniis, prunis faecibusque pleno, nec sacrificali in solo, nec super asperis montibus, quadriviis et antris.

Ne homo regi odiosam hostilemque crudelitatem et mendacium, ne in Deos, Bráhmańas et majores paternos probra dicat, ne regi odiosas, dementes, viles, turpes humilesque vitae rationes ineat. Evitet arborum, montium, barathrorum, inaequalium clivorum, corruptorum equorum, elephantorum etc. adscensiones; impletorum fluviorum lacuumque, ignotorum ponticulorum, antrorum cavorumque descensiones; fissas excavatasque arbores, sepulcreta; solitarias sylvas habitationesque, ignis conturbationes, bestias, serpentes, insectorum sedes, vicorum laniaria, proelia, telorum turbas et anguium Silurique pungentissimi vicinitates. Ne ignem, boves, Guros, Bráhmańas, saltationem et conjugum penetralia adeat; cadavera ne subsequatur. Deorum, boum, Bráhmańarum, templorum, vexillorum, aegrotorum, delapsorum et peccata facientium umbram ne accedat. Solem non occasum, sed orientem et adscendentem intueatur. Suaveolentem aut excellentissime incedentem feminam ne cuidam indicet; ne impetuosos Indrae arcus. Ne aquas terramve manu pedeque feriat. Ne evacuationes retineat; ne foras alvum dejiciat in vicorum, urbium, altarium Deorum, sepulcretorum, quadriviorum, fluminum et viarum vicinitate, ne manifeste, ne in conspectu Venti, Ignis, Aquae, Lunae, Solis, boum et Guruum. Ne terram radat; ne, inoperto ore, faciat in conventu oscitationem, screatum, suspirium et emunctionem. Ne ad lecti columnas protensiones pedum faciat in Guruum praesentia. Ne capillos, aurium nariumque effluvium et dentium foramina tentet; ne ventilet capillos, vultum, ungues, vestes et membra; ne membris, unguibus et ore

musicam exerceat; ne ligna, glebas, gramina etc. discutiat aut findat. Ne reflatum solis ardorem accipiat; ne epulatus apud ignem adsidat; ne soporus stet; ne in exiguo ligneo sedili insidat; ne collum inaequabiliter teneat; ne inaequabili corpore laborem suscipiat epuleturve; ne intente adspiciat praecipue stellas, solem, res subtiles, tremulas et vorticosas; ne onera capite vehat; ne somno, vigiliae, cubitui, sessioni, stationi, cursui, itioni, vectioni, itineri, abstinentiae, navigationi, transvectioni, cachinnationi, locutioni, coitui, defatigationi et ceteris adsuetis rebus ultra modum inserviat. Insalubri re, quamvis adsueta, ex praescripto ne delectetur; sed salubrem rem, quamvis inadsuetam, ex praescripto agat, ne vero ultra modum usque ad pedum relaxationem.

Ne demisso capite dormiat; ne ex fracto urceo, neve ex vola aquam bibat; suo tempore salubrem, mensum, suavem, dulcem, frequentem et a medico inspectum cibum comedat. Rusticae turbae, prostibulae, meretricis, hostis, scelerati et vitiosi hominis coenam evitet; sic reliqua, inoptata specie, gustu, odore, contactu, sono animoque praedita, aut aliis hujusmodi qualitatibus innatis instructa, et ea, quae a muscis infantibusque tacta sunt, evitet. Ne illotis manibus pedibusque comedat; ne ex urina faecibusque laborans diluculo crepusculoque, ne intentus, comedat; ne cibum relictum ultra tempus, ne corruptum, ne nimium, ne oleo privatum, comedat.

„Ne in aqua intueatur se ipsum; ne nudus intret aquam; ne noctu lac coagulatum comedat, ne sine butyro et saccharo, ne sine Phaseoli mungonis jure, ne sine melle, ne sine calidis, ne sine Phyllanthi emblicae fructibus.“

E contrario lepram, herpetem etc. producere potest. Ludo, vino, nimiae venerationi, sponsioni, testationi, acclamationi, consociationi et symphoniis ne inserviat.

Sertum e floribus, umbraculum, calceum, aurum et vestimenta deposita, ab aliis gesta, ne gerat. Bráhmańam, ignem et bovem ne relictus contingat.

Sunt hic ślokae:

„Iucunda ratio hominis, bonam vitam degentis, haec breviter prolata est. Sanitas vero vel longa vita a malis hominibus non impetratur. Quovis anni tempore quivis hominum corrupti humores irritantur, his illisve ab intelligente medico adhibenda sunt haec illave liquida. Pluviis anni temporibus ne bibat homo aquam; autumno bibat modice. Pluviis anni temporibus per quatuor menses modicam aquam bibat. Aestate, hieme et vere ad libidinem, in fervore aestivo autem frigidam aquam bibat. Hieme et vere spiritum destillatum et spirituosum liquorem bibat. Coctam refrigeratamque aquam bibat in fervore aestivo; pluvio tempore jus bibat. Jus pisinum pluvio anni tempore, in ejus fine autem frigidam aquam bibat homo sui compos. Alius vero, vitiis, caenis et cogitationibus obsequens, oleum cum salis fossilis pulvere et piperibus commixtum bibat. Pro ignis

(digestionis) incremento ne faeces retineat. Morbis hominum sedandis olea etc., ignis (digestionis) splendorem efficientia, pluvio anni tempore, autumno et vere omnino adhibeat. In phlegmate vomitus, in bile purgatio alvique ductio laudantur; tribus humoribus corruptis exercitatio semper vitia delet. Comesus quamvis perversus cibus post exercitationem non irritat. In excretionum, coitus et ciborum expurgatione sit intentus. Ne exoptet sapiens, prae morborum timore, dolorem vel corporis vel animi. Post nimiam feminarum adhibitionem (coitum) se ipsum homo sui compos servet; dolores enim, catarrhus, febris, anhelitus, vexatio, icterus et pneumophthisis a nimio coitu oriuntur morbi, flatulescentia etc. Macrobii, tarde senescentes, pulchro corpore, colore et robore praediti, carne firma densaque instructi fiunt viri feminis abstinentes. Tertio quoque die cum femina coëat vir. Omnibus anni temporibus calidis prudens ab uxoris latere discedat. Menstruantem, invitam, sordidam, ingratam, colore et aetate provectam, morbis vexatam, manco corpore praeditam, praegnantem, invisam, vitiis genitalium affectam, consanguineam, Gurui nuptam, dimissam (e matrimonio), crepusculo et plenilunio inaccessibilem mulierem ne ineat vir; ne diluculo, media nocte mediisque diebus; ne pudorem adducente, manifesto impuroque loco; ne famelicus, agitato animo affectus, ab aëre, faecibus urinaque afflictus, sitibundus et periufirmus vir. Tortuoso utero et deficiente utero, conceptum semen virile non retinetur; corrupto autem utero, seminis emissionem vir quamvis robustus cohibeat. Seminis abundantia, capitis opertura quoque, praesertim in statione et in supina cubatione, vituperata est. Jocum etiam homo intellectu praeditus salutisque cupidus evitet. In viro menstruantem mulierem ineunte et indomita indole praedito oriri potest oculorum, longae vitae et virium amissio, deinde injustitia. Vita viri, ascetriam, Gurui nuptam, consanguineam et aetate provectam mulierem plenilunio, diluculo crepusculoque ineuntis, destruitur. In praegnante muliere vexatio embryonis, in aegrotante autem amissio virium oriri potest. Si mas feminam manco corpore praeditam, sordidam, invisam et libentius viro orbatam inoperto impuroque loco init, seminis animique interitus consequitur. Famelicus, agitato animo affectus, medio die, sitibundus et infirmus mas amissionem robusti seminis et irritationem aëris nanciscitur. Ex nimio coitu exoriuntur tabes et seminis detrimentum. In aegroto mare nascuntur morbi, lienis affectiones, mors et animi deliquium. Diluculo et media nocte aër bilisque irritantur. Utero tortuoso, deficiente et corrupto, morbus venereus, aëris irritatio et seminis virilis interitus consequuntur. Excrementorum, urinae seminisque virilis retentione et supina cubatione celeriter fieri potest seminalis calculus. Propterea utrumque evitet duplici sexui insalubre. Semen virile aggressum nunquam stulte retinendum est. Flore aetatis, pulchritudine, bona indole, probata vitae ratione et optimis qualitatibus praeditam, mas amans amantem,

laetus laetam ornatamque ducat uxorem, copulatione stimulantibusque nutritus. Cibi saccharati, lac cum saccharo candido, jus, flabellum et somnus in coitus fine salubria sunt."

Caput XXV.

Nunc vero miscellaneorum morborum therapiam expondituri sumus.

„In auris lobo morbi fluidandi sunt. Sic dictum est. Sed antea cognosce hos morbos: Circumplexum, phaenomenon, furibundum morbum, doloris augmentum et quintum circumrodentem morbum. Hi in auris lobo morbi commemorati sunt.

Ob infantiam diu neglectus, subito in adulto homine tumor auris exoritur in lobo, dolorosus, circumplectens, violaceus, fuscus, manifestus, rigidus. Hic morbus ab aëre ortus circumplexus vocatur.

Gravium ornamentorum usu, percussione et frictione tumor in auris lobo exoritur lividus aut ruber; a sanguine bileque ortum phaenomenon dolorosum hoc aestimatum est.

Sanguine cutem augente, aër in lobo irritatur; aër, assumendo phlegma, efficere potest tumorem colore doloreque praeditum. Hic furibundus prurititivus morbus a phlegmate aëreque ortus est.

Crescente aure, tumor, cum pruritu, aestu doloreque complicatus, coctioque in cute, oriuntur; hoc doloris augmentum est. Phlegma, sanguis et vermes efficere possunt sinapi similes morbosas affectiones, effluentes et dolorosas in lobo, cum pruritu, aestu doloreque complicatas.

A phlegmate, sanguine et vermibus ortus, cum herpete complicatus morbus rodere potest lobum cum meatu auditorio externo; hic circumrodens morbus commemoratus est.

Lobuli hi morbi in homine incurato terribiles sunt. Neglecti enim hi morbi lobum hominis, corruptos cibos sumentis, perdere possunt. Itaque medicus his morbis oleamenta et ceteram medendi rationem celeriter adhibeat.

Porro inunctionem, adspersionem, illitum et sanguinis missionem generaliter specialiterque indicabo.

Quod pertinet ad unguentum, cum Achyranthe aspera, Siphonantho indica, sale fossili, Euphorbia tirucalli, Pinu Dévadáru, Physalide flexuosa, Raphano sativo, Serratula anthelminthica et tribus myrobalanis, bene tritis, coquat butyrum medicus, oleum Sesami orientalis, adipem, medullam, ceram et lac; his lobum auris illinat in circumplectente morbo.

Oleum, ex Rubia manjista, Sesamo orientali, Siphonantho indica, Echite frutescente, Nymphaea caerulea, Nelumbio specioso, Symploco racemosa, Nauclea cadamba, Pavonia odorata, Eugenia jambu et Mangiferae indicae surculis confectum et cum aqua oryzae fermentata commixtum, morbum phaenomenon sic dictum depellit.

Oleum, cum Borasso flabelliformi, Lauro cassia, Physalide flexuosa, Asclepiade gigantea, Serratula anthelminthica, tribus myrobalanis, sale fossili, cammaris alligatoribusque, adipe, Pinu longifolia et Commelina salicifolia decoctum, salubre est et morbum furibundum depellit; item adspersio ex decoctione Oxalidis sensitivi, Eugeniae jambu, Mangiferae indicae Laurique cassiae.

Nymphaeâ alba, Glycyrrhiza glabra, Rubia manjista Cucumeribus duobus, scilicet pulveribus contritis, lobulum auris, illitum oleo Sesami orientalis, fricet; ex laccae et Embeliae ribis sedimento oleum excoquat; eo efficit lobulum sudabundum; et vaccini stercoris quantitate inungat in morbo circumrodente.

Oleum sinapis, aut cum contritis Embeliae ribis seminibus, Convolvulo turpetho albo, Convolvulo turpetho nigro et Asclepiade gigantea, aut cum Galedupae arboreae et Terminaliae catappae seminibus, Echite antidysenterica et Cassia fistula, aut cum his omnibus paratum, cum Pipere nigro et Meliae azidaractae foliis commixtum et cum cera compositum, in inunctione salubre est lobis morbosis, tenuibus durisque.

Nutriendi mitigandique causâ medicus conficiat unguentum salubre. Canis aurei et Bovis bubali medullam, adipem, oleum et recens butyrum coquat, et decem partes lactis, dulcium classem, Achyranthen asperam, Physalidem flexuosam et pulchrum laccae succum addat. Hoc confectum, purificatum et bene opertum asservet. Eo unguento inungat semper lobum auris, bene sudabundum valdeque fricatum. Eo etiam lobi crescunt, dolorum et symptomatum expertes, molles, nutriti, aequales, mites atque ornamentis apti fiunt.

Indigoferae anil folium, Ecliptam prostratam, Terminaliae alatae corticem, Vangueriam spinosam, Piper nigrum, ferri pulverem, semina floresque Barleriae prionitis, Terminaliam chebulam, Terminaliam belericam et Phyllanthum emblicam medicus una conterat, unitum totum hoc cognoscat luto simile, cum loti essentia misceat, quindecim dies in urceo, ferreo vase et domo tecto, deponat. Ex eo oleum medicus excoquat, commixtum cum succo ex Eclipta prostrata et tribus myrobalanis confecto. In proxima coctione examinandi causâ folium frumentarium injiciat; si hoc fit api simile et nigrum, tum decoctionem deponat in vase; in nigro ferreo vase per unum mensem hoc asservatum, inunctione adhibitâ, canitiem depellere potest.

Barleriae cristatae, Eugeniae jambu, Terminaliae alatae et Gmelinae arboreae flores, semina Sesami orientalis, Markavae, Mangiferae indicae,

Boërhaviae diffusae alatae, Asclepiadis giganteae, Kardamae et Flacourtiae sapidae, tres myrobalanos, limaturam Martis, calcem aeris, Siphonanthum indicam, Costum speciosum et Echiten frutescentem, — hoc totum scilicet medicus conterat cum Jasmino arabico et succo aquoso Citri medicae; cum septem Prast'his succi aquosi deinde hoc agitet; per septem dies opertum in ferreo probato vase deponat et cum oleo Terminaliae belericae intente decoquat. Decoctionem in novo ferreo vase deponat et nasale hoc medicamentum medicus det, corpore jam expurgato. Inunctionibus adhibitis, comedat homo Phaseolos radiatos, aut pulmenta de oryza, lacte et Sesamo orientali. Post unum mensem capilli densi, in acuminibus incurvati et apum lacertarumque instar splendidi fiunt. Capilli etiam alii in calvo exoriri possunt, et hominem aetas decrepita non subito corripit. Robur eximium oritur sensuum, fierique potest vultus rugarum expers. Inamabili, inoptato, informi et non electo (a mulieribus) illud oleum detur.

Laccam, Symplocon racemosam, duas Curcumas, arsenicum, auripigmentum, Costum arabicum, Rottleriam manjistam, Morungam hyperantheram in terra Suráshtru ortam, Pterocarpum santalinum, Bezoar orientale, calcem aeris, Micheliae champacae corticem, Glycines debilis et Fici indicae folium, Santalum (Kálíyam), Nelumbium speciosum, Nelumbii speciosi medullam, rubrum et album Sirium myrtifolium, hydrargyrum et classem a Kákolí incipientem cum lacte contritam, adipem, medullam, ceram, vaccinum butyrum mulctum et decoctionem Mimusopis arboris medicus recipiat. Hoc totum, simpliciter concoctum, pro faciei inunctione butyrum praecipuum dictum est. Depellit enim maculas atras faciei, ecchymoses perquam auctas et tumores quosdam in facie ortos.

Nelumbio specioso similem indoloremque faciem efficere potest hoc butyrum, adipalibus malis praeditam. Regibus, mulieribus similibusque hominibus hoc medicus semper conficiat. Hoc butyrum praecipuum lepram depellit et pedum ulcera.

Terminaliae chebulae pulverem, Sapindi saponariae folium, Mangiferae indicae corticem, petiolum floris Punicae granati et folium Jasmini arabici in unguentis et suffitionibus det medicus, hominibus Diisque aptus."

Caput XXVI.

Nunc vero debilis roborandi stimuli amatorii therapiam expondituri sumus.

„Sano homini, maturissimam aetatem agenti et stimulantia adhibenti quotidianus omnibus anni temporibus coitus non est prohibitus. Viris,

robustarum et propagandi cupidarum feminarum conjugium desiderantibus, mulierum amore emaciatis, impotentibus, exiguō semine praeditis, luso amatorio deditis, cupientibus, pulchritudine et juventute quidem instructis, sed multas uxores habentibus remedia stimulantia (aphrodisiaca) salubria sunt.

Mas venerans, quando ex convenientia stimulo amatorio valde concitatus est, femina ab eo exhilaratur. Hoc stimuli amatorii effectio appellatur. Cibi varii et potiones diversae, voces auribus servientes, cutis contactus voluptuarius, nox lunaris jubaris, amans uxor recentis juventutis, cantus aurem animumque rapiens, nux Arecae faufel, vina, serta e floribus et animi sedatio hominem amatorio stimulo praeditum efficiunt. His vero conditionibus ingratis, in corde saucio viri, coitum appetentis, post concubitum cum invisa uxore relinquitur impotentia.

Nimio coitui deditus non gaudet amatorio stimulo. Is enim relaxationem penis nanciscitur, seminis detrimentum facientem. Magno mentulae morbo aut membri virilis vulneratione rursus quarta impotentia exsistit, quae a marium virilitate laesa oritur. — Ex retentione robusti, animo commoti, caelibis (Brahmacharyyae), sexta impotentia commemorata est. Haec vero seminis immobilis causâ orta est.

Incurabilis est impotentia innata, et quae ex membri virilis vulneratione exoritur. Aliis vero curabilibus impotentiis adhibenda est curatio causae opposita.

Deinceps vero praecepta amatorium stimulum efficientia dabo.

Sesami orientalis, Phaseoli radiati, Convolvuli paniculati et Oryzae sativae farinam cum succo Sacchari officinarum saccharique crudi humectet, conterat et cum sale fossili commisceat; tum axungiâ porcina et butyro clarificato conditam pultem coquat. Vir, hac pulte comesâ, centum mulieres inire potest. Sesamum orientale in lacte cum testiculis hircinis parato, ptisanasque oryzae cum adipe Delphini gangetici coctas, illoque Sesamo orientali conditas, qui mas comedit, is inire potest centum feminas. Cum Pipere longo et sale fossili paratum testiculum hircinum, lacteo butyro conditum, qui comedit, is centum feminas inire potest.

Ex pulveribus Piperis longi, Phaseoli radiati, Oryzae sativae, Hordei hexastichi et Tritici aestivi, singulorum partibus aequalibus, medicus in butyro coquat placentam; hanc comedendo et aquam saccharo melleque mistam bibendo mas in passeris modum inire potest decem feminas sine intermissione.

Pulverem Convolvuli paniculati bene praeparatum, cum oleoso sedimento commixtum et butyro clarificato melleque mistum lingendo mas decem feminas init.

Sic pulverem Phyllanthi emblicae cum oleoso sedimento commixtum et

saccharo, melle butyroque mistum cum linxerit, lac bibat; eo mas, quamvis octoginta annos natus, juvenis instar stimulatur.

Testiculum hircinum paratum cum Pipere longo saleque fossili, conditum butyro clarificato, aut testiculos Delphini gangetici comedat; haec autem sunt duo valde stimulantia.

Cancri crangonis, testudinis et Kráňámae testiculos pariter comedat.

Aut Bovis bubali, Bovis tauri et Moschi moschiferi semina virilia (in testiculis) mas bibat. Emulsionem ex Fici religiosae fructu, radice et cortice, et ex Spondia mangifera paratam saccharoque melleque mistam bibendo mas in passeris modum stimulatur.

Sedimentum radicis Convolvuli paniculati ex butyro clarificato et lacte, aequalemque Fici caricae partem bibendo mas quamvis senex juvenescit.

Phaseolorum radiatorum unum Pala cum melle butyroque clarificato commixtum lingat, tum lac bibat. Eo mas stimulosus fieri potest.

In lacte decoctum Triticum aestivum cum Carpopogonis prurientis fructibus paratum, refrigeratum butyroque conditum comedat; deinde lac bibat.

Ex crocodilorum, murium, ranarum et paserum testiculis confectum butyrum inunctione pedum efficit robur. Humum vero ne tangat. Quamdiu humum non tangat, tamdiu ire potest sine intermissione.

Pulverem Carpopogonis prurientis, Sacchari cylindrici, trium myrobalanorum et Sacchari officinarum ex frigido calidoque lacte bibens mas interitum non adibit.

Allii sativi pulvis pariter ex lacte potatus praestantissimus optatur.

Asparagi racemosi et Allii sativi radix bibenda est mari robur desideranti.

Phaseoli radiati jusculum, cum fructibus Carpopogonis prurientis commixtum, mas bibat.

Guptae fructum, Ruelliae longifoliae semen et Allium sativum cum vaccino lacte decoquat; id cochleari agitatum et cum saccharo commixtum bibens vir stimulatur totam per noctem.

Phaseolum radiatum, Convolvulum paniculatum et Allium sativum ex lacte vaccino, conditum melle butyroque, et bene mistum saccharo, vir cum biberit, in passeris modum stimulatur per totam noctem.

Lac vaccarum, vitulum unicum adultum habentium, et foliis Phaseoli radiati nutritarum, probant hominibus vehementer amantibus.

Universa lactis carnisque classis, et illa a Kákolí incipiens classis honoratae sunt. Ex causa amatorium stimulum efficiente haec remedia adhibeat. Haec amatorium stimulum efficientia remedia voluptatem progeniemque dant. Illa hominibus purificato compactoque corpore praeditis adhibenda sunt, sed sub temporum etc. respectu.“

Caput XXVII.

Nunc vero omnium morborum sedativum elixirium exposituri sumus.

„Ineunte mediave aetate hominis, grato puroque corpore praediti, elixirium vitae medicus sapiens semper adhibeat. Impuro corpori non utile est praeceptum elixirii vitae, nec elucet, et, ut in veste miserabili tinctura, incommodum est.

Qui corporis morbi, tam ab humoribus corruptis orti, quam psychici, prioribus locis jam demonstrati sunt, eorum praeservationem (prophyllaxin) indicabo.

Aqua frigida, lac, mel et butyrum clarificatum, aut singula, bina, terna, aut simul composita potata roborare possunt aetatem."

Porro Embeliae ribis et Amaranthi polygami pulverem cum Glycyrrhiza glabra commixtum recipiat, pro viribus ex frigida aqua exsorbeat et frigidam aquam superbibat; sic quotidie per unum mensem: hoc etiam cum melle commixtum, aut ex Semicarpi anacardii decoctione, aut ex mellis uvarumque decoctione, aut ex mellis et Phyllanthi emblicae succis, aut ex Menispermi cordifolii decoctione ebibat. Sic haec quinque remedia senis sunt. Ex Phaseoli mungonis et Phylanthi emblicae jure insulo et pauca olei quantitate perfuso comedat oryzam coctam, butyro clarificato conditam. Haec remedia sane haemorrhoides delent, vermes interficiunt, tenacitatem, perseverantiam firmitatemque procreant, per singulos menses adhibita; senex fit centum annos vivens.

Embeliae ribis et Amaranthi polygami Dronam unum in aheno ad farinae modum evaporet, infusione exhalatâ, evaporatum deducat, in mortario conterat, in ferreo solido vase superfundat melle et aqua, atque aestate per quatuor menses in çella, in cineris cumulo, deponat. Pluvio anni tempore aggresso illud homo expromat; corpore imperfecto praeditus antea holocaustum millium lapsuum (peccatorum) faciat, et tum quotidie mane pro viribus adhibeat.

Homo senectute confectus ex Phaseoli mungonis Phyllanthique emblicae jure insulso et pauca olei quantitate perfuso comedat oryzam coctam, butyro clarificato conditam; in pulverulento lecto dormiat; post mensem ex omnibus membris ejus vermes egrediuntur, quos, pauco oleo inuncto, abripiat arundinaceo frustillo. Secundo tempore formicas rubras, tertio pediculos abripiat; quarto dentes, ungues et capilli amoventur; quinto signa laudatae qualitatis oriuntur: inhumanum solis ardorem corpus tolerat; e longinquo auditiones visionesque percipit; affectuum impetum (rajas) et obscuritatem (tamas) auferendo ad veritatem (satva) transit; auditione et locutione prisci temporis praeditus, elephanti robore et equi velocitate instructus, et octies

juventute donatus, senectutem centum annorum adipiscitur. Huic exiguum olei ad inungendum opus est; Terminaliae alatae tomentosae extractum ad fumigandum caput; aqua fontana ad abluendum; Sirium myrtifolium ad illinendum; ad Semicarpi anacardii praeceptum cibus et abstinentia: Gmelinae arboreae eradicatae praeparatio eadem; pulverulentus lectus; cibi abstinentia; ibi est enim ex decocto lacte comedendum.

Benedictiones priori similes; in morbis a sanguine bileque ortis benedictionum adhibitio.

Jam descriptam domum intret, dimidium Pala unumve radicis Pavoniae odoratae cum lacte agitet et bibat. — Seni lac, butyrum et oryza cocta cibus sit. Haec cum homo duodecim dies sumserit, duodecim annos aetas perstabit. Haec vero cum centum dies sumserit, centum annos aetas perstabit. Sic etiam est Sidae cordifoliae, Hedysari lagopodioidis, Convolvuli paniculati et Asparagi racemosi adhibitio. Praecipue vero Sidam cordifoliam ex aqua, Hedysari lagopodioidis pulverem ex lacte et pari modo Asparagum racemosum comedat. Benedictiones priori aut alii simili similes sint. Hae plantae hominibus vehementer amori deditis, sanguinem vomentibus et alvum purgantibus indicantur.

Tulam unum radicis Convolvuli paniculati in pulverem resolvat; deinde partem cum melle commisceat, cum lacte agitet et bibat. Seni lac, butyrum et oryza cocta cibus sit. Contraindicatio ibi, ut supra. Laborum susceptionibus addictus, senectutem centum annorum adipiscitur et apud feminas potentiam. — Cum illo pulvere lac conterat, coctum hoc refrigeratumque agitet, butyrum efficiat et cum melle commixtum adhibeat vespere, mane aliove tempore. Seni lac, butyrum et oryza cocta cibus sit. Haec unum mensem cum sumserit, senex centum annorum fit. Seni autem lac, butyrum et oryza cocta cibus sit.

Oculorum aut vitae cupidus succum Citri medicae et radicem Premnae spinosae decoquat ac Prast'ham unum Phaseoli radiati praeparet. In hoc paratur Aksha unus sedimenti radicis Plumbaginis zeylanicae; tum addat quartam portionem succi Phyllanthi emblicae; dein evaporatum hoc deducat, holocausto millium lapsuum (peccatorum) antea facto, refrigeratum illud cum melle butyroque comisceat et adhibeat pro viribus; salia evitans id comedat. Senex ex Phaseoli mungonis jure insulso oryzam coctam, butyro clarificato conditam comedat, aut ex lacte, per tres menses. Jisdem remediis oculus ut in Garuḋa fit, homo non infirmus, robustus et inter feminas non impotens ad centesimum annum pervenit.

Est hic ślokas:

„Cum lacte paratas homo Pentapterae tomentosae fruges qui comedat cum lacte, ejus aetas non destruitur."

Caput XXVIII.

Nunc vero mentem et longaevitatem cupientis elixirium therapiamque expondituri sumus.

Mentis et longaevitatis cupidus Andropogonem aciculatum, Serratulam anthelminthicam et tres myrobalanos, solibus torrefacta, recipiat, subtiliter pulveret, cum saccharo conterat, in ampulla olearia per septem noctes in acervo frumenti deponat et post septem noctes expromat. Homini, a corruptis humoribus liberato, pro viribus dosin medicus det. Ante solis ortum homo calidam aquam superbibat.

Ad Semicarpi anacardii praeceptum homo in domum ingressus et, plantis digestis, postmeridiano tempore frigidis aquis adspersus, cocta grana Oryzae sativae et Oryzae praecocis ex lacte commixto cum saccharo liquiritiaque comedat. Haec per sex menses adhibens homo, a vitiis absolutus, robore coloreque praeditus, auditione et locutione instructus, memor sanusque fit, ac vitam ad annum centesimum perducit.

Leproso, icterico aut hydropico aegroto dimidium Pala Piperis longi, cum vaccina urina agitatum, digresso solis rubore, potandum medicus det; tempore postmeridiano aegrotus ex jure Phyllanthi emblicae insulso oryzam coctam butyroque conditam comedat. Haec per mensem unum adhibendo homo memor sanusque fit et vitam ad annum centesimum perducit. Eadem etiam adhibitio est variarum radicum; sed circa radicem Indigoferae tinctoriae et Plumbaginis zeylanicae alia adhibitio est; ibi enim duo Palae summa dosis est; reliquum vero ut supra.

Corruptis humoribus privatus, reunioni addictus ex ordine, et in domum ingressus homo sedimentum oleosum Hydrocotyles asiaticae recipiat, tum, holocausto millium lapsuum (peccatorum) facto, pro viribus cum lacte agitatum illud bibat, et lac superbibat. Illâ (Cotyle asiatica) digestâ, hordeaceum cibum ex lacte adhibeat, aut cum Sesamo orientali comedat tres per menses, et lac superbibat. Seni lac, butyrum clarificatum et oryza cocta cibus sit. Haec adhibens homo fit sanctus (ut Brahma lucidus), auditione locutioneque praeditus, et senectutem centum annorum adipiscitur. Tres per noctes cum fuerit jejunus homo, tres per noctes illam (Cotylen asiaticam) comedat. Post tres noctes in posterum lac et butyrum clarificatum adhibeat. Aut Vilva unum illius cum lacte agitatum bibat. Haec per decem noctes adhibendo intelligibilis homo fit, vitamque perducit ad centesimum annum.

Corruptis homoribus privatus, in domum ingressus et reunioni addictus homo sedimentum oleosum Rutae graveolentis recipiat, et, holocausto millium lapsuum (peccatorum) facto, pro viribus adhibeat; plantis digestis, tempore postmeridiano aquam oryzae fermentatam insulsam bibat, aut butyrum clarificatum cum lacte adhibeat. Haec per septem noctes adhibens homo sanctus

(ut Brahma lucidus) intelligibilisque fit. Bis septem noctes haec adhibens homo corpulentiam desideratam efficit; et quod perditum est, iterum apparet. Ter septem noctes haec adhibens durat homo per bis praetergressum saeculum. Haec per viginti noctes et unam adhibens homo miserias effugit. Corporea Dea eloquentiae (Vágdéví) illum intrat et omnes auditiones ad eum accedunt. Audita tenens homo fit et vitam ad quingentesimum annum perducit.

Duos Prast'has sedimenti oleosi Rutae graveolentis, unum Prast'ham butyri clarificati, unum Kuńdavam Embeliae ribis et Amaranthi polygami, bina Pala Acori calami et Convolvuli turpethi albi, duodecim Terminalias chebulas, Phyllanthos emblicas et Terminalias belericas, haec subtiliter pulverata, infundat, simpliciter praeparet et hoc bene opertum asservet. Deinde ex priore praescripto dosin pro viribus adhibeat. Seni lac, butyrum clarificatum et oryza cocta cibus sit. Hoc (remedio) sursum, deorsum et oblique vermes egrediuntur, et homo miserias effugit, auribus Nelumbio specioso similibus instructus, firmata aetate praeditus, doctus et eloquens fit, vitamque trecentorum annorum vivit. Illud etiam in leprae vexationibus, febribus, epilepsia, delirio, veneficio, in Bútis et Grahis aliisque magnis morbis purgatorium remedium medici indicant.

Corruptis humoribus privatus et in domum ingressus homo quantitatem Acori calami albi Acorique calami, aequalemque partem fructus Phyllanthi emblicae comburat, cum lacte agitet et bibat. Seni lac, butyrum clarificatum et oryza cocta cibus sit. Haec duodecim noctes homo adhibeat; deinde ejus auris aperitur. Post duplicem adhibitionem homo memor fit; post triplicem adhibitionem centum annos vivit; quater duodecim noctes haec adhibens homo ab omnibus aegrotationibus liberatur, Tárkshyae (Garuďae) visus oritur et centum annos vivit.

Duo Pala alius Acori calami decoquat et bibat ex lacte. Similis sit cibus (senis). Benedictiones priori similes sint.

Aut centum partes decoctionis Acori calami et unum Drońam butyri clarificati adhibendo colli tumores, incoctos tumores, elephantiasin vocisque interruptiones depellit.

Porro de longaevitatis cupiditate praecipiemus.

„Mantris (hymnis sacris) viribusque medicamentosis instructum et annorum fructus praebentem Aegles marmeli pulverem, octavo lunari die ablatum et cum auro, butyro clarificato melleque commixtum homo, saepenumero Srĭ Deae benedicens, quotidie diluculo lingat; hoc est optimum miserias delens remedium.

Corticem Aegles marmeli et decoctionem radicis Ari campanulati quotidie homo comedat ex lacte, cum antea se abluerit et sacrificaverit studiosus. Aetas decem millium annorum, memor et heroica fieri potest. Cum sacri-

ficaverit decoctionem fibrarum Nymphaeae nelumbonis cum melle et granis frumentaceis commixtam, aetas fructuosa, per decem millia annorum durans, virtuosa, heroica et memor fieri potest.

Aurum Nelumbiique speciosi semina, mel, fibras Nymphaeae nelumbonis et Panicum italicum ex vaccino lacte potata, miserias delere possunt.

Decoctio foliorum Indigoferae anil et Nymphaeae caeruleae, cum vaccino lacte, Sesamique orientalis seminibus elixa, miserias delens commemorata est.

Vaccinum lac, aurum, cera et mel, potata, deciesque millies sacrificata, heroicum est remedium.

Acori calami butyrum, aurum et Aegles marmeli pulvis, hae tres substantiae augent intelligentiam, aetatem, sanitatem, nutritionem et pulchritudinem.

Oleum Sesami orientalis in Justiciae ganderussae, Ari campanulati et Mori indicae decoctionem infusum homo sacrificet et millies comedat; intellectum longaevitatemque efficiens remedium hoc appellatur.

Dolichum biflorum et Javakam magisque Hordeum hexastichon homo comedat, cum Pipere longo et melle commixtum; tum cognitio Védáńgae (Śikshae) aeque atque observantia Védantica (Charańa) oritur.

Mel, Phyllanthi emblicae pulveres et aurum, tres has substantias comedendo homo, quamvis symptomatibus mortiferis correptus, liberatur a vitae dubio.

Asparagus racemosus et butyrum liquefactum, simul adhibita quotidie cum melle et auro, regem stabilire valent in domo sua.

Aqua, Sirium myrtifolium, Datura metel, Glycyrrhiza glabra, mel et aurum; scilicet horum compositio bibenda est homini pulchritudinem desideranti.

Ex Nelumbii speciosi, Nymphaeae caeruleae, Siphonanthi indicae et Glycyrrhizae glabrae decoctione butyrum receptum vaccinum et aurum semper homo bibat. Lac superbibat, paratum in illorum substantia. Hoc miserias delet et semper aetatem prolongat regno (regi) felici.

Ubi non recitatus est hymnus sacer (Mantra) sub horum remediorum praeparatione, ibi sonet ubique tripes carmen mysticum (Gáyatrí).

Peccatorem delent hae herbae medicamentosae; sed etiam dare valent felicitatem; efficere possunt robur Nágarum (semideorum) et humanam naturam immortalibus similem.

Sempiterna lectio (Védarum), sermo, subserviens visus et scientiae observantiaeque cultus — est classis remediorum, intelligentiam mentemque efficiens.

Longaevitatem efficit cibus, in sene impetuum relictio, religiosa observantia, justitia et violentiarum evitatio.“

Caput XXIX.

Nunc vero propriae naturae morbis opponendum elixirium vitae expondituri sumus.

„Brahma et ceteri Dii creaverunt priorem et immortalem Asclepiadem acidam, decrepitudinis mortisque delendae causâ. Praeceptum de illa tradetur.“

Unica sane venerabilis Asclepias acida differentiis locorum, nominum, formarum et virium in viginti quatuor varietates dividitur, hoc modo:

„Radiata, Saccharo munjae similis, lunae instar formata, argenti splendore praedita, Panico dactylo similis, perparva, albicantibus oculis instructa, auri splendore praedita, extensa, flabelliformis, Nerio odoro similis, scapulae similis, proprio splendore praedita, magna, Garuḋae immolata, Gáyatrí, Trishṫub'h, Panktae, Jágatae et Śánkarae versibus similis, ignis sacrificium, in Raivata monte oriens dicta cognominataque, cum Gáyatrí tripede metro conveniens, quae et aquarum dominus appellatur.

Hae Asclepiadis acidae varietates appellatae sunt nominibus pulchris, quae in Védis dicta sunt. Omnium autem harum Asclepiadum acidarum unum praeceptum in therapia servatur; omnes enim similibus qualitatibus praeditae sunt. Praeceptum de his tradetur.“

Quampiam Asclepiadem adhibeant, omnis remunerationem officiumque praestat. In fausta regione tripliciter defensam domam efficiat; corruptis humoribus privatus reunionique (devotioni) deditus sub faustis dies lunares efficientibus Muhúrtarum astris radiatam Asclepiadis acidae radicem recipiat, sub sacrificii confectione prehensam, ablutam sacrificatamque in interiori domo benedictus aurea acu perfodiat et lac (succum) capiat in aurea patera. Deinde quantitatem, quae duplicatis manibus capi potest, semel adhibeat. Nec vero gustandum est humectatum in aquis residuum corruptum. Ad purificationem religiosamque observantiam mentem convertat; silenter colloquens medio in spatio amicis circumdatus incedat.

„Elixirium qui potavit, in domo aëri non exposita attentus et purus sedeat, stet incedatque; ne vero ullo modo feminam ineat.“

Vespere epulatus et acroamate tranquillatus, dormiat in lecto ex Poa cynosuroide confecto et pelle nigra superdato; sitiens autem frigidam aquam bibat. Deinceps mane surgens, acroamate tranquillatus et benedictus, terram contingens in ea considat. Digestâ Asclepiade acida, vomitus oritur; deinde homini, substantiam sanguine tinctam et cum vermibus commixtam vomenti, elixum frigidumque lac vespere medicus concedat. Dein tertio die materia cum vermibus commixta dejicitur. Homo, ab hac et ab inoptatis sumtis cibis ceterisque substantiis liberatus, purgato corpore praeditus fit. Tum

lavato superiorem in modum vespere lac medicus concedat. In lecto, linteis pannis obtecto, illum cubare medicus jubeat; deinde quarto die intumescentia oritur. Tum ex omnibus membris vermes egrediuntur. Eodem die in lecto pulveribus conspersus dormiat. Deinceps superiorem in modum vespere lac medicus concedat. Sic agat quinto sextoque die; duobus his diebus tantummodo lac ei concedat. Deinde septimo die homo carne privatus et tantummodo cute ossibusque instructus post Asclepiadis acidae adhibitionem suspirat. Eodem die suaviter calefacto lacte medicus cum adsperserit hominem, eum, illitum Sesami orientalis, Glycyrrhizae glabrae Siriique myrtifolii unguento, lac bibere jubeat. Tum octavo die hominem, adspersum lacte et illitum unguento Sirii myrtifolii, mane lac bibere, pulverulentum lectum relinquere et in lecto, linteis pannis obtecto, cubare jubeat. Deinde caro accrescit et cutis rumpitur. Dentes, ungues et capilli excidunt. Post nonum diem in posterum inunctio exigui olei fiat, et adspersio infusionis corticis Asclepiadis acidae. Deinde decimo die idem rursus medicus concedat; deinde hominis cutis firmitatem adipiscitur. Sic undecimo duodecimoque die medicus agat. Porro post tertium decimum diem in posterum adspersio infusionis radicis Asclepiadis acidae fiat. Sic usque ad sextum decimum diem agat. Deinde post septimum decimum et duodevicesimum diem dentes fiunt acuti, grato adamanti, lapidi lazuli et crystallis similes, aequales, firmi et perdurantes. Inde in posterum ex oryzae granis non recentibus paratum lacteum oryzae fermentatae jus homo comedat usque ad vicesimum quintum diem. Tum ei medicus det oryzam coctam per duos dies cum lacte; deinde hominis ungues fiunt corallis, coccinellis, floribus Achyranthae asperae et soli similes, firmi, grati, signis praediti. Capilli quoque et cutis floribus Nymphaeae caeruleae Linique usitatissimi et lapidi lazuli similia fiunt. Post mensem in posterum capillos tonderi medicus jubeat. Tonsis capillis, caput sedimentis Andropogonis muricati, Sirii myrtifolii, Piperis nigri et Sesami orientalis inungat, aut lacte lavet. Deinde in domo post septem noctes capilli fiunt splendidi ut apes nigrae magnae et atramentum, incurvati et grati fiunt. Deinde post tres noctes ex prima circumferetia (habitationis) egrediatur, per horam (Muhúrtam) stet et rursus domum intret. Deinde oleum Pavoniae odoratae ad inungendum adhibendum est; Hordeum hexastichon contritum ad alendum; suaviter calefactum lac ad conspergendum; Terminaliae alatae tomentosae infusio ad fumigandum; aqua fontana cum Andropogone muricato ad lavandum; Sirium myrtifolium ad oblinendum.

Jusculum pisinum cum succo Phyllanthi emblicae commixtum comedat.

Nigrum Sesamum orientale cum lacte Glycyrrhizaque glabra commixtum adhibendum est ad comedendum. Sic decem per noctes agat; deinceps per aliud decem noctium tempus in secunda circumferentia (habitationis) com-

moretur; tum in tertia circumferentia se firmum faciens per aliud decem noctium tempus commoretur. Tantisper candorem solis et aërem adhibeat; deinde rursus domum intret. Ne vero se ipsum in speculis adspiciat propter formae suae splendorem. Deinde per aliud decem noctium tempus iram etc. evitet. —

Sic omnium Asclepiadum acidarum adhibitio se habet. Praecipue vero extensa reptans, frutescens et ceterae asclepiades acidae sunt comedendae. Harum vero sesquitertiae Mushṫi pro dosi dentur.

Scapulae similem Asclepiadem acidam bibat in aurea patera. Octo partes lunatae Asclepiadis acidae in argentea patera cum adhibuerit homo, dominationem nactus, ad Iśánam Deum introit. Ceterae Asclepiades acidae in cuprea patera, aut in terrea, aut in rubra pelle expansa tribus ordinibus adhibendae sunt, Súdrae tribu excepta. Deinde quarto mense, die lunae plenae, in pura regione cum Bráhmaṅas honoraverit, et benedictus domo exiverit, inambulet, ut dictum est.

„Plantarum medicabilum dominum, Asclepiadem acidam, adhibendo, sapiens per decem millia annorum corpus corservat novum. Nec ignis, nec aqua, nec venenum, neque ensis, neque arcus longam illius vitam adimere potest. Vim excellentium, sexaginta annos natorum et multifariam progressorum millium elephantorum accipit. Lacteum oceanum, Śakrae (Indrae) mare et septentrionales regiones si desiderat ingredi, non impeditum ejus iter est. Sicut Kandarpas specie, et sicut Luna nitore excellit. Exhilarat creaturarum animos ille summo splendore praeditus. Aṅgas, Upáṅgas et Védas penitus intelligit. Peragrat fructuosus menteque praeditus, sicut Deus, universum mundum.

Omnibus Asclepiadis acidae varietatibus folia quindecim sunt. Haec in luna alba (crescente) nigraque (decrescente) oriuntur caduntque. Singulum folium Asclepiadis acidae quotidie oritur in alba luna; die plenae lunae autem Asclepias acida quindecim folia habet. Deinde folium singulum rursus de die in diem decidit. Nigro latere lunae occaso, haec planta reptans renascitur tota.

Asclepias acida radiata butyro olet; argenti splendore praedita bulbosa est; Saccharo munjae similis illa bulbo instructa est, Musae paradisiacae instar; lunae instar formata foliis Allio sativo similibus praedita est; auri splendore praedita illa semper in aqua incedit; Garuḋae immolata sic dicta et illa albicantibus oculis instructa, — hae duae ex flavo albicant, exuviis serpentium similes sunt et, ut arborum cacumina, dependent. Variis aliis orbibus hae, sicut stellae, splendent.

Omnes vero Asclepiadis acidae varietates, quindecim foliis instructae, dignoscendae sunt. Ut Convolvulus paniculatus reptantes et foliis multiformibus praeditae commemoratae sunt in Himavate, in Arvuda, Sahya,

Mahéndra, Malaya, Sríparvata, Dévagiri, monte Deos gerente, in Páripátra, Vind'hya, Dévasunda et in Hrada montibus. Ad septentrionem dodrantales et expansae terram tenent. Quinque harum Asclepiadum deorsum (ad meridiem) exsistunt. Ad occasum Sind'hus magnus fluvius rapide fluít; ibi Asclepias acida lunae similis excellentissima est. In hujus fluvii regionibus etiam Asclepias acida Saccharo munjae et scapulae similis est. In Káśmíris lacus divinus (Sarodivya) sic appellatus malevolus est. Gáyatri, Trishťub'hae, Panktae, Jagatae et Śankarae versibus similes ibi sunt, aliaeque Asclepiadis acidae varietates, lunae instar splendidae. Nec vero has vident injusti, ingrati, medicamenta et Bráhmańas perosi homines."

Caput XXX.

Nunc vero elixirium dolorem tollens exposituri sumus.

„Sicut Dii a doloribus vacui laetantur in caelo, sic homines, has herbas medicamentosas nacti, laetantur in terra."

Sed septem homines hoc elixirium adhibere ne velint: sui impos, ignavus, pauper, incuriosus, calamitosus, peccans et medicamina contemnens. Septem ex causis homo non aggreditur ad elixirium: ex inscientia, inertia, inconstantia mentis, paupertate, indocibilitate, injustitia et herbarum medicamentosarum repudiatione.

Nunc vero herbas medicamentosas expositurus sum.

Śvétakápotí, Kŕishńakápotí, Gonasí, Convolvulus paniculatus, Aloë perfoliata, Ch'hatrá, Atich'hatrá, Webera corymbosa, Ajá, Chakraká, Adityaparńiní, Brahmasuvarchchalá, Colotropis gigantea, Maháśrávańí, Golomí, Dolichos pruriens, Solanum melongena et Végavatí. Sic duodeviginti magnae herbae medicamentosae, aeque efficaces, atque Asclepias acida, indicatae sunt. Harum benedictas laudes aeque, atque Asclepiadis acidae, relatae sunt in Śástra (Véda). Earum in domo sacrificatarum lactiferae quae sunt, ex iis Kuďavam unum lactis (succi) semel quoque adhibeat. Quae quidem lactis (succi) expertes, sed radicibus praeditae sunt, earum tria Káńďa, scilicet quantitates, quae digitis extremis capi possunt, pro dosi dantur.

Śvétakápotí cum radicibus et foliis comedenda est. Gonasís, Ajagarís et Kŕishńakápotís manipulum unum frustratim praeparet, decoquat et colatum sacrificatumque semel quoque adhibeat. Chakrakae lac (succus) semel quoque, Brahmasuvarchchalá vero septem per noctes adhibenda est.

Pro cibi praeparatione quinque Pala reliquarum herbarum, decocta in

uno Ad'haka lactis ad remanentiam unius Prast'hae, recipiat, colet et semel quoque adhibeat.

Ut circa Asclepiadem acidam ibi sumtio et repudiatio indicatae sunt.

Omne autem inungendi causâ recenter abductum residuum in Asclepiadis acidae modum usque ad egressum (e domo) adhibeat.

Sunt hic ślokae:

„Juvenem, leonis instar validum, amatum, doctum eloquentemque et duo millia annorum viventem hominem hae herbae medicamentosae efficere possunt. Membris pulchris inauribusque exornatus, cincinnatus, divinis sertis, Sirio myrtifolio et ambra instructus et fructuoso consilio praeditus in caelo nubibus impleto et impervio incedit, ubi volant aves et nubes aquis dependulae. Iter hominis, his herbis medicamentosis curati, et iter Asclepiade acida effectum, praestantissimum est. —

Nunc vero indicabo distinctionem herbarum medicamentosarum singulatim.

Orbibus fuscis et versicoloribus ad instar serpentium splendida, quinque foliis instructa et mensuram quinque ulnarum implens Ajagarí distinguenda est doctis.

Carens foliis, more auri splendida, in radice mensuram duorum digitorum implens, serpentium formis instructa et in fine rubra esse Śvétakápotí dicitur.

Bifoliam, fusca radice praeditam, nigris orbibus instructam, duas ulnas longam et anguiformem medicus cognoscat Gonasím, lactiferam, villosam, mollem et sacchari simili succo praeditam.

Eadem specie succoque instructam Kršhńakápotim medicus demonstret.

Nigri colubri formam propriam habet Convolvulus paniculatus, a bulbo ortus, uno folio instructus pervalidusque est et aeque splendet, ac fissum antimonium.

Ch'hatram et Atichch'hatram medicus cognoscat, quae Rakshas (daemones) occidunt, a bulbo ortae sunt, decrepitam aetatem mortemque arcent et in Svétakápotis regione habitant.

Dilecta, duodecim foliis instructa, elevatis pavonis membris similis, a bulbo orta et aureo lacte (succo) praedita est Aloë perfoliata, illa magna herba medicamentosa.

Webera corymbosa valde succosa est, in bulbo formam elephanti sistit, Buteae frondosae folio simile folium habet et bifolia est.

Caprino uberi similiter bulbosa, lactea fruticosaque illa magna herba medicamentosa Ajá cognoscenda est; ad concharum, Jasmini multiflori et lunae modum e flavo albicat.

Albam, versicoloribus floribus praeditam, Abro precatorio similem et

fruticosam Chakakram herbam medicamentosam medicus cognoscat, quae decrepitam aetatem mortemque arcet.

Radicosa, quinque foliis in morem rubidarum vestium mollibus instructa Adityaparńiní cognoscenda est; illa semper solem sequitur.

Ad instar auri splendet, ubique in aquarum finibus (ripis) perreptat, lactea, Nelumbio specioso similis et divina est Brahmasuvarchchalá.

Ulnam unam longa, fruticosa, foliis duos digitos longis praedita, floribus Nymphaeae caeruleae similibus et fructibus antimonii instar nitidis instructa Śrávaní magna cognoscenda, in auri modum splendida et lactea est.

Śrávaní e flavo albicat et signis magnae Śrávanis praedita est.

Golomí et Ajalomí sunt villosae, a bulbis ortae, ad Clitoriae ternatae modum fissis foliis, e radice exortis, praeditae.

Sed floribus ad instar conchae instructa, aequalis in omnibus formis,— efficacia magnâ praedita et serpentium exuviis similis illa Végavatí sic dicta oritur post nubium occasum.

In septem primis ceterae herbae medicamentosae, omnibus formis praeditae, explicatae sunt.

Illarum evulsio (e terra) efficienda est semper sub hoc sacro hymno (Mantra):

„„Magni Indrae, Rámae, Krǐshńae, Bráhmańarum et etiam boum devotione cogiminor ad salutem!““

Hoc sacro hymno (Mantra) sapiens medicus omnes herbas medicamentosas incantet.

Ab hominibus fidem non servantibus, ignavis, peccantibus et scelera facientibus adhiberi non debent Asclepiadis acidae varietates, Asclepiadi acidae similes herbae medicamentosae et flava remanentia, ambrosia, a Diis, Brahmam subsequentibus, deposita in Asclepiadis acidae seminibus et in ipsa Asclepiade acida, herbarum medicamentosarum domino.

In Dévasunda, Hradavara, Sind'hu magno fluvio atque in aquarum finibus (ripis) et medietate conspicitur Brahmasuvarchchalá.

Ádityaparńiní cognoscenda sub hiemis exitu conspicitur; Ajagarí autem et Gonasí sub nubium adventu.

In Kaśmiris lacus divinus sic apellatus malevolus est; ibi Webera corymbosa, Aloë perfoliata, Ch'hatra et Atichch'hatraka, Golomí, Ajalomí magnaque Śrávańi habitant, et a nigro serpente vocata Gonasí conspiciuntur.

Kauśikím fluvium olim transgressae victricis regio, collibus accumulata, mensuram trium Yojanarum (milliaria undecim anglica) implet. Ibi cognoscenda est Kapotí alba in collium capitibus. Etiam in Malaya monte et in Nalasétí haec herba medicamentosa certa exsistit. Mense Octobri — Novembri, die plenilunii juxta Plejades, homo comedat illam

herbam jejunus. Ad instar Asclepiadis acidae ibi exsistere potest fructus hoc tempore laudatus.

Omnes vero herbae medicamentosae perscrutandae sunt in Asclepiade acida in monte Arvuda. Haec Asclepias acida cacuminibus montium a Deo peragratis nubiumque exercitu divisis, — sacris lavationis aquis sic dictis, a celebratis Rishis et Suris adhibitis, — cavernis terribili specie praeditis leonumque fremore impletis, — et fluminibus aquâ ab elephantis agitatâ refertis semper circumdata, atque diversis variisque radicibus ubique ornata est.

In fluminibus, montibus, lacubus, amoenis sylvis, eremitarum sedibus et ubique herbae medicamentosae petendae sunt; ubique enim terra opulentiam parat."

Caput XXXI.

Nunc vero pinguium adhibendorum therapiam exposituri sumus.

Pinguium essentia praeditus ipse homo et spiritus vitales plurimis pinguibus instructi etiam pinguibus curandi sunt.

Pingue enim in potionibus et suffitionibus, in cerebri, capitis, alvi, abdominis inferioris, nasi auriumque explementis, et in corporis membrorumque alimentis adhibendum est.

Porro duplicem ortum et quadruplicem occasum habere dictum est pingue et ejus qualitas.

Porro a mobilibus (animalibus) vaccinum butyrum est praestantissimum; a stabilibus (vegetabilibus) autem oleum Sesami orientalis est praestantissimum.

Deinceps secundum origininem et adhibitionem vegetabilia olea demonstrabimus.

Olea Symploci racemosae, Ricini communis, Kośae, Mangiferae indicae, Danti, Antheri tuberosi, Jasmini zambae floribus multiplicatis, Andropogonis aciculati, Buteae frondosae, Asclepiadis geminatae, Cucumis madraspadani, Convolvuli turpethi albi, Cassiae fistulae et Indigoferae anil alvum purgant.

Olea Andropogonis serrati, Echitae antidysentericae, Kr̆tavéd'hanae, Cucumis colocynthidis, Achyranthae asperae et Vangueriae spinosae vomifica sunt.

Olea Embeliae ribis, Achyranthae asperae, Hyperantherae morungae, Cleomes pentaphyllae, Salvadorae persicae, Sinapis albae et Cardiospermi halicacabi caput purgant.

Olea Galedupae arboreae, Caesalpiniae bonducellae, Cassiae fistulae, Citri medicae, Terminaliae catappae et Gentianae cheraytae in vulneribus (ulceribus) corruptis adhibentur; olea Cytisi cajan, Crataevae valangae, Convolvuli turpethi albi, Semicarpi anacardii et Trichosanthae dioecae in magnis morbis; olea Cucumis sativi, Cucumis utilatissimi, Convolvuli paniculati, Cucurbitae lagenaris et Cucurbitae peponis in urinae accumulationibus; olea Kapotavańkae, Valgujae et Terminaliae chebulae in arenosis calculosisque morbis; olea Carthami tinctorii, Sinapis dichotomae, Lini usitatissimi, Meliae azidaractae, Dalbergiae ougeiniensis, Hibisci populneoidis, Micheliae champacae, Cucurbitae lagenaris et Cardiospermi halicacabi in urinalibus affectionibus; olea Borassi flabelliformis, Cocos nuciferae, Artocarpi integrifoliae, Morungae hyperantherae, Chironjiae sapidae, Aegles marmeli, Glycyrrhizae glabrae, cordiae myxae, Spondiae mangiferae et trium myrobalanorum in aëreo morbo cum bile complicato; olea Terminaliae belericae, Semicarpi anacardii et Justiciae tranquebariensis in livido morbo; olea Colotropis giganteae, Panici italici et Bignoniae indicae in pallido morbo; olea Dalbergiae sisu et Aquilariae ovatae in herpete, lepra et phthiriasi.

Omnia pinguia aërem delent.

Olei qualitates breviter expositae sunt.

Porro infusionis et oleorum decoquendorum praeceptum trademus.

Ibi quidam dicunt: Corticum, foliorum, radicum etc. partem unam medicus recipiat; hanc quatuor partibus aquae infundat; hoc ad remanentiam quartae partis incoquat et deducat. Hoc est coquendae infusionis praeceptum.

In sex Prasritis olei quadruplas partes liquidi medicus ingerat et quatuor Akshis aequales medicamentosarum substantiarum quantitates. Hoc est coquendi olei praeceptum. Id vero non recte conficitur, quopiam adveniente defectu. —

Palae, Kudavae etc. mensuram nunc expositúri sumus.

Duodecim oryzae Máshae (grana) mediocres sunt unus auri Másha; horum Másharum sedecim sunt unum Suvarńa. Sed mediocria grana (frumenti) viginti sunt unum D'harańa. Horum (D'harańarum) duo cum dimidio sunt unus Karsha. Porro sursum quadruplicando efficiuntur Pala, Kudava, Prast'ha, Ád'haka, Drona. Una Tulá centum Palis aequalis est; harum Tularum viginti B'hára unus est (200 Palae).

Hoc siccarum substantiarum pondus est; humidarum vero pondus duplum est.

Porro ex ulla mensura apte pensatorum corticum, foliorum, radicum etc., solis candore exsiccatorum substantias, concidendas, medicus concidat frustatim, findendas findat minutatim, consecet, octo sedecimve partibus aquae

in fictili infundat, ad remanentiam quartae partis incoquat et deducat. Hoc est coquendae infusionis praeceptum.

Pro oleo conficiendo quadruplum liquidum, quartam partem olei et medicamentosum sedimentum medicus recipiat; hoc simpliciter commisceat et concoquat. Hoc est coquendi olei praeceptum.

Aut etiam unam Tulam corticum, foliorum, radicum etc. uno Droṅa aquae infundat, ad remanentiam quartae partis incoquat et deducat. Hoc est coquendae infusionis praeceptum.

Uni Kuḋavae olei unum Pala medicamentosae substantiae contritae, sedimentum quadruplum liquidum, medicus ingerat et decoquat. Hoc est coquendi olei praeceptum.

Sunt hic ślokae:

„Olei, medicamentosae substantiae et aquae quantitas ubi non indicata est, ibi idem praeceptum tenendum, quod jam demonstratum est. Sed actione fluidi vehiculi non indicatâ, ubique aqua subaudita est. Ubi sedimenta decoctionesque designata sunt, ibi ex eadem classe (medicamentosarum substantiarum) medicus haec conficiat.“

Porro coquendi olei praeceptum trademus.

Oleum vero triplex est hoc modo: mite, mediocre, acre.

Ubi medicamentosa substantia constat ex separabili materie oleosarum herbarum, ibi oleum mite oritur. Ubi vero medicamentosa substantia, ad instar cerae, alba et non unguinosa est, ibi oleum mediocre oritur. Ubi denique medicamentosa substantia fusca, destructa, paululum albida et viscosa est, ibi oleum acre oritur.

In posterum etiam empyreumaticum oleum fit, quod vero medicus probe conficiat.

Porro in potu et cibo mite oleum adhibeat; in naso et membris mediocre; in clystere et aurium implemento acre.

Sunt hic ślokae:

„Voce depressa et spuma (saliva) cessante, in salubritate jusculorum etc., ex suaveolente classe confectorum, prosperum successum medicus monstret. Butyri decocti eandem salubritatem felix medicus agnoscat. Si spuma ultra modum adest, residuum olei Sesami orientalis butyro simile esse monstret.“

Dein praeceptum de olei potu dabimus.

Sed levem (jejunum) stomachum habenti et faustitatem religiosumque ritum persecuto homini, sub solem, in orientis montis cacumine collocatum et splendidi auri thesauro aurichalcoque similem, pro viribus quantitatem olei aut butyri liquidi bibere medicus det.

Quantitate potionis sumtâ, homo, calidâ aquâ ablutus, calceatus ad libidinem inambulet.

„Aspero vulnere (ulcere) venenoque vexatis hominibus, aëre bileque aegrotantibus et mente memoriaque privatis, potio butyri liquefacti commendatur. Vermibus vaporibusque abdominalibus tentati, phlegmate adipeque impleti et oleosa indole praediti sunt.

Lassitudine, sicco semine virili sanguineque, magnis morbis, magno igne (inflammatione), aëre et halitu affecti homines adipi apti sunt commemorati.

Terribile domicilium habentes, miserias perferentes, aëre vexati et igne usti homines omnes medullam adipiscantur, aut butyrum clarificatum, probis herbis medicamentosis praeditum.

Bilioso homini solum butyrum, aëreo autem homini butyrum sale fossili conditum, sed phlegmatis pleno homini butyrum cum specie Piperis longi, Piperis nigri et aridi zingiberis atque lixivio commixtum dandum est. Medicus vero exiguitatem multitudinemque corruptorum humorum intuitus, commisceat butyrum sexaginta tribus modis breviter longeve cum differentibus succis.

Oleosa indole praeditus miseriasque perferens homo tempore non nimis calido frigidove pellucidum etiam bibat oleum; pellucidus enim potus honoratus est. Frigido tempore diu, calido autem tempore noctu bibat oleum.

Aëre bileque magis impleto homini noctu, aëre autem phlegmateque magis impleto diu oleum dandum est.

Homini, aëre bileque magis impleto, oleum calido tempore sitim, animi deliquium et delirationem facit; frigido tempore homini, aëre phlegmateque laboranti, gravedinem, inappetentiam doloresque facit. Si olei potionem sitis subsequitur, bibat calidam homo aquam. Siti autem non cohibitâ, oleum calidâ aqua evomat. Illinat frigidis caput et se in frigidam aquam immergat.

Quae substantia intra quatuor diei partes digeri potest, ea accendit ignem (digestionem) et ab homine, paucis humorum vitiis affecto, honorata est.

Quae substantia semidie digeri potest, ea stimulans (aphrodisiaca) nutriensque ab homine, mediocribus humorum vitiis affecto, honorata est.

Quae substantia intra quartam diei partem digeri potest, ea blanda substantia ab homine, multis humorum vitiis affecto, honorata est.

Quae vero substantia post totum diem praeteritum digeri potest, ea ab hominibus, languore, animi deliquio et delirio liberatis, honorata esse potest.

Quae vero substantia incorrupta post diem noctemque digeritur, ea lepram, venenum, delirium, catalepsiam et epilepsiam delet.

Pro digestione primam substantiam bibere det medicus expertus; postea enim permagna olei quantitas vitam in dubium vocare potest.

Cujus oleum perversa vivendi ratione aut nimietate non digeritur, situ corrumpitur. Id aquâ calida homo evomat.

In dubio, utrum sit digestum oleum, nec ne, homo calidam aquam bibat, qua vomitus exoriri et homo purgatus cibique appetens fieri potest.

Cibum digerenti homini obvenire possunt sitis, aestus, vertigo, lassitudo et defatigatio.

Oleo digesto, hominem medicus cum adsperserit calidis aquis, fermentatam aquam, ex irrigatis paucis oryzae granis confectam, ut libido fert, bibere det.

Jus pisinum succusque danda sunt suaveolentia, oleoque non condita, aut parata cum perexiguo butyro; aut etiam aqua oryzae fermentata praebeatur.

Bibat homo tres, quatuor, quinque et sex dies oleum; post septem noctes oleum adhibitum propria natura fit (assimilatur). Juvenem, macrum, senem, infantem, oleum aversantem sitique vexatum hominem calido tempore simul cum cibo oleum bibere medicus jubeat.

Pipera, sal fossile, olea quatuor, lac coagulatum et serum lactis, — hoc scilicet simpliciter paratum, subita inunctio (interna) dicitur.

In assae carnis jure grata aqua oryzae fermentata, haec in jusculum redacta cum Solano melongena, et potata, subita inunctio (interna) dicitur.

Butyro condita et cum lacte parata aqua oryzae fermentata, ex perpaucis oryzae granis confecta, suaviter calefacta et potata, subita inunctio (interna) dicitur.

Butyro liquido autem, cum pulveribus sacchari commixto et in sinum lactis ingesto immulgeat vaccam, et homo asper bibat lac. Haec subita inunctio (interna) dicitur.

Hordei hexastichi, Zyziphi jujubae et Dolichi biflori decoctionis partes tres cum aquae, lactis coagulati, liquoris spirituosi, lactis et butyri clarificati partibus commixtae, — scilicet butyrum liquidum ex illis paratum potatumque subita inunctio (interna) est. Regi aut huic similibus praebendum est hoc butyrum optimum.

Virium expertibus, senibus, erga tenerum ignem et feminas magnanimis exiguo humorum vitio afflictis recte adhibenda sunt remedia, quae relata sunt.

Evitet olei potum homo indigestione vexatus, hydropicus et febricitans, infirmus, cibum fastidiens, corpulentus, animi deliquio vexatus, delirio oppressus, vomitione sitique vexatus, defatigatus, potatione lassitudineque laborans, tumido abdomine affectus, alvum purgatus et vomitione defunctus; atque intempestivo nubiloque die homo ne oleum bibat.

Intempestivo die etiam puerpera femina olei potum evitet.

Ex olei potu fiunt illis hominibus multimodi morbi; aut morbi in miseriam transeunt, aut non amplius sanantur. In utero cum reliquis morbis etiam sanguinosae et serosae excretiones oriri possunt. Tum oleum evitet, adhibeat autem decoctionem adeo asperam. Post decem noctes oleo apto

ntatur. Faeces condensatae asperaeque fiunt et cum dolore cibus digeritur; pectus uritur et aër super stomachum se movet; decolor, infirmus et asper fit homo. Languor, tabes, sub membris olei conspectus et olei fastidium satis inuncti hominis signa sunt. Cibi autem fastidium, oris effluvium, ani aestus et vehemens nimiaque alvi dejectio nimis inuncti hominis indicium est. Oleis oritur laevitas asperi hominis; nimis autem inuncti hominis asperitas oritur Panico frumentaceo, Paspalo paniculato, oryza cocta et conchis.

Accenso interno igne (digestione) praeditus, alvum purgatus, recentibus corporis elementis, robore, colore et firmis sensuum organis instructus tardusque senex fieri et centum annos vivere potest homo, oleum adhibens.

Oleum salubre est homini morbis oppresso, tempore infirmi ignis (digestionis), corporis et articulationis; et etiam praeditum est oleum vi comminuendi morbosas productiones ciborum et corruptorum humorum, hasce statim non curabiles."

Caput XXXII.

Nunc vero sudoris movendi therapiam expositeri sumus.

Quadruplex sudor est, hoc modo: Calefactionis sudor, aestus sudor, inunctionis sudor et balnei sudor.

Hic est omnium sudorum eliciendorum conspectus.

Nunc calefactionis sudor. Manibus, aere caldario (fornace), aheno, hydria, armillis et vestibus saepius efficitur jacenti homini calefactio corporis; sic etiam prunis Mimosae ferrugineae.

Nunc aestus sudor. Hydriam, lapidem, laterem et ferreum globum candentem superfundat aquis, acidam substantiam continentibus, et in his madefacto panno circumdatam corporis regionem sudabundam efficiat. Aut ollam coquinariam, decoctione juris carnis, lactis, lactis coagulati, aquae oryzae fermentatae, Lauri cassiae aërem delentis et Cannabis sativae impletam et calefactam operiat atque fervidam capiat. Per hanc ollam, laterali foramine instructam, medicus, cum hominis os deorsum admoverit huic foramini, et tubum, elephanti proboscidi similem, in id inseruerit, hominem sudantem efficiat.

„Aegrotum aëris morbo affectum, suaviter sedentem, bene inunctum et gravi epitogio tectum medicus tubo elephanti proboscidi simili sudabundum efficiat. Suavis, universumque corpus adiens enim non vexare potest hominem ille tubus, dimidiam orgyiam longus, ter curvatus et elephanti probos-

cidi similis. Sudori eliciendo aptus est tubus, e viridi ligno confectus et elephanti proboscidi similis.

In hominis longitudinem terram aggeret, hanc Mimosae ferrugineae lignis comburat, lacte, aqua oryzae fermentata et aqua fontana humectet, Lauro cassia Cannabique sativa operiat et tum medicus supercubantem hominem sudabundum efficiat; aut in praecedentem modum hominem sudare faciat comburendo cinerem et removendo lapidem."

Aut, ut prius, domunculam quatuor portis instructam faciat; in hac hominem collocet; quatuor portis prunas supponat et sic eum sudare faciat.

Aut grana oryzae omnino calefaciat, expandat in storea aut alia quadam re huic simili, supercubantem hominem operiat sudareque faciat. Sic etiam calido pulvere, fimo vaccino, palea, acere et stramento sudare hominem faciat medicus.

Nunc innunctionis sudor. Sedimentis radicum aërem tollentium, cum aciditate contritis, cum sale fossili permistis, pergratis et suaviter calefactis hominem sudantem efficiat. Sic quoque Kákolí etc., Anethi sowae etc., Sesami orientalis, Lini usitatissimi Sinapisque dichotomae sedimentis, et condimentis Salvanicis ex pulmento (de lacte, oleo Sesami orientalis et oryza), jure (de lacte, oryza et saccharo) et farinâ confectis, tenuique panno illitis, sudorem eliciat.

Nunc balnei sudor. In calido labro aut solio, impleto decoctione substantiarum aërem tollentium, submergat hominem medicus et sudantem efficiat. Sic in lacte, jure carnis, jure pisino, oleo Sesami orientalis, aqua oryzae fermentata, butyro liquefacto, adipe et urina eum submergat et suaviter calefactis infusionibus conspergat.

Porro calefactionis et aestus sudores praecipue phlegma depellunt; innunctionis sudor aërem depellit; in altero homine, bile affecto, balnei sudor locum habet.

Hominis phlegmate adipeque vexati sudorem ventis prohibitis, calore, gravibus tegumentis, certaminibus, itineribus, defatigationibus, onerum gestationibus et iracundiis medicus eliciat.

Sunt hic ślokae:

„Quadruplex memoratus sudor dupliciter adhibetur: in universo corpore, aut in singulo corporis membro. Quibus enim hominibus nasale remedium dandum est, aut purgativum, et qui abluendi sunt, eorum quibusdam antea sudor ciendus putatus est. Porro sudabundae efficiendae sunt uxores, difficultate remotâ, a phaenomenis perturbati embryonis liberatae; omninoque puerpera post partum sudabunda efficienda est intelligenti medico. Sudandum etiam est antea posteaque homini, ex ani fistulis, tuberculis haemorrhoidalibus et calculis aegrotanti; reliquos in sacra scriptura (Śástra) indicabimus." —

„Nullo modo in corpore non inuncto et non illito sudor a medicis sudoris peritis ciendus est. Adspectum in mundo lignum non inunctum celeriter potest fracturam nancisci, sudorificis rebus correptum.

Ignis (digestionis) incensionem, mollitudinem, cutis placationem, cibi appetentiam et sentiendi organorum puritatem efficere potest sudor; depellit quoque somnolentiam et segnitiem, atque articulationes rigidas celeriter commovere potest, apte elicitus.

Quae humorum vitia oleis irrigata, in corporis elementis sita et in viis soluta sunt, ea, omnino sudoribus effectis liquiditatem nacta, in stomachum proficiscuntur ex universo corpore.

Sudoris manatio efficit morbi cessationem, levationem, refrigerationis desiderium et mollitudinem aegrotantis.

In homine convenienter sudante hoc signum indicant; in perverse autem sudante contrarium signum. In homine ultra modum sudante oriuntur articulorum dolores, calor, tumorum proventus, bilis sanguinisque irritatio, animi deliquium, vertigo, aestus, sitis, defatigatio; ibi celeriter efficere debet frigidum statum.

Ictericus, urethritide gonorrhoica affectus, bile sanguineque oppressus, pneumophthisi vexatus, emaciatus, indigestione afflictus, in abdomine tumidus, venenatus, siti vomitioneque laborans, uxor gravida, vinolentus; — nec hi sudabundi efficiendi sunt, neque homo, qui dysentericus est. Ex sudore (nimio perversoque) hominum corpora obeunt mortem; atque incurabilitatem ineunt eorum morbi.“

„Qui hominum morbi sudatione curandi sunt, iis sapiens medicus lenes sudationes adhibeat; sic in corde, scroto et oculis. Omnes sudores in absentia aëris, ubi homo cibum bene digessit, moveat. Hominis oleo inuncti oculos medicus frigoribus obtegat, et sudantis cor identidem frigidis demulceat.

Omnino sudabundum, fricatum, lente ablutum calidis aquis, bene inunctum et, operto corpore, in domo ventis non expositâ collocatum cibet. —

Anthydroticam quoque omnem methodum medicus doceat.“

Caput XXXIII.

Nunc vero vomitu alvique purgatione curandorum phaenomenorum morbosorum therapiam expósituri sumus.

Comminuti humores augendi sunt; irritati placandi; acuti extrahendi; aequales servandi. Hoc est fundamentum. Principaliter vomitus et alvi purgatio versantur in extractione humorum; idcirco praeceptum de illis dicendum nosce!

Medicus aegrotum inunctum, sudantem et humoribus per fluidos cibos solutis instructum intuitus, — „prosperum emeticum potandum dabo" — sic dicat, et tum illum calido igne (digestione) praeditum, firmum, multis humoribus instructum, magnis morbis circumdatum et vomitui aptum antea cibet.

Est hic ślokas:

„Gratis variisque cibis humores nacto homini, inuncto sudantique, datum emeticum omnino indicatum est."

Deinde postero die, horâ antemeridiana, quoque anni tempore, ex vomitoriis substantiis sive sedimenti, sive pulveris, sive olei dosin potandam medicus det et vomitum efficiat.

Convenienter stomachi differentiam respiciens, medicus humanae naturae repugnantia, nauseosa, male olentia et deformia det emetica; opposita vero purgantia.

Tenero, emaciato, infanti, seni aut timido in morbis per emetica curabilibus lac, lac coagulatum, lac ebutyratum aut aquam oryzae fermentatam collo tenus bibere det. Hominem, qui hoc medicamentum (emeticum) potavit, manibus igne quasi ustis vexatum medicus per momentum conspicere potest. Hominem, sudoris manatione flaccidum, ex proprio cubili elapsum et alvum secutum animadvertere medicus potest. Tum egressum singultum medicus cum animadverterit, hominem in sedili, in altitudinem genuum exstructo, sedentem, adpositis ad frontem, dorsum, latera collumque manibus bene prehensum, digitis, Ricino communi, Nymphaea caerulea aut culmo lilii collum defricans vomere faciat tamdiu, quamdiu omnino vomitionis signa adsunt.

Sunt hic ślokae:

„Phlegmatis destillationem, impuritatem cordis et pruritum signa malae vomitionis dicunt medici; bilis nimietatem, animi deliquium et dolores cordis collique signa immodicae vomitionis. Bile a phlegmate egressâ, subsequens voluptas in purgato corde, collo et capite inest. Lavato corpore phlegmateque egresso, hominem medicus bene vomitione defunctum statuat."

Recte vomitione defunctum hominem illum intuitus, oleamentum, purgatorium, mitigativum, aut fumum potandum pro indicatione medicus det ac diaetam monstret.

Sunt hic ślokao:

Deinde tempore postmeridiano hominem albi purique corporis participem, membra calidis aquis conspersa habentem, medicus jusculis succisve Dolichi biflori, Phaseoli mungonis, Cytisi cajan et carnis cibet.

Catarrhus, pituitae obductio, vocis interruptio, somnolentia, lassitudo, ex ore foetor, veneni symptomata, phlegmatis destillatio, diarrhoea et humorum vitia nunquam obveniunt homini vomenti. Arbore caesa, sicut flores, fructus et surculi ruinam cito ducunt, sic, sublato phlegmate, subiti morbi in mitiorem statum purgatione transeunt.

Ne vomere faciat medicus caecos, sursum euntibus vaporibus, indurationibus glandularum mesentericarum, tumoribus abdominis, affectionibus lienis, vermibus et lassitudine vexatos, corpulentos, vulneratos, emaciatos, macros, persenes, ex urina aegrotantes et ex hydropsia universali laborantes, voce afflictos, studiis addictos, difficili vomitu, difficili stomacho sitique vexatos, infantes, sursum turgescente sanguine bileque praeditos, esurientes, valde asperos, gravidas, flatulescentia affectos.

Ex contraindicato vomitu in difficultatem incurrunt morbi hominum, aut in incurabilitatem transeunt. Illis itaque emeticum non dandum esse commemoratum est. Sed iis indigestione vexatis emeticum dandum est, et qui ex veneno aegrotant; dandum est etiam his valde phlegmate manifestis, et qui dulci aqua (urina) affecti sunt."

„Emeticum autem dandum est hominibus ex veneno, tabe, lactis vitio, inaequali languidoque igne (digestione), delirio, epilepsia, elephantiasi, indolore tumore, bubonibus, adipe, urinali morbo, febre, cibi fastidio, tumore incocto, cruditate, dysenteria, cordis morbo, mentis alienatione, oris pituita, singultu, suspirio, catarrho, tussi, nasi foetore, colli, labiorum orisque coctione, aurium effluvio, superiore linguâ, uvulâ, gutture, palato molli, deorsum turgescente sanguine bileque laborantibus, atque in morbis a phlegmatis sede ortis, et in aliis affectionibus phlegmatico morbo circumdatis. —

Purgativum medicamentum homini, qui inunctus est, sudavit vomuitque, dandum est. Sed „prosperum purgativum potandum dabo" sic dicens medicus, aegrotum antea leviter cibet et acetum e pomis et aquam calidam ei superbibenda det. Altero die expertem phlegmatis aegrotum ex diaeta intuitus, medicus illi dosin medicamenti det.

Porro mitis, horridus aut mediocris, itaque triplex stomachus est. Stomachus bile copiosus, mitis ille, lacte purgatur; aëre phlegmateque copiosus, horridus ille, difficilis est purgatu; aequalibus humorum vitiis affectus, me-

diocris ille, vulgaris est. Medicamentum purgativum qui epotavit, adtentus ad illud in lecti propinquitate purgatur.

„Purgativum vero qui epotavit medicamentum, evacuationes ne retineat prudens. Ventorum experte in lecto recubans frigidam aquam ne attingat, neve vehatur.“

Sicut in vomitu irrigantia medicamenta, phlegma, bilis et aër gradatim exeunt, sic in alvi purgatione urina, faeces, bilis, medicamenta et phlegma.

Sunt hic ślokae:

„Inesse potest in male purgato homine irritatio phlegmatis bilisque, aestus, fastidium cibi, gravitas et ignis (digestionis) amissio. In bene purgato sordes cordis abdominisque, aestus, pruritus, faecum urinaeque congeries locum non habent. Animi deliquium, ani prolapsus, phlegmatis nimia profusio et dolorum adscensio sunt nimis purgati signa. Amotis humorum vitiis phlegmaticis, umbilico relevato et aëre amoto, hominem in ordinem redactum et recte purgatum esse medicus constituat.

Indigestione vexato homini, corpulento et perverse purgato ne bibere det medicus illo die sorbitionem ex alica oryzae; homini autem emaciato, siti vexato et bene purgato, tenuem sorbitionem ex alica oryzae, ne vero frigidam, leviter bibere det.

Animi tranquilitatem, robur organorum sentiendi, corporalium elementorum firmitatem, robur, ignis (digestionis) accensum et post longum tempus decrepitam aetatem faciat alvi purgatio recte adhibita. Sicut enim, fonte deducto, aquae fluentes stagnantesque evanescunt, sic, bile remota, phaenomena biliosa evanescunt.

Languido igne affectus, nimis inunctus, infans, senex, corpulentus, vulneratus, emaciatus, timore perterritus, defatigatus, siti cruciatus, indigestione afflictus, gravida femina et homo, cujus sanguis deorsum turgescit, recente catarrho et crapula vexatus, recente febre correptus, recens puerpera, et homines sagittis sauciati non purgandi sunt, et qui oleamentis etc. ornati sunt. Quin etiam illos, ultra modum bile oppressos, purget medicus. Purgativis tarde efficacibus homines in perniciem incurrunt. Ignoranter commixtis autem purgativis homines non purgandi sunt.“

Purgandi vero sunt homines a febre, veneno, inappetentia, tuberculis haemorrhoidalibus, tumoribus insensilibus, intumescentia abdominis, nodis arthriticis, phlegmone, ictero, epilepsia, cordis morbis, aëre, sanguine, ani fistulis, vomitione, uteri morbis, herpete, induratione glandularum mesentericarum, morbis in coctionis sede sitis, ischuria, spasmis, elephantiasi pedali, urinae cruciatu, lepra, pustulis, urinalibus affectionibus, retentione urinae, lienis affectionibus, intumescentiis, scroti augmento, cultrorum plagis, lixivii caustici ignisque ustione, corruptis ulceribus (vulneribus), oculorum coctione (inflammatione), gutta serena, caecitate, destillatione, capitis, aurium, oculo-

rum, nasi, oris, ani penisque aestu, sanguinis bilisque adscensione, vermibus, stomacho, affectionibus in bilis sede ortis etc., et biliosis morbis laborantes.

„Liquiditate, subtilitate, acritudine, mobilitate et expansione purgativum medicamentum, emeticum autem alio modo tollit vitia humorum, naturam (humanam) ingressa.

Descendit deorsum, vitia humorum absumendo, coctum purgativum; ob qualitatis autem excellentiam sursum adscendit incoctum emeticum. Homini, tenerum stomachum et accensum ignem (digestionem) habenti, datum purgativum nimis acre non omnino evacuare potest corruptos humores, perceleriter foras egressos. Quod medicamentum (purgativum), mane potatum, spatio temporis, quo cibi coquuntur, coctionem (digestionem) adit et corruptos humores evacuare potest, id laudatur. Infirmi hominis mobiles humores corruptos, exiguos exiguosque medicus evacuet iterum iterumque; magnos vero factos mitiget progressosque. Evacuet autem mobilia humorum vitia maturaque tam robusti, quam infirmi hominis. Mobilia enim vitia humorum neglecta hominem diu vexare possunt. Languido igne (digestione) horridoque stomacho praeditum hominem medicus butyris cum carbonate potassae impurae commixtis, accenso autem igne (digestione) praeditum, antea inunctum sudabundumque, evacuet. Inuncto sudabundoque homini datis medicamentis vitium humorum, vi exturbatum, non evanescit in suis viis, sicut aqua in illito vase.

Qui vero valde oleum potavit, ne potet oleosum purgativum.

Vitia humorum e suis sedibus dimota, denuo se conjungunt in suis itineribus.

Veneno vexati, phlyctaenis, intumescentiis, ictero, herpete, lepra et urinalibus morbis affecti homines, non valde inuncti purgandi sunt.

Si aspera facta est olei natura, iterum inungat medicus et tum purget; eo vitia humorum, fortia auctaque, corripiuntur.

Homini purgando, qui antea nullum purgativum potavit, potandum det medicus purgativum mite. Deinde, stomacho cognito, iterum alvi purgatio instituenda est.

Jucundum, manifesto effectu praeditum, suave, parva quidem quantitate, sed magna qualitate praeditum, et in calamitatibus minus vexativum medicamentum rex bibat.

Qui vero, inunctionem sudationemque non adhibens, purgativum bibit, trabis aridae instar corpus ejus collabitur.

Inunctionibus sudationibusque dimota e suis sedibus, juribus gratis agitata et in stomachum aggressa vitia humorum hominis facilia evacuatu sunt purgativis.“

Caput XXXIV.

Nunc vero difficultatum ab emeticis purgativisque ortarum therapiam exposituri sumus.

Medici aegrotique causâ vomitio et alvi purgatio quindecim modis depravantur. Vomitio enim deorsum viam facere potest; alvi autem purgatio sursum. Sic speciatim. Sed ambarum (vomitionis et alvi purgationis) generalia vitia haec sunt:

Medicamentorum retentio (in alvo), medicamenti corrupta qualitas, residuorum humorum corruptorum vehemens evacuatio, aëris irritatio, inefficacia, nimia efficacia, vitalis sanguinis profluvium, inflatio, tormentum, circumfluentia, dysenteria, cordis impetus et restrictio. —

Porro fame laborantis, nimis calido igne (digestione) affecti et tenero stomacho instructi aut infirmi hominis immobile emeticum deorsum fertur ob qualitatis generalem naturam. Ibi petita (humorum vitia) non attinguntur et humorum corruptorum nimietas locum habet. Ibi celeriter hunc hominem medicus inungat iterumque acrioribus substantiis vomere faciat.

Non purgatâ cruditatis sede atque nimii phlegmatis cibique residui plenâ, ingratum et copiosum purgativum potatum fertur sursum. Ibi hominem impurâ cruditatis sede ac manifesto phlegmate laborantem medicus celeriter vomere faciat denuoque acrioribus substantiis purget. Cruditates ubi subsequuntur, curatio, ut circa cruditates, locum habet. Si purgativum ingratum copiosumque fuit, gratum modicumque convenit. Sin autem denuo sursum fertur purgativum medicamentum, medicus tertium ne bibere det. Dein vero hominem linctibus cum melle, butyro saccharoque commixtis purget. —

Vitia humorum restringens, exiguum et immobile medicamentum, sive sursum, sive deorsum viam faciens, vitia humorum non tollit. Ibi sitis, laterum dolor, vomitio, animi deliquium, articulationum diffissio, singultus, immodicus vomitus et impuritas nascuntur. Hunc medicus hominem calidis aquis celeriter vomere faciat.

Hominem retento medicamento aut vehementer foras eggressis humorum vitiis vexatum, nimis robustum et non recte purgatum medicus vomere faciat. Horrido stomacho et nimis calido igne (digestione), exiguum medicamentum, aut exigua qualitate praeditum, cibi instar ad coctionem pervenit. Ibi dilacerata humorum vitia, ad tempus non extracta, morbum et vehementem vertiginem adferunt. Huic aegroto copiosum et non languidum medicamentum potandum medicus praebeat. Homini non inuncto, non sudanti, adhibitum medicamentum, aut exigua qualitate praeditum, exigua duntaxat humorum vitia tollit.

Porro in vomitu retentum humorum vitium efficit gravitatem, tormen, cordis impuritatem et morbi augmentum. Ibi convenienter bibere medicus det ac vehementius vomere faciat.

In alvi purgatione vero retentum humorum vitium procidentiam ani, inflationem, capitis gravitatem, aut praeclusionem aëris augmentumque morbi efficit. Hunc inunctione sudationeque aggressus medicus evacuet vehementius tertio die, quippe hominem robustum, aut valde mobili humorum vitio affectum et exigua qualitate praeditum.

Homini non inuncto, non sudanti, aut irreligioso (abrahmachárin) adhibitum medicamentum asperum irritat aërem. Ibi aër irritatus dolores laterum, dorsi, lumborum, cervicalium tendinum et articulationum, animi deliquium, vertiginem et conscientiae interitum efficit. Hunc aegrotum medicus cum inunxerit et Oryzae sativae vapore vaporaverit, oleo Sesami orientalis, commixto cum liquiritia melleque, fumiget.

Corpore nec inuncto, nec sudante, exiguum medicamentum, aut exigua qualitate praeditum, potatum, nec sursum, neque deorsum pervenit ad humores corruptos, sed, vexando, simul cum his collapsum virium adfert. Ibi inflatio, cordis impetus, sitis, animi deliquium et aestus oriuntur. Hoc „inefficaciam" medici appellant. Hunc hominem medicus celeriter vomere faciat Vangueriâ spinosa, tribus myrobalanis, sale fossili et aquis, atque expurget acrioribus infusionibus.

Hominis, qui male vomuit, vitia humoralia vexata, corpus penetrando, efficiunt pruritum, intumescentiam, lepram, cutis eruptiones, febres, pruriginem membrorum et dolores. Exinde absumat medicus residua humorum vitia efficace remedio.

Homine non inuncto, non sudante, leniterque purgato, infra umbilicum rigida impletaque abdominis intumescentia, dolor, aëris faecumque accumulatio, pruritus et rotundae maculae manifestae exoriuntur. Hunc hominem medicus stabiliat, rursus inungat et purget acri substantia. Purgamento autem corrupto non valde progrediente aut stante, irritandi causâ calidam aquam medicus bibere det, et manibus calidis lateralem obdominis intumescentiam sudabundam efficiat. Dein humores corrupti progrediuntur. Sin vero exiguus humor corruptus progressus est, tum corruptum medicamentum, copiosos humores corruptos per diem retentos, et aegroti vires respiciens medicus dosin rursus det. Non progresso autem humore corrupto, corporeque inunctionibus et sudationibus bene praeparato, post decem noctes rursus purget. Difficilem purgatu hominem medicus stabiliat, iterum inungat et purget.

Prae pudore, timore et cupidine plerumque uxores, mercatores in regis propinquitate commorantes et Bráhmańae retentione evacuationum adsueti fiunt. Hi igitur purgatu difficiles sunt ob copiosum aërem. Eos valde inunctos et multo sudore manantes medicus purget.

Nimis inuncto sudantique aut permollem stomachum habenti datum acre medicamentum immodicum facere potest nimiam efficaciam.

Porro ex emetici nimia efficacia nimia bilis egressio, virium collapsus et aëris irritatio vehemens exoriuntur. Hunc hominem medicus butyro clarificato illinat, immergat in frigidas aquas, et linctibus cum saccharo melleque commixtis apte curet.

Ex purgativi nimia efficacia nimia phlegmatis egressio, ultra tempus simul sanguinis profluvium; exinde etiam virium collapsus et aëris irritatio vehemens exoriuntur. Hunc hominem medicus perfrigidis aquis conspergat, aut in eas immergat; tum frigidis Amaranthi polygami aquis cum melle commixtis vomere faciat. Xylinam vestem illi det; lactis butyro eum fumiget; Panicum italicum etc. ei cum Amaranthi polygami aqua potandum praebeat, et lacte aut jure eum cibet.

Illâ autem emetici efficacia nimis auctâ, homo sanguinem exscreat aut evomat. Ibi linguae prolapsus, oculorum distortio, maxillarum collisio, sitis, singultus, febris et animi deliquium phaenomena exoriuntur. Huic homini medicus sorbitionem ex caprino sanguine, Sirii myrtifolii et Andropogonis muricati collyrio atque Andropogonis muricati pulveribus, cum saccharo et aqua commixtis, bibere det; escam autem mellitam, aut ex fructuum succis, cum butyro liquefacto, melle et saccharo commixtis, aut ex fructibus Fici indicae etc., aut ex pulpa Feroniae elephantium, aut ex lacte, cum juribus carnis commixto, confectam medicus comedendam curet. Ad praeceptum de sanguine nimis profluente datum curationem medicus instituat.

Linguam nimis prolapsam, fricatam pulvere speciei Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et salis fossilis, aut illitam Sesamo orientali et uvis, medicus reprimat; linguâ autem regressâ (reposita), aciditatem quidam homini ingerunt.

Distortos oculos, butyro inunctos, medicus reprimat.

In maxillarum collisione medicamentum nasale, tollens aërem et phlegma, ac diaphoretica medicus det.

In siti etc. medicus apte remediet.

In animi deliquio sonum tibiae, lyrae et cantus audiendum medicus curet.

In nimia purgativi medicamenti efficacia aqua deorsum fluit; tum carnis purgamentum apparet ultra tempus et vitalis sanguis; deinde ani procidentia, tremor et vomitio phaenomena nimiae efficaciae exoriuntur. Hunc hominem ad praeceptum de profluvio sanguinis datum medicus curet.

Turpium vero morborum therapiam respiciat.

In tremore praeceptum de aëris morbis datum medicus observet.

In linguae prolapsu etc. indicata est curatio.

Vitalem sanguinem nimis profluentem medicus Gmelinâ arborea,

tribus myrobalanis, Zizypho jujuba, Agreste lineari et Andropogone muricato, atque elixo perfrigidoque lacte commixto cum butyraceo sedimento et collyrio, sistat. Pannis, in Fici indicae etc. infusione, lacte, aqua sacebaro mista, butyro clarificato et sanguine tinctis, negotium persequatur.

Exscreationi sanguinis curationem haemorrhagiae biliosae et dysenteriae cruentae adhibeat. Ficum etc. illi aegroto in potionibus et cibis det.

Inter profluvium vitalis sanguinis et haemorrhagiae biliosae dijudicandi causâ medicus erioxylon aut pannum sanguine illo excreto imbuat. Si pannum aquâ calida ablutum sanguis colorat, is sanguis vitalis dignoscendus est. Aut excretum sanguinem cibum cani det, cum frumentacea farina commixtum. Canis si hunc devorat, is sanguis vitalis dignoscendus est.

Cibo retento, valde corrupto, aspero et aërem stomachi copiosum efficiente frigidum aut ingratum medicamentum inflationem facit. Ibi aëris, urinae et faecum accumulatio, adstrictus hydrops, laterum affectio, ani abdominisque dolor et cibi fastidium exoriuntur. Hoc „inflationem" appellant. Hunc hominem medicus vaporet, et suppressae urinae, torminum et inflammationum abdominalium curationibus administret.

A gracili homine, valde tenerum stomachum languidumque ignem (digestionem) habente, aut ab aspero, potatum valde acre calidumque, valde salinum, aut valde asperum medicamentum, bilem aëremque corrumpendo, tormentum adfert. Ibi scilicet in ano, umbilico, pene, abdomine et capite tormentum, aëris congestio, vaporum immobilitas et cibi fastidium exoriuntur. Ibi xylina vestis sedimento Glycyrrhizae glabrae, Piperis nigri Sesamique orientalis, melle et butyro liquefacto imbuta (indicata est). Calidis aquis conspersum hominem et lacte cibatum medicus fumiget sedimento butyraceo, cum Glycyrrhiza glabra parato, aut oleo Sesami orientalis.

Horrido stomacho instructi et copiosioribus corruptis humoribus vexati hominis medicamentum mite purgativum, vexando humores corruptos, non omnes hos tollit. Deinde humores corrupti circumfluunt. Exinde imbecillitas, abdominis intumescentia, rigiditas, fastidium cibi et tabes corporis exoriuntur. Cum doloribus bilis et phlegma circumfluunt. Hoc „circumfluentiam" appellant. Hunc hominem infusionibus Terminaliae alatae tomentosae, Grisleae tomentosae, Dalbergiae ougeiniensis et Buteae frondosae, cum aqua saccharata commixtis, medicus stabiliat. Vitiis humorum sedatis et corpore inuncto, rursus purget. In homine valde aspero aut valde inuncto medicamentum purgativum inefficax flatus faecesque ejicere potest.

Evacuationis percussione dysenteria exoritur. Ibi aërem, aestuosum phlegma, dolorosum, album, mucosum, nigrum aut sanguinosum valde dejiciens homo considit. Hunc ad praeceptum de circumfluentia datum medicus curet.

Qui vero sursum deorsumve progredientem evacuationem ignoranter re-

primit, ejus humores corrupti impetum in cor faciunt. Ibi homo, ob principalium organorum aestum nimis doloribus afflictus, identidem dentibus infrendit, oculos sursum distorquet, linguam mordet, luget et sensu caret. Hunc stulti (medici) derelinquunt. Eum vero medicus inungat, vapore Oryzae sativae vaporet et oleo Sesami orientalis, cum liquoritia commixto, fumiget. Pro corrupti humoris magnitudine eum medicus curet.

Sin vero sursum deorsumve turgescunt humorum vitia, frigidam domum, aquam, aërem, aut aliud quiddam medicus adhibeat. Illius vitia humorum, in fluviis dissoluta et nubium naturam nacta, aërem, urinam et faeces aggrediendo restringuntur. Huic homini intumescentia, aestus, febris et terribiles dolores fiunt. Eum celeriter vomere faciat medicus, et tempestivam curationem adhibeat.

In turgescentia deorsum tendente purgativum medicus, cum substantiis deorsum tendentibus, mobilibus acidisque et cum urina commixtum, potandum praebeat. Roborantia et suffimenta corruptis humoribus accommodata det, et corruptis humoribus accommodatam victus rationem adhibeat. Turgescentiâ vero in utramque partem (et sursum et deorsum) tendente, reliquias phaenomenorum convenienter remediet.

Quid vero in alvi purgatione tormentum ani est, idem in vomitione laesio gutturis est; quid vero deorsum tendens circumfluentia est, idem in turgescentia sursum tendente humectatio phlegmatis est; quid denique deorsum tendens dysenteria est, idem sursum tendens sicca vomitio est.

Est hic ślokas:

„Quae vero quindecim difficultates naturaliter indicatae sunt, eae, a purgativorum medicamentorum nimia efficacia, mala efficacia et inefficacia ortae, commemoratae sunt."

Caput XXXV.

Nunc vero de clysterum mensuris et distributionibus therapiam exposituri sumus.

Porro clysterum actionem inunctionibus et ceteris actionibus praestantiorem esse dicunt magistri. Propter quam vero multarum actionum effectionem ex clystere? Clyster ob multarum variarumque materiarum medicabilium mixturam efficit purgationem corruptorum humorum, sedationem et ablationem. Exili semine virili praeditum virum stimulat, emaciatum auget, magnam canitiem minuit, aetatem stabilit, corporis quantitatem, coloris firmamentum, sanitatem, diuturnam vitam et incrementum efficit clyster recte

sedens. Clysterem in dysenteria, gutta serena, catarrho, capitis morbis, anxietate, catarrho, capitis morbis, cataracta, hemiplegia, flatulescentia, latertum cruciatu, singulorum aut omnium membrorum morbis, inflatione, obdominis intumescentia, lithiasi, arthritide, scroti augmento, morbo venereo, suppressione urinae, stranguria, induratione glandularum mesentericarum, rheumarthritide, rheumatismo, vexationibus urinae, faecum, aquae et seminis virilis, lacte evanido, paroxysmo cordis, maxillae et cervicis, haemorrhoidibus, calculo, perturbato embryone etc. valde adhibeat.

Est hic ślokas:

„Clyster in aëre, bile, phlegmate et sanguine probatur. In copulatione et corruptione omnium humorum clyster semper saluber est.“

Hominibus unum, octo, sedecim annos natis medicus adhibeat clysterum tubulos, sex, octo, decem digitos transversos longos; digitum minimum, anularem, medium crassos in antica parte; inserto anulo, unum digitum, duos, aut cum dimidio duos digitos amplo, instructos; ut fistulae alarum ardeae, falconis et pavonis perforatos; et ad Phaseoli mungonis, Phaseoli radiati et Pisi sativi magnitudinem aquam exspergentes. Clysteribus vero quantitas roborantium substantiarum, scilicet duo Prasrĭta, aegrotantis volis mensurata, aut quatuor aut octo, ingerenda est.

Est hic ślokas:

„Hominibus unius anni majoribus tubulorum et clysterum mensuram medicus, aetatem, robur corpusque intuitus, amplificet.“

A vigesimo quinto aetatis anno sursum quidam indicant tubulum clysteris duodecim digitos longum a radice, pollicem aut digitum minimum crassum in antica parte, tres digitos amplo inserto anulo instructum, perforatum ut fistulae alarum vulturis, cavum ad porcini ossis lumen, aut ad irrigati pisi magnitudinem.

Omnes clysterum tubuli in radice, clysteres constringendi causâ, duobus anulis instructi sunt. Quod pertinet ad roborantium substantiarum medicabilium quantitatem, duodecim Prasrĭta danda sunt. —

Porro tubuli ex auro, argento, cupro, ferro, orichalco, dentibus, cornibus, gemmis et resinis confecti, laeves, firmi, vaccinae caudae formis praediti, recti et rotundis orificiis instructi sint.

Ventriculi (clysterum) a vaccis, bubus, porcis, capris et arietibus nondum adultis, sunt molles, non valde crassi, firmi et spatiosi.

„Tubulo deficiente, apta est fistula, orta ab Arundine kauki, Bambusa arundinacea, ossibus.

Ventriculo (clysteris) autem deficiente, apta est pellis, aut tenuis maceratusque cortex. Ventriculum illitum, purgatum, bene abstersum, mollem, non corruptum, identidemque oleo iunctum in tubuli radice collocet, incurvum vero, et orificium aperientem liget et ferro candente in pellis apertura

exurat; deinceps circumvolvat pellem, liget, et custoditam asservari, roborantia autem oleumque Sesami orientalis convenienter huic applicari medicus jubeat. Mollis clyster adhibendus est, praecipue infantibus et senibus, quibus adhibitus clyster asper firmitatem aetatemque minuere potest."

Porro clyster duplex est: evacuans et oleosus. Restauratio et evacuatio, — aliud quidquam non intermedium est. —

Hujus clysteris paratio dulcibus oleosisque fit; illius vero clysteris paratio vectioni in curru apta est. Hic clyster autem ab eripiendo vitia humoralia et a depellendo morbos, evacuans, ille vero a restaurando aetatem aut juventutem, restaurans, nuncupatus est. —

Praeceptum clysteris, melle oleoque parati, etiam in therapia de evacuantis clysmatis ratione indicabimus.

Porro secundum materiam et qualitatem instituta est oleosi clysmatis paratio et suffitio sedimento privata. Suffitio non corrumpitur; post diem etiam datur. Sic suffitio se habet. Clysteris autem paratio dimidiis substantiis privata non contemnenda est. Hoc modicum clysma est.

Evacuans clyster purificans, fricans, inungens et nutriens creditus est. Evacuatione purgatas vias simul inunctio sequitur. Sicut in tubis ab omni vitio liberatis magna aqua manat, sic ille clyster; omnia humorum vitia tollens, corporis vita est. Idcirco homini impuri corporis oleosus clyster detur."

Homines delirio, timore, moerore, siti, cibi fastidio, indigestione, haemorrhoidibus, ictero, vertigine, crapula, animi deliquio, vomitione, lepra, urinae affectu, abdominis obstructione, anhelitu, catarrho, gutturis tabe et tumoribus affecti, vulnerati, emaciati, quatuor aut tres menses gravidae, infirmi, igne (inflammatione) vexati, infantes senesque, praeter laborantes a morbo aëreo, nec fumigandi, nec roborandi sunt.

„Abdominis tumore, urinae difficultate, lepra et corpulentia affectus homo necessario roborandus, nunquam vero fumigandus est. Insanabilitas horum morborum oriri potest a suffitione. Ab insanabilitate autem maxima ex parte tabes membrorum oriri potest.

Coctionis sedi, lumbo et infra umbilicum quoquoversus simul illis regionibus ingestus clyster haeret. Ex coctionis autem sede vis clysteris per aëres vitales corpus penetrat, sicut vis aquarum, radici arboris inspersarum, arborem penetrat.

Omne autem clysma aut solum aut cum excrementis mox provenit; vis clysmatis ipsa autem per aëres vitales abdominales etc., ingeritur. Per suam efficaciam clyster, in coctionis sede collocatus, tollit corruptos humores ab imo pede usque ad verticem summum, sicut in aethere incedens terrae sol aquas. In lumbo, dorso, stomacho sitas corruptorum humorum accumulationes, e radicibus effossas, vi agitando clyster recte adhibitus emovet. Quia

in triplicis humoris irritatione aër dominus est, ideo nimis aucti corpusque vexantis aëris impetum clyster perfert, et, praeter clysterem, alia curatio ibi non existit; sicut litus perfert impetum maris, volventis aquas ventis fractas. Corporis congeriem, colorem, robur, sanitatem, longam vitam et incrementum efficit clyster apte sedens."

Deinceps difficultates indicabimus.

Ibi tubulus clysteris vacillans, volubilis, in latera compressus, valde sursum aut deorsum collocatus et oblique conversus esse potest; sex igitur vitia sunt applicandi clysteris.

Nimis crassus, durus, inclinatus, exiguus, fissus, propinquis remotisve anulis instructus, tenuis, nimis cavus, nimis longus et nimis brevis tubulus clysteris esse potest; undecim igitur vitia tubuli sunt.

Nimia magnitudo, parvitas, cavatura, extensio et mala ligatio sunt quinque ventriculi clysteris vitia. Nimia compressio, laxa compressio, iterata compressio et ultra tempus compressio sunt quatuor compressionis vitia.

Cruditas, defectus, nimia quantitas, nimium frigus, nimius calor, nimia acritudo, nimia mollitudo, nimia laevitas, nimia asperitas, nimia crassitudo, nimia liquiditas, sunt undecim materiae clysteris vitia.

Deorsum, aut sursum versa capitis directio, prona, supina, aut contracta corporis collocatio, in dextro latere cubatio et porrectio, sunt septem positurae vitia.

Hae sunt puadraginta quatuor difficultates a medico effectae; ab aegroto autem effectae quindecim difficultates in therapia de aegroti phaenomenis indicabuntur.

Oleum clysteris autem, octo de causis repulsum, non aggreditur tres humores corruptos: cibo superatum, cum excrementis commixtum, remote ingressum, sudorem non eliciens, non calefaciens, exiguum et jejuni, aut paululum comedentis oleum. Haec a medico aegrotoque vitia profecta sunt.

Inefficacia, amborum laterum inflatio, tormentum, circumfluentia, diarrhoea, cordis impetus, membrorum invasio, nimia efficacia, et vitalis sanguinis profluvium sunt novem difficultates a medico effectae.

Est hic ślokas:

„Septuaginta sex difficultates breviter expositae sunt, quarum dijudicationem et curationem proximo capite indicabo."

Caput XXXVI.

Nunc vero de clysterum difficultatibus therapiam exposituri sumus.

„Tubulo clysteris vacillante et volubili, vulnus aut morbosa affectio in ano fieri potest. Ibi vulnerum curatio statim indicata est.

Valde sursum aut deorsum collocato tubulo, in ano morbosa affectio nasci potest. Ibi antibiliosa medendi ratio adhibenda est ac conspersio oleamentis.

Oblique converso et in latera compresso tubulo, ob orifici obductionem clysma omnino non progreditur. In rectum ibi dirigendus est tubulus medico intelligenti.

Nimis crasso, duro et inclinato tubulo, in ano fieri potest vulnus et morbosa affectio. Prima medendi ratio hic indicata est.

Tubulo propinquis anulis instructo, fisso et exiguo, incommoda humectatio fieri potest. Idcirco clysteris vitia medicus evitet.

Tubulo remotis anulis instructo, sanguis, ob ani membrorumque vexationem, evanescit; ibi quoque antibiliosa medendi ratio adhibenda est et clyster mucosus.

Brevi autem et exigue fluente tubulo dolor efficitur. Ibi clyster ut supra. Regrediens clyster tum efficere potest morbos a clysteris vexatione ortos.

De longo valdeque fluente tubulo judicandum est, ut de nimia ventriculi clysteris compressione.

De extenso magnoque clysteris ventriculo judicandum est, ut de mala clysteris ligatione vitiosa.

Sub clystere parvo tam parvitas ejus, quam exiguitas materiei cogitata est.

De clysteris ventriculo male ligato, exiguo et fisso judicandum est, ut de fisso tubulo.

Nimis compressus clysteris ventriculus hostiliter aggreditur cruditatis sedem; tum aër ejectus ex naribus aut ore prorumpit. Ibi celeriter colli frictionem, concussionem, capitis corporisque purgationes acres et frigidas conspersiones faciat.

Lente compressus ventriculus clysteris sedem coctionis non adsequitur; nec affert utilitatem; idcirco apte medicus comprimat.

Iterata compressione aër interne restringitur. Eo inflatio terrificaque aegrotatio oriuntur. Convenienter ibi adhibeat clysteres.

Compressione ultra tempus durante, dolor et morbus crescunt. Ibi clysterem morbi vim valde repellentem medicus applicet.

Ani et cuticulae intumescentiam oleum incoctum facit. Ibi purgatorius clyster et alvi purgatio salubria sunt.

Ambo clysteres non valde efficaces crediti sunt: scilicet substantiis medicabilibus privati et nimiis substantiis impleti clysteres. Hi enim efficiunt urinae suppressionem, lassitudinem et dysenteriam.

Animi deliquium, aestum, dysenteriam et bilem efficiunt clysteres nimis calidi et acres.

Mites et frigidi clysteres aërem, ischuriam et inflammationem efficiunt.

In defectivis et ceteris clysteribus salubris est opposita curandi ratio; ibi e. g. crassum clysterem cum tenui, tenuem cum crasso, commutet.

Unguinosus clyster refrigerationem, asper autem rigiditatem et inflationem efficere dicitur. Ibi nimis unguinosum clysterem cum aspero, asperum autem cum unguinoso commutet.

Ut in nimia compressione clysteris, sic etiam in homine caput demittente corruptos humores et etiam eorum curationem clyster efficere potest.

In homine autem caput extollente clyster efficere potest urinae retentionem; ibi aptus clyster saluber est, bene sudanti voluptatem afferens.

Proni hominis clysma, a via recedens, non assequitur coctionis sedem. Ibi cor, anum stomachumque vexat aër.

Supini hominis opertam viam clysma non introit; tum tubuli agitatione circumvagans aër intrinsecus irritatur.

Corpore contracto, clyster hominis, inter duo femora applicatus, et non omnino aërem nactus, egreditur.

Stanti homini datus clyster celeriter fertur deorsum, nec vero sedem suam placat; propterea hic clyster utilitatem non affert.

Non assequitur datus clyster universam coctionis sedem, si homo in dextro latere cubat; in sinistrum latus ingrediens clyster saluber est.

Homini prono etc. datus clyster non laudatur. Sequitur ibi aëris irritatio. Convenienter medicus ibi curet.

Difficultates autem oleosi clysteris indicabuntur in therapia. Inefficaciam vero et ceteras difficultates etiam indicabo simul cum therapia.

Non calidus, exiguis medicaminibus instructus et defectivus clyster, adhibitus obstructioni, inflationi et tormento, non abit; inefficacem vocant hunc clysterem. Ibi calidus clyster atque purgativum acre salubria sunt, cibo cum residuis comeso valdeque corrupto, adhibita.

Nimis cibati hominis nimis copiosus clyster, et parum calidus non calido sale oleoque instructus, et nimiis substantiis medicalibus impletus, hominem, copiosis faecibus refertum, celeriter inflare potest. In corde, lumbis, lateribus et dorso dolor ibi perhorridus exsistit. Ibi acrior clyster et suffitio salubria sunt.

Valde acer, fervidus, salinus et asper clyster adhibitus bilem aëremque

irritat et tormentum efficit. Ibi hominis umbilicum, abdomen et anum quasi valde findat. Ibi mucosus clyster et unguentum cum dulcibus decoctum salubria sunt.

Nimis acidus, salinus et calidus clyster circumfluentiam ejicit. Ibi hominis infirmitas et membrorum lassitudo exoriuntur. Dein circumfluit bilis et aestum in ano efficit. Mucosus clyster ibi saluber est et clyster ex lacteo butyro liquido.

Dysenteria oriri potest ab acri evacuante clystere et suffitione. Cum aestu tormentum, aut cum dolore sanguis ibi profluit. Ibi mucosus clyster, lacteum alimentum, butyrum clarificatum, oleum Sesami orientalis cum dulcibus paratum et suffitio salubria sunt.

Nimis acer evacuans clyster et aëre impleta suffitio impetum cordis vexationemque membrorum facere possunt. Humoribus ibi corruptis morbi hi illive, delirium, animi deliquium et membrorum gravitas oriri possunt. Ibi clysterem, omnes corruptos humores tollentem, purgativum dari medicus jubeat.

Asperi, aëre impleti et male dormientis hominis clyster, asper aut mitibus exiguisque medicaminibus instructus, efficere potest membrorum paroxysmum. Ibi membrorum lassitudo, rigiditas, oscitatio, tumor, tremor et articulorum fissio. Ibi exoptata est sudatio, inunctio et clysma.

Nimis calidus, nimis acer et nimis magnus clyster homini, nimis sudanti, aut exiguis humorum vitiis vexato datus, nimiam efficaciam habet. Haec curatio similis est illi ad nimiam purgativorum efficaciam adhibitae. Mucosi clysteris adhibitio ibi locum habeat frigida, suavitatemque afferens.

Ex nimia efficacia ubi sanguinis vitalis vehemens profluvium oritur, ibi curatio, ut ad nimiam purgationem alvi, adhibenda est. Dandus ibi est saluber mucosus clyster, cum sanguine commixtus.

Novem hae difficultates, quae circa evacuantem clysterem dictae sunt, etiam in oleosis clysteribus dignae sunt, quae a peritis cognoscantur.

Sic relatae sunt difficultates omnes simul cum earum signis et curationibus.

Medico ita agendum est, ut illae difficultates non exoriantur. Post quindecim dies alvi purgatio ejus, qui vomuit, deinde vero evacuans clyster adhibendus est. Statim clystere evacuatus et purgatus post septem noctes fumigandus est.“

Caput XXXVII.

Nunc vero de suffitione et sequente clystere therapiam exposituri sumus.

„Septem noctibus post alvi purgationem praeteritis, homini denuo robur nacto et cibato fumigando simul adhibenda est suffitio.

Secundum aetates quae quantitates evacuantium clysterum relatae sunt, eae, sedimentis privatae, adhibendae sunt in oleosis hominum clysteribus.

Homini ab aëre, faecibus et urina liberato clysterem medicus det. Illis enim repulsum oleum introgredi non potest. Oleosus clyster autem dandus non est homini, corpore non purgato.

Porro olea ex ordine indicabo, quae in potionibus, suffitionibus et nasalibus remediis multos morbos depellere possunt.

Ex Datura metel, Costo specioso, Pipere nigro, Vangueria spinosa, Euphorbia tirucalli, Pinu Dévadáru, Anetho sowa, Costo arabico, liquiritia, Acoro calamo, Aegle marmelo et Hutášana bene pulveratis medicus coquat oleum, duas partes lactis et quatuor partes aquae continens. Hoc oleum clysteri ingerendum est ceu remedium, torpidum aërem regulans. Haemorrhoides, diarrhoeam, vitia humorum, suppressionem urinae, difficilem febrem et morbos, in lumbis, femoribus, dorso et stomacho sitos, delere potest.

Ex Acoro calamo, Costo specioso, Costo arabico, Elettaria cardamomo, Vangueria spinosa, Euphorbia tirucalli, in Sind'hu ortis, Kákolí, duabus liquiritiae varietatibus, Médá, Yugmasura, Ad'hipa, Cysampelo hexandra, Bryonia grandi, Celte orientali, Siphonantho indica, Sirio myrtifolio, Gmelina arborea, Pinu longifolia, Aquilaria ovata, Aegle marmelo, Physalide flexuosa, Plumbagine zeylanica, Vrĭdd'hi, Embelia ribe, Cassia fistula, Convolvulo turpetho albo, Jasmino auriculato et Rĭdd'hi pulveratis oleum medicus coquat, cum lacte et cum succo quinque radicum commixtum. Indurationi glandularum mesentericarum, suppressioni urinae, aestui, congestionibus, haemorrhoidibus, diarrhoeae et accumulationi urinae hoc oleum in suffitionis forma adhibitum laudatur ab hominibus aëreo morbo affectis.

Ex Plumbagine zeylanica, Ativishá, Cysampelo hexandra, Dantí, Aegle marmelo, Acoro calamo, Valeriana jatamansi, Pinu longifolia, Hedysaro gangetico, Mimosa octandra, Indigofera anil, Cassia fistula, Pipere chavya, Caro carvi, Kákolí, Médá, Yugmasura, Drama, Bryonia grandi, Carpopogone pruriente, ranis (?), Vastagand'ha, Anetho sowa, Rénu, Physalide flexuosa, Rubia manjista, Curcuma zerumbet, Costo specioso et Medicagine esculenta cum lacte oleum medicus coquat, quod morbos ab aëre ortos delet. Hoc ab arthriticis, claudis, incurvis, urina impletis, hydrope vexatis et perinfirmo calore instructis aegrotis, in clystere celeriter adhibitum, laudatur.

Ex Gentiana cherayta, Ricino communi, ranis (?), Mimosa octandra, Justicia ganderussa, Rohisha, decem radicibus, Baleria alba, Siphponantho indica, Acoro calamo, Euphorbia tirucalli, Pinu Dévadáru, Pavonia odorata, Hedysaro lagopodioide, Sanseviera zeylanica, Justicia adhenatoda, Menispermo cordifolio, Barleria prionite, Asparago racemoso, Viśvá, Leea hirta, Convolvulo paniculato, Hordeo hexasticho, Phaseolo radiato, Lino usitatissimo, Plumbagine zeylanica et Dolicho bifloro decoctis coctum oleum, cum aqua et quatuor partibus lactis commixtum, morbos aëreos, ex crure, femore, regione sacrali, lateribus, scapulis, brachiis, cervice et capite exortos, depellere potest, in clysteribus adhibitum.

Ex Celte orientali, Sida cordifolia, Médá, Kákolí, Bryonia grandi, Rishab'ha, Ativishá, Pipere nigro, Leea hirta, Acoro calamo, Euphorbia tirucalli, Mimosa octandra, Siphonantho indica, Pinu longifolia, Asparago racemoso, Sirio myrtifolio, Carpopogone pruriente, Curcuma zerumbet, Sringí, Hedysaro lagopodioide et Echite frutescente pulveratis medicus coquat oleosum butyrum cum octo partibus lactis commixtum. Hoc in suffitione dandum est, semen virile, ignem (digestionem) et vim augens, nutriens, aërem bilemque depellens, indurationem glandularum mesentericarum et suppressionem urinae tollens optimum; in nasali autem medicamine et in potione adhibitum tollit morbos supra claviculam exortos.

Ex Glycyrrhiza glabra, Andropogone muricato, Gmelina arborea, Echite antidysenterica, Nymphaea caerulea, Sirio myrtifolio, Convolvulo turpetho floribus nigris, Nelumbio specioso, Andropogone serrato, Wrightea antidysenterica et Ativishae succo medicus coquat cum octo partibus butyri lactisque oleosum sedimentum. Hoc cum decoctione illius medicamentorum classis a Ficu indica incipientis commixtum, et in clysteribus adhibitum, depellere potest aestum, haemorrhagiam, herpetem, rheumarthritidem, phlegmonen, biliosas sanguinosasque febres et ceteros bile effectos morbos.

Ex Andropogone muricato, Nymphaea caerulea, Sálúka, Echite frutescente, Mesua ferrea, Sirio myrtifolio, Gentiana cherayta, Nelumbii speciosi seminibus, Scirpo kysoor, Trichosanthe dioeca, Colotrope gigantea, Abro precatorio, Cypero pertenui, Oldenlandia biflora et Justicia ganderussa pulveratis et succo herbarum radicumque coctum oleum cum duplice parte lactis commixtum, et in clystere, nasali remedio, unguento, aut potu adhibitum, multos biliosos morbos depellere potest.

Ex tribus myrobalanis, Ativishá, Sanseviera zeylanica, Convolvulo turpetho albo, Plumbagine zeylanica, Justicia ganderussa, Melia azidaracta, Cassia fistula, Acoro calamo, Echite scholari, duabus Curcumis, Menispermo cordifolio, Echite antidysenterica, Pipere longo, Costo arabico, Sinapi dichotoma et zingiberi arido, singulorum partibus aequalibus, coctum oleum, cum dulcibus etc. succis compositum et in potionibus, unguentis, gargarizationibus,

nasalibus remediis et clysteribus adhibitum, vincere potest rigiditatem, torporem, pruritum reliquosque phlegmate effectos morbos.

Ex Cysampelo hexandra, Caro carvi, Śárngáshťa, Pipere longo, zingiberi arido, Pinu longifolia, Aquilaria ovata, Curcuma zanthorhiza, Siphonantho indica, Pipere chavya, Euphorbia tirucalli, Pipere nigro, Elettaria cardamomo, Trapa bispinosa, Michelia champaca, Curcuma zerumbet, bdellio et Gmelina arborea coctum oleum, aut Ricini communis oleum cum illis commixtum, cum duplice parte decoctionis ex Ligustico ajwaën et radice Mimosae catechu compositum, depellere potest, in suffitionibus adhibitum, omnes phlegmate effectos morbos.

Ex Embelia ribe, in Udichya et Sind'hu orta, Curcuma zerumbet, Costo specioso, Plumbagine zeylanica, Gmelina arborea, Ativishá, Siphonantho indica, Acoro calamo, Costo arabico, Pinu Dévadáru, Médá, Vangueria spinosa, Glycyrrhiza glabra, Convolvulo turpetho floribus nigris, Barringtonia acutangula, zingiberi arido, Anetho sowa, Indigofera anil, Mimosa octandra, Musa paradisiaca, Justicia ganderussa, Rénu, Aegle marmelo, Caro carvi, Pipere nigro, Dantí, Pipere chavya et Narád'hipa decoctum oleum, aut Ricini communis oleum cum Bignoniae indicae etc. succo commixtum, depellere potest lienis affectiones, flatulescentiam, rheumarthritidem, indurationem glandularum mesentericarum, suppressionem urinae, morbos a phlegmate ortos, urinales affectiones, calculum et haemorrhoides, in cibo suffitioneque adhibitum. —

Hominem autem non purgatum, aut nimis (morbis) vexatum quovis illo oleo, omnibus diei noctisve temporibus fumigari medicus jubeat. Asperi, aëre impleti hominis bis terque suffitionem medicus cum fecerit, et hominem unguinosum tenuemve cognoverit, eum deinde clystere evacuet. Hominem vero non unguinosum, sed illo quovis oleo nimis vexatum, clysteris evacuationibus in oleo digestis medicus sapiens curet. Sed omnino clystere evacuatum hominem in rheumatismo etc. oleis Aegles marmeli, Siphonanthi indicae, Vangueriae spinosae et trium myrobalanorum ex ordine curet.

Noctu autem clystere ne det; corruptorum enim humorum tormentum noctu exoritur et oleum vi praeditum efficere potest inflationem, gravitatem et febrem.

Subdiu autem, humore corrupto in sua sede collocato, aut digestione succum cibi (chymum) secutâ, olei vis in corpore, patefactis organorum orificiis instructo, circumit.

Bile praevalente, phlegmate perdito, homine autem aspero et aëris morbis vexato, noctu adhibenda est fervido anni tempore suffitio. Fervido anni tempore bile praevalente, quia subdiu aestus et ceteri morbi exoriuntur, ea de causâ medicus vespere suffitionem adhibeat.

Frigido anni tempore et vere subdiu, fervido autem anni tempore

(Jun. — Jul.) et nubibus pluvii temporis praeteritis extremo die humores corruptos, a cibis ortos, oleum tollere conabitur.

Omnibus diei noctisque temporibus homini aëris pleno in terribili morbo digestibilem cibum medicus comedendum det, et tum fumiget.

Nunquam cibato homini oleum adhibendum est.

Post purgationem oleum hominis, stomachum vacuum habentis, sursum exsurgere potest.

Semper hominem fumiget, cum antea eum, humectata manu praeditum, cibaverit.

Febrem hominis, indigestibili cibo onusti, efficere potest oleum adhibitum.

Ne vero cibum nimio oleo conditum medicus suppeditet et tum fumiget; delirium enim et animi deliquium affere potest oleum bifariam adhibitum; contrarie, hominis asperum cibum comedentis robur coloremque medicus subtrahere posset. Hominem inunctione usum cum cibaverit, tum fumiget eum. Jusculis igitur pisinis et lacteis hominem ex pedum relaxatione laborantem medicus, morbum intuitus, convenienter cibet, et tum fumiget.

Sed fumigato homini, bene inuncto, calidis aquis lente sudanti et legaliter cibato, confectâ ambulatione evacuatisque faecibus et urinâ, medicus adhibeat oleosum clysterem. Appplicandi praeceptum in evacuantis clysteris therapia indicabitur.

Porro, oleo injecto, homo per temporis spatium, quo centum verba pronuntiari possunt, supinus cubet. Extensis omnibus membris, vis olei introgreditur. Percutiat medicus lente hominem in plantis pedum tria momenta, tum in natibus; dein eum tria momenta in lectulo collocet. Sic, ingresso clysmate, parum se fatigans et paululum loquens in bene strato lecto libenter homo sedeat, morum probitate gavisus. Oleum vero, cum pulvere salis fossilis et Anetho sowa eummixtum, applicandum est, suaviter calidum. Sic egreditur subito et libenter.

Si cui adhibita suffitio excretiones sequentes hostiliter aggreditur, ob nimium suffitionis calorem, aut nimiam acritudinem, aut quia homo aëre vexatus impletusve, aut majore alimento infarctus est, aut ob gravitatem, aut quia medicaminibus impletus est, — tum ei alia suffitio minor adhibenda est; nec vero inungit, neque haeret suffitio, si aër, faeces et urina retinentur et oleum deest. Aestum autem, lassitudinem, diarrhoeam et dolores efficit immodica suffitio.

Si cujus oleum cum aëre et faecibus abit, sine ustione et cutis ardore, celeriter is omnino fumigatus est.

Illi, qui cibum digessit, vespere, oleo egresso, rursus levem medicus cibum libenter det, si scilicet homo accenso igne (bona digestione) praeditus est. Mane calida aqua danda est, cum oryza aridoque zingiberi parata, qua hominis accenditur digestio et optatus cibi oritur appetitus. —

In praeceptis de oleoso clystere datis etiam sequentem methodum inesse dicunt docti Bráhmańae. Ex illo praescripto sex, septem, octo, aut etiam novem clysteres dandi sunt; his autem proximus sit evacuans clyster. Datus autem primus clyster inungere potest alvum et inguen. Omnino autem datus secundus clyster aërem in capite situm vincere potest. Generare vero potest vim coloremque tertius clyster adhibitus. Pari modo corruptos humores semen virile aggressos clyster duplice qualitate praeditus bene curare potest. Duodeviginti clysteres qui adhibeat ex dicto praescripto et observato ordine, is, insigniter robustus, equi velocitate praeditus, ut immortales splendidus, liberatus a vitio et sacros libros (Védas) tenens, mille annos vivere potest.

Oleosum clysterem, aut evacuantem clysterem ne singulatim medicus adhibeat. Ab oleo laesio digestionis et dolor, ab evacuante autem clystere timor ex aëre oriri potest. Idcirco clystere evacuatus homo fumigandus, fumigatus autem clystere evacuandus est, ne a bile et phlegmate tormina oriantur, neve ab aëre timor.

Aspero aërisque pleno homini oleosum clysterem medicus quotidie det; aliis vero, prae timore, ne digestio perturbetur, post triduum. Oleum exiguum pro asperis hominibus per omne tempus non praetergrediendum est; sic etiam evacuans clyster perexiguus illis oleo clysterizatis probatur.

Deinceps indicabo difficultates ab oleosis clysteribus ortas.

Quando humores corrupti, scilicet aër etc., in stomacho praevalent, tum ii, oleum exiguis viribus praeditum superando, varia efficiunt morbosa symptomata; oleum ibi non redit.

Ibi, oleo ab aëre superato, distortio oris, oscitatio, rheumarthritis, tremor, dolor et febris oriuntur; oleo autem a bile superato, punctio oris, aestus, sitis, febris, sudor et flavus color oculorum, urinae et membrorum oriuntur; oleo autem a phlegmate superato, irrigatio, dulcedo, gravitas, vomitio, suspiratio, molestia, frigida febris et ciborum fastidium oriuntur. Porro, oleo a tribus simul corruptis humoribus superato, clysterem amoveri medicus jubeat; convenienter vero corruptorum humorum sedamina, quae sunt, adhibenda sunt.

Homine epulato immodice, quando propter cibi superationem oleum non procedit, tum cruditatis sedes oneratur, colica, retentio aëris, cordis dolor, oris siccitas, anhelitus, animi deliquium, vertigo et ciborum fastidium oriuntur. Ibi in jejunii fine calefactoria (digestoria) methodus desideratur.

Hominis non purgati oleum, cum excrementis commixtum, quando non rursus procedit, tum denuo tabes membrorum, inflatio, anhelitus, colica et in coctionis sede gravitas oriuntur. Ibi medicus adhibeat evacuantem clysterem et ex valde acribus medicaminibus paratam suffitionem.

Si oleosus clyster purgati hominis sero subsequutus est, tum olei apparentia, omnium sentiendi organorum superlitio, depressio, oleo olens os, catarrhus, anhelitus et ciborum fastidium oriuntur. Ibi, ut in nimis vexatis, curandi ratio et restauratio locum habent.

Hominis non sudantis et non purgati oleum exiguum adhibitum miteque non procedit; exinde torporem producere potest: ischuria, gravitas, inflatio et colica circa coctionis sedem oriuntur. Ibi restauratio etiam celeriter adhibenda est simul cum suffitione.

Homini exigue epulato adhibitum oleum exiguum et torpidis qualitatibus praeditum non procedit; defatigationem, tormen, aut etiam voluptatem valde adferre potest. Ibi restauratio efficienda est per evacuantem clysterem, et suffitio oleoso clystere laudatur.

Post diem noctemque oleum procedat; non corrumpit; efficere etiam potest bonas clysteris qualitates. Vetus autem oleum exigua qualitate praeditum esse potest.

Si oleosus clyster non eggressus nullum symptoma facit, is omnis, exiguus aut opertus, ob asperitatem rejiciendus est intelligenti medico. Non egrediens autem oleum post diem noctemque purgatoriis medicaminibus medicus devincat. Oleosus clyster si non egreditur, alius ne adhibeatur.

Sic dictae sunt difficultates omnes simul cum earum signis et curationibus. —

Protinus de clystere superiori, genitali sic appellato, praeceptum dabo.

Quatuordecim digitos transversos longum tubulum clysteris, digitis aegroti mensuratum, cuspide, ut petiolus floris Jasmini grandiflori, instructum, perforatum ut exitus Sinapis dichotomae, et penis longitudini aequalem, quidam reapse artis periti desiderant.

Olei quantitas summa unus Kuńchas est.

Viginti quinque annorum minoribus medicus applicet quantitates artificiose paratas.

Tubulus inserto anulo instructus, pro medio feminarum loco quatuor pollices transversos longus, urinae ductum latus et ut Phaseoli radiati brachium decem pollices transversos longus sit. In feminarum genitalem viam tubulum ad quatuor pollices transversos medicus demittat; ad duos autem pollices transversos in urinae viam; sed in illam puellarum viam ad unum pollicem transversum tubulus demittendus est. Pollex transversus earum ipsarum ex praescripto intelligitur. Olei unum Prasrĭta ibi, propriis volis mensuratum, tanquam quantitas summa, dandum est, prius artificiose confectum.

Ovillus ventriculus (pro clystere) aut etiam suillus et caprinus honoratus est. Hoc deficiente, adhibeat collarem cutem avium; hoc rursus deficiente follis pedem aut etiam molle coreum adhibeat.

Aegrotum autem inunctum, bene sudantem, probatum cubile habentem, fermentatas oryzae aquas cum butyro clarificato lacteque commixtas bibentem pro viribus, considentem in sedili usque ad genua aequo, locoque stationis aequabili, et oleo calido circa abdomen caputque bene inunctum hominem medicus cum aequum collocaverit et ejus vas (penem) editum specillo antea exploraverit, tum tubulum proxime post lente lenteque, butyro oblitum, demittat ad sex pollices transversos. Exinde comprimat clysteris ventriculum medicus lente, et tubulum deinde extrahat. Tum hominem, egresso oleo, expertus medicus postmeridiano tempore cibet lacte aut pisino jusculo. Ex hoc praescripto medicus det clysteres tres, aut etiam quatuor.

Uxori genua sursum vertenti et supinae medicus expertus det clysterem. Intactae virgini clysterem hunc det permolliter compressum, tubulo triannulari ad orificium vulvae.

Uteri purgandi causâ medicus, si oleum duabus qualitatibus praeditum post clysterem superiorem cognominatum non egreditur, denuo clysterem, purgatoriis substantiis instructum, applicet. Aut ano turundam applicet, purgativis medicamentis accumulatam. Aut demittat sapiens medicus in abdominis portam (anum) specillum. Aut premat infra umbilicum fortiter deorsum superiori pugno.

In Cassiae fistulae foliis et Viticis negundinis sedimentis oleosis, cum vaccina urina contritis, medicus conficiat turundas, cum sale fossili commixtas, et Phaseolo mungoni, Elettariae cardamomo Sinapique dichotomae similes. Eas medicus, cum discreverit aetates, in abdominis orificium (anum) injiciat specillo, aut alias ex fuligine, Solano jacquini, Pipere longo, tribus myrobalanis et sale fossili, contritis cum aceto, vaccina urina, spirituoso liquore et arido zingiberi, confectas. Suffitionem confectam intuitus medicus negotium persequatur per aquam Glycyrrhizae glabrae frigidam cum saccharo melleque commixtam. Tum calefaciat clysterem peritus et eam det ex Fici glomeratae infusione et lacte frigido.

Corruptum semen virile et sanguinem, feminarum menses cessantes et dolorosos, urinae oppressionem, urinae vitia aucta, vulvae morbum et mortem embryonis, gonorrhoeam, calculum lithiasinque, tormen in abdomine, inguine et pene, terribiles etiam alios in abdomine exortos morbos, urinam movendo superior (genitalis — urinalis) clyster tollit.

Omnino applicati clysteris superioris signa, difficultates et praeceptum similia sunt, atque in oleoso clystere."

Caput XXXVIII.

Nunc vero de evacuantis clysteris ratione therapiam expposituri sumus.

Protinus fumigatum hominem medicus stabiliat. Bene inuncto sudabundoque corpore praeditum, alvi evacuatione privatum, in domo ventis non exposita et pura, meridiano tempore, in lectulo extenso deorsumque bene circumdato et circa lumbalem regionem expanso cervicalisque experte, in sinistro latere cubantem, dextrum femur inclinantem, sinistrumque porrigentem, valde intelligentem, digestos cibos habentem, silentem et corpus bene collocantem hominem medicus cum animadverterit, super sinistrum pedem tubulum clysteris ducat, supra dextri pedis hallucem digitumque anulum comprimat, sinistrae manus digito minimo et anulari dimidium clysteris orificium contrahat, aliud autem dimidium orificum digito medio, indice et pollice hiulcum efficiat, in clysterem medicamentum (clysma) injiciat, pollice digitoque indice dextrae manus hominem conspersum, non intensum, non bullatum, non contractum, ventis non expositum et medicamini proximum prehendat, sinistra manu rursus prehensum tum dextra manu inspergat. Deinde sub medicamenti (injecti) fine hominem bis aut ter fasciâ circumdans liget medicus. Dextra supina manu ventriculum clysteris medicus prehendat, sinistrae manus digito medio et indice tubulum clysteris capiat, pollice orificium tubuli obtegat et tum extremum tubulum butyro illitum, in anum, butyro inunctum, injiciat secundum columnam vertebralem, aequaliter sursum versum usque ad anulum tubuli. Tum medicus dicat: tene!

„Clysterem sinistra manu medicus dirigat, dextra comprimat una compressione, ne celeriter, neve tarde.“

Deinde tubulum clysteris abducat, triginta momenta post compressionis tempus respiciat et tum aegrotum alloquatur: surge! Aegrotum vero in lasano collocet, clysmatis egredientis causâ. Tempus autem, quo evacuans clysma egreditur, unus est Muhúrta..

„Ex hoc praescripto clysterem det medicus, clysterizandi peritus, secundum, aut tertium, aut etiam quartum, si res postulet. Omnino autem signo evacuati hominis aggresso, clysterem medicus intermittat. Exiguum enim clysterem adhibere, nec vero immodicum debet. Praecipue autem infantibus exiguum clysma salubre est. Cujus clyster valde exigua evacuatione praeditus et excrementis aëreque privatus est, is homo male evacuatus dejudicandus est, urinae dolore, cibi fastidio et frigore vexatus. Quae vero antea indicata sunt signa de nimia alvi purgatione, ea etiam in homine nimis clysterizato dijudicanda sunt docto Bráhmańae.

Cujus hominis excrementa, bilis, phlegma et aër gradatim abeunt et levationem faciunt, cum bene evacuatum esse medicus doceat. Bene evacuatum deinde hominem lavatumque cibet.

Bile, phlegmate et aëre affectum hominem lacte pisinisque jusculis ex praescripto, aut quemcunque carnis juribus cibet. Quarta, aut dimidia quantitas, aut nulla quantitas, secundum scilicet digestionis vitium quantitas cibi datur. Proxime post utatur convenienter oleoso clystere. Distinctio, animi oblectatio, comitas et morborum praeservatio in roborationis et oleosi clysteris recta adhibitione signum est. Illo die vehemens hominis timor ob aërem desideratur; ptisanarium oryzae ab eo probatur illo die, et suffitio. Postea ignis vehementiam cum cognoverit aërisque motum in stomacho cibis obruto, oleosus clyster detur. Clysterem vero post Muhúrtam non egredientem sapiens medicus egerat purgativis et acribus clysteribus, cum lixivio, urina et aciditate commixtis. Clyster corrupto aëre stabilitus et diu immotus, tormen, taedium, febrem, suppressionem urinae, aut mortem ipsam adferre potest. Nec vero satiato homini dandus est roborans clyster. Hoc est praeceptum. Aut spasmum generat vomitumque perhorridum, aut omnia irritat humorum vitia ille clyster. Idcirco cum medicus homini det insatiato.

In digesti cibi sede humores virorum manifesti omnes voluptatem adipiscuntur, cibo non vexati. Nec vero cibum, roborante clystere agitatum, ignis (digestio) foras fert. Propterea roborans clyster dandus est homini cibi experti a medico intelligente.

Roborantem clysteris methodum medicus si cogitavit, evacuans clyster adhibendus est.

Excremento emisso, corruptorum humorum vis non animadvertitur.

Lactea, acidae urinae, olea, cocti succi, salia, fructuum mellitus succus, Anethum sowa, Sinapis dichotoma, Acorus calamus, Elettaria cardamomum, Species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Mimosa octandra, Pinus longifolia, Pinus Dévadáru, Indigofera tinctoria, Glycyrrhiza glabra, Asa foetida, Costus arabicus, purgatoria medicamenta, Wrightea antidysenterica, Saccharum officinarum, Cyperus rotundus, Andropogon muricatus, Sirium myrtifolium, Datura metel, Rubia manjista, Vangueria spinosa, Andropogon muricatus, Sirium myrtifolium, Datura metel, Rubia manjista, Vangueria spinosa, Andropogon aciculatus, Tráyamáńá, Collyrium calcis aeris, Aegle marmelos, Ligusticum ajwaën, Echites dichotoma, Śakrajá, Hordeum hexastichon, Kákolí, Kshírakákolí, Bryonia grandis, Carpopogon pruriens, Médá, Mahámédá, Ŕidd'hi, Vŕidd'hi et Sanseviera zeylanica, scilicet haec medicaminum turba in evacuantibus clysteribus proportionaliter detur: sano homini quatuor decoctionis partes dentur, olei vero quinta pars; aëre irritato, quarta, bile irritatâ, sexta, phlegmate irritato, octava, omnibus hu-

moribus simul irritatis, octava sedimentorum oleosorum pars, sal fossile, mel, urina, tres myrobalani, lac, acetum et carnis jus. Illa conjungat sapiens medicus et conficiat evacuantem clysterem. Hic autem clyster a medicis excellentissimis sine separatione sedimenti, olei et infusionis confectus est. Omnino hujus clysteris dosis pro indicatione detur. Primo recipiat medicus salis fossilis Aksham unum, et mellis Prasrĭta duo, atque in vase palmâ agitet cum oleo. Hoc omnino bene agitato, tum addat fructuum sedimentum; deinde dicta sedimenta cum eorum partibus subtiliter contrita in alio alto vase agitet rutabulo ita, ut recte esse putet. Ne crassum, neve tenue, sed aequale hoc sit. Infusionis bene purgatae quinque Prasrĭta ibi addat, aut succi, lactis urinaeque, statum corruptorum humorum respiciens medicus.

Deinceps duodecim Prasrĭta indicabimus.

Primo recipiat medicus salis fossilis Aksham unum, et mellis Prasrĭta duo. Tum, hoc agitato, addat olei Prasrĭta tria. Deinde, unito oleo, injiciat sedimenti Prasrĭtam unum. Hoc commixto, infusionis Prasrĭta quatuor infundat; tum vero in fine duo Prasrĭta. Sic confectus clyster duodecim Prasrĭta contineat. Probatissimae sane substantiae quantitatem hanc relatam diminuens medicus adhibeat usque ad unius Prasrĭtam relictum.

Secundum aetatem illa paratio clysterum evacuantium, ex sale fossili et ceteris substantiis confectorum, ab excellentissimis medicis, sanationem optantibus, exposita est.

Deinceps indicabuntur clysteres particulatim, qui, secundum humorum vitia adhibiti, depellere possunt varios morbos.

Ex Cassia fistula, Ricino communi, Varsháb'hu, Physalide flexuosa, Curcuma longa, Xanthocymo pictorio, quinque radicibus, Pavonia odorata, Mimosa octandra, Menispermo cordifolio et Pinu Dévadáru coctis, scilicet singulorum Pala uno, cum octo partibus liquoris spirituosi commixtis, sedimentis oleosis, Jasmino auriculato, Kámb'hoda, Havushá, Anetho pammorio, sale fossili, Wrightea antidysenterica, Panico italico, Morunga hyperanthera, Siphonantho indica et collyrio Amomi anthorrizae medicus det roborantem clysterem tepidum, cum melle etc. commixtum, dolores dorsi, femoris et scapulae tollentem, accumulationes calculorum, faecum, urinae et aëris, diarrhoeam, aërem et haemorrhoides depellentem atque sanguinem, carnem viresque tribuentem.

Ex Menispermo cordifolio, tribus myrobalanis, Mimosa octandra, decem radicibus et Pavonia odorata, coctis, scilicet ex singulorum Pala uno, cum subtiliter contrito Panico italico, collyrio Amomi anthorhizae, sale fossili, Anetho sowa, Acoro calamo, Pipere longo, Ligustico ajwaën, Costo arabico, Aegle marmelo, melle, oleo, butyro, lacte, aceto, alica acida et sero

lactis, commixtis cum urina, medicus det eximium roborantem clysterem, qui splendorem, colorem, robur, vim, fortitudinem, ignem (digestionem) et vitalitatem auget, omnes ab aëre ortos morbos depellit et aetatem maxime roborat.

Ex Poa cynosuroide etc., quinque radicibus, Cypero rotundo, tribus myrobalanis, Nymphaea caerulea, Justicia ganderusa, Periploca indica, Andropogone muricato, Rubia manjista, Mimosa octandra, Rénu et Xylocarpo granato coctis, videlicet ex singulorum Pala uno, cum Trapa bispinosa, Carpopogone pruriente, Ib'hac fibris, Aquilaria ovata, Sirio myrtifolio, Convolvulo paniculato, Anetho pammorio, Rubia manjista, Pipere nigro, Nerio antidysenterico, sale fossili, Echite antidysenterica, Nelumbio specioso et Siphonantho indica, omnino contritis et cum melle, lacte butyroque commixtis, datus clyster roborans et frigidus, aut clyster ex substantiis aciditatis expertibus, aestum, sanguinis eruptionem, bilem, haemorrhagiam biliosam, indurationem glandularum mesentericarum et febrem vincere potest.

Ex Symploco racemoso, Sirio myrtifolio, Rubia manjista, Mimosa octandra, Panico dactylo, Pavonia odorata, Rĭdd'hi, Echite frutescente, Justicia gandcrussa, Gmelina arborea, Médá, Glycyrrhiza glabra, Nelumbio specioso, St'hirá etc., graminis radicibus coctis, scilicet tribus Karshis, cum contrita Bryonia grandi, Kákolí, Rĭdd'hi, Glycyrrhiza glabra, Nymphaea caerulea, Nymphaea alba, Celte orientali, Médá, Rénu, Xylocarpo granato, Anetho pammorio, Vitice negundine, Utt'ha, Wrightea antidysenterica, Andropogone muricato, Nelumbio specioso, Scirpo kysoor, Saccharo officinarum, butyro, melle et lacte commixtis, et ex substantiis acritudinis aciditatisque expertibus, datus clyster perfrigidus indurationem glandularum mesentericarum, sanguinis eruptionem, cordis morbos, icterum, difficiles febres, haemorrhagiam biliosam, dysenteriam et morbos a bile ortos depellere potest.

Fx Phrynio dichotomo, Melia azidaracta, Dolicho bifloro, Asclepiade gigantea, Trichosanthe dioeca, Menispermo cordifolio, Euphorbia tirucalli, Echite frutescente, Solano jacquini, Cysampelo hexandra, Sanseviera zeylanica, Cassia fistula et Wrightea antidysenterica decoctio et sedimentum conficienda et cum Pavonia odorata, liquore spirituoso, Sinapi dichotoma, sale fossili, Euphorbia tirucalli, Costo arabico, Elettaria cardamomo, Pipere longo, Aegle marmelo, arido zingiberi, Michelia champaca, oleo Sesami orientalis, melle, lixivio, urina et aqua commiscenda sunt; tum roborans hic clyster adhibendus est celeriter hominibus ex ictero et urethritide gonorrhoica laborantibus, pinguedine et indigestione affectis, phlegmatis morbis et cibi fastidio vexatis ac colli tumore morbido, lassitudine, elephantiasi abdominisque intumescentia aegrotantibus.

Ex decem radicibus, Curcuma longa, Aegle marmelo, Trichosanthe dioeca, tribus myrobalanis et Euphorbia tirucalli coctis, cum sedimento oleoso,

Cypero rotundo, sale fossili, Pinu Dévadáru, Cysampelo hexandra, Jasmino auriculato et Echite antidysenterica contritis, atque cum oleo, lixivio melleque paratis, conficiat roborantem clysterem medicus, simul cum urina acetoque commixtum, pro hominibus phlegmate, ictero, insania, inertia, urina et aëre affectis, et cruditate, intumescentia, tumore incocto, phlegmate, induratione glandularum mesentericarum et helminthiasi laborantibus.

Ex Justicia gandcrussa, Plectrantho scutellaroide, Varsháb'hu, Oryza sativa, Ricino communi, decem radicibus, Pavonia odorata, Sanseviera zeylanica, Hordeo hexasticho, Plumbagine zeylanica, Curcuma longa, Xanthocymo pictorio, Dolicho bifloro, Aegle marmelo et Gentiana cherayta coctis, scilicet ex singulorum Pala uno, cum sedimentis oleosis, liquore spirituoso, liquiritia, Acoro calamo, Euphorbia tirucalli, Sinapi dichotoma, Piperis longi radice, Vitice negundine, Utt'ha, Ligustico ajwaën, Anetho pammorio, Wrightea antidysenterica, melle, Saccharo officinarum, lacte, vaccina urina, butyro et oleo commixtis, roborans clyster conficiendus est celeriter hominibus in multos morbos implicatis, quippe qui arthritidem, calculum, tumorem abdominis globosum, sacralem passionem et indurationem glandularum mesentericarum depellit.

Ex Mimosa octandra, Cassia fistula, Varsháb'hu, Echite antidysenterica, Andropogone muricato, Andropogone shoenantho, Tráyamáńa, Menispermo cordifolio, Abro precatorio, quinque radicibus et Terminalia belerica cum foliis, scilicet ex singulorum Pala uno, decoctio conficiatur aut sedimentum; ex his cum liquore spirituoso, Siphonantho indica, Anetho pammorio, Vitice negundine, Utt'ha, Echite dichotoma, Nerio antidysenterico, collyrio Amomi anthorhizae, melle, Vite vinifera et Zizypho jujuba commixtis compositus clyster, suaviter calefactus, tanquam carnis, seminis virilis, sanguinis, vitalitatis, aetatis et ignis (digestionis) effector, celeriter etiam morbos depellit hos: indurationem glandularum mesentericarum, sanguinis eruptionem, herpetem, urinae molestiam, ulcera, pneumophthisin, difficiles febres, haemorrhoides, diarrhoeam, Vátakuńdalím, dolores genuum, crurum, capitis et abdominis, flatulescentiam, aërem, rheumarthritidem, calculum, lithiasin, ventris tormina, abdominis intumescentiam, cibi fastidium, haemorrhagiam biliosam, phlegma, delirium, urinales affectus, inflationem et cordis dolores.

Decoctiones herbarum medicabilium aërem depellentium, cum sale fossili, Convolvulo turpetho albo et acidis commixtae ac suaviter calefactae, adhibendae sunt in clysteribus, aëre irritato.

Decoctiones Fici indicae etc. cum Kákolí etc., Sinapi dichotoma et Saccharo officinarum commixtae, dandae sunt in clysteribus, bile irritatâ.

Decoctiones Cassiae fistulae etc. cum Pipere longo etc., melle, urinaque commixtae, dandae sunt in clysteribus, phlegmate irritato.

Clysteres ex Saccharo officinarum, Saccharo crudo, lacte et butyro parati, perfrigidi et divites infusione Fici glomeratae, salubres sunt, sanguine irritato.

Decoctiones purgativarum substantiarum, cum ipsarum sedimentis oleisque et cum sale fossili commixtae, rutabulo agitatae, clysteres pargativi commemorati sunt.

Clysteres ex trium myrobalanorum decoctione, vaccina urina, melle et lixivio confecti, et cum terra salina etc. compositi, vomitorii sunt commemorati.

Decoctiones nutrientium substantiarum, cum sedimentis oleosis et syrupis commixtae, et cum butyro ac jure carnis compositae, nutrientes clysteres sunt commemorati.

Decoctiones passerinorum ovorum et Allii sativi, cum lacte, butyro, saccharo, Carpopogone pruriente et tribus myrobalanis compositae, aphrodisiaca (irritantia — stimulantia) virorum commemorata sunt.

Convolvulus paniculatus, Artocarpus lacucha, Cordia myxa, Bombax heptaphyllon et Pentapterae arjunae surculi cum lacte parata, cum melle commixta et cum sanguine composita, clysteres jurulenti sunt nuncupati.

Porci, bubali, arietis, felis, antilopae et gallinae recens sanguis aut ovum dandum est in jurulentis clysteribus.

Decoctiones Panici italici etc. cum Oxalide corniculata, melle butyroque commixtae, clysteres impetum facientes commemorati sunt.

Ex illis etiam medicamentis, vel singulis vel omnibus, confecta olea omnino danda sunt in oleosis clysteribus.

Deligandis hominibus, centuplici decoctione ordinatim expurgatis, ex Pavoniae odoratae et Convolvuli turpethi albi oleo dandi sunt clysteres.

Homini summe robusto acrem clysterem dari medicus jubeat; mediocriter robusto mediocrem; infirmo mitem.

Pariter tempus, vim, corruptos humores, morbum et efficaciam substantiarum clysteris intuitus medicus, morborum peritus, clysteres adhibeat.

Det medicus sapiens evacuantem clysterem primo; deinde autem vitia humorum eripientem; postea sedativum.

Ricini communis semen, Glycyrrhiza glabra, Piper longum, sal fossile, Acorus calamus, et Havushae triumque myrobalanorum sedimentum fiunt clyster evacuans.

Anethum sowa, Glycyrrhiza glabra, semen Echitae antidysentericae, tres myrobalani, ptisana oryzae fermentatae et vaccina urina fiunt clyster, vitia humorum eripiens.

Panicum italicum, Glycyrrhiza glabra, Cyperus rotundus, collyrium Amomi anthorhizae et lac laudantur in clysteribus, corruptos humores sedantibus.

Regum, hisque similium magnorum, feminarum, tenerorum, infantium et senum humores corruptos eripiendi et robur coloremque efficiendi causâ breviter docebo praeceptum de mellito oleosoque clystere datum.

Hic clyster in vectionibus, feminis, cibis et potionibus non contraindicatus est; fructus enim ab illo conspectus est et difficultatum absentia. Adhibendus autem est homini laeto et evacuantem clysterem optanti. Quando autem illum clysterem optat homo, evacuans clyster etiam adhibendus est a docto Bráhmańa.

Mellis oleique duae partes aequales, decoctum radicis Ricini communis, dimidium Pala Anethi sowae, porro dimidium Pala salis fossilis; — hic clyster, cum uno fructu trium myrobalanorum commixtus, rutabulo agitatus et suaviter calefactus a medico, dandus est, mellitus oleosusque nuncupatus.

Acori calami et Glycyrrhizae glabrae oleum, decoctio, jurulentum sal fossile, Piper longum et tres myrobalani fiant clyster, qui in vectione quadrupedum indicatus est.

Pinus Dévadáru, tres myrobalani, Mimosa octandra, Anethum sowa, Acorus calamus, mel, Asa foetida et sal fossile fiant clyster, corruptos humores eripiens commemoratus.

Quinque radicum infusio, oleum, Jasminum auriculatum et mel fiant clyster, qui cum Anetho sowa et sale fossili commixtus est dandus.

Hordei hexastichi, Zizyphi jujubae et Dolichi biflori decoctio, Jasminum auriculatum, mel, sal fossile et liquirita fiant perfectus clyster sic appellatus.

Cyperum rotundum, Cysampelon hexandram, Menispermum cordifolium, Colotropem giganteam, Pavoniam odoratam, Mimosam octandram, Boërhaviam diffusam alatam, Rubiam manjistam, Cassiam fistulam, Andropogonem muricatum, Tráyamánám et Ruelliam longifoliam, singulorum Palam unum, cum exigua parte quinque radicum compositum, et octavam partem liquoris spirituosi, in uno Áḍhaka aquae, medicus coquat. Decoctionem, residuum continentem, rursus coquat. Cum uno Prast'ha lactis commixta decoctio lactis residuum circumfluum habet. Cum residuo jus carnis et aequalem partem mellis et butyri misceat. Hoc cum singulis Karshis sedimentorum Anethi sowae, trium myrobalanorum, liquiritiae, Wrighteae antidysentericae et collyrii Amomi anthorhizae et cum sale fossili commixtum, in clystere adhibetur. Hic clyster rheumarthritidem, animi deliquium, intumescentiam, haemorrhides, indurationem glandularum mesentericarum et urinae retentionem depellit, herpetem, febrem, faeces, hemiplegiam et haemorrhagiam biliosam tollit; inter roborantia hic clyster, ex Cypero rotundo etc. confectus, rex aestimatus est.

Mente intuitus remedium morbumque medicus, morborum peritus, hoc semine centum Clysteres sapiens conficere potest. In indigestione ne clysterem hunc adhibeat; somnum diurnum evitet. Cibi praeceptum et reliqua alia apta persequatur. Quia mel et oleum imprimis adhibentur, idcirco hic

clyster a medicis mellito—oleosus vocatur. In curribus aptis elephantus equusque ornati sunt; quia non contraindicatus est ibi clyster ille, idcirco vectioni aptus appellatus est.

Quia hoc clystere fit finis centum morborum, ad robur, quantitatem et colorem pertinentium, idcirco perfectus clyster aestimatus est.

Laetis, exiguo humorum vitio affectis et iis hominibus, qui inuncti et tenero stomacho praediti sint, semper mellito-oleosi clysteres adhibendi sunt. Hi ob mollitudinem, ob residui absentiam, ob eorum in omnibus medendi rationibus usum et ob unam clysteris dosin in perfectis clysteribus non contraindicati sunt."

Caput XXXIX.

Nunc vero aegroti phaenomenorum therapiam exposituri sumus.

„Hominis, qui oleum potavit, vomuit, expurgatus, phlebotomatus et clystere evacuatus est, organicus calor torpidus fit. Hic calor cibis multis et gravibus adhibitis opprimitur, sicut parvus ignis, magnis multisque cremalibus lignis obductus. Is vero parvis levibusque cibis adhibitis increscit, sicut ignis, exiguis parvisque lignis accensus. Pro quantitate evacuatorum humorum corruptorum semper victus ratio relata est. Tres hic quantitates sunt: Prast'ha unus, dimidium Ad'haka, unum Ad'haka. Ibi Prast'hae quantitas minima est; duae reliquae quantitates (portiones) sunt: mediocris et maxima. Prast'ha uno evacuato, dandum est ptisanarium ex oryza perexigua confectum; dimidio Ad'haka evacuato, duae quantitates dandae sunt; uno Ad'haka evacuato, tres etiam quantitates dandae sunt.

Tum alicam oryzae, ex conveniente cibo quartam, post alvi dejectionem medicus det ad aptum praeceptum, scilicet irrigatam oryzam coctam, non jurulentam, oleo non conditam, insulsam, cum valde claro Phaseoli mungonis jusculo commixtam. Deinde ad portionum duarum quantitatem medicus det oryzam coctam, oleo bene conditam. Tum butyro conditam et cum ovo grato, sensuum organa exhilarante, paratam oryzam ad tres portiones aegroto concedat medicus comedendam. Deinde convenienter mitem coctam oryzam ei comedendam det sapiens ex salinis beneque paratis jusculis Antilopae albae ceterorumque animalium.

In deficiente, mediocri et summa alvi purgatione praeceptum commemoratum est: simplex, duplex aut triplex omnino cibi gradus saluber est.

Phlegmate bileque nimis impletos, semper inebriatos et parce purgatos

medicus aquâ conspergat; his tum exhilaratio etc. salubris est, dolorum acceptionem cohibendi et moerorem minuendi causâ.

Homines jejuniosos et expurgatos medicus curet. —

Ad'hakae autem, dimidii Ad'hakae et Prast'hae numerus (in cibis) idem est, ut in alvi dejectione. Una alvi dejectio phlegmatici hominis, nec vero secunda ulla, locum habet.

Quia corporis vis triplex est dicta, ideo etiam gradus (ciborum) triplex est.

Homo robustus autem semel ibi unum cibi gradum adhibeat; duos gradus adhibeat mediocriter robustus; sed infirmus tres adhibeat quantitates.

Quidam gradum cibi ex torpida, mediocri et optima digestione praescribunt.

Digestione auctâ, timens, ne corrupti humores irritentur, adhibeat ex affinitate antea cibum dulcem amarumque; tum mitem, acidum salsumque; deinde pungentem; iterum dulcem, acidum salsumque; postea dulcem amarumque; denique opposita, scilicet mitia et aspera etiam juscula, ut sanus.

Qui homo solum oleum potavit, aut tantummodo vomuit, is septem per noctes (et dies) comedat levem cibum.

Qui phlebotomatus et qui expurgatus est, is unum per mensem ne abstineat cibo, ut robustus fiat.

Post singulos clysteres per triduum cibo abstineat. Post tertiam vero abstinentiam convenienter cibum aggrediatur.

Vasis ex cruda terra confectis, oleo impletis, similes sunt aegroti ulcerosi, inuncti, purgati ophthalmiaque vexati, febricitantes et dysenterici.

Irati irritata bilis efficere potest haec illaque morbosa phaenomena.

Adnitentis aut dolentis mens in perturbationem incidit.

Ob coitus exercitationem terribiles morbos nanciscitur stultus: flatulescentiam, laterum artuumque dolorem, in regione pubis tumorem, catarrhum anhelitumque horridum. Semini virili similis menstruus sanguis profluit.

Ex diurno somno nanciscitur hos illosque morbos, phlegmatis indole praeditos: lienis intumescentiam, catarrhum, icterum, tumorem, febrem, animi deliquium, tabem artuum, indigestionem et inappetentiam.

Obscuritate (tamas) autem victus homo etiam somno gaudet.

Alta vociferatione aër morbum capitis efficere potest, agoniam, apathiam, olfactus inopiam, surditatem, infantiam, maxillae luxationem, commotionem, hemiplegiam perhorridam, oculorum immobilitatem aut nictationem, sitim, catarrhum, insomniam; homo nanciscitur mobilitatem dentium et haec illaque alia morbosa phaenomena. Ex propria autem indole nanciscitur vomitionem, animi deliquium, vertiginem, lassitudinem, artuum dolorem terribilem et sensiendi organorum perturbationem.

A longinqua sessione et balnei usu in lumbo oritur dolor.

Post nimiam ambulationem aër in cruribus adfert morbos, tabem inferiorum extremitatum, aut intumescentiam, aut etiam podagram.

Frigoris, voluptatum et aquae usus incrementum aëris efficit; exinde artuum fricatio, rigiditas, colica, inflatio et tremor oriuntur.

Vento et solis ardore in decolorationem et etiam in febrem homo incidere potest.

Cohibito aut nimio esu mortem aut terribilem morbum homo nanciscitur. Inconveniens cibus robur et colorem haud dubie delere potest. Qui homines intemperantes vorant bestiarum more, ii indigestionem, radicem exercitus (copiae) morborum, adipiscuntur.

Difficultatum causam intuitus medicus, illarum peritus, operam consumat in aegroti morbo per remediantem conditionem.

Iis, qui alvum purgati sunt et vomuerunt, Antilopa alba et nigra salsa, lepus, pavo, perdix, Oryza praecox, vetus Oryza sativa, Phaseolus mungo et omnia adhibenda sunt, quae levia aestimata sunt."

Caput XL.

Nunc vero de fumo ducendo, nasali remedio et ecligmatis usu therapiam exposituri sumus.

Fumus quintuplex est, hoc modo: compositus, oleosus, purgatorius, catarrhum delens et vomitorius.

Illis medicamentis ab Elettaria cardamomo incipientibus (exceptis Costo arabico et Tabernoemontana coronaria) subtiliter contritis, cannam Sacchari sarae, duodecim pollices transversos longam, et in octo pollicum transversorum longitudinem linteo panno circumdatam, obducat. Haec turunda pro composito fumo. Oleis, fructuum succis, cera, resina Shoreae robustae, bdellio etc., cum oleo commixtis, illam cannam obducat pro oleoso fumo; substantiis caput purgantibus pro purgatorio fumo; Solano jacquini, Solano melongena, specie Piperis longi, Piperis nigri zingiberique aridi, Cassia esculenta, Asa foetida, Terminaliae catappae cortice, arsenico rubro, Menispermo glabro, Momordica myxa, Śringí etc., et substantiis catarrhum tollentibus pro fumo catarrhum delente; tendinibus, cutibus, ungulis, cornibus, cammari ossibus, aridis piscibus, carne suilla, vermibus et ceteris vomitoriis substantiis pro vomiterio fumo.

Porro substantiis pro clysteris tubulo etiam substantiae pro fumi tubulo conficiendo indicatae sunt.

Fumi tubulus digitum minimum crassus sit in cacumine, ciceris men-

suram impleat ibi canalis; in radice autem pollicem amplus sit canalis pro ingerenda fumi turunda. Tubulus quadraginta octo pollices transversos longus sit pro composito fumo; triginta duos pro oleoso; viginti quatuor pro purgatorio; sedecim pro fumo catarrhum delente et vomitorio. Duo posteriores tubuli etiam in porcinorum ossium amplitudinem excavati sunt.

Vulnerum tubulus octo pollices transversos longus est, vulnera fumigandi causâ; is ciceris circumferentiam habet, et canalis orificum in Dolichi biflori magnitudinem.

Tum suaviter sedens, hilaris, erectus, deorsum oculos vertens et indefessus homo turundam, oleo inunctam et in cacumine accensam canali tubuli immittat et fumum bibat.

„Ore fumum bibat primo; deinde naribus eum bibat. Ore bibitum fumum, et naso bibitum etiam, ore evomat. Ore fumum haustum ne ex naribus efflet. Hac enim perversitate oculi ibi laeduntur.“

Praecipue vero compositum fumum naso hauriat; oleosum ore nasoque; naso purgatorium; ore duos reliquos fumos. Porro pro composito fumo turundam, cannâ Sacchari sarae liberatam, et in solis candore, ventorum experte, exsiccatam, prunis medicus accendat, in orificium tubuli inferius ingerat et dicat: „fumum duc!“

Pari modo oleosum et purgativum fumum efficiat.

Pro reliquis duobus fumis turundam in depositam pateram, prunis fumi expertibus impletam et firmam injiciat, aliam pateram, orificio instructam in fundo, superinsternat, huic orificio radicem tubuli inserat et fumum ducat. Sedato fumo, turundam reliquam rursus injiciat et fumum bibat usque ad corruptorum humorum puritatem.

Hoc est praeceptum de remedio bibendi fumi.

Porro homines moerore, lassitudine, timore, iracundia, calore, veneno, haemorrhagia biliosa, insania, animi deliquio, aestu, siti, ictero, palati siccitate, vomitione, capitis dolore, vomitu, jejunio, gutta serena, morbo urinali, intumescentia abdominis, inflatione et vaporibus sursum congestis vexati, infantes, senes, infirmi, alvum purgati, restaurati, insomnes, gravidae, asperi, emaciati et vulnerati (ulcerosi), illi, qui mel, butyrum liquefactum, lac coagulatum, lac, garum et aquam oryzae fermentatam potaverunt atque exiguo phlegmate praediti sunt, ne fumum adhibeant.

„Intempestive potatus fumus efficit vertiginem, animi deliquium, capitis dolores et horribilem nasi, aurium, oculorum et linguae morbum.“

Primi tres fumi duodecim temporibus adhibendi sunt, hoc modo: in finibus sternutationis, ablutionis dentium, emunctionis, lavationis, coenae, diurni somni, coitus, vomitus, minctionis, alvi dejectionis, irae et operationis per scalpellum. Ibi in fine minctionis, dejectionis alvi, sternutationis, irae et coitus fumus oleosus adhibendus est; in fine lavationis, vomitus et diurni

somni purgatorius fumus; in fine ablutionis dentium, emunctionis, lavationis, coenae et operationis per scalpellum compositus fumus. Ibi oleosus fumus aërem sedat ob oleum suum et inungendi vim; purgatorius fumus phlegma vexat vexatumque tollit ob similitudinem suam cum duobus prioribus fumis.

Est hic ślokas:

Homo ex fumi usu serenis sensuum organis, sermonibus et mente praeditus, solidis capillis, dentibus, barba et suaveolente alboque vultu exornatus est."

Catarrhus, anhelitus, cibi fastidium, obductio pituitae in ore, vocis interruptio, oris effluvium, vomitus, lassitudo, somnolentia, maxilla et tendinum cervicis rigor, nasi frigus, capitis morbi, aurium et oculorum dolores, et ab aëre phlegmateque orti morbi faciei orisque non exsistunt (post fumi usum).

Fumi justa efficacia et nimia efficacia dignoscenda est. Justa efficacia morbos sedat; inefficacia siccitatem palati gutturisque, aestum, sitim, animi deliquium, vertiginem, insaniam, aurium, oculorum nariumque morbos et infirmitatem efficit.

Compositi fumi ternos haustus sumat ore nasoque; sic tres quatuorve series. Oleosum fumum hauriat usque ad lacrymarum profusionem; purgatorium usque ad humorum corruptorum apparentiam. Ex Sesami orientalis, Amaranthi polygami et aquae oryzae fermentatae potione potandus est vomitorius fumus; ex oryzae jure etc. catarrhum delens fumus.

Vulnerarium fumum ex tubulo, in paterae operculum inserto, vulneri medicus inducat. Ex hac suffitione sedatio dolorum, vulnerum puritas et sanguinationis sedatio oriuntur. —

„Hoc praeceptum de fumo breviter a me datum est; nunc praeceptum de nasali remedio totum traditurus sum."

Herba medicabilis, aut ex herba medicabili confectum oleum naribus datur. Hoc nasale remedium duplex est: capitis purgatorium et inunctorium. Hoc duplex etiam quintuplex est, hoc modo: nasale, capitis purgatorium, sternutatorium, compressivum et inflatum. In his nasale remedium et capitis purgatorium praecipua sunt. Nasalis remedii vim habet sternutatorium; capitis purgatorii vim habet compressivum et inflatum remedium. Nasale igitur sic dictum remedium quintupliciter adhibitum est.

Porro quod oleum cavorum capitis inungendorum, cervicis, humerorum et pectoris roborandorum aut oculorum inserviendorum causâ adhibetur, id praecipue nasale dictum est.

Hoc autem nasale remedium in capite aëribus oppresso, in dentium, capillorum barbaeque defluvio, in terribili aurium dolore, in aurium tinnitu,

in gutta serena, in vocis interruptione, in nasi morbis, in oris siccitate et salivae multitudine, in phlegmate per tempus orto, in canitiei adventu, in terribili insomnia, in aëreis biliosisque oris morbis et aliis adhibendum est, scilicet oleum ex substantiis aërem bilemque tollentibus confectum.

Capitis purgatorium in palato phlegmatis pleno, in gutturis capitisque morbis, in fame, in capitis gravitate doloreque, in gravedine, in semifissura (palato fisso), in helminthiasi, in catarrho, in epilepsia, in odoris torpore et in aliis supra claviculam sitis et a phlegmate ortis morbis adhibendum est, ex substantiis caput purgantibus, aut ex harum oleis paratum. Hoc duplex remedinm dandum est jejuno, caenae tempore; antemeridiano tempore hominibus ex phlegmate laborantibus; meridiano tempore ex bile laborantibus; postmeridiano tempore ex aëre laborantibus.

Homini, cujus caput purgatum, os et nasalis canalis deutiscalpio et fumi haustu purificata, regio colli, genae et frontis sudabunda et fricata est, quique in domo, aëri, solis ardori pulverique non expositâ, supinus jacet, manus pedesque protendit, caput paululum demittit, oculos panuo obtectos et nasum extremum extremo digito indice sinistrae manus sublatum habet, medicus in purgatum nasalem canalem dextra manu oleum calore suaviter calefactum, in vase argenteo, aureo, cupreo aut terreo, aut in concha depositum, per concham aut erioxylon lente et sine intermissione guttatim infundat ita, ut oculos non adipiscitur.

„Oleo stillante, homo caput ne commoveat; ne irascatur; ne loquatur; ne sternutet; ne rideat. His enim actionibus repulsum oleum non omnino ingreditur. Exinde tussis, catarrhus, capitis oculorumque morbi oriuntur.“

Quod attinet ad olei quantitatem, octo guttae, ex digiti indicis duobus articulis delapsae, prima quantitas est; secunda coucham, tertia concham manus (volam) implet. Hae tres quantitates (doses) pro viribus adhibendae sunt. Nasale oleum ne deglutiat ullo modo.

„Quadrivio (fauce) humectato, ut egrediatur ex ore nasale oleum, homo id, prae timore phlegmatis vexantis, exspuat non retinens.“

Dato oleoso nasali remedio, rursus medicus, cum sudabundum effecerit collum, genas, etc., fumum adhibeat et comedendum det homini jusculum; exinde eum doceat sacram institutionem. Tum pulverem, fumum, oleum, solis ardorem, vinum, motionem, potionem, capitis lavationem, nimiam vectionem, iracundiam etc. evitet.

Nasalis remedii oleosi rectae nimiaeque efficaciae et inefficaciae dijudicatio haec est:

„Levitas capitis in recta efficacia, dulcis somnus et expergefactio, morborum sedatio, puritas sensuum et oblectatio animi locum habent.

Phlegmatis irrigatio, capitis gravitas et sensuum perturbatio signum est in capite nimis perfuso oleis. Asperum ibi hominem medicus efficiat.

In inefficacia qualitas sensuum mala, asperitas et morborum implacabilitas locum habent. Ibi denuo desideratum nasale remedium medicus adhibeat.

Quatuor guttas, aut sex, aut etiam octo pro viribus, quantitatem (dosin) olei, caput purgantis, designet.

In nasali oleo tria indicia circa adhibitionem specialiter ostenta sunt a doctis medicis, sacrae doctrinae peritis: juste purgatum, minus purgatum et nimis purgatum (indicium).

Pruritus, superlitio (pituitae), gravitas organorum sensualium et phlegmatis confluvium sunt indicia capitis minus purgati relata.

Cerebri accessio (paroxysmus), aëris augmentum, sensuum perturbatio et inanitas capitis locum habent in capite nimis purgato.

Capiti minus aut nimis purgato medicamenta medicus, phlegma et aërem delentia, adhibeat.

Omnino juste purgato capite, butyrum nasale liquefactum inspergat.

Post unum, duos aut septem dies, aut iterum post viginti unum dies, aut quoties medicus bene esse credit, homini aëris valde pleno, bis etiam dandum est nasale remedium a medico dignoscente."

Compressivum vero (nasale remedium), ut capitis purgatorium, hominibus, a destillatione et viperino morsu laborantibus, medicus det. Cum enim quampiam substantiam caput purgantem compresserit et contriverit, tum mentis alienatione, helminthiasi et veneno vexatis pulverem medicus inflet. Saccharum officinarum, aut saccharum crudum, aut lac, aut butyrum liquefactum, aut carnis jus, emaciatis hominibus in haemorrhagia biliosa praebeat.

„Macro, infirmo, timido teneroque homini et feminis cocta olea, homini in capite purgato sedimenta oleosa, sicut illis, salubria sunt."

A nasali remedio arcendus est homo saturatus, jejunus, valde juvenilis, catarrho affectus, gravida uxor, qui oleum, aquam aut vinum potavit, quique cibum non digessit, clysterizatus, iratus, morbis afflictus, sitibundus, moerore laceratus, defatigatus, infans, senex, excretionum egenus et caput lavandi cupidus. Nube tempori anni inconsentaneâ, nasale remedium et fumum evitet.

Ex minori aut nimia quantitate, ex nimis frigida, fervida ac subita applicatione, ex nimis pendulo capite, porro si homo naribus attrahit, vacillat aut deglutit, et a contraindicata applicatione oriuntur difficultates, e. g. sitis, vomitus etc., corruptorum humorum signis praeditae et a destructione oriundae.

Sunt hic ślokae:

„In nasali remedio et capitis purgatorio difficultates duplices relatae sunt, quae ex humorum vexatione et destructione ordinatim intelligendae sunt. Humorum vexatorum signa medicus devincat sedativis et purgatoriis; destructionis signa autem devincere potest peculiariter nutriens medicamentum salubre." —

Sternutatorium quatuordecim temporibus sumendum est, scilicet homini e lectulo surgenti, dentes vacillantes habenti, domo egredienti, laboribus, coitu et itineribus defatigato, in urinae, faecum, elutionis oris et collyrii adhibiti fine, jejuno, vomitione perfuncto, e diurno somno surgenti et vespere.

Sternutatorium homini e lectulo surgenti adhibitum, discutit pituitam noctu congestam ingressamque in nasi canales, et animum tranquillat: homini vacillantes dentes habenti adhibitum, dentium soliditatem et oris suaveolentiam adfert: homini domo egredienti adhibitum, nasalem canalem irrigat ita, ut pulvis aut fumus non vexet: homini labore et coitu defatigato adhibitum, defatigationem discutit: in urinae et faecum fine adhibitum, oculorum gravitatem removet: in oris elutionis et collyrii fine adhibitum, oculis favet: homini jejuno adhibitum, organorum sensualium purgationem et levitatem adfert: homini vomitione perfuncto adhibitum, pituitam organis sensuum adhaerentem extrahendo, ciborum appetitum dat: homini e diurno somno surgenti adhibitum, somni residuum, gravitatem et excretionem amovendo, mentis aciem generat: vespere adhibitum, a suavi somno expergefactionem efficit.

„Paululum naribus attrahentis oleum quatenus in os penetrat, naso inspersum hoc oleum medicus noscat sternutatorium ex praescripto. Nasale remedium morbos hominum supra claviculam ortos refrenat et organa sensuum pura atque os suaveolens efficere potest. Maxillae, dentium, capitis, cervicis, trianguli scapulae, brachiorum et pectoris robur oritur: phlegma autem, canities, alopecia et maculae atrae in facie non oriuntur. Oleum Sesami orientalis ad phlegma et aërem sit universum remedium; ad aërem medicus etiam det adipem; butyrum liquefactum semper ad bilem; medullam etiam adversus aërem. Quadruplicis olei praeceptum etiam indicatum est. Propter obstructionem circa phlegmatis sedem in illis symptomatibus, oleum Sesami orientalis datur. —

Deinde praeceptum dabo de ecligmatis usu.

Quadruplex ecligma est: oleosum, mitigatorium, purgatorium et roborans.

Ex suaviter calidis substantiis oleosum ecligma conficitur adversus aërem; ex suaviter frigidis conficitur mitigativum adversus bilem; ex pungentibus, acidis, salinis, asperis et calidis conficitur purgatorium adversus phlegma; ex adstringentibus, amaris, dulcibus, pungentibus et calidis conficitur roborans adversus vulnus (ulcus).

Quadruplicis ecligmatis discrimen hoc factum est.“

Ibi sedimentum speciei ex Pipere longo, Pipere nigro aridoque zingiberi, Hibisci populneoidis, Sinapis dichotomae et Terminaliae chebulae cum oleo Sesami orientalis, aut jure carnis, aut lixivio, aut melle agitatum (commixtum), salitum et calefactum homo, cujus guttur, gena et frontis regio vaporata fricataque sunt, ore retineat.

„Quae vero materies facile coit, ea in ecligmate indicata est; quae autem non coit, ea gargarisma dicta est.“

Tamdiu ore retinendum est (ecligma aut gargarisma), donec buccae humoribus impletae sunt et narium fluxus oculorumque circumfusio adsunt; tum vero ejiciendum et aliud sumendum est.

„Sic ex oleo, lacte, melle, succo, urina, acidis, infusionibus et calidis aquis confecta ecligmata homini corruptis humoribus affecto salubria sunt. Morbi liberatio, gaudium, puritas, oris levatio et sentiendi organorum claritas sunt signa recti ecligmatis. Ecligmate autem defectivo, frigiditas, phlegma, tormen et minuta perceptio locum habent. Ex nimis efficaci ecligmate in ore coctio, siccitas, sitis, cibi fastidium et defatigatio oriuntur. Ex purgatorio ecligmatis genere hoc ita se habet sine dubio.

Sesamum orientale, Nymphaea caerulea, Sinapis dichotoma, Saccharum officinarum et lac cum melle fiant gargarisma ferventis oris, aestum delens.

Ecligmatis praeceptum hoc breviter traditum est.

Medicamentum hoc remediale discernens medicus sapienter conficiat. Sedimentum, mixtura, mel et pulvis, — quadruplex hoc medicamentum est. Digito extremo id proprie adhibetur aegrotis ab ore laborantibus.

In aegroto rectam efficaciam et inefficaciam ecligmatis medicus distinguat. Eos quoque morbos domet, quos ecligma removere potest. Corruptos humores delentem non fluidum cibum etiam homini praebeat.“

Sic in almo Suśruta, Ayurvédae doctrinam continente, quartus liber, Therapia (Chikitsitast'hána), peractus est. —

KALPAST'HÁNA.

ID EST

ANTIDOTORUM DOCTRINA.

Caput I.

Nunc vero ciborum potionumque praeservationem expondituri sumus.

„D'hanvantaris, Káśi Dominus, devotionem justitiamque servantium excellentissimus, Suśrutam et ceteros discipulos edocuit, multarum doctrinarum gnarus:

Hostes cum fortitudine invadentes et infense digressi, relicturi iracundiae venenum et talem speluneam nacti, regem adeo peritum venenis interficere possunt; aut malevolae feminae pulchrae cupidaeque varia remedia corrumpere possunt; aut vir post coitum cum venefica puella momento amittere potest quinque spiritus vitales. Propterea medico semper a veneno rex custodiendus est.

Quia hominum mens, equorum in modum, inconstantia praedita est, ideirco rex nunquam vitam efflare debet.

Medicum generosum, officiosum, gratum, pertolerantem, semper surgentem, incupidum, indepravatum, devotum, beneficii memorem, grato vultu ornatum, iracundiae, sermonis contumeliosi, invidiae, ebrietatis et ignaviae expertem, victis sensibus praeditum, intelligentem, indefatigatum, deditum, salubria desiderantem, habilem, audacem, peritum, dextrum, fraudi haud obnoxium, antehac dictis qualitatibus praeditum, semper proximis medicaminibus instructum in culina adhibeat (rex), arte coquinaria excultum.

Culina in probata caeli plaga et regione exstructa, puris vasis ornata, magna, pura, fenestris praedita, spiraculis dives, suae classi inserviens, umbraculo obtecta, inaugurata et exploratis uxoribus virisque instructa sit. Ibi inspectorem adhibeat omnino medici qualitatibus praeditum. Huic in potestatem tradendi sunt varii servi puri, apti, dextri, modesti, gratis vultibus ornati, dispositi, benevoli, brevibus capillis et unguibus praediti, firmi, lavati, valde sedati, vittis induti et bene cincti. Ciborum stationes etiam ibi sunt, ubi homines. Itaque in culina medicus incuriae expers sit.

Culinarii gestatores sint Saupaudaniei et Paupici, aut etiam alii, quicunque se ad medici voluntatem conforment.

Gestuum gnarus sapiens medicus ex hominum vocis, motionis et faciei mutationibus cognoscere potest veneni datorem, et ex sequentibus signis: veneficus interrogatus non dat responsum; sin vero loqui vult, in mentis errorem rapitur. Inepta valdeque confusa dicit, stultorum more; agitat digitos, subito radit terram et in eam se abscondere vult. Tremor in illo oritur et perterritus alios intuetur. Infirmus vultuque decolore praeditus est; unguibus paululum vellicat; capillos consternatos saepius manu tangit; exeundi cupidus ex januis iterum atque iterum circumspexit. Veneni dator vivit perversus et excors. Quidam homines vero, prae timore a rege aut ejus imperio incitati, quamvis probi, tamen improborum motiones faciunt. Idcirco servorum experimentum regibus faciendum est ab initio.

In cibo, potu, dentiscalpio, unguento, in scarificatione, suffitione, adspersione et illitu, in sertis, vestibus, lectulis, loricis, ornamentis, calceamentis et scabellis, in dorsis elephantorum et equorum, atque in aliis veneficio inservientibus rebus, in nasalibus remediis, in fumis ducendis. collyriis etc., veneni signa indicabo, et therapiam proxime sequentem.

Quae muscae, cornices etc. ex regis cibo frustulum depositum venenatum devorant, eae ibi pereunt. Cibo ignibus devorato, valde dividitur venenum; pavonis jugulo similis difficilisque ad perferendum oritur fissa flamma, et acer fumus non diu quiescit. Perdicis rufae oculorum vacuitas a desiderio celeriter oritur: cibus enim corruptus et veneno mistus est: moriuntur animantes. Quivis animans debilis mutationem vocis, ardea vero ebrietatem adipiscitur. Laetari potest pavo perterritus; clamant psittacus et turdus; hystrix lacrymas profundit; alvum exonerat simia. Ideo semper regi proxime admoveat medicus quadrupedes ejus atque aves, domestica ornamenta et praeservativa; depositi enim cibi venenati vapore sursum versa congestio, cordis dolor, distortio oculorum et cephalalgia oriuntur. Ibi nasale remedium, collyrium, Costus arabicus, Asa foetida, Andropogon muricatus et mel indicata sunt; ex Mimosa sirisha, Indigofera tinctoria et Sirio myrtifolio unguentum medicus conficiat. In corde per unguentum Sirii myrtifolii vovoluptatem adipisci potest; hoc unguentum manuum prosperitatem, manuum aestum et unguium aciem efficit. Porro inunctio, Convolvulus turpethum floribus nigris, coccinella, Asclepias acida et Nymphaea caerulea indicata sunt, si is per negligentiam aut stultitiam illum cibum (venenatum) sumit. Ut circa tumorem globosum, sic lingua tum ex saporis inopia laborat, vexatur et aestuat; pituitaque per os defluit. Porro ex vapore venenato emissa et a dentium scarificatione orta reactio lipothymiam, vomitionem, diarrhoeam, inflationem, aestum, tremorem, organorum sensualium alienationem efficere potest, cruditatis sedem ingressa. Ibi celeriter Vangueriâ spinosa, Cucurbita lagenari, Momordica monadelpha, Trichosanthe dioeca tribusque myrobalanis et lacte coagulato ebutyratoque, aut oryzae aquâ vomitum medicus

concitet. Porro aestum, lipothymiam, dysenteriam, organorum sensualium alienationem in hominibus, intumescentiam, icterum et vexationem efficere potest, coctionis sedem ingressa. Ibi alvi purgatio indicata est; butyro conditus sic dictus fructus Indigoferae anil ex lacte coagulato, aut gramia, venenorum hostis, cum melle commixta, bibenda sunt.

In omnibus (venenatis) fluidis substantiis, in lacte, vino, aqua etc., fiunt variae lineae; spuma bullaeque exoriuntur; repercussae immagines ibi non conspiciuntur, aut si conspiciuntur rursus, fiunt duplices, cavae aut tenues et mutatae.

Irrigata olera, juscula, cibi et carnes insipida et male olentia statim fiunt (veneno)quasi adusta. Odore, calore et sapore privati sunt omnes cibi; ac fructus cocti celeriter destruuntur, et crudi ad coctionem cito perveniunt.

Destruitur nasus superior, veneno per dentiscalpium ingresso; linguae, dentium, labiorum et carnis intumescentia oritur. Tum floribus Grisleae tomentosae et ossiculis fructuum Terminaliae chebulae atque Eugeniae jambu, cum melle commixtis, inciso tumore, efficienda est hominis remediatio. Aut etiam Alangii hexapetali radices, aut cortices Saptachch'hae, aut Mimosa sirisha Phaseolusque radiatus, cum melle, remedium est.

Linguae scarificationem et ecligma, dentiscalpii more, medicus demonstret.

Fluidum et copiosum unguentum, aut decolor, venenatum est. Tubera, destructio, destillatio, cutis coctio, sudatio, febris et dilaceratio carnis, unguento venenis misto, oriuntur. Ibi homini, calidis aquis adsperso, adhibenda est inunctio. Sirium myrtifolium autem, Tabernoemontana coronaria, Costus arabicus, Andropogon muricatus, Asa foetida, Menispermum glabrum, Andropogon aciculatus, Nelumbium speciosum, Curcuma zanthorhiza et Laurus cassia, cum Crataevae valangae succo et urina, fiant potio et sic adhibeantur.

De suffitione, adspersione, infusione et illitu, de lectulis, vestibus et loricis (venenatis) judicandum est ex unguenti (venenati) indiciis.

Horripilatio, capitis dolor, ex sensuum organis eruptio sanguinis et nodorum ortus in superioribus membris locum habent, illitu venenis misto. Ibi saepius illitus, terra caerulea commixta cum bile Antilopae pedibus albis, butyro clarificato, Convolvulo turpetho floribus nigris, Convolvulo turpetho albo et Amarantho polygamo, vaccinum stercus et sedimentum oleosum, aut Jasmini grandiflori succus, aut succus Salviniae cucullatae, aut fumus domesticus (fuligo), capitis inunctio et capitis praeservativa ablutio calida, salubria sunt.

Serta venenata medicus absolvat, ut unguenta venenata.

Os, venenato unguento illitum, lividum et inunctionis venenatae signis praeditum fit, ac spinis impletur, Nelumbii speciosi spinis similibus. Ibi

potio melle butyroque liquefacto mista, inunctio, Sirium myrtifolium, butyrum liquefactum, Asclepias rosea, Glycyrrhiza glabra, Hedysarum alhagi, Pentapetes phoenicea et Boërhavia diffusa alata indicata sunt.

Insania ab elephantis etc. equitatis, salivatio, oculorum rubor et in natibus, ano, pene scrotoque simul tubera oriuntur. Ibi, ut in inunctione venenata, etiam optata est ambulationis et vectionis confectio.

Sanguinis eruptio ex sensiendi organis, capitis dolor, phlegmatis confluentia et sentiendi organorum alienatio signa sunt, veneno nasale remedium et fumum ducendum ingresso. Ibi butyrum ex vaccae etc. lactibus confectum, cum Ativisha coctum, saccharo albo conditum et cum Jasmino arabico commixtum, salubre est in potione et nasali remedio.

Odoris inopia, decoloratio, mensium languor foetorque et capitis dolor oriri possunt, oculo aquâ (venenata) impleto.

Porro vapore (venenato) emissa reactio eadem est, quae in oris inunctione (venenata) relata est.

Aurium oleum ingresso veneno, meatus auditorii corruptio, tumor, dolor profluviumque oriuntur. Ibi celeriter aures implendae sunt. Sedimentum oleosum Asparagi racemosi cum butyro clarificato melleque commixtum et succus corticum Asclepiadis acidae bene refrigeratus optantur salubria.

Lacrymarum superfusio, aestus, dolores et oculorum distortio oriri possunt, aut etiam caecitas, collyrio venenato. Ibi statim butyrum liquefactum bibendum est, atque exhilaratio Mágad'hanica, collyrium, Asclepiadis geminatae et Capparis trifoliatae decoctio, Bignoniae indicae, Terminaliae alatae tomentosae spuma cum felle taurino commixta, Cratoevae valangae et Asclepiadis geminatae, aut Semicarpi anacardii flores indicata sunt; singulos etiam flores Ixorae band'hucae et Alangii hexapetali adhibeat.

Intumescentia, effluvium, torpor et tubera pedum sine dubio exoriuntur, calceamentis venenatis.

Crepidas et scabella venenata, ut calceamenta venenata, medicus absolvat.

Ornamenta venenata, splendore sunt privata et non enitent, ut antea; suas in corpore sedes laedere possunt aestu, coctione et dilaceratione.

Calceamentorum ornamento venenato, aptum inungendi praeceptum medicus observet.

Veneni morbi, a vapore venenato incipientes et cum ornamento venenato finientes, expositi sunt.

Phaenomena intuitus medicus homini adhibeat curationem.

Valde odorum medicamentum medicus indicabo.

Potionibus, inunctionibus, nasalibus remediis et collyriis venenatis, purgatoria medicus det atque adhibeat acria emetica. Vasa secet celeriter; si derivatio peracta est, et pili murini aut caprini illigati sunt manui, tum regis omnem cibum venenatum veneni expertem faciat. Cordi praeservationem

semper efficiat, in amicorum circulum veniendo. Butyrum liquefactum caprinum, ambrosiam dictam, sapiens bibat; aut butyrum liquefactum (vaccinum), lac coagulatum, lac, mel, aut aquam frigidam bibat. Pavones, Viverras ichneumones, Alligatores, hystrices et anseres semper comedat et eorum juscula etiam bibat. In carnibus Alligatorum, Viverrarum ichneumonum et anseris sapiens medicus det bene contritum Convolvulum turpethum album, Glycyrrhizam glabram et Saccharum officinarum. Saccharum officinarum et Ativísha sunt cum pavone, Allio sativo et hystrice danda; porro sunt danda Piper longum et Allium sativum; melle butyroque conditum leguminum jusculum semper salubre est. Cibos venenum delentes comedat sapiens cum Pipere longo, Glycyrrhiza glabra, melle, Saccharo officinarum, Saccharo crudo et aqua; aut evomat cordatus comesum venenum."

Caput II.

Nunc vero de stabilibus (vegetabilibus) venenis dijudicandis caput exposituri sumus.

„Duplex venenum dicitur: stabile (vegetabile et metallicum) et mobile (animale). Primum decem classes, alterum sedecim domicilia habet.

Radix, folium, fructus, flos, cortex, lac (vegetabile), succus, extractum, metallum et bulbus decimus commemorata sunt."

Klítaka, Nerium odorum, Abrus precatorius, Alpinia galanga, Gargara, kakara, Phrynium dichotomum, Vidyutśik'ha et Vijaya — sunt octo radicum venena.

Vishapatri, Kalamba, Avaradaruka, Karamb'ha et Mahákaramb'ha — sunt quinque foliorum venena.

Menyanthes cristata, Vénuká, Karamb'ha, Mahákaramb'ha, Aegle marmelos, Rénuka, K'hadyotaka, Jarmari, B'hagand'há, Sarpog'háti, Nandana et Sarapaka — sunt duodecim fructuum venena.

Calamus rotang, Nauclea cadamba, Piper nigrum, Karamb'ha et Mahákaramb'ha — sunt quinque florum venena.

Antrapáchaka, Karttaríya, Barleria cristata, Karag'haťa, Karamb'ha, Nandana et Varáťaka — sunt septem venena corticum, succorum et extractorum.

Kumudag'hní, Euphorbia antiquorum et Jálakshíryya — sunt tria lactis (vegetabilis) venena.

Phéňáśmae cinis et arsenicum flavum — sunt duo metallica venena.

Kálakúṭa, Vatsanáb'ha, Sarshapaka, Pálaka, Karddamaka, Vairáṭaka, Mustaka, Srĭngívisha, Nymphaea alba, Múlaka, Háláhala, Mahávisha et Karkaṭaka — sunt tredecim bulborum venena.

Itaque quinquaginta quinque stabilia venena exsistunt.

„Quatuor Vatsanáb'has et duo Mustaka dicta sunt. Sex Sarshab'has vocant, reliqua singula sunt.

A radicum venenis oriuntur tremor, delirium et insania.

Oscitatio, membrorum tremor et suspirium ex foliorum veneno cognoscenda sunt.

Scroti intumescentia, aestus et cibi fastidium a fructuum venenis oriri possunt.

A florum venenis vomitus, inflatio et insania oriuntur.

A corticum, succorum et extractorum venenis sumtis oriuntur foetor oris, asperitudo, capitis dolor et phlegmatis confluentia.

Spumae adventus, excretionum interruptio et linguae intumescentia oriuntur a lactis (vegetabilis) veneno.

Dolor cordis, animi deliquium et aestus in palato oriuntur a metallicis venenis.

Saepe haec venena tempus occidentia medicus demonstret.

Venena vero a bulbis orta acria haec fusius edisseram.

Tactus torpor, tremor et insensibilitas a Kálakúṭa oriuntur.

Cervicis rigiditas et flavum stercus, flava urina et flavus oculus oriuntur a Vatsanáb'ha.

A Sarshapa corruptio aëris, urinae suppressio et nodi.

Cervicis infirmitas et vocis confluentia a Pálaka, die quinto decimo lunari, oriuntur.

Irrigatio autem, excretionum interruptio et oculorum flavus color a Kardama oriuntuur.

A Vairáṭaka membrorum dolor et capitis morbi.

Membrorum rigor et tremor a Mustaka oriuntur.

A Śrĭngívisha lassitudo membrorum, aestus et abdominis intumescentia.

A Nymphaea alba rubor oculorum et tumor in abdomine.

Decoloratio, vomitus, singultus, intumescentia et perturbatio a Múlaka.

Diu homo suspirat et lividus fit ex Háláhala.

A Mahávisha (magno veneno) in corde nodi oriuntur et dolores.

A Karkaṭa homo exsilit sursum et ridens mordet dentes.

A bulbis orta, horrifice vehementia, exhibita sunt tredecim venena, quae omnia peritis cognoscenda sunt ex decem qualitatibus:

Veneni qualitas aspera, calida, acris, subtilis, celeris. stimulans, expansibilis, pellucida, levis et indigestibilis commemorata est.

Venenum asperitudine irritare potest aërem; calore bilem simul et san-

guinem; acritudine animum perturbare potest et ligamenta articulorum findit; subtilitate membra corporis penetrat destruitque; celeritate celeriter interficit; stimulatione generationi inservire potest; expansibilitate purgare potest corruptos humores, corporis elementa et secretiones; pelluciditate valde potest se extendere; levitate ad curandum difficile est; indigestibilitate difficile ad digerendum est et propter hanc causam diu vexare potest.

Stabile, mobile et etiam facticium venenum statim interficere potest. Venenum vero dignoscendum est decem qualitatibus praeditum.

Stabile, mobile aut facticium venenum, quod ex corpore non totum egressum est, sed digestum, aut antidotis destructum, aut aestu, igne, aëre solisque ardore exsiccatum, aut propriis qualitatibus privatum est, humorum venenationem efficit. Ob exiguam efficaciae indolem occidere non potest venenum, phlegmate involutum et multis pluviis impeditum. Homo autem, illo veneno vexatus, interruptis faecibus et colore praeditus, male olente et exsucco ore instructus, sitiens, ex animi deliquio laborans, vomens, balbutiente sermone affiictus et phaenomenis corrupti abdominis affectus fieri potest.

Veneno in cruditatis sede sito, homo ex phlegmatis aërisque morbis laborare potest; veneno autem in coctionis sede sito, ex aëris bilisque morbis aegrotare, et solutis capillis membrisque praeditus fieri potest, sicut avis, fissis alis. Venenum autem in chylo etc. situm, jam dictos morbos, a corporis elementis ortos, efficere potest. Irritatio frigidis, ventosis pluviisque diebus celeriter venit.

Primam hic (veneficii) formam audi!

Somnolentia, gravitas, perturbatio, separatio, gaudium et membrorum fricatio oriuntur. Deinde venenum efficit cibi vinique indigestionem inappetentiamque, rotundas maculas, magnas maculas, insaniam, corporalium elementorum interitum, intumescentiam pedum manuumque, hydropicum abdominis tumorem, vomitionem et diarrhoeam; aut decolorationem, animi deliquium et difficilem febrem facere potest, aut auctam pervalidamque sitim; delirationem aliud venenum generare potest, aliud suppressionem urinae; aliud ejicere potest semen virile; aliud haesitantiam linguae generare potest lepramque et hos illosque morbos multimodos.

Venenum, per corporis regiones, tempus, cibum et diurnos somnos corruptum, quia iterum corrumpit corporis elementa, propterea corrumpens venenum relatum est.

In primo impetu veneni stabilis adhibiti lingua hominum livida fieri solet et rigida; animi deliquium anhelitusque oriuntur.

In secundo impetu tremor, sudor, aestus et pruriens dolor oriuntur. Venenum, cruditatis sedem aggressum, facit in corde dolores.

Palati siccitatem in tertio impetu, colicamque circa cruditatis sedem, valde facit venenum. Decolores, virides tumidique oculi hominis fier

possunt. Coctionis sedem aggresso veneno, dolor, singultus, catarrhus et intestinorum crepitus oriuntur.

In quarto impetu oritur vehemens capitis dolor.

Phlegmatis destillatio, decoloratio, articulorum fissio, omnium humorum irritatio et circa coctionis sedem dolores oriuntur in quinto impetu.

In sexto impetu interitus intelligentiae oritur, et valde homo profusione alvi laborat.

Humeri, dorsi et coxae fractura destructioque in septimo impetu oriuntur. —

In primo impetu autem homini, qui vomuit et frigidam aquam adhibuit, medicamentum cum melle butyroque liquefacto commixtum medicus bibere det.

In secundo autem homini, qui superiorem in modum vomuit, purgatorium medicamentum bibere det.

In tertio medicamenti potio et collyrium salubria sunt, per nares adhibita.

In quarto medicamentum oleo mistum medicus bibere det.

In quinto medicamentum cum melle et decoctione Glycyrrhizae glabrae commixtum praebeat.

In sexto, ut in diarrhoea, curatio passioque locum habent.

In septimo impetu medicus faciat cornicis pedem (sectionem cruciformem) et simul cum sanguine carnem amoveat.

In impetuum intervallis medicus expertus, opere hoc illove facto, frigidam oryzae fermentatae aquam, butyro clarificato melleque mistam, det.

Trichosanthes dioeca, Agnika, Cysampelos hexandra, Cleome pentaphylla, Menispermum cordifolium, Trapa bispinosa, Mimosa sirisha, Achyranthes aspera, Cordia myxa, montanae duae Curcumae, Boërhavia diffusa alata, Pisum sativum, Species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Echites frutescens, Pavonia odorata, scilicet horum alicae fermentatae, in decoctione paratae, delent utrumque venenum (stabile et mobile).

Glycyrrhiza glabra, Tabernoemontana coronaria, Costus arabicus, Pinus Dévadáru, Pisum sativum, Rottleria tinctoria, Elettaria cardamomum, Elaválu, Michelia champaca, Nymphaea caerulea, Jasminum arabicum, Embelia ribes, Sirium myrtifolium, folia Lauri cassiae, Panicum italicum, Artemisia absynthium, ambae Curcumae, Solanum jacquini, Echites frutescens, St'hirá et Barleria alba recipiantur; butyrum, ex eorum sedimentis confectum, inexsuperabile celebratum, celeriter delet venena omnia, etiam venenum alicubi invictum. Homini, corrumpentibus venenis vexato, bene sudanti et sursum deorsumque expurgato, medicus illud medicamentum, corrumpentium venenorum antidotum, semper bibere det.

Pipera, Artemisia absynthium, Valeriana jatamansi, Symplocos racemosa,

Cyperus rotundus, alkali, Strychnos potatorum, Elettaria cardamomum, aqua, Datura metel et rubrica fiunt medicamentum, cum melle commixtum, quod corrumpentia venena tollit. Hic nempe venenorum hostis non alibi contraindicatur.

In febre, aestu, singultu, suppressione urinae, seminis virilis interitu, tumore, diarrhoea, animi deliquio, cordis passione, abdominis intumescentia, delirio, tremore, et in aliis morbosis phaenomenis medicus convenienter suscipiat curationem per antidota.

Corrumpens veneficium in homine sui compote statim curabile est; per annum vero durans, dubium est; sed in homine emaciato et insalubribus addicto incurabile est."

Caput III.

Nunc vero de mobilibus (animalibus) venenis dijudicandis caput exposituri sumus.

„Mobilis (animalis) veneni sedecim classes, quae jam breviter a me relatae sunt, fusius nunc expositurus sum,"

scilicet: obtutus, exhalationem, dentes, ungues, urinam, faeces, semen femininum, rostrorum forficulas, flatus ventris, anum, ossa, bilem, spicula et cadavera.

Ibi obtutus exhalationisque venenis instructi sunt coelestes serpentes; terrestres serpentes autem venenatis dentibus prominentibus instructi sunt.

Felis, canis, simia, monodon (makara), rana, Paka piscis, alligator, concha bivalvula, coluber, domestica lacerta quadrupes, insecta etc. venenatis dentibus unguibusque instructa animalia sunt.

Chipitá, Pichchataka, Kasháya, Vásikasarshapa, Vásikatoťaka, Varchcha, insecta et serpentes, venenatis excrementis urinisque instructa sunt.

Mares venenatis seminibus instructi sunt.

Araneae salivâ, urinâ, faecibus, oris forficulis, unguibus, semine virili fermininoque venenato instructae sunt.

Scorpio, Viśvamb'haras Cyprinus niloticus piscis, Cancer crangon et marini scorpiones venenatis spiculis instructa animalia sunt.

Chitraśiras, Saráva, Kurdi, Śatadáruka, Arimédaka et Gracula religiosa venenatis rostrorum forficulis, ventris flatu, urina et faecibus instructa animalia sunt.

Musca, Kaňa et hirudo venenatis rostrorum forficulis, ventris flatu, urina et faecibus instructa animalia sunt.

Ossa venenis impleta, colubrorum spicula et Varatís piscis ossa, osseis venenis instructa sunt.

Śakulí, Raktarájí et Charakí, pisces, venenata bile instructi sunt.

Subtilis oris cancer crangon, Varatí, Śatapadí (centipes), Śúkavalab'hika, Silurus pungentissimus et magna furva apis venenatis spiculis oribusque instructa animalia sunt.

Insectorum serpentumque corpora, quinque vitalibus spiritibus privata (mortua), cadaverinis venenis instructa sunt.

Reliqua vero non exposita (venena animalia) in rostratarum forficularum venenis adnumeranda sunt.

Sunt hic ślokae:

„In regionibus regi hostilibus hostes gramina, aquas, vias, cibos, fumum aëremque veneno corrumpunt. His indiciis valde corruptas res cognoscens medicus purificet. Corrupta aqua est pituitosa, horrifico odore praedita, spumis referta, lineis operta; ranae piscesque in ea moriuntur; aves aquaticae intoxicatae circumerrant; qui se ibi submergunt homines, equi serpentesque, ii vomitum, insaniam, febrem, aestum et intumescentiam subeunt. Horum corruptos humores cum removerit, corruptam aquam purificare tendat. Grisleam tomentosam, Shoream robustam, Terminaliam alatam tomentosam, Erythrinam fulgentem, Bignoniam suaveolentem, Sidd'hakam, Hyperantheram morungam, Rajadrumam et Mimosam catechu comburat et eorum cinerem frigidum inspergat aquis. Cineris enim, quantum cavis manibus capi potest, in magnum urceum injiciendo purget desideratam aquam.

Terrae regionem veneno corruptam, arsenicosum locum aut eremitarum sedem desertam venenatam boves, equi, elephanti, cameli, asini aut homines quovis membro tangunt, id intumescentiam subit, et capilli unguesque comburuntur ac destruuntur. Ibi terram cum omnibus odoramentis conterat, cum liquoribus spirituosis commisceat et tum viam conspergat; aut hanc conspergat aquis limo impletis, aut aquis ex Embelia ribe, Cysampelo hexandra et Cardiospermo halicacabo confectis.

Graminibus corruptis (venenatis) devoratis, vexantur, torpent, vomunt, aut faecum interruptionem subeunt, aut moriuntur. His curationem medicus adhibeat indicatam. Aut medicamentis venenum tollentibus inungat instrumenta musica varia et ea resonare faciat. Argentum claros sonos reddit, simul et coccinella et omnibus aequalis rubini portio. Hominibus bile affectis ex canum genere datum unguentum pro musicis instrumentis probatum est. Instrumenti enim musici sonis interitum subeunt venena, quae etiam terribilia sint.

Fumo aut aëre venenis misto, aves, lassitudine vexatae, concidunt humi. Catarrhus, tussis, capitis dolores et acerrimi oculorum morbi oriuntur. Laccam ibi, Curcumam longam, Ativisham, Terminaliam citrinam, Cyperum ro-

tundum, Pisum sativum, Elettariae cardamomi folia et cortices, Costum arabicum et Panicum italicum in ignem conjiciendo fumum aëremque purget. —

Brahmae, a se exsistenti, hanc gentem (humanam) sane creanti, Asura (daemon) superbus, nomine Kaitab'ha, impedimentum fecit. Deinceps ex ore irati Brahmae, thesauri luminis, ira, corporea facta, prodiit terribilis. Hic illum combussit clamantem, Jamae similem, magnipotentem. Deinde cum Asuram interfecerit, illud lumen admirabilem in modum increvit; tum consternatio Deorum, interitum (Asurae) intuitorum. Ex consternationis (vishádae) ortu (radice) etiam venenum (visha) nuncupatur. Deinde cum gentes Iśvara (Dominus) creaverit, reliquam iram collocavit in creaturis stabilibus (vegetabilibus et minerabilibus) et mobilibus (animalibus).

Ut aqua, indistincto gustu praedita, ex aëre in terram profecta, in his illisve regionibus gustum hunc illumve assumit; sic venenum, quamcunque substantiam ingressum, a suapte natura discedit et hujus gustum sequitur.

In veneno quia omnes qualitates plerumque acres sunt, propterea omne venenum omnium humorum irritamentum cognoscendum est. Hi irritati humores vitam fallunt propriam, venenis vexati. Non adit venenum coctionem (digestionem); idcirco spiritus vitales destruit. Propter meatum phlegmate involutum respiratio hominis praecluditur; quam ob rem mentis non compos est homo, vita durante.

Sicut semen virile, sic venenum omnium serpentum penetrat corpus eorum universum, et ex iratorum membris ita exit, ut semen virile ejaculatione profunditur. Serpentum dentes hami more prominent; in his aggressum venenum haeret; non elati (irati) igitur serpentes venenum non effundunt.

Quia valde calidum et acre dictum est venenum, idcirco in omnibus venenis indicata est frigida adspersio.

Torpidis insectis non venenum copioso aëre phlegmateque impletum inesse dicitur; idcirco in horum insectorum veneficio etiam sudatio (diaphoresis) non interdicitur. Homines autem, insectis horrifice venenatis morsos, medicus, ut a serpentibus morsos, curet. Ex propria natura commorari potest in ictu morsuque venenum, penetrando simul membra et corpus animantis sagittis venenatis perforati et a serpentibus morsi. Ex cupiditate qui carnem veneno infectam amborum mortis generum (scilicet animalium, sive sagittis venenatis, sive venenatis morsibus, interfectorum) comedit, is, pro natura veneni, aut morbis vexatur, aut etiam moritur. Itaque etiam caro amborum illorum mortis generum non est comedenda.

Post Muhúrttam caro sumenda est, ictu morsuque (venenato) vacua.

Qui ventosas et fuligini similes faeces profluentes excernit, inflatus, valde calido sanguine praeditus, decolor et lassitudine vexatus est ac vomit spumam,

eum medicus venenum potasse declaret. Nec vero hujus cor, veneno corruptum, ignis comburit; hanc enim sedem cogitationis ex sua natura assecutus insistit. —

In equorum stabulis, in Deorum altaribus, in sepulcretis tumulisque, crepusculo, in quadriviis et in constellatione Yámyae cum patre, evitandi sunt homines, qui in membris morsi sunt.

Serpentum venenum celeriter interficiens et omnia venena duplici vi praedita fiunt in calore, in hominibus indigestione, bile et aestu vexatis, in infantibus et urinalibus morbis, in gravidis, in senibus, aegrotis, emaciatis et famelicis, in asperis, in timidis et diebus nubilis.

In cujus sagittario vulnere sanguis non est, si striae ex plantis repentibus (circumligatis) non exoriuntur, et frigidis aquis non fit horripilatio, veneno oppressum hunc medicus relinquat (ne curet).

Cujus lingua alba, capillus acutus, nasus compressus, guttur constrictum, tumor in morsu lividus rubidusque et maxilla rigida est, is medico relinquendus (non curandus) est.

Cujus turunda dura exit, cujus ex ore sanguis sursum deorsumque profluit, et cujus dentes prominentes elapsi sunt, eum quoque medicus relinquat.

Insanum, aut vehementibus phaenomenis affectum, aut voce privatum, aut decolorem, non vulneratum, nimia alvi obstructione laborantem medicus relinquat; curationem ibi ne adhibeat."

Caput IV.

Nunc vero de veneno in serpentum morsibus dijudicando caput exposituri sumus.

„D'hanvantarem, magnum sapientem, omnium dogmatum (śástra) peritum, Suśrutas, illius pedes amplexus, sciscitatur:

Serpentum numerum, distributionem, morsuum signa et scientiam impetuum (paroxysmorum) veneni, velis dicere!

Hoc sermone audito, respondebat medicorum excellentissimus D'hanvantaris:

Innumerabiles sunt serpentes. Vásukis (gemmatus) rex dictus est primus; tum Takshakas (lacerator) et reliqui terram sustinentes serpentum dominatores, sacrificali igni similiter splendidi, qui in perpetuum clamant, irrigant et calefaciunt; a quibus haec terra cum oceano, montibus et insulis

sustinetur; qui irritati universum mundum exhalatione obtutuque interficere possunt. Honos his est. Nullum his negotium cum therapia est.

Qui vero terrestres venenatis dentibus prominentibus instructi sunt serpentes et homines mordent, eorum numerum convenienter exsequar ex ordine.

Octoginta vero serpentes quintupliciter distribuuntur; in serpentes cristatos, orbiculatos, lineares, veneni expertes et hibridas. Rursus triplices hibridae commemorati sunt: cristati, orbiculati et lineares.

In serpentibus cristati dignoscendi sunt viginti sex; viginti duo orbiculati; decem lineares; veneni expertes duodecim dignoscendi sunt; hibridae tres.

Ex hibridis orti sunt septem versicolores, orbiculati et lineares.

Pedibus protriti, aut laesi irati, aut etiam pabulum petentes, mordent hi perirati. Hic morsus autem triplex dicitur: infixus, aut scissus aut veneni expers. Serpentum corporibus (contactis tantummodo) laesum esse hominem adeo quidam volunt.

Pedes, ubi unus, aut duo, aut plures dentes infixi sunt, paululum cruentos serpens, sursum se torquens, efficit, secretione rostri impletos, morbosa reactione affectos, contractos et tumidos. Hunc morsum medicus infixum dignoscat.

Lineae ubi sunt rubrae, lividae, flavae et albidae, morsus dignoscendus est scissus. Hic morsus autem paululum venenatus est.

Si hominis, naturae convenienter se habentis, pes aut pedes non tumidi et paululum corrupto sanguine affecti sunt, morsum medicus veneni expertem dignoscat.

Hominis timidi, a serpente contacti, aër, timore irritatus, efficit intumescentiam. Haec est laesio a serpentum corporibus (contactis) orta. Aegrotorum perterritorum morsus dignoscendi sunt minus venenati. Sic quoque persenis et infantis morsus minus venenatus relatus est.

In regione a Suparńa, Dévabrahma, Rĭshibus, Yakshis et Sidd'his culta ac medicamentis venenum delentibus (antidotis) referta non incedit venenum.

Rotam, aratrum, umbraculum, figuram cruciatam (svastika) et hamum gerentes serpentes cognoscendi sunt cristati; velociter hi se movent.

Orbibus variis versicolores, magni serpentes, tarde se movent. Cognoscendi sunt orbiculati serpentes igni solique similiter splendentes.

Amabiles, discoloribus atque oblique sursumque versis lineis quasi picti serpentes, qui splendent, ii lineares appellati sunt.

Qui serpentes margaritis argentoque similiter splendent, badii, suaveolentes auricoloresque sunt, ii speciosi Bráhmańae vocati sunt.

Kshatriyae appellati serpentes sunt amabili colore praediti perirati-que; solis, lunae umbraculique speciem habent et aquigeni sunt.

Qui serpentes violacei, fulmini similes, rubro colore praediti et purpurei sunt columbisque similiter splendent, ii Vaiśyae vocati sunt.

Serpentes colori bubalorum elephantorumque similes, aspera cute praediti et fissis coloribus tincti, Śúdrae nuncupati sunt.

Omnes serpentes irritant hominis aërem; orbiculati serpentes bilem; multi lineares phlegma. Proles autem ex duabus serpentum varietatibus parta duos humores corruptos efficit. Duae varietates ex vitiis dijudicandae sunt. Maris feminaeque differentia ibi indicabitur.

Varii lineares serpentes posteriori noctis tempore, in reliquis autem orbiculati et cristati subdiu inambulant.

Cristati serpentes juniores, orbiculati autem seniores, lineares vero media aetate fiunt mortis causae.

Viverra ichneumone laesi serpentes, juniores, aquis afflicti, macri, seniores, cute privati et territi exiguo veneno praediti sunt relati.“ —

Cristati serpentes sunt:

Serpens violaceus, valde violaceus, violaceus in abdomine, albis columbis similis, magnis columbis similis, magnus, concharum dominus, rubris oculis praeditus, vaccae servator, circumserpens, partita crista instructus, gibber, Nelumbio specioso similis, magnus Nelumbio specioso similis, flori Sacchari cylindrici similis, lactea facie instructus, amphisbaena, moroso vultu praeditus, avibus similis, floricolor, in montibus serpens, directe serpens, albus circa abdomen, magno capite instructus, hydrus et unguibus venenatis praeditus. —

Orbiculati serpentes sunt:

Specularis, albus, ruber, versicolor, hystrici similis, flori Symploci racemosae similis, Milindakas, vaccinus nasus, amplus vaccino naso instructus, Panasas, magnus Panasas, folio Bambusae arundinaceae similis, muri porcello similis, Madanas, Pálíhhiras, badius, filiformis, flavedini florum similis, cum sex membris incedens, igneus, saliens, furvus, faeculentus, columbis similis, manibus ornatus, discolor et pedibus antilopae more instructus. —

Lineares serpentes sunt:

Amphisbaena, lineis variegatus, digitatis lineis praeditus, guttatis lineis praeditus, luteus, gramini arido similis, Sinapi dichotomae similis, alba maxilla instructus, flori Sacchari cylindrici similis, Anati casarcae similis, Tritico aestivo aequalis et Kikkisádas. —

Veneni expertes serpentes sunt:

Torquatus, folio Hordei hexastichi similis, Boa constrictor, caelestis, pluvialis, floricolore cute instructus, stellarum currus, lacteus, floreus, solis vexillum, caecilia, albus et Vrĭkshéśayas. —

Hibridae serpentes ex trium reliquorum, scilicet cristatorum etc., mutua coitione orti sunt, hoc modo:

Mákulis, pisciformis et gratus linearis serpens.

Ibi a violaceo serpente cum vaccino naso sic dicto serpente, aut vice versa, generatus est Mákulis; a lineari serpente cum vaccino naso, aut vice versa, generatus est pisciformis serpens; a violaceo serpente cum lineari, aut vice versa, generatus est gratus linearis serpens. Horum primus pullus maris more venenatus est; duo reliqui autem feminae more. Sic quidam volunt.

A tribus hibridis serpentibus rursus coelestis terra sic dictus serpens, flori Symploci racemosae similis, lineis variegatus, pisciformis, floricolor, flori Sacchari cylindrici similis et tremulus orti sunt. Septem horum primi tres linearium more, reliqui quatuor autem orbiculatorum more se habent.

Sic octoginta hi serpentes enumerati sunt.

Porro magnis oculis, lingua, vultu et capite instructi mares sunt; parvis oculis, lingua, vultu et capite instructae feminae sunt.

Venena amborum illorum signorum tarda, non irata et ab androgynis serpentibus orta sunt.

Porro in omnibus serpentibus morsuum signa generaliter nunc expositurus sum.

Quae est enim veneni reactio? Venenum demonstrandum est tanquam secespita, fulmen et ignis; celeriter agit; aegrotum, uno Muhúrta praeterlapso, prosternit; nec intervallum datum est multis sequentibus verbis.

Specialiter autem in morsuum signis demonstratis est serpentum triplicatio. Idcirco hanc triplicationem etiam expositurus sum. Haec enim aegroto convenit et mentis errorem non efficit; ibi scilicet signa omnium serpentum continentur.

Porro a cristatorum serpentum veneno cutis, oculorum, unguium, dentium, urinae, faecum et membrorum nigrities et asperitudo, capitis gravitas, articulorum dolores, lumborum, dorsi et cervicis infirmitas, oscitatio, tremor, vocis lassitudo, helminthiasis, frigus, sicca vomitio, catarrhus, anhelitus, singultus, aërum adscensio, dolorum vexatio, sitis, salivatio, spumae proventus, excretionum obstructio et hae illaeve ab aëre profectae passiones oriuntur.

Ab orbiculatorum serpentum veneno cutis etc. flavum pigmentum, frigidorum appetitus, circumcirca vaporatio, aestus, sitis, insania, animi deliquium, febris, sanguinis profluvium sursum deorsumque, carnis tabes, tumor, dentium inflammatio, flavarum figurarum conspectus, praeceps ira et hae illaeve a bile profectae passiones oriuntur.

A linearium serpentum veneno albugo cutis etc., frigida febris, horri-

pilatio, pulsatio membrorum, gingivae tumor, crassi phlegmatis effusio, vomitio, identidem oculorum pruritus, in gutture tumor, helminthiasis, respirationis praeclusio, caliginis initium et hae illaeve a phlegmate profectae passiones oriuntur.

A masculino serpente morsus homo sursum spectat; a feminino morsus deorsum; vasaque in fronte intumescunt; ab androgyno serpente morsus homo oblique spectat; a gravido serpente os flavum et inflatio oriuntur; a pariente serpente morsus homo doloribus vexatur, sanguinem mingit et palatum ejus intumescit; a serpente, pabulum petente, morsus homo cibum appetit; a sene serpente tardae fiunt excretiones; a pullo autem celeriter molles; a veneni experte serpente nullum veneficii signum; a caecilia caecitas oritur. Sic quidam dicunt.

Sauciando Boa constrictor corporis vitam aufert, nec venenando. Homo enim ab hoc serpente vitam auferente morsus statim concidit ad terram, securi fulmineque tanquam percussus, et collapsum corpus dormit. —

Ab omnium serpentum veneno septem impetus (paroxysmi) oriuntur.

In cristatorum serpentum primo impetu venenum sanguinem corrumpit. Hic corruptus sanguis nigrorem adipiscitur. Exinde vexatio, anatis rubrae more quasi in corpore circumvaga, oritur.

In secundo impetu venenum carnem corrumpit. Exinde nimius nigror, intumescentia et nodi in corpore oriuntur.

In tertio impetu venenum adipem corrumpit. Exinde dentium mador, capitis gravitas, sudor et oculorum affectiones oriuntur.

In quarto impetu venenum, exta intrando, praecipuos, phlegmatis etc., humores corrumpit. Exinde lassitudo, mador et articulorum distentio oriuntur.

In quinto impetu venenum ossa intrat et respirationem ignemque (digestionem) corrumpit. Exinde articulorum distractio, singultus aestusque oriuntur.

In sexto impetu venenum medullam intrat et alvi dejectiones valde corrumpit. Exinde membrorum gravitas, diarrhoea, cordis dolor et lipothymia oriuntur.

In septimo impetu venenum ad semen virile penetrat, aërem diffusum (per universum corpus) valde irritat, et phlegma subtilibus sensuum organis intexit. Exinde phlegmatis involutio apparet; lumborum dorsique vexatio, omnium motionum impedimentum, salivae sudorisque nimia profusio et respirationis praeclusio oriuntur. —

In orbiculatorum serpentum primo impetu venenum sanguinem corrumpit. Hic corruptus sanguis alborem adipiscitur. Ibi aestus et flavum pigmentum membrorum oriuntur.

In secundo impetu venenum carnem corrumpit. Exinde nimia flavedo aestusque, et in morsu tumor oriuntur.

In tertio impetu venenum adipem corrumpit. Exinde priorem in modum oculorum affectiones, sitis, in morsu vexatio, et sudor oriuntur.

In quarto impetu venenum, exta intrando, febrem adfert.

In quinto impetu venenum aestum in omnibus artubus facit.

In sexto septimoque impetu venenum reagit, ut supra. —

In linearium serpentum primo impetu venenum sanguinem corrumpit. Hic sanguis corruptus flavum pigmentum adipiscitur. Exinde horripilatio oritur et albo pigmento praeditus fit homo.

In secundo impetu venenum carnem corrumpit. Exinde flavum pigmentum, frigus et capitis tumor oriuntur.

In tertio impetu venenum adipem corrumpit. Exinde oculorum affectiones, dentium mador, sudor et narium oculorumque profluvia oriuntur.

In quarto impetu venenum, exta intrando, tendinum cervicalium rigorem et capitis gravitatem adfert.

In quinto impetu venenum vocis haesitantiam et frigidam febrem facit.

In sexto septimoque impetu venenum reagit, ut supra. —

Sunt hic ślokae:

„Quae septem segmenta in corporalium elementorum intervallis exposita sunt, in eis venenum, singulum segmentum transgrediendo, impetum facit. Quo intervallo autem segmenti actio segmentum findit, illud impetuum intervallum, aëre sustentum, appellatum est.

Intumido corpore affectus est in primo veneni impetu animans (homo), meditaturque afflictus.

In secundo impetu autem salivatio oritur, et homo, violaceo corpore affectus, vexatur in corde. In tertio impetu capitis dolor; gula collumque constringuntur. In quarto impetu tremit conturbatus et dentibus frendens quinque spiritus vitales (vitam) relinquit.

Quidam periti tres impetus vocant; in his finem (mortem) statuunt. Primo impetu sentit homo dolores laterum, deinde conturbatur; in secundo impetu sui impos dictus est; in tertio impetu mortem obit.

Quidam unum in avibus impetum veneni volunt. Felis autem, Viverrae ichneumonis etc. venenum non valde reagit.“

Caput V.

Nunc vero de serpentum morsibus eorumque antidotis therapiam exposituri sumus.

„Ab initio super morsum omnium serpentum, extremitatibus hominis inflictum, Sapindum saponariam et Cassiam fistulam liget medicus aut fasciâ, aut loro, aut cortice. Neque enim venenum in corpus intrat, Sapindo

saponaria circumdatum. Exurat medicus etiam morsum, ubi ligatio locum non habet. Potatio, fissio et ustio ubique honoratae (indicatae) sunt. Cum impleverit medicus orificium abdominis (anum), salubris potatio (medicaminum) fieri potest. Serpens mordendus est aut gleba eodem momento (veneficii). Serpentis autem orbiculati morsum nullo modo medicus exurat. Ille morsus enim ob bilis venenique copiam post ustionem se extendit.

Sapindum saponariam autem sub sacris hymnis (mantra) illiget medicus, sacrorum hymnorum peritus. Illa (Sapindus saponaria) autem fasciis etc. superilligata antidotum declarata est. A Diis et Brahmarshis praedicati sacri hymni veritati (satya) et devotioni inserviunt; alioquin venenum, difficile superatu, delere medicus non potest. Sicut splendidis sacris hymnis, veritati devotionique in Brahmam inservientibus, celeriter adhibitis, venenum cohibetur, sic medicamentis non cohibetur. Sacrorum hymnorum recitatio suscipienda est homini, uxores, carnem melque evitanti, ciborum experti, puro, in Poa cynosuroide et elephantorum stragulis jacenti. Suaveolentium sertorum donis, oblationibus, murmurabundis precibus et holocaustis, sacrorum hymnorum successus gratia, Deas studiose colat.

Sacri hymni autem ex praescripto praedicati, sed corrupti quoad accentuum colores, quia prosperum successum non dant, idcirco conjungenda est medicaminum ratio.

Undique vasa post morsum secet peritus medicus; in extremitatis regione anteriore, aut in fronte vasa secanda sunt, extenso veneno. Si sanguis extrahitur, omne etiam venenum extrahitur. Idcirco emittat sanguinem medicus; haec est enim ejus praestantissima indicatio.

Undique medicaminibus morsum exploratum medicus illinat. Aquam cum Sirio myrtifolio et Andropogone muricato commixtam circumspergat.

Bibere det medicus haec illave medicamina cum lacte, melle, butyro liquido etc. His sumtis, salubris etiam fieri potest nigra terra collina. Aut Bauhiniam variegatam, Mimosam sirisham, Asclepiadem giganteam et Cardiospermum halicacabum comedi medicus jubeat. Ne bibat (laesus) oleum Sesami orientalis, jus Dolichi biflori, vinum et ex Zizyphi jujubae fructibus succum. Aut jusculum quodcunque potatum rursus evomat; plerumque enim vomitu etiam facile extrahitur venenum. —

In primo autem cristatorum serpentum veneni impetu sanguinem medicus mittat; in secundo medicamentum cum melle butyroque liquido bibere det; in tertio nasale remedium collyriumque, venenum delentia (antidota) adhibeat; in quarto emeticum et antea indicatam oryzae fermentatae aquam det; in quinto et sexto, frigidâ prius adhibita curatione, purgatorium acre det et dictam oryzae fermentatae aquam; in septimo autem compressione acri caput purget, acre etiam collyrium det, acuto scalpello in capite faciat incisuram cruciatam et cutem simul cum sanguine carneque removeat. —

In primo veneni impetu, ab orbiculatis serpentibus orto, cristatorum more medicus curet; in secundo medicamen cum melle butyroque liquido bibere det et post vomitum aquam oryzae fermentatae supra indicatam praebeat; in tertio homini, acribus purgatoriis purgato, bibere det oryzae fermentatae aquam salubrem; in quarto aut quinto, ut in cristatis; in sexto Kákoli etc., lac et dulcis medicaminum classis salubria sunt; in septimo salubre est compressivum medicamen, venena delens. —

In primo linearium serpentum veneni impetu sanguinem medicus mittat et medicamentum, cum melle butyroque liquefacto commixtum, bibere det; in secundo post vomitum medicamenta, venenum delentia, bibere det; in tertio, quarto et quinto impetu, ut in cristatis, praeceptum salubre est; in sexto collyrium acerrimum locum habet; in septimo compressio. —

Gravidarum, infantum et senum venaesectio contraindicata est.

Veneno vexatorum, ut demonstratum est, curatio mitis laudatur: sanguinis missio, conspersio et collyria hominibus convenientia, caprina et ovilla alimenta, bovis et equi carnis duplex portio, triplex bubuli et cameli, quadruplex serpentum, simplex omnium avium. Conspersiones et inunctiones perfrigidas medicus adhibeat. Ex Phaseolo radiato autem duplex collyrii portio exoptata pro nasali remedio salubris est; pro potu quadruplex portio optata est; pro vomitu autem octuplex.

Regionem, naturam, propriam indolem, anni tempus, veneni impetum, vim infirmitatemque intuitus medicus peritus scienter curationem adhibeat.

Impetus subsequentem, venenum delentem, curationem, praecipue curativas conditiones utriusque veneni (stabilis et mobilis) audi!

Membro decolore, duro, tumido, doloroso et venenis vexato, celeriter sanguinis missio instituenda est ex indicato praescripto. Tum famelico et aëris pleno homini venenato medicus intentus bibere det lac coagulatum, aut lac ebutyratum, butyrum liquefactum, mel et jusculum.

Si homo, siti, aestu, sudore et perturbatione vexatus bileque affectus est, hunc biliosum venenatum aegrotum frigidis frictionibus, lavationibus et inunctionibus medicus curet.

In frigore hominem, frigidis adspersionibus vexatum phlegmaticumque, medicus venena, phlegma efficientia, evomere faciat acribus emeticis; sic etiam hominem animi deliquio et delirio affectum vomere faciat.

Intestinorum aestu, dolore inflationeque, urinae retentione doloreque affectum et excrementis, aëris accumulatione bileque aegrotantem medicus expurget.

Ex tumidis oculorum bulbis laborantem, somnolentia (sopore) vexatum, decoloribus turbidisque oculis afflictum et decolorem medicus collyriis efficiat visu praeditum.

In capitis doloribus, gravitate, inertia, maxillarum rigore et colli affectu caput medicus celeriter purget, et in cervicalium tendinum rigore horrifico.

Appetitu perdito, oculis patefactis et cervice quasi fractâ, hominem veneno vexatum medicus purgatoriis pulveribus et aërophoris acribus curet; secetque celeriter illius vasa in extremitatibus et fronte. Si vasa sanguinem non profundunt, per scalpellum medicus, scalpellorum gnarus, in capite faciat cruciforme vulnus; tum illa fluunt. Simul cum sanguine cutem carnemque removeat. In capite infusionem corticis arboreae aut pulverem, in lateribus autem cubum medicaminibus inunctum medicus dexter adhibeat.

Appetitu rursus praeditum hominem sursum deorsumque medicus expurget. Totum extrahat venenum perdifficile superatu; exiguum enim residuum denuo impetum facit, aut efficere potest lassitudinem, decolorationem, febrem, catarrhum, capitis dolores, intumescentiam, tabem, tussim, guttam serenam, cibi fastidium et destillationem. His morbis etiam pro humorum vitiis adhibeat curationem, et morbosa veneno vexatorum phaenomena convenienter devincat. Deinde Sapindum saponariam medicus solvat (a morsu venenato), celeriter exploret locum notatum et hunc inungat. Ibi venenum effusum denuo impetum facit.

Sic curatio per medendi rationes, sacros hymnos (mantra) et remedia adhibenda est.

Veneno autem cum sua qualitate ex corpore egesto, quando corrupti humores irritantur, tum a ë r e m surrectum unguentis et ceteris substantiis, olei piscium, Dolichi biflori et aciditatis expertibus, medicus curet; b i l e m antibiliosis febrifugisque infusionibus et oleosis clysteribus; p h l e g m a autem medicus curet per illam medicamentorum classem a Cassia fistula incipientem cum melle commixtam, et per medicamenta phlegma delentia, et per amaros asperosque cibos.

De arbore, praecipitio et iniquo loco delapsum et ex aqua evolutum hominem (quasi) mortuum medicus statim curet, ut appetitu privatum. —

In membro valde ligato cum Sapindo saponaria, inuncto acribus unguentis aut ejusmodi specificis, et tumido, cognoscenda est caro madida, foetida, et propter ejus venenum foetore vexata; statim dissecta caro fluere potest nigro sanguine; coctionem adire potest; comburitur identidem. Nigra facta, madida, valde foetida destructaque caro e vulnere semper egreditur.

Sitis, animi deliquium, vertigo, aestus et febris cui accidunt, eum, sagittis venenatum, interficere potest omne effectum prius indicatum morbosum signum.

Si vulnera veneno impleta, secta, morsa, venenatis sagittis inflicta, aut venenis effecta et foetidis carnibus praedita sunt: eorum carnes foetidas convenienter medicus absumat, aquâ sanguinem removeat, corruptos humores auferat celeriter, sursum deorsumque simul conspergat infusionibus corticum

lactariarum herbarum internam vestem, det unguenta ex frigidis substantiis, butyro mistis, venenum delentibus.

Homine per ossa venenata laeso, facienda est prius via, ut in bilioso veneficio, et tum Convolvulus turpethum album, Menispermum cordifolium, Glycyrrhiza glabra, duae curcumae, Abrus precatorius, Naréndra et salina medicaminum classis, triplex species (Piper longum, Piper nigrum et zingiber aridum) contrita in cornu deponenda sunt, melle mista. Hoc medicamentum delet venena, adhibitum in potionibus, collyriis, oleamentis et nasalibus remediis. Insuperabili vi praeditum et veneni impetum discutiens magnum remedium praepotens hoc sic dictum est.

Embelia ribes, Cysampelos hexandra, tres myrobalani, Carum carvi, Asa foetida, Chakra, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et omnis salina classis subtilis cum Plumbagine zeylanica melleque commixta, — deponenda sunt in cornu boum. Corneo operculo tectum et quindecim dies asservatum hoc medicamentum stabilium (vegetabilium) mobiliumque (animalium) venenorum victor invictus nuncupatum est.

Nymphaeam albam, Pinum Dévadáru, Cyperum rotundum, Gummi benzoës, Wrighteam antidysentericam, St'hauńéyakam, Artemisiam vulgarem, Nelumbium speciosum, Rottleriam tinctoriam, Flacourtiam cataphractam, alkali, Bignoniam indicam, Elettariam cardamomum, saccharum, Viticem negundinem, styracem, Costum arabicum, Tabernoemontanam coronariam, Panicum italicum, Symplocum racemosam, Andropogonem shoenanthum, Bauhiniam variegatam, rubricam, Piper longum, Sirium myrtifolium et sal fossile, singulorum partes aequales subtiliter conterat, cum melle commisceat, et in cornu deponat. Hoc medicamentum quasi Garudas appellatum, venena delere potest principis illius serpentis (Takshakae).

Valerianam jatamensem, Pisum sativum, tres myrobalanos, Murańgím, Abrum precatorium, Cardiospermum halicacabum, liquiritiam, Nelumbium speciosum, Embeliam ribem, Flacourtiam cataphractam, Nymphaeam lotum, Elettariae cardamomi cortices, Costi arabici folia, Sirium myrtifolium, Siphonanthum indicam, Trichosanthem dioecam, Achyranthen asperam, Cysampelon hexandram, Cucumim colocynthidem, Cucumim utilatissimum, Puram, Convolvulum turpethum album, Jonesiam aśokam, Arecam catechu et Anethi sowae Semicarpique anacardii flores medicus recipiat; horum pulveres in cornu injectos deponat; tum addat porci, alligatoris, pavonis, araneae, felis, hystricis et Viverrae ichneumonis biles cum melle commixtas. Medicamentum hoc bene paratum in domo adsit, nomine Taurus, quo nomine regem hominum appellant. Non ibi serpentes, nedum insecta inveniuntur; amittunt enim vires et venena. Illo medicamine illita tympana crotolaque sonitantia venenum celeriter delere possunt. Illita autem vexilla intuendo homines, veneno oppressi, statim veneno liberantur.

Laccam, Pisum sativum, Andropogonem muricatum, Panicum italicum, duas Morungas (guilandinam et hyperantheram), liquiritiam et Alpiniam cardamomum medicus recipiat. Haec classis in pulverem redacta, cum Indigofera tinctoria commixta et cum melle butyroque clarificato composita, deponenda est in cornu boum, et, ut supra, asservanda; deinde adhibenda est in collyriis, nasalibus remediis et potionibus; vivificans est, nomine remedium exanimorum; vivificat enim mortalem (hominem).

Cordia myxa, Gmelina arborea, Citrus medica, Andropogon aciculatus, Girihvá, Achyranthes aspera, Jasminum arabicum et Amaranthus polygamus, — hoc est medicamentum excellentissimum in veneficiis serpentum cristatorum lineariumque.

Uvarum, Curcumae zerumbet, Nagavittikae et Mimosae pudicae, singulorum partes aequales conterat misceatque; addenda est duplex portio Anethi sowae, Xanthocymi tinctorii, Cratoevae valangae, Aegles marmeli et Punicae granati; porro dimidia portio nigrae Viticis negundinis, radicis Alangii hexapetali et rubricae. Hoc remedium, melle mistum, praecipue delet venena serpentum orbiculatorum.

Cortex Bambusae arundinaceae, humida Phyllanthus emblica, Cratoeva valanga, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Acorus calamus albus, Acorus calamus, Galedupae arboreae semen, Tabernoemontana coronaria et Mimosae sirishae flos, — id felle taurino mistum delet venena aranearum, murium, serpentum et insectorum, in unguentis, collyriis et nasalibus remediis adhibitum. Etiam faeces, urinam, aërem et abdominis obstructiones tollit, in alvi embolis, collyriis et unguentis adhibitum. Porro guttam serenam, oculorum morbos, palpebrarum inflammationes ulcerosas, membranulas oculorum horribiles et albuginem tollit, in collyriis nasalibusque remediis adhibitum.

Decoctio Mimosae sirishae simul cum radicibus, floribus, surculis, corticibus et seminibus, et specie Piperis longi, Piperis nigri zingiberisque aridi superfusa, cum sale fossili melleque commixta et potata, praecipue insectorum venenum tollit. —

Costus arabicus, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Curcuma zanthoriza, Glycyrrhiza glabra, duo salia (sal marinum et fossile), Jasminum grandiflorum, Michelia champaca et omnia dulcia, — hoc medicamentum cum Cratoevae valangae succo contritum et cum saccharo melleque mistum, praecipue tollit murium venena.

Serratulae anthelminthicae fructus et flores, Cardiospermum halicacabum, Vitex negundo, Andropogon aciculatus, Capparis trifoliata, Costus arabicus, suffitoria species ex Kákolí, caryophyllis, agallocho et gummi benzoës, Jasminum zambac floribus multiplicatis, Boërhavia diffusa alata, Mimosae sirishae, Cassiae fistulae et Asclepiadis giganteae flores, Convolvulus turpethum

floribus nigris, Oxalis corniculata, Embelia ribes, Mangifera indica, Saptaka, terra et Amaranthus ruber, — haec classis unita, semel, bis terve adhibenda venenum delet."

Caput VI.

Nunc vero murium antidota exposituri sumus.

„Qui mures, seminalibus venenis instructi, supra breviter indicati sunt, eos duodeviginti quoad nomina, signa morsa et remedia percipe!

Lálanas (salivosus), Putrakas, Kršhnas (violaceus), Hansiras (anserinus), Chikkiras (depressis naribus praeditus), Ch'huch'húndaras (mus rattus), Alasas (tardus, bradypus), Kasháyadasanas (constrictis dentibus instructus), Kuliṅgas (vulturinus), Ajitas (invictus), Chapalas (tremulus), Kapilas (badius), Kokilas (cuculo nigro similis), Aruńasańgas (fuscus), Mahákršhńas (perviolaceus), mus rattus Śvétas (albus), magnus Kapilas (magnus badius mus), et mus Kapotáb'has (columbae similis). Sic duodeviginti mures commemorati sunt.

Quem in locum semen virile illorum cadit, aut quod membrum unguibus, dentibus etc., semine tinctis, illi tangunt, in eo sanguis corrumpitur Nodi, tumores auriculares, rotundae maculae, phlyctaenarum multitudo, horribiles herpetes, pediculi, articulorum distractiones, dolores horrifici, febris, animi deliquium terrificum, infirmitas, cibi fastidium, catarrhus, vomitus et horripilatio oriuntur. —

Morsuum formam, breviter indicatam, nunc audi!

Salivatio a Lálana (salivoso mure), singultus et vomitus oriuntur. Amaranthi polygami sedimentum ex melle ibi lingat venenatus.

A Putraka lassitudo membrorum et pallor oriuntur. Nodis, pullo muris similibus, accumulatur corpus. Mimosae sirishae et Terminaliae catappae sedimentum ex melle ibi lingat.

A Kršhńa (violaceo) venenatus sanguinem nubilis diebus praecipue vomit. Mimosae sirishae, trium myrobalanorum et Costi arabici sedimentum bibat cum Buteae frondosae cinere.

Ab Hansira (anserino) fastidium cibi, oscitatio et horripilatio oriuntur. Illam medicamentorum classem a Cassia fistula incipientem homo, cum bene vomuerit, bibat.

A Chikkira (depressis naribus instructo mure) dolor capitis, intumescentia, singultus et vomitus oriuntur. Jalinís, Vangueriae spinosae et hexapetali infusionibus vomitum homini medicus excutiat.

A Ch'huch'hundara (mure ratto) interruptio faecum, cervicis rigor

et perturbatio oriuntur. Hordei hexastichi, Nymphaeae caeruleae et Carpopogonis prurientis lixivium ex Solano jacquini ibi det.

Ab Alasa (tardo mure) rigor cervicis, sursum versus aër, in morsu dolor et febris oriuntur. Magnum medicamentum butyro clarificato mistum ex melle ibi lingat venenatus.

A Kasháyadanta (constrictis dentibus instructo mure) somnolentia, cordis exsiccatio et debilitatio oriuntur. Melle mistum Mimosae sirishae succum, fructum et corticem ibi lingat.

A Kuliṅga (vulturino) dolores, intumescentia vibicesque circa morsuum orbem oriuntur. Duas Asclepiades cum Vitice negundine ex melle ibi lingat.

Ab Ajita (invicto mure) vomitus, cordis affectio et violaceus oculorum color oriuntur. Ibi Convolvulum turpethum album, cum lacte Euphorbiae antiquorum contritum, ex melle lingat.

A Chapala (tremulo) vomitus, animi deliquium et sitis oriri possunt. Ibi tres myrobalanos, cum Phrynio dichotomo, Curcuma zanthorrhiza et Valeriana jatamansi conmixtos, ex melle lingat.

A Kapila (badio mure) ulcerosa in vulnere inflammatio, febris, nodi et vomitio oriuntur. Ex melle lingat tres myrobalanos, Andropogonem aciculatum et Boërhaviam diffusam alatam.

A Kokila (nigro) terribiles febres et aestus horribilis oriuntur. Butyrum ex decoctione ranarum et Indigoferae anil confectum ibi bibat.

Ab Aruńa (fusco mure) irritatus aër morbos ab aëre ortos facit. —

A Mahakrĭshńa (perviolaceo) bilis; a Śvéta (albo) phlegma; a magno Kapila (magno badio) sanguis; a Kapota (columbae simili mure) quatuor humores irritantur. Ab horum morsibus nodosae, orbiculares, inauribusque similes phlyctaenarum eruptiones horribiles et intumescentia terrifica oriuntur. Lactis coagulati, lactis et butyri clarificati, singulorum tres Prast'hae indicati sunt.

Galedupam arboream, Cassiam fistulam, speciem Piperis longi, Piperis nigri zingiberisque aridi, Solanum jacquini, Hedysarum gangeticum et Kákolim medicus decoquat ad remanentiam quartae partis. Tum Convolvulum turpethum album, Sesamum orientale, Menispermum cordifolium, Anatem casarcam, serpens ophioxylon, terram odorariam, Cratoevam valangam et Punicae granati corticem addat. Hoc totum, in unum redactum, tarde leni igne coquat. Quinque murium, ab Aruńa (fusco) incipientium, venena hoc medicamentum tollit, — aut in Abri precatorii et Solani indici sedimentis oleosis paratum.

Vasa secet doctus medicus et expurget.

In omnium murium venenis hoc praeceptum observandum est. Cum exsusserit medicus, sanguinem mittat et morsum exploratum inungat.

Ex Mimosa sirisha, Indigofera tinctoria, Costo arabico et Croco sativo

cum Menispermo cordifolio commixtis vomitum cricet medicus, aut ex Jálinis decoctionibus. Bignoniae indicae et Alangii hexapetali, aut Bignoniae indicae et Koshavatís radicem, Vangueriam spinosam et Dévadálís fructum ex lacte coagulato bibat et venenum evomat.

Tres myrobalani, Acorus calamus, Dévadáli et Costus arabicus, cum vaccinis urinis commixta, ex superiore praescripto adhibenda sunt, omnium murium venenum tollentia.

Ad expurgandum optatur sedimentum Convolvuli turpethi albi, Dantis et trium myrobalanorum; ad caput purgandum succus et fructus Mimosae sirishae. Species Piperis longi, Piperis nigri zingiberisque aridi etc. cum sedimento vaccini stercoris commixta, salubris est in collyrio.

Cratoevae valangae et vaccini stercoris jusculum, cum melle commixtum, linctus optatur.

Ex collyrio Amomi zanthorhizae, Curcuma longa, seminibus Nerii antidysenterici et Michelia champaca confectum sedimentum, cum Ativisha compositum melleque mistum mane lingat venenatus.

Cum Amaranthi polygami radicibus paratum butyrum liquefactum homo bibat, aut cum Jasmini angustifolii radicibus paratum, aut cum quinque Cratoevae valangae fructibus.

Murium venenum plerumque irritatur nubilo tempore extractum; ibi eo tempore praeceptum abservandum est, quod venena nociva delet.

Stabilibus et male se habentibus vulneribus (ulceribus) venenatis inaures medicus inserat, et pro humorum vitiis purget, ut in vulneribus (ulceribus).

Canis aurei, canis, hyaenae, ursi, tigris etc. aër, phlegmate corruptus, quando conscientiam eripit, fluctum conscientiae ingressus, tum ex delapso pene, maxilla et humero, atque ex immodica salivatione, surditate caecitateque laborat et inconstanter animal se movet. Ab hac bestia rabida oritur morsi hominis torpor et ex morsu caeruleus sanguis effluit. Venenatis sagittis perforati symptomate vexatus plerumque homo conspicitur. A qua bestia homo morsus est, illius motiones clamoremque saepe reddens actione privatus perit. A qua bestia homo morsus est, si illius figuram conspicit, sive in aquis, sive in speculo, ejus calamitatem medicus demonstret. Qui subito timet, identidem audiendo videndoque aquam, eum medicus h y d r o p h o b u m cognoscat et infortunatum. Non morsus, sed tamen hydrophobus, nullo modo absolvitur (sanatur). Dormiens aut surrectus homo sui compos, perterritus, non absolvitur (sanatur).

Sanguine purget morsum medicus in homine ab illis bestiis morso; butyro clarificato illinat exustum morsum, et ex medicamentis butyrum liquefactum vetus bibere det. Cum Asclepiadis giganteae lacte commixtum ei det purgatorium capitis. Andropogonem aciculatum et Boërhaviam diffusam alatam ei det cum Datura fastuosa.

Caro, oleum Sesami orientalis, lac Asclepiadis giganteae et saccharum officinarum depellunt venenum **rabiosi canis**, sicut ventus accumulationem nubium.

Radicis Śarapuńk'hae **Karsham** unum, Daturae fastuosae dimidiam partem et oryzae aquam recipiat, conterat hoc cum oryzae farina, foliis Daturae metel circumdet et placentam coquat. Comedat medicamentorum (sumtorum) tempore illud homo, **rabiosi canis** veneno corruptus. Facit (placenta) alios morbos et digeritur in medicamine. Morbi autem frigido tempore **dubii** fiunt. Morbis deinde in domo aquarum experte sedatis, homo se lavet postero die, et Oryzae sativae Oryzaeque praecocis cibum cum lacte calido comedat. Post tres aut quinque dies hoc praeceptum in dimidia dosi medico adhibendum est, venena **rabidi canis** certe delens.

Si cujus venenum **sponte** irritatur, homo vivere non potest. Itaque venenum medicus, ne id sponte irritetur, celeriter irritet seminibus, gemmis, herbarum medicabilium germinibus et urceis calidae aquae plenis. Lavet hominem in fluminis ripa, aut sub **sacris hymnis** (mantra) in quadrivio, sacrificium offerens ibi, lac scilicet coagulatum cum amurca carneque paratum, serta florea varia, carnem coctam crudamque:

O rabidorum canum Domine, Yaksha, o canum turbae Domine, rabidi canis residuum hoc mihi a veneno liberum fac sine mora!

Det acre purgatorium medicus homini sic lavato. Valde edito hominis non purgati vulnere, venenum irritatur.

Canis et ceterae relatae bestiae aërem bilemque irritant. Idcirco illarum motiones clamoresque morsus homo reddit et saepius reddendo mox moritur. Ab unguibus dentibusque bestiarum inflictum vulnus medicus conterat conspergatque oleo tepido; illa enim vulnera ab aëre irritato orta sunt."

Caput VII.

Nunc vero de tympani sonitu caput exposituri sumus.

Grisleae tomentosae, shoreae robustae, Dalbergiae ougeiniensis, Buteae frondosae, Meliae azidaractae, Bignoniae suaveolentis, Erythrinae fulgentis, Mangiferae indicae, Ficus caricae, Vangueriae spinosae, Terminaliae alatae, Pentapterae arjunae, Sarjakae, Spondiadis mangiferae, Cordiae myxae, Alangii hexapetali, Phyllanthi emblicae, Cassiae fistulae, Echitae antidysentericae, Mimosae sumae, Cratoevae valangae, Aśmantakae, Asclepiadis giganteae, Galedupae arboreae, Euphorbiae antiquorum, Semicarpi anacardii, Ailanthi

excelsae, Glycyrrhizae glabrae, Hyperantherae morungae, Tectonae grandis, Gojís, Sansevierae zeylanicae, Symploci racemosae, Sacchari cylindrici, Zizyphi napecae et Mimosae foetidae cineres medicus recipiat, vaccinam urinam, lixivii parandi more, superfundat, coquat, addat tum radicis de Pipere longo, Amaranthi polygami, corticis de Cassia fistula, Rubiae manjistae, Verbesinae scandentis, Hastipippalís, Piperis nigri, Nymphaeae caeruleae, Echitae frutescentis, Embeliae ribis, fuliginis, Panici dactyli, Asclepiadis acidae, Pinus longifoliae, Asae foetidae, Hedysari lagopodioidis, Kośae, Mangiferae indicae, Andropogonis aciculati, Sinapis dichotomae, Capparis trifoliatae, Salis fossilis, Ficus infectoriae, Barringtoniae acutangulae, Ricini communis, Calami rotang, Salviniae cucullatae, Echitae scholaris, Dańḋakae, Élavālukae, Heliotropii indici, Ativishae, Terminaliae citrinae, Pinus Dévadáru, Costi arabici, Curcumae longae Acorique calami pulverem atque limaturae Martis partem aequalem; deinde, lixivii parandi more, ingressam coctionem deducat (de igne) et in ferreo vase id asservet.

„Illo fluido tympana, vexilla et portas illinat; auditu, visu et tactu a venenis liberatur. Hoc lixivium remedium sic dictum in calculo lithiasique, in haemorrhoidibus, in rheumatismo, in indurationibus glandularum mesentericarum, in catarrho, colica, abdominis intumescentia, indigestione, diarrhoea, cibi fastidio terribili, tumore universali et in suspirio terribili dandum est. Id ab hominibus quovis veneno vexatis omnimodo adhibetur. Adversus serpentes principales hoc etiam superbum remedium est.

Embeliam ribem, tres myrobalanos, Dantím, Pinum Dévadáru, Pisum sativum, Flacourtiae cataphractae folia, Rubiam manjistam, Mesuam ferream, Nymphaeam caeruleam, Nelumbium speciosum, Punicam granatum, florem Jasmini grandiflori, duas Curcumas, Echiten frutescentem, Hedysarum gangeticum, Panicum italicum, Tabernoemontanam coronariam, Costum arabicum, solanum jacquini, Évālukam, Sirium myrtifolium et Cucumim madraspatanum medicus recipiat; ex his paratum salutare butyrum venena tollit, catalepsiam epilepsiamque delet, icterum, morbosas affectiones, suspirium, torpidam digestionem, febrem et catarrhum depellit. Hoc butyrum a tabidis, perpauco semine virili instructis et sterilibus muliebribus laudatur.

Semina Achyranthae asperae Mimosaeque sirishae, duos Andropogones et Solanum indicum cum vaccina urina conterat. Butyrum autem cum illis paratum venena eximie sedat. Ambrosia haec sic dicta mortuum quasi vivificat.

Sirium myrtifolium, Aquilariam ovatam, Costum arabicum, Tabernoemontanam coronariam, Pterocarpum santalinum, Nymphaeam albam, radicem Andropogonis muricati, Pinum longifoliam, Pinum Dévadáru, Santalum album, Wrighteam antidysentericam, Siphonanthum indicam, Indigoferam anil, Nymphaeam lotum, Kaléyakam, Padmakam, Glycyrrhizam glabram, zingiberi

aridum, Jatam, Rottleriam tinctoriam, Elettariam cardamomum, Élaválu, rubricam, Artemisiam vulgarem, Pavoniam odoratam, aquam, resinam Shoreae robustae, Valerianam jatamansem, Saccharum spontaneum, Pisum sativum, Flacourtiam cataphractam, Solanum melongenam, Elettariam cardamomum, Panicum italicum, Bignoniam indicam, Śailapushpam, styracem, folia Lauri cassiae, gummi benzoës, speciem Piperis longi, Piperis nigri zingiberisque aridi, Anethum graveolens, Gmelinam arboream, Colotropem giganteam, Serratulam anthelminthicam, Ativisham, Alpiniam cardamomum, Cucumim colocynthidem, Andropogonem muricatum, Capparim trifoliatam, Cyperum rotundum, Nak'ham, Coriandrum sativum, Andropogonem aciculatum, Curcumam longam, St'hauneyam, salivam, salia fossilia, Nymphaeam esculentam, Nymphaeam caeruleam, Nelumbium speciosum, Asclepiadis giganteae florem, germina Micheliae champacae, Jonesiae asocae, Tritici sativi et Tilakae, flores Bignoniae suaveolentis, Bombacis heptaphylli, Cordiae myxae, Mimosae sirishae, Surasí, Trïnaśúlí, Viticis negundinis, Grisleae tomentosae, Shoreae robustae et Dalbergiae ougeiniensis, bdellium, Crocum sativum, Momordicam monadelpham, Sarpákshím et Gand'hanákulím, — hanc speciem medicus recipiat et in subtiles pulveres redigat. Id cum felle taurino, melle et butyro clarificato commixtum in cornu asservari jubeat. Ex fracto humero laborantem, oculos jam detorquentem et in mortis dentes ingressum hominem medicus hoc praestantissimo remedio rursus eripere potest. Venenum igni simile, difficile cohibitu et immensa vi praeditum irati serpentum Domini, Vásukis, haec medela violenter delere potest. Hoc remedium, valde suaveolens appellatum, ex octuaginta quinque membris (substantiis) compositum, rex omnium morborum, in regis manu sit semper. Hoc remedio inunctus rex omnibus hominibus fit carus; splendorem etiam adipiscitur in Śakrae (Indrae) regionem ingressus.

Caloris expers methodus (antiphlogistica) hominibus veneno vexatis adhibenda est a medico intelligente, excipiente tamen insectorum venenum; id enim frigore crescit.

In ciborum potionumque praecepto indicatum medicus cum perceperit salubre insalubreque, salubre det hominibus veneno vexatis coërcitisque; vetet saccharum crudum, Morungam guilandinam, Zizyphi jujubae fructum atque indigestibilem etc. cibum.

Evitet breviter novem res: illam ab Oryza sativa incipientem ciborum classem (tom. I. pag. 131.), diurnum somnum, coitum, defatigationem, iram, ardorem, liquorem spirituosum, Sesamum orientale et Dolichon biflorum homo veneno aegrotans evitet.

Hominem, humoribus serenis, corporis elementis in naturali indole versantibus, ciborum appetitu, aequali urina et lingua, sereno colore, sensuum organis animique motu praeditum, medicus veneni expertem esse sciat."

Caput VIII.

Nunc vero vermium (et insectorum) antidota exposituri sumus.

„A serpentum seminibus virilibus, faecibus, urinis et cadaveribus orti, naturam aëris, ignis et aquae habentes vermes varii commemorati sunt. Omnium humorum corruptorum naturis praediti sunt in temporis decursu. Vermes hi omnes perhorridi quadruplices sunt.

Kumb'hí (elephantinus), Nasa (nasalis), Tuńdikérí (rostratus), Śrĭngí (cornutus), Śatakulíraka (centum cammaris similis), Uchchitińga (cammarus), Agninama (ignis nomen), Chichchitińga, Mayúrika (pavonis venator), Ávarttaka (rotator), duo, ut aries et Turdus salica in ore fissi, Śarávakurdda (operculo sonitum edens), Ab'híráji (splendore praeditus), Purusha (humanus), Chitraśíshaka (varie galeatus), Śatabáhu (centimanus) et Raktaráji (rubris lineis instructus) appellatus; octodecim itaque ad aërem pertinentes vermes, aërem irritantes, existunt. Hominum ab his morsorum morbi fiunt, ex aëris causa exorti. —

Kauńdilyaka (paluster), Kańab'haka, Varatí (vespa), Patravrĭśchika (foliorum scorpio), Vinásika (nasi expers), Brahmańika (brahmanicus), Vindula (guttatus), B'hramara (vertiginans), Váhyakí (vehicularis), Pichchita (abscissus), Kumb'hí (elephantinus), Varchchaskita (lucidus vermis), Arimédaka (hostium occisor), Padmakíta (vermis Nelumbii speciosi), Dundub'hika (orbiculatus), Makara (monstrum marinum), Śatapádaka (centipes), Pańchálaka (in Pańchálae regione vivens), Pákamatsya (coctivus piscis), Krĭshńatuńda (violaceo ore instructus), Garddab'hí (insectum a vaccino stercore ortum), Klíta, Krĭmisarári, et qui Utkléśaka (vexator) appellatus est; viginti quatuor itaque vermes, ignis naturam habentes, expositi sunt. Hominum ab his morsorum morbi fiunt, ex bilis causa exorti.

Visvamb'hara (omnia portans), Pańchaśukla (quintupliciter albus), Pańchakrĭshńa (quintupliciter violaceus), Kokila (niger ut cuculus Kokila), Sairéyaka (ad Barleriam cristatam pertinens), Prachalaka (motorius), Balab'ha (vi splendens), Kitima (pediculus), Súchímuk'ha (acui simili ore praeditus), Krĭshńagod'ha (violaceus alligator), Kásháyavásika, Kítagarddab'haka et Trotaka (rostratus); tredecim hi vermes mites sunt et phlegma irritant. Hominum ab his morsorum morbi fiunt, ex phlegmatis causa orti. —

Tuńgínása (noctis nasus), Vichilaka, Tálaka (pessulus), Váhaka (vectorius), Kosht'hágári (propria domo instructus), Krimikara (fermes faciens), Mańdalapuchch'haka (orbiculata cauda praeditus), Tuńganáb'ha (elevato umbilico praeditus), Sarshapika (ad Sinapim dichotomam pertinens), Avalgulí, Śambuka (concha bivalvula) et Agnikíta (igneus vermis); terribiles hi duo-

decim sunt, vitam destruentes. Hominum ab his morsorum paroxysmi, ut in serpentium morsibus, cognoscendi sunt. —

Hi illive dolores, horribiles morbi, a tribus humoribus corruptis orti, morsus, ut in lixivii caustici ignisque ustione, ruber, flavus, albus, fuscus, febre, corporis pruritu, horripilatione doloreque praeditus, vomitio, diarrhoea, sitis, aestus, mentis error, oscitatio, tremor, anhelitus, singultus, ardor, frigus horrificum, phlyctaenarum multitudo, intumescentia, nodi, maculae rotundae, eruptiones et auricularis herpes sunt symptomata vermiculata. Hominum ab iis morsorum symptomata etiam convenienter proveniunt.

Quae vero sunt alia horum venenorum genera, ea celeriter medicus demonstret.

Post corrumpentis veneni irritationem et veneni inunctionem indicium in acribus tardisque venenis audi!

Mador, cibi fastidium, vomitio, capitis gravitas, frigus, phlyctaenarum et leprae proventus et corruptorum humorum distributio locum habent. Pulveres cum variis remediis tanquam antidotum medicus post inunctionem illorum variorum corrumpentis veneficii generum indicet. —

Exinde singulas vermium (insectorumque) classes secundum eorum diversitatem et generalitatem, ex morsuum signis et ex curabili incurabilique ordine expositurus sum.

Trikańṫaka (silurus), Kuní (sonorus), Hastikaksha et Aparájita (invictus); hi quatuor Kanab'hae (sonori) sic dicti horrificos dolores efficiunt. Homini ab his morso tremor, corporis pruritus, gravitas membrorum et morsus lividus fiunt.

Pratisúrya (chamaeleon), Pingab'hása (furvus), Bahuvarńa (multicolor), Maháśira (magnum caput) et Nirúpama; hae quinque lacertae appellatae sunt. Hominum ab his morsorum paroxysmi animadvertuntur, ut in serpentum morsibus; scilicet morbi varii et nodi perhorridi.

Galagolí (collum rotundum), Śvétakrĭshńá (albus - violaceus), Raktarájí (rubrae lineae), Raktamańdalá (rubris orbibus instructus), Sarvaśvétá (omnino albus), Sarshapika (ad Sinapim dichotomam pertinens); sic hi sex sunt. In homine ab his morso laesio Sinapi duchotomae similis, aestus, intumescentia, mador, Sinapi dichotomae similes eruptiones, cordis dolores et diarrhoea oriuntur.

Centipedes, scilicet Purusha (humanus), Krĭshńa (violaceus), Chitrá (variegatus), Kapiliká (furvus), Pitiká (flavus), Raktá (ruber), Śvéta (albus) et Agniprab'há (ut ignis splendens); hi octo sunt. In homine ab his morso intumescentia, dolores et aestus cordis oriuntur. A Śvéta et Agniprab'há etiam aestus, animi deliquium et ultra modum albae phlyctaenae oriuntur.

Ranae octo sunt:

Krĭshńa (violacea), Sara (excellens), Kuhaka (praestigiosa), Harita

(viridis), Racta (rubra), Javavarnáb'ha (hordei colore praedita), B'hrĭkutí (corrugator superciliorum) et Kotíka (Viverra ichneumon). Homini ab his morso pruritus in morsu fit, et flava spuma ex ore profluit. A B'hrĭkutí et Kotíka etiam aestus, vomitus et animi deliquium ultra modum oriuntur.

In homine, a Visvamb'hara morso, morsus phlyctaenis Sinapi dichotomae similibus accumulatur; homo frigida febre corripitur.

In homine ab Ahiń́dukis morso dolor, aestus, pruritus, tremor et mentis error oriuntur.

Homo a Kańdúmakis morsus flavo corporis colore, vomitu, diarrhoea, febre etc. corripitur.

In homine a Śúkavrĭntis (spiculorum plenis) morso pruritus, lepraque crescunt et spiculum ibi conspicitur.

Formicae sex sunt:

St'húlaśirshá (formica magno capite), Sambáhiká (congerens), Brahmańiká (bráhmańica), Ańguliká (digitata), Kapiliká (furva), Chitravarńá (versicolor). In morsu ab his morso tremor, ut in ignis contactu aestus, et intumescentiae oriuntur.

Muscae sex sunt:

Kántáriká, Krĭshńá (violacea), Prińgaliká (fusca), Mad'húliká (mellaria), Kásháyí et St'háliká. In homine ab his morso aestus et intumescentia oriuntur. A St'háliká et Káshâyá etiam phlyctaenae cum morbosis symptomatibus oriuntur.

Culices quinque sunt:

Sámudra (marinus), Parimańdala (globosus), Hastimaśaka (elephanti culex), Krĭshńa (violaceus) et Párvvatíya (montanus). In homine ab his morso pruritus horribilis et morsuum intumescentiae oriuntur. Párvvatíya (montanus) autem symptomata vermibus vitam adimentibus similia habet.

In homine unguibus sauciato ultra modum phlyctaenae, aestus et coctio oriuntur.

Symptomata ab hirudinum morsibus orta eorumque curationes jam dicta sunt (tom. I. cap. XIII.).

Sunt hic ślokae:

God'hérakae, st'hálikae, Śvétae, Agnisamprab'hae, B'hrĭkutis et Kotikae venenum non sanatur.

A contaminatione per venenata cadavera, urinas et faeces ex singulis classibus, oriri possunt pruritus, aestus, lepra, phlyctaenae, cruciatus et dolores. Irrigans instillatio ibi valde maturare potest cutem.

Hominem a vermibus (et insectibus) morsum, nec destructum, neque sublatum, sed valde furibundo dolore affectum, in morsu etc. pravo cruciatu afflictum, nimis dolentem, et homines a vermibus (insectisque) horribiliter venenatis morsos medicus, ut in serpentum morsibus, curet.

Tergeminorum serpentum curatio ex triplici praecepto salutaris est: sudationem, inunctionem et conspersionem calidam ibi medicus faciat.

Alibi post morsus exanimantes et aestu lepraque affectos medendi rationem universam, venena delentem, et alvi purgationes medicus adhibeat.

Mimosa sirisha, Echites antidysenterica, Costus arabicus et Acorus calamus cum Indigofera tinctoria et salibus fossilibus, lac, medulla, adeps et butyrum clarificatum cum zingiberi arido, Pipere longo Pinuque Dévadáru, aut Utkáriká cum Hedysaro gangetico etc. bene parata, ad sudationem salubria sunt. Ne sic sudorem medicus eliciat morsui scorpionis; sed fumum indicabo.

Remedia separatim in singulis speciebus indicaturus sum.

Costus arabicus, Anas casarca (?), Acorus calamus, Aegles marmeli radix, Cysampelos hexandra, alkali, fuligo, duae Curcumae, adversus Tríkańtakae (siluri) venenum salubria sunt.

Fuligo, Indigofera tinctoria, Anas casarca, Costus arabicus et Butea frondosa sunt remedium hominum a Galayolika morsorum, venena delens.

Crocus sativus, Tabernoemontana coronaria, Morunga guilandina, Nelumbium speciosum et duae indigoferae sunt remedium, cum aqua contritum, venena a Śatapade (centipede) orta delens.

Asclepias geminata, Acorus calamus, Cysampelos hexandra, Barringtonia acutangula, Asclepias acida et aqua sunt remedium hominum, a quavis rana morsorum, venena delens.

Acorus calamus, Physalis flexuosa, Sida cordifolia et Aguhá sunt remedium hominum, a Viśvab'hara morsorum, venena delens.

Mimosa sirisha, Tabernoemontana coronaria, Costus arabicus, duae curcumae, Hedysarum gangeticum et Barleria alba sunt remedium hominum, ab Ahińduká morsorum, venena delens.

Hominibus a Kańdúmaka morsis noctu frigidae (antiphlogisticae) curatitiones salubres sunt; vi radiorum solis enim vexati homines non sanantur.

Anas casarca, Costus arabicus et Achyranthes aspera sunt remedium adversus Śúkavríntae venenum; aut violaceae formicae terra fragrans, cum Ecliptae prostratae oleoso sedimento contrita.

Homini, a Pipílikis, muscis et culicibus morso, unguentum cum vaccina urina commixtum et fragrans violaceae formicae terra (formicetum) salubria sunt.

Homines a Pratisúrya (chamaeleone) morsos, ut in serpentum morsibus, medicus curet.

Triplices scorpiones dicti sunt: tardo, mediocri et vehemente veneno instructi. A vaccino stercore et liquore stercoreo orti tarda,

a lignis et lateribus orti *mediocria* venena habent. Tardo veneno praediti duodecim, mediocri tres, vehemente quindecim scorpiones sunt. Triginta igitur numero relati sunt scorpiones.

Violaceus, lividus, variegatus, pallido colore praeditus, vaccinae urinae similis, violens, ater, albus simul et ruber, crinitus, ut gramen splendens et ruber; hi scorpiones magna vi praediti aestimati sunt. In homine ab his morso dolores, tremor, membrorum rigor et atri cruoris profluvium oriuntur. Extremitatibus morsis, dolor sursum it, aestus, sudor, in morsu tumor et febris oriuntur.

Ruber, flavus, et omnes furvo abdomine praediti, tribus articulationibus instructi, iique ex urina, faecibus, stercore et ovis orti scorpiones mediocres cognoscendi sunt. Qui ex horum gastero — ambulantium stirpe progenitus est scorpio, vitium humorum, sua propria indole praeditum, procreare potest. Linguae tumor, cibi obstructio et animi deliquium horribile in homine ab illis mediocri vi praeditis morso oriuntur.

Albus, variegatus, niger, rubicundus, ruber, ruber simul et albus, ruber simul et niger in abdomine, flavus alius ruber, niger simul et flavus, alius ruber simul et niger, nigro semine virili instructus, magnus ruber, ut priores una articulatione praeditus, articulationis expers, duabus articulationibus instructus, variis formis et coloribus subjectus; — hi terribiles cognoscendi sunt scorpiones, vitae ereptores. Origo horum scorpionum ex serpentum putredine, aut ex corporibus hominum veneno interfectorum, demonstrata est. In homine ab his morso oriuntur impetus (paroxysmi), ut in serpentum morsibus, tubera, mentis error, aestus et febris; ex sensuum organis ater acerque profluit cruor; propterea vitam homo celeriter amittit.

Hominem vehementibus et mediocribus venenis laesum medicus curet, ut in serpentum morsibus. Morsum autem hominum, tardis venenis vexatorum, medicus oleo rotae, aut oleo Convolvuli paniculati etc. bene parati suaviterque calefacti, conspergi jubeat, efficiatque profluum sudorem inunctionibus venenum delentibus.

Morsum post sudationem dissectionemque vulneris medicus ad cicatricem perducat pulveribus Indigoferae tinctoriae, salis fossilis, speciei de Pipere longo, Pipere nigro aridoque zingiberi et fructuum Mimosae sirishae florumque.

Stercus vaccinum cum acido citri succo et vaccina urina contritum, cum illa medicamentorum classe ab Anetho sowa incipiente compositum, et suaviter calefactum, in *sudatoria unctione* salubre optatur.

In potorio butyrum clarificatum cum melle commixtum, aut lac saccharo officinarum valde conditum, aut aqua saccharo crudo mista, perfrigida et *quadruplici specie* fumigata, aut lac frigidum saccharo crudo mistum, potus ei daudus est.

Cristati galli domestici et pavonis cauda, sal fossile, oleum Sesami orientalis et butyrum clarificatum; suffimentum hoc adhibitum celeriter tollit venena a scorpionibus orta.

Carthami tinctorii flos, Indigofera tinctoria, aut Curcuma longa et Paspalum frumentaceum gramen; — ex his butyro clarificato mistis suffimentum, in aquarum regione adhibitum, tollere celeriter potest vermium scorpionumque venena. —

Aranearum venenum atrocissimum et medicis parum doctis difficillimum dignotu curatuque est. Sitne hoc venenatum, an veneni expers, in dubio est. Remedium venena tollens non inimicum tum conficiendum est. Remediorum enim adhibitio venenato homini convenit; homini autem veneni experti conveniens remedium voluptatem adfert. Ignorando veram veneni naturam medicus interficere potest hominem; idcirco omne diligenter cognoscendum est veneni discrimen.

Sicut arbor, a ramo divisa, non distincto genere praedita apparet, sic difficillimum visu est aranearum venenum corpori insertum. Exiguo pruritu, maculâ rotunda et indistincto colore praeditus esse potest primo die morsus. In finibus tumidus, in medio profundus, manifestâ formâ praeditus est morsus secundo die. Tertio die ostendit morsus venenum; quarto die venenum irritationem adit; sequente die efficit morbos hominis, a veneni irritatione ortos; sexto die diffusum venenum omnes membrorum regiones valde obducit; septimo die illud nimis auctum et in corpore valde circumgressum interficere potest hominem. Quae enim sunt acri, fervido horribilique veneno praeditae araneae, eae septem noctibus hominem delent. Idcirco contentionem medicus medicamentis venenum delentibus ibi faciat usque ad morsus abitum (sanationem).

Venenum vero a saliva, unguibus, urinis, dentibus prominentibus, feminino semine, faecibus et semine virili ortum septemplex emittunt araneae, horribili, mediocri et inferiori vehementia praeditum. Pruritum, lepram, immobilitatem, exiguas corporis radices et lentum morbum medici dicunt salivae venenatae effectionem. Intumescentia, pruritus, pilorum erectio et fumosus status locum habent, vulnere extremis unguibus inflicto. Vulnus vero urinâ effectum, lividum et mediocre, simulque rubrâ circumferentia instructum esse intellige; laceratum autem morsum dentibus prominentibus, terribilem, durum, decolorem et firmo orbe praeditum esse cognosce! A semine feminino, faecibus et semine virili ortum veneficium cum tumore, coctione et metacarpi pallore esse complicatum percipe!

Nunc vero relatam, ad araneas pertinentem, priscam traditionem (puráńam) expositurus sum, generaliterque morsum incurabilem et curabilem, atque curationem secundum species.

Viśvamitras, regum excellentissimus, olim Rĭshem (sacrosanctum) optimum, nomine Vaśishṫ'ham, irritavit, ingressus in eremitarum sedem. Ex hujus irati sacrosancti anachoretae (Munis) fronte et vultu guttae acres et splendidae sudoris deorsum delapsae sunt in sectum gramen, pro vaccis summorum sacerdotum (Maharshi) sectum; illinc exortae autem terribiles et multiformes araneae ad malitiam versantur circa regum apparatum vehiculum. Quia exsudatae guttae sacrosancti anachoretae (Munis) in sectum gramen illapsae sunt, ideo araneae (sectae — insecta) sic appellatae sunt. Hae autem sedecim sunt: difficiles ad curandum et incurabiles araneae, duplices igitur, relatae sunt. Earum octo sunt difficiles ad curandum; relinquendae (non curandae, incurabiles) etiam totidem sunt.

Triorbicularis aranea, alba, furva, flava, magna, urinis venenatis instructa, rubra et destructiva octava est. In homine ab his morso dolor capitis, pruritus in morsu et dolores oriuntur, praecipue vero morbi, phlegmatis aërisque indole praediti. —

Auricolor aranea, granicolor, reticulata, antilopae nigrae pedibus ornata, nigra, flammea, corvi ovum sic appellatum et linearis octava est. In homine ab his morso ulcerosa morsus inflammatio, eruptio sanguinis, febris, aestus, diarrhoea, morbi a tribus humoribus simul corruptis orti, phlyctaenae multimodae, magnae rotundae maculae et tumores magni, molles, rubri, lividi mobilesque fieri possunt.

Generale omnium aranearum hoc est morsus signum.

Speciale illarum signum simul et curationem indicaturus sum.

A morsu triorbicularis araneae sanguis niger effluit, dilaceratur (morsus locus), perturbatio, turbida sitis aestusque in oculis oriuntur. Ibi Aristolochia indica, Curcuma longa, Ophioxylon serpens et Hedysarum lagopodioides in nasali adhibitione (remedio), potione, inunctione et collyrio laudantur.

Ab albae araneae morsu alba phlyctaena pruritiva, cum aestu, animi deliquio febreque complicata, et herpetem, madorem doloremque efficiens, oriri potest. Ibi Sirium myrtifolium, Mimosa octandra, Elettaria cardamomum, Pisum sativum, Arundo karka, Calamus rotang, Costus arabicus, radix Andropogonis muricati et Anas casarca (?) sunt remedium salubre.

A morsu furvae araneae phlyctaena colore cuprino praedita immobilisque, capitis gravitas, aestus, gutta serena et vertigo oriuntur. Ibi Nelumbium speciosum, Costus arabicus, Elettaria cardamomum, Verbesina scandens, Kub'hae cortex, Hedysarum gangeticum, Asclepias gigantea, Pistia stratiotes, Achyranthes aspera, Agrostis linearis et Ruta graveolens sunt venenum tollentia (antidota).

A morsu flavae araneae phlyctaena immobilis, vomitio, febris et

colica oriuntur, atque rubri fieri possunt oculi. Ibi Michelia champaca, Andropogon muricatus, Rottleria tinctoria, Nelumbium speciosum, Calamus rotang, Mimosa sirisha, Achyranthes aspera, Cordia myxa, Nauclea cadamba et Kub'hae cortex optata sunt.

A magnae venenatae araneae morsu, rubris ornamentis simili, phlyctaenae, Sinapis dichotomae instar, oriuntur, palatique siccitas et aestus. Ibi Panicum italicum, Andropogon shoenanthus, Costus arabicus, Andropogon muricatus, Calamus rotang, Anethum sowa, Piper longum et Fici indicae surculi sunt remedium.

Venenata sanie urinaque laesus homo herpetem et violaceum sanguinem nanciscitur, catarrho, anhelitu, vomitione, animi deliquio, febre et aestu affectus est. Ibi remedium ex arsenico rubro, auripigmento, Glycyrrhiza glabra, Costo arabico, Sirio myrtifolio et Nelumbio specioso, commixtis cum melle et Andropogone muricato, indicatum est.

Morsus rubrae araneae cum flavidis phlyctaenis, aestu et madore complicatus est, rubram habet circumferentiam et cruore impletus cognoscendus est. Ibi conficiendum est remedium ex aqua, Sirio myrtifolio, Andropogone muricato, Nelumbio specioso, pariterque ex Terminalia alata, Cordia myxa et corticibus Spondiae mangiferae.

Ex destructivae araneae morsu sanguis glutinosus et frigidus effluit; catarrhus, anhelitus, oriuntur. Ibi indicata est curatio rubrae araneae.

Faecibus olens et exiguo sanguine impletus morsus nigrae araneae cum febre, animi deliquio, vomitione, aestu, catarrho et anhelitu complicatus est. Ibi ex Elettaria cardamomo, Anate casarca, Sarpakshí, Morunga hyperanthera, Pipere chavya et Sirio myrtifolio, cum magno Cypero rotundo compositis, confectum remedians medicamentum commemoratum est.

A flammeae araneae morsu aestus, profluvium ultra modum, febris, cutis inflammatio, pruritus, erectio pilorum, ardor et tuberum generatio oriuntur.

Nigrae araneae sedationem ibi medicus cum effecerit, adhibeat Echiten frutescentem, Andropogonem muricatum, Siphonanthum indicam, Sirium myrtifolium, Nymphaeam caeruleam et Nelumbium speciosum.

In omnium aranearum veneficio corticem Cordiae myxae medicus adhibeat, et in omnibus veneni generibus piper cum lacte paratum.

Araneae, difficili ad curandum veneno instructae, decem explicatae sunt.

Nunc vero signa aranearum, incurabilem veneni vim habentium, sponte me doce!

Inflatus est auricoloris araneae morsus, tumidus et piscium odore praeditus. Ibi anhelitus, catarrhus, febris, sitis et animi deliquium perhorridum oriuntur.

A granicoloris araneae morsu morbus et pus oriuntur, sanguis

effluere potest, aestus, animi deliquium, diarrhoea et capitis dolor nascuntur.

Terribilis morsus ab aranea reticulata, ut a lineari, proficiscitur Rigor, anhelitus, obscuritatis augmentum et palati siccitas oriuntur.

Morsus ab aranea Antilopae nigrae pedibus instructa, nigro Sesamo orientali similis et cum siti, animi deliquio, febre, vomitione, catarrho anhelituque complicatus est.

Morsus hominis, a corvi ovo morsi, lividus et valde dolorosus est.

Morsus araneae linearis ruber, fumi odore praeditus et valde dolorosus est, multipliciter dilaceratur et cum aestu, animi deliquio febreque complicatus est.

Insanabilibus prudens medicus adhibeat curationem, corruptorum humorum exacerbationes discernens, et sectionis operationes evitans.

Hominis, a curabilibus araneis morsi, locum laesum peritus medicus lamellâ scalpelli omnino demat. Eugeniae jambu labio, ignibus accenso, medicus urat, quantum manu obtegi potest. Articulationibus exceptis, edoctus medicus incisionem morsi loci, a febre etc. liberati, et exiguo tumore praediti, faciat. Deinde medicamanta, cum melle saleque fossili composita, pariterque Panicum italicum, Curcumam longam, Costum arabicum, Mimosam pudicam et Glycyrrhizam glabram inungat.

Echiten frutescentem, Glycyrrhizam glabram, acinos vinaceos, Asclepiadem roseam, lac et saccharum officinarum, aut Convolvulum paniculatum, Ruelliam longifoliam, mel et Glycyrrhizam glabram medicus bibere det.

Infusione corticis Mimusopis kauki, bene refrigeratâ, hominem adspergi jubeat, atque symptomata, pro humorum vitio, medicamentis, venenum tollentibus (antidotis), curet.

Nasale remedium, collyrium, unguentum, potiones, fumigium, compressionem, ecligmata, purgationes a duobus lateribus (alvi purgationem et vomitum) adhibeat et sanguinem hirudinibus extrahat.

Ab insectis (et vermibus) corrupta vulnera omnia, et ab anguibus morsa, medicus, ut serpentum morsus, curet, morsuum maturationi operam dans. Tum, cessante tumore, anulorum injectio salubris est. Meliae azidaractae folium, Convolvulus turpethum album, Dantí, Carthamus tinctorius, Curcuma longa, mel, bdellium, sal fossile, fermentum et cortices Diospyri glutinosae indicata sunt.

Cibos incrementum veneni efficientes relinquendo comesus saluber est.

Veneficiis sane omnibus anulum indolorosum et firmum injiciat medicus, et remediis purgativis, cum melle compositis, curet.

Centum et sexaginta septem insectorum morsa signa distribute exposita sunt, atque eorum curationes proxime sequentes.

Centum et viginti capita (Ad'hyáya) distribute exposita sunt.

Hic indicatos quidem, sed non explanatos morbos omnes edisseram in ultimo tractatu (Uttaratantra). — —

Ob Védarum aeternitatem, sempiternitatem, manifestum fructum et utilitatem pro hominibus, sermonum copiosorum extensionem, venerationem ab hominibus tributam et ob medicinalem artem audivimus optimum, nec vero aliquid leve. Rĭshis (sapientis D'hanvantaris), ut Indra excelsi, ab immortalibus (Diis) orti, et medicorum magistri, claram doctrinam, eximie excogitatam, tenendo, homo in hoc terrestri mundo et post mortem victu et vitae ratione laetatur."

Sic in Suśruta, Áyurvédae doctrinam continente, quartus Liber, Antidotorum doctrina (Kalpast'hána), peractus est. —



Tab. I.

Conspectus ponderum pharmaceuticorum, in partes diductorum, quae in Suśrutae Áyurvéda adhibentur.

	B'hára	Drońa	Tulá	Ad́'haka	Prast'ha	Kud́ava	Prasrĭta	Pala (Vila)	Śukti	Karsha (Aksha, Suvarńa)	D'harańa	Másha
1 Másha	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1
1 D'harańa	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	$6^2/_5$
1 Karsha (Aksha, Suvarńa)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	$2^1/_2$	16
1 Śukti	—	—	—	—	—	—	—	—	1	2	5	32
1 Pala (Vilva)	—	—	—	—	—	—	—	1	2	4	10	64
1 Prasrĭta	—	—	—	—	—	—	1	2	4	8	20	128
1 Kud́ava	—	—	—	—	—	1	2	4	8	16	40	256
1 Prast'ha	—	—	—	—	1	4	8	16	32	64	160	1024
1 Ad́'haka	—	—	—	1	4	16	32	64	128	256	640	4096
1 Tulá	—	—	1	$1^9/_{16}$	$6^1/_4$	25	50	100	200	400	1000	6400
1 Drońa	—	1	$2^{14}/_{25}$	4	16	64	128	256	512	1024	2560	16384
1 B'hára	1	$7^{13}/_{16}$	20	$31^1/_4$	125	500	1000	2000	4000	8000	20000	128000

Tab. II.

Pondera pharmaceutica in Suśrutae Áyurvéda, ad nostra reducta.

	Libra	Unica	Drachma	Scrupulus	Granum
1 Másha	—	—	—	—	17
1 D'haraña	—	—	1	2	$8^4/_5$
1 Karsha (Aksha, Suvarña)	—	—	4	1	12
1 Śukti	—	1	1	—	4
1 Pala (Vilva)	—	2	2	—	8
1 Prasrĭta	—	4	4	—	16
1 Kuḋava	—	9	—	1	12
1 Prast'ha	3	—	2	—	8
1 Aḋ'haka	12	1	—	1	12
1 Tulá	18	10	5	1	—
1 Droña	48	4	2	—	8
1 B'hára	377	9	2	2	—

Notanda.

I. Ex uno Másha haec computatio est effecta. Unus Másha enim aequalis est decem seminibus Abri precatorii, aut duodecim mediocribus Oryzae sativae granis, i. e. circiter septemdecim granis nostri ponderis pharmaceutici.

II. Káńḋa = pugillus.

III. D'harańa unus secundum alios aequalis est decem Palis.

Corrigenda.

Pag. 7 lin. 13 pro femina lege feminae
" 9 " 33 " elemeutorum lege elementorum
" 10 " 7 " iugeessus lege ingressus
" 10 " 8 " mentrui lege menstrui
" 10 " 31 " eoitu lege eoitui
" 22 " 29 " eirea lege eirea
" 27 " 29 " semnis lege seminis
" 28 " 22 post vertebralis pone eolou
" 39 " 17 pro Seminifera lege Seminiferi
" 42 " 17 " aut lege aut
" 47 " 10 " tautumodo lege tantummodo
" 54 " 29 " refraenandi lege refraenandae
" 55 " 3 " rassa lege rasa
" 60 " 25 " Inuae lege luuae
" 64 " 29 post euret poue eolon
" 69 " 13 pro agresso lege aggresso
" 71 " 11 " Semieapum lege Semiearpum
" 72 " 22 " Flacouratia lege Flaeourtia
" 79 " 8 " versam lege versum
" 79 " 29 ., plegmate lege phlegmate
" 79 " 39 " diapheretieis lege diaphoretieis
" 80 " 8 " haemorroidalibus lege haemorrhoidalibus
" 81 " 10 " arabaei lege arabici
" 81 " 25 " pro pulve re lege pulvere
" 82 " 12 " infunduudat lege infundat
" 86 " 31 " fitulam lege fistulam
" 88 " 12 " liquirità lege liquiritiâ
" 95 " 1 " sternutatatorium lege sternutatorium
" 95 " 24 " paratam lege paratum
" 98 " 11 " aequae lege aquae
" 110 " 2 " eompssitum lege eompositum
" 112 " 34 " Extrato lege Extraeto
" 114 " 6 " adhibeudo lege utendo
" 115 " 39 " phlogmoues lege phlegmones
" 125 " 5 " hirudivibus lege hirudinibus
" 148 " 14 " effieit lege effieiat
" 152 " 18 " insulo lege insulso
" 166 " 40 " ratioue lege ratione
" 182 " 22 " puadraginta lege quadraginta
" 183 " 8 " orifiei lege orificii
" 192 " 28 " eam lege eum
" 198 " 2 " pargativi lege purgativi
" 199 " 20 " liquirita lege liquiritia
" 204 " 35 " iuflatum lege inflatum
" 224 " 39 " caelstis lege caelestis
" 241 " 38 " insectibus lege insectis.

SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Id est

MEDICINAE SYSTEMA

A

VENERABILI D'HANVANTARE

DEMONSTRATUM

A

SUŚRUTA DISCIPULO COMPOSITUM.

Nunc primum ex **Sanskrita** in **Latinum** sermonem vertit, introductionem, annotationes et rerum indicem

adjecit

Dr. Franciscus Hessler,

Academiæ literarum et scientiarum Regiæ Boicæ socius commercio junctus.

Tom. III.

ERLANGAE apud FERDINANDUM ENKE.

MDCCCL.

SUŚRUTAS.

ÁYURVÉDAS.

Tom. III.

UTTARATANTRA.

ID EST

ULTIMUS TRACTATUS.



Praefatio.

Tertius et extremus hic Áyurvédæ tomus eos omnes morbos complectitur, qui in tomo secundo, ubi de Therapia agitur, non sunt tractati. —

Nunc tandem ad finem operis perveni. Neque vero tamdiu in interpretando Áyurvéda versatus essem, nec distulissem exspectatam a doctis et expetitam hanc editionem in hunc usque annum, nisi per omnia negotiorum medicorum intervalla, in quibus furari quasi otium potui, in conquirendis perscrutandisque subsidiis literariis multum mihi fuisset laborandum. —

Comprehendam singulari libello, tanquam Appendice hujus operis, annotationes varias atque illustrationes; agam ibi de Suśrutae ætate ac de Áyurvédae systemate, et adjiciam indices locupletissimos. Indicem autem plantarum medicarum in hoc opere occurentium jam nunc offero, ut uno intuitu cernatur, quanta sit earum ubertas.

Vos Viros Doctissimos iterum admonitos volo, me in Suśruta interpretando religiosissime esse versatum. Perdifficilem mihi sane imposui laborem; nec prævidi, quantum esset in hac interpretatione molis. Mihi enim certe hoc propositum fuit, ut locos auctoris obscuriores, quorum numerus non est exiguus, diligentissime explicarem, etsi non dubito, quin omnia, ut volui, præstare non potuerim. Nam sunt ibi res neque in scholis decantatæ, neque in commentariis protritæ. Suśrutas

enim, princeps inter medicos priscos, qui quidem ad nos pervenere, quamvis concinnus, sæpe ob brevitatem, sæpius ob antiquitatem, obscurus fit. Quonam vero tempore floruerit, si inquiramus, ex ejus scribendi genere et forma maxime intelligimus. Ea enim utitur pæne scribendi ratione, quæ aperte tempora Maháb'háratae prodat.

Præterea nullibi Charakam noster citat; sæpius vero alios, ut Saunakam, Kritaviryam, Parasaryam, Márkańd́éyam, Subhútam et Gautamam. Cur autem Charakam, medicum perantiquum, non citasset, si æque hunc, ut illos, cognovisset? Anne ex eo suspicari vel potius intelligere possumus, Charakâ priorem esse Suśrutam? Antiquissima Suśrutae ætas in annotationibus, mox Appendicis loco edendis, accuratissime mihi erit probanda, quoniam hæcce a Viris Doctissimis in controversiam et disceptationem nuper est vocata. Ex ipso opere luculenter evinci poterit, Suśrutam, Visvamitrae filium, heroicis Hindorum temporibus vixisse. Nec tamen est in re manifesta multis argutis argumentis opus; nam quis in ipso Áyurvédae limine non intelligit ultimam antiquitatem, opus archetypum, non aliunde expressum? Genuinum præterea totum opus est et excellens, tanquam doctrina divinitus tradita, quæ in melius mutari non potest.

Scr. Wemdingae, calend. Novembr.
MDCCCL.

Dr. Franciscus Hessler,
medicus publicus.

Honos D'hanvantari!

Caput I.

Nunc vero caput (ad'hyáya), ad phænomena pertinens, exposituri sumus.

„In centesimo vicesimo capite quia dictum est a me: „„„indicabo multipliciter omnino in Ultimo tractatu (Uttaratantra) has res"", nuc hanc tractabo doctrinam (tantram) ultimam præstantissimamque, ubi plene explicantur morbi singuli, in Sálákyaśástra (tom. I. pag. 2.) relati, a Vidéhæ rege memorati, et qui copiose visi sunt infantiles morbi dolorem efficientes, et qui in sex Káyachikitsis (tom. I. pag. 2.) dicti sunt a summis Rishis (sapientibus), et qui morbi dæmoniaci etc., et qui adventicii commemorati sunt; et sexaginta tres gustuum combinationes, et sani hominis vitæ ratio, aptæ compositiones et corruptorum humorum divisiones: ubi etiam dictæ sunt variæ materiæ, morborum curationem efficientes.

In principio hujus doctrinæ (mantræ), quasi difficilis ad inquirendum oceani, morbos in præstantissimo membro (oculo) exortos, secundum numerum, signa et curabilem incurabilemve rationem, expono. Cognoscat medicus oculi bulbum duos pollices amplum, proprio pollice transverso mensuratum, duos pollices cum dimidio quoquoversus magnum, valde rotundum, uvæ formâ præditum et ex omnium creaturarum qualitatibus ortum esse. Caro ejus ex terra, ex igne rubor, ex aëre nigror (cornea), ex aqua albor (albuginea), ex aethere lacrymales viæ oriuntur in bulbo oculi. Pupillam ibi sic explicabo, ut eam exponere debet peritus. Oculi longitudinis tres partes appellantur niger orbis. Ex nigrore septimam partem volunt esse pupillam medici, pupillæ periti. Orbes quinque, compages sex et tunicas sex in oculo

ex præscripto medicus dignoscat. Ciliorum, palpebrarum, alboris, nigroris et pupillæ orbes exsistunt. Priores orbes ex ordine quatuor mediocres, ultimus (pupilla) autem præstantissimus est.

Cilia palpebrasque aggressa est compages; palpebras et alborem (albugineam) aggressa est alia compages; alborem et nigrorem (corneam) aggressa est alia; nigrorem et pupillam aggressa est alia; porro pupillam aggressa est alia; sexta compages angulos oculi aggressa relata est.

Duas palpebrarum tunicas cognoscat. Quatuor tunicæ aliæ in bulbo oculi oriuntur, cæcitas in quibus, morbus perhorridus, exsistit. Splendoris aquam agressa est tunica externa in his; altera carnem aggressa est; telam cellulosam tunica tertia aggressa est; os vero alia, quintam partem oculi complens.

Harum partium multitudo optatur, vasorum, nervorum, telæ cellulosæ nigrorisque qualitates, et ultra nigrorem phlegma, pro ligatione oculorum cum vasis conjunctum.

A corruptis humoribus, vasa permeantibus, bona qualitate privatis, sursum gressis, oriuntur in oculi partibus morbi perhorridi. Ibi turbidum, irritatum, lacrymis plenum, gravi inflammatione, æstu, colore et ceteris inapertis symptomatibus affectum, dolorosum, in palpebrarum irritationibus spiculis plenum, non splendidum, excruciatum, aut in forma et actionibus, ut antea, oculum intuitus sapiens medicus cognoscat, cum corrupto humore sic effectum esse. Ibi causam aggrediatur et corrupto humori consentaneum medicamentum det, aliter morbi oculis exorti vehementes fieri possunt.

Medendi ratio breviter causarum sublatio dicta est; sed aëris etc. repulsionem indicatam fusius denuo pertractabimus.

Post introitum in aquam, adspectionem rerum remotarum, somni contrarietatem, sempiternam lacrymationem, mœrorem, iram, ærumnam, læsionem, nimium coitum, carnis, oryzæ fermentatæ, aciditatis, Dolichi biflori Phaseolique radiati usum, excretionum impeditionem, sudationem, pulveris fumique contactum, vomitionis repulsionem, nimiam vomitus adhibitionem, lacrymarum perseverationem et subtilium rerum inspectionem corrupti humores in oculo hominis, æstu ardentis, morbos generant. Ab aëre decem, totidem a bile, a phlegmate tredecim, a sanguine sedecim, ab omnibus humoribus simul corruptis viginti quinque, extrinsecus orti rursus duo morbi dignoscendi; septuaginta sex itaque commemorati sunt morbi (oculorum.)

Motionis privatio, nictatio nimia, pupilla profunda, atque aëre afflicta palpebra, hi morbi ab aëre orti non sanantur. Dubia est caliginosa gutta serena. Curabiles fieri possunt alii ab aëre orti morbi: aridus oculus, coctio, nimia motio, destillatio et aëris circuitus. — Incurabilis est myops aquifluusque biliosus, marcidus nigerque morbus; dubia est gutta serena extensa, destillatio, nimia motio, acida combustio, margarita sic dicta, pupilla

bile inflammata, pustula et appendix. — Incurabilis est a phlegmate ortus fluxus; dubia est gutta serena extensa, destillatio. nimia motio, phegmatis nodus, pupilla phlegmate inflammata, pustula, appendix, vermes, nodus, humecta palpebra et albuginea, corneæ obcæcatio; phlegmatis obductio curabilis est. Hæ passiones sic enumeratæ sunt inter morbos a phlegmate ortos.

Sanguinis profluvium, caprinus oculi morbus, nodus a sanguine ortus, prolapsus et iridis decoloratio non curabiles morbi sunt. Gutta serena momento orta dubia est demonstrata. Nimia motio, destillatio, a vasis orta vexata palpebra horripilationisque phænomenon, oblitorius sic dictus nodus, vasorum rete commemoratum, nodus, in ulceris modum decoloratio iridis, sanguineus oculorum morbus et inflammatio albugineæ — hi morbi inter morbos a sanguine ortos curabiles sunt.

Profluvium puris, ichneumoniaca cæcitas, oculorum coctio, oculorum mors et inflammatio corneæ, morbi ab omnibus humoribus simul corruptis orti, incurabiles sunt. Dubii morbi sunt gutta serena, irritatio ciliorum, palpebræ constrictio, in vasis tumores, extensio, carnis hypertrophia, tendinum morbus, hordeolum, puris torpor, insensilis tumor palpebræ. livida et carnosa palpebra, ut nodus hæmorrhoidalis in palpebra et iride situs nodus, calculus palpebræ, tumida et non tumida coctio, acuta palpebra, inhumecta palpebra, Rottleriæ tinctoriæ seminibus similis tumor, et fibrata palpebra sanantur.

Morbi duo extrinsecus orti, causa præditus et causa privatus morbus, incurabiles sunt. —

Septuaginta sex morborum horum nomina comprehensa sunt: novem morbi in his ad oculorum compages lacrymasque spectant; a palpebris orti autem sunt viginti et unus; in alba parte undecim; quatuor in nigra parte orti sunt; omnes morbos ad lacrymas pertinentes septendecim sunt; a pupilla orti sunt duodecim; extrinsecus orti duo relati sunt morbi perquam horribiles.

Denuo hos morbos pertractabo numeris, formis et curationibus.“

Caput II.

Nunc vero caput, morbos a compagibus oculorum profectos discernens, exposituri sumus.

„Puris torpor cum superlitione, fluores, tuberculosa ophthalmia, verminosus nodus, cocta intumescentia a compagibus oculi orta, quæ confluere potest, crassum pus, fœtore pureque torpidus nodus non parvus, in oculi compage cruditas, pruritu plena et doloris expers superlitio, scilicet novem morbi, oculorum compages aggressi dignoscendi sunt. — Cum corrupti humores invaserint per lacrymarum viam in compages oculorum, efficere possunt profluvia doloribus privata propriisque signis prædita. Hæc sane profluvia etiam fistulam oculi quidam appellant. Hujus fistulae indicium ostendam quintuplice ratione: in compage coctio, quæ confluere potest, pus, puris profluvium multiforme, demonstratum est; album, crassum, viscosum pus, quod phlegmatis profluvium doloris expers, profluere potest, demonstratum est; rubrum profluvium, a sanguine ortum, simul cruentum et tepidum, non exiguum, profluere potest, non valde crassum; bili simile pus, atrum, calidum, aquæ simile et fellifluum profluere potest ex media compage; cuprino colore prædita, a sanguine cognoscenda, nodosa, rotunde tumida, orta in nigra albaque compage, ophthalmia fieri potest In hac compage etiam ophthalmia relata est superioribus indiciis.

Verminosum nodum palpebræ prurituinque cilii efficere possunt vermes in compage orti; multiformes in palpebrarum et albuginis compage ambulantes medium oculum corrumpunt."

Caput III.

Nunc vero caput, morbos a palpebris profectos discernens, exposituri sumus.

„Quando corrupti humores, singuli et universi, vasa palpebralia assecuti, consistunt in palpebris valde torpefacti, tum augendo carnem sanguinemque, morbos palpebrales celeriter generant. Nomine eos cognoscite! hordeolum, tumores Rottleriæ tinctoriæ seminibus similes, pustulas, palpebrarum calculos, nodum hæmorrhoidalem, siccum nodum, oblitorium, auctam palpebram, constrictionem palpebræ, vexatam palpebram, palpebræ carnositatem, lividam palpebram, humectam palpebram, inhumectam palpebram, aëre afflictam, insensilem tumorem, nimiam nictationem, nodum a sanguine ortum, appendicem, fibratam palpebram et ciliorum irritationem.

Tumorem intermedio orificio instructum sistens et externa inferioreque palpebrarum parte se colligens hordeolum nominatim dignoscendum est; ejus forma tumori similis est.

Rottleriæ tinctoriæ seminibus similes tumores in cilio et palpebra, qui fissi inflantur, sunt tumores Rottleriæ tinctoriæ seminibus similes.

Pruritu effluvioque instructi, graves, rubræ sinapi dichotomæ similes morbosique tumores pustulæ cognominantur.

Tuberculis parvis durisque obtecti tumores calidi et turgidi, palpebrarum calculi cognoscendi sunt.

Parvi calidique in palpebris siti tumores nodi palpebrales vocantur.

Longus, sanguinosus, calidus, rigidus, terribilis, ex palpebris exortus hic morbus memoratus siccus nodus appellatus est.

Aestuosus, vexabilis, cuprino colore præditus, ex palpebris exortus, mollis, torpido dolore affectus et parvus tumor cognoscendus est; hic oblitorius vocatur.

Si cujus palpebra undique obtegitur tumoribus coloratis æqualibusque, hanc auctam palpebram esse medicus sciat.

Si homo pruritivo paululumque doloroso palpebræ tumore æquabiliter claudere nequit oculum, fieri potest constrictio palpebrae.

Quæ palpebra mollis, parum dolens, cuprino colore prædita et etiam æqualis subito fit rubra, eam medicus vexatam palpebram esse doceat.

Quando autem vexatam palpebram sanguis cum felle commixtus inflammat, tum mador aggressus dicitur palpebrae carnositas.

Quæ palpebra exteriore interioreque parte livida, tumida, dolorosa, æstuosa et pruritiva est, ea livida palpebra æstimata est.

Doloris expers, exteriore parte tumida, interiore autem humecta palpebra fluit et pruritu indolore maxime affecta est; hæc humecta palpebra vocatur.

Cujus immatura palpebra, iterum lota, iterum constringitur, inhumectam palpebram hanc esse medicus sciat.

Quæ articulationis expers et immobilis palpebra non nictatur, eam, sive dolorosam, sive non dolorosam, aëre afflictam medicus sciat.

In palpebra media situs, iniquus, nodosus et doloris expers dignoscendus est insensilis tumor virorum, sanguinolentus, dependulus.

Aër, vasa ad nictationem pertinentia atque in palpebris congregata ingressus, valde commovere potest palpebras; hic morbus nimia nictatio æstimatus est.

Sæpius resectæ augentur molles excrescentiæ in palpebris sitæ, æstu, pruritu doloreque affectæ; hi sunt nodi a sanguine orti.

Immaturus, durus et crassus nodus palpebralis, doloris expers, pruritivus, cauda instructus et piperis longi mensuram implens, appendix est.

Tumida palpebra, quæ multis parvisque cavis prædita est, sicut loti fibra, fibrata palpebra relata est.

Ciliorum sedem aggressi humores vitiosi calidas in margine et pungentes efficiunt palpebras; his affectus oculus dolet. Evulsis ciliis sedatio rursus oritur.' Aëri, solis lumini et igni inimica ciliorum irritatio hæc dicitur."

Caput IV.

Nunc vero caput, morbos ab albore (albuginea) profectos discernens, expostituri sumus.

„Extensio, albugo, sanguinis morbus, carnis hypertrophia et tendinum morbus, sane quinque nominati sunt morbi. Margaritata gutta, inflammatio albugineæ, opacitas, rete vasorum et albi tumores simul cum phlegmatis nodo, reapse undecim in alba oculorum parte morbi sunt. —

Extensio nodosus est morbus, ibi in alba parte diffusus, tenuis, sanguineus simul et violaceus.

Albugo est mollis, nubila, in alba oculi parte simul albida atque æqua, et diu ibi increscit.

Quæ caro augmentum adipiscitur in alba oculi parte ac Nelumbii speciosi splendore prædita est, eam demonstrant sanguinis morbum.

Extensam, mollem, copiosam, hepatis colore praeditam aut lividam hanc carnis hypertrophiam, oculorum morbum, medicus agnoscat.

Quæ caro in alba oculi parte capit incrementum, calida flavidaque est, tendinum morbus sic dictus est.

Quæ lividæ et carni similes guttæ aut margaritæ in albo oculo sunt, margaritae vocantur.

Unam leporis sanguini similem guttam, quæ in albuginea sita est, inflammationem albugineae vocant.

Elata, aquæ instar splendens et farinæ albore prædita quæ oritur gutta, opacitas valde rotunda est.

Reticulatum, durum, vasculosum, magnum et rubrum productum hic commemoratum rete vocatur.

In alba oculi parto qui albi tumores vasis obducti sunt, eos in nigroris propinquitate a vasis ortos esse medicus sciat.

Cupro albo similis, vasis obducta in alba oculi parte quæ oritur gutta, ea, doloris expers, nodus phlegmaticus nuncupatur."

Caput V.

Nunc vero caput, morbos a nigrore (nigra oculi parte) profectos discernens, exposituri sumus.

„Ulcerosa et non ulcerosa iridis alteratio, interitus oculi per coctionem et caprinum stercus, — hi quator morbi in nigra oculi parte se colligentes, primo summatim relati sunt.

Immersa forma, perforata sicut acus, oriri potest in oculi nigrore, quae splendet; profluvium provenire potest calidum valdeque morbosum. Hunc morbum ulcerosam iridis alterationem vocant.

Quando albugo in nigra oculi regione splendet, destillat, non nimis dolorosa, lacrymis affecta et nubis parti in atmosphaera similis est, eam alterationem iridis non ulcerosam, maxime curabilem, appellant.

In profundo natam et amplam iridis alterationem, jam diu exortam, appellant miseriam. Hæc dilacerata in medio, aut carne obducta, vacillans, vasis instructa, cæcitatem efficiens, duas tunicas aggressa, rubrà in fine et jam diu exorta, derelinquenda (non curabilis) est.

Qua in nigra oculi parte calidarum lacrymarum profusio et tumor oritur, hanc iridis alterationem, Phaseolo mungoni similem, incurabilem esse quidam dicunt; aliamque, quæ alis perdicum similis est.

Si cujus niger orbis albugine, ab omnibus humoribus simul corruptis orta, obtegitur, hunc morbum, ex irritatione oculi exortum et horrifice dolorosum, oculi interitum per coctionem vocant.

Caprino stercori similis, dolorosus, sanguineus et rubro pituitosoque sanguine affectus resecandus tumor nigram oculi partem invadit. Hanc excrescentiam caprinam sic dictam medicus exstirpet."

Caput VI.

Nunc vero caput, morbos universum oculum aggressos discernens, exposituri sumus.

„Destillationes quatuor hic relatæ sunt, totidemque commotiones; porro duæ coctiones, scilicet tumore prædita et tumore non instructa. Sic hi decem morbi indicati sunt.

Inflicta commotio, aëris ambitio, sicci oculi coctio, alibi aër, visus aciditate perustus, vasorum adscensio et horror, ac plerumque omnes ubique

collocati oculorum morbi fiunt destillationum causæ et radices. Idcirco exorientem probi hominis destillationem sapiens medicus celeriter aggrediatur.

Cruciatus, rigor, horripilatio, tritura, asperitudo, capitis calor, exsiccationes et frigidarum lacrymarum profusio in oculis aëre affectis oritur.

Aestus et coctio, frigoris appetitus, vaporatio, lacrymarum emissio, calidarum lacrymarum profusio et flavidus color in oculo bile affecto oritur.

Caloris appetitus, gravitas, oculorum intumescentia, pruritus, superlitio, albor, nimium frigus et identidem profluvium pituitosum in oculis phlegmate affectis oritur.

Lacrymarum cuprinus et oculorum sanguineus color, radii, undique nimius rubor et bilis signa in oculis sanguine affectis oriuntur.

Auctis illis hominum non curatorum destillationibus totidem admodum dolorosæ commotiones in oculo oriri possunt. Roditur quasi horribiliter oculus et pariter commovetur capitis dimidium; hanc commotionem medicus ex propriis his signis intelligat.

Si oculus roditur quasi atque, ut Premna spinosa, commovetur et triturâ, cruciatu, dilaceratione et carne irritatus turbidusque est; si eo capitis dimidium incurvatione, agitatione, inflatione, tremore et dolore complicatum est; hæc commatio ab aëre orta est.

Rubris lineis opertus, profluvio affectus, in igne quasi combustus, hepatis frusto similis, æstuosus, lixivio quasi oblitus, ulcerosus, coctus, tumefactus, in fine coloratus, simul sudorus, flavida specie instructus et animi deliquio capitisque dolore complicatus oculus bile commotus est.

Tumidus, non valde irritatus, profluvio, pruritu, frigore, gravitate, pituita, gramia horripilationeque affectus est, figuram in dolore videt, pulvere quasi impletus, turbidus et nasi inflatione capitisque dolore complicatus est oculus phlegmate commotus.

Qui oculus Pentapetæ phoeniceæ similis est, vexat, tangi non potest, rubro profluvio affectus dolorosusque est, qui videt ignicoloras regiones, qui ruber, submersus et Sapindi saponariæ baccis similis est, cujus nigra pars conspicitur, quique collustratus et rubra circumferentia instructus est, is sanguine est commotus.

Perdere valet visum post septem noctes (et dies) commotio (oculi) a phlegmate orta; a sanguine profecta post quinque noctes; post sex noctes ab aëre orta perdere potest (visum); post falsam curationem biliosa statim. —

Oculi coctio, superlitione lacrymisque affecta, matura, Ficui glomeratæ similis, æstu, tritura, cuprino colore, tumore, cruciatu pondereque complicata, aut quæ identidem profundit lacrymas calidæ frigidaeve aquæ, quæque pituitosa furibundaque est et maturatur, ea ex tumore orta est.

Tumore autem privata sunt signa in oculi coctione a nullo tumore

orta; intra vasa versatus aër, oculum projiciens, ærumnosam commotionem generare potest, quam incurabilem esse sciunt docti.

Cilia, duos oculos et supercilia ingressus aër ubi congreditur corruptus, ibi ob circuitionem morbos efficit, quos aëris circuitum appellant.

Qui oculus collapsus, horridis asperisque palpebris instructus, aut in obtutu turpis visu, perhorridus in expergefactione et exsiccatus est, is coctione afflictus est.

Cujus aër in cervice, auribus, capite et maxillis situs, aut tendines cervicis ingressus, aut alibi collocatus facere potest morbos vel in palpebris, vel in oculo, eum aliunde aggressum aërem appellant.

Acido combustove alimento obducitur undique oculus tumidus, ruber et lividis similis; hunc aciditate combustum oculum vocant.

Doloris expers est vel dolorosæ oculorum lineæ oriuntur, cuprino colore præditæ, quæ identidem splendent undique. Hic morbus a capite ortus demonstratus est.

Magnus, ex vasis exortus, conspicuus nasci potest morbus, vasorum elatione complicatus; cuprino colore prædita lacryma profluit, emersa autem conspici haud potest."

Caput VII.

Nunc vero caput, morbos a pupilla profectos discernens, exposituri sumus.

„Lentis folii mensuram implentem, a quinque elementorum conciliatione ortam, solis et scintillæ instar splendentem, confectam luminibus exitii expertibus, involutam tunicâ bulbi oculi externâ, speluncæ forma instructam et frigida indole præditam esse hominum pupillam dicunt oculorum periti.

Morbos et eorum sedes horribiles duodecim, signaque obscuritatis tunicas ingressæ, indicamus.

E vasis exortus valde corruptus humor in spatio intermedio, si in prima pupillæ tunica collocatus est, indistinctas homo formas videt omnes.

Pupilla valde se movet, humore corrupto secundam tunicam aggresso. Muscas, culices, crines et retia homo videt, orbes, vexilla, radios luminis et anulos, circumflexiones varias, pluviam, nubem aut tenebras; remotas figuras etiam credit esse propinquas, propinquas autem remotas, propter rerum oculo subjectarum perturbationem; valde intentus homo filum acus non videt.

Sursum homo spectat, nec vero deorsum, humore corrupto tertiam tunicam aggresso; formas quamvis magnas quasi veste obductas, auribus vero et naribus oculisque instructas, oppositas intuetur; pro corrupto humore tingi potest pupilla; humore corrupto fortiore infra sito non videt homo prope stantem figuram; supra autem sito, non remote stantem; in lateribus sito, non in lateribus stantes figuras cernit; humore corrupto undique sito, permixtas quasi videt; pupillam aggresso humore corrupto, unam figuram homo credit esse duplicem, duplicem videre potest triplicem; nullam autem multiplicem.

Obscurans hic humor corruptus, quartam tunicam aggressus, includit quoquoversus pupillam, id quod oculi exitium vocatur. In hoc caliginis statu, non valde aucto magno morbo, lunam, solem et stellas, in aëre fulgura splendida et lumina radiata homo videt. Hoc oculi exitium nigra gutta serena est appellata.

Ibi, aëre corrupto, pulchras formas quasi circumvagantes, turbidas, fuscas et vulneratas homo videt.

Bile corrupta, solem in aëre lucentem, Śacræ (Indræ) arcum et splendidum nervum, pavonis caudæ instar variegatas formas, nigrasque violaceasque homo videt; Bovis grunientis albæ caudæ similiter albicantes, albæ nubi similes et permagnas formas homo videre potest, atque in aëre a nubibus vacuo nubium confluvium et in aquis natantes quasi refrigerandas figuras.

Sanguine corrupto, rubras formas et varias tenebras videt.

Phlegmate corrupto, videre potest formas unguinosas albasque; et virides, lividas, nigras fumoque fumigatas conspicit.

Tribus humoribus corruptis, varias quasi natantes videt formas; multifariam aut bifariam undique conspicit omnia, relicta cingula quoque et astra videt.

Bilis facere potest macrorem, animi deliquium, per sanguinis vim; flavas regiones et orientem solem quasi videt homo, arbores quoque extensas luminibus in aëre lucentibus.

Inde in posterum indicabo ex sextuplicibus coloribus exitium oculi.

Color fuscus ab aëre ortus esse dicitur; a bile marcidus violaceusque; a phlegmate albus; a sanguine vero ruber, ab omnibus humoribus variegatus. —

A sanguine ortus orbis in pupilla sicut crassa gutta serena fusce splendet; in marcido morbo fieri potest macror violaceusque orbis. Post humorum interitum aliquando remanere potest ipse visus.

Ab aëre ortus orbis fuscus, tremulus asperque est; a bile ortus orbis violaceus, cuprino colore præditus aut flavidus; a phlegmate ortus amplus est, unguinosus, conchæ, olibani lunæque instar e flavido albicans et tremens,

sicut alba gutta aquæ, in Nelumbii speciosi folio sita. Oculo absterso, hic orbis discedit.

Coralliis et Nelumbii speciosi foliis similis orbis indole sanguinis præditus est.

Pupillæ color fieri potest variegatus in oculi interitu ex tribus humoribus simul corruptis exorto. Pro ipsis humoribus corruptis etiam signa in omnibus hominibus exsistunt.

Sex oculi exitia et sex colores illi in pupilla siti, duodecim affectus sunt.

Homo pupillis bile combustis præditus est, aut alius ex phlegmate laborat, fumum videt, myops est natus, ichneumonicam habet cæcitatem, et pupilla profunda appellatur. Si hominis pupilla ex felle corrupto pupillam aggresso flavida fit, et homo flavidas credit formas, pupilla felle combusta est. Aggresso autem tertiam tunicam humore hoc corrupto, subdiu homo videre haud valet, noctu autem cernit. Sic homo, cujus pupilla phlegmate combusta est, formas albas credit. In tribus tunicis situs exiguus hic humor corruptus noctis caliginem vehementer inducit; subdiu autem homo, cujus pupilla sole auxiliata est, ob exigui phlegmatis præsentiam videre potest formas.

Si hominis pupilla moerore, febre, contentione et capitis aestu afflicta est, fumidas omnes videt res. Hunc morbum fumi visum appellant.

Ille est myops, qui interdiu ob passionem breves formas videre haud valet; noctu autem is, cujus pupilla frigore auxiliata est, ob exiguæ bilis præsentiam illas videre potest. Ubi homnis pupilla, corruptis humoribus affecta, fulget sicut pupilla ichneumonis, variegatas formas interdiu videt. Hæc alteratio ichneumonica cæcitas vocatur. Pupilla deformis cum aëre complicata inflectitur et introrsus recedit passio hæc immersa. Hunc oculi morbum profunditatem appellant medici hujus alterationis gnari.

Porro hic intrinsecus orti duo morbi demonstrati sunt, causis præditus et causis non præditus morbus. Ibi causis præditus morbus ex capitis aestu et destillationis apparentia cognoscitur. Deorum, Rĭshium, Gand'harbarum, Mahoragarum et heroum conspectu interfici potest pupilla hominis. Hoc oculi exitium causis non præditum appellatur.

Jam vero oculus apertus lucet quasi, lapidis lazuli colore prædita claraque est pupilla. Laceratur autem, tabescit, aut amittitur hominum pupilla ictu læsa.

Ita hi oculos aggressi magni septuaginta sex morbi singulatim sunt enumerati. Nunc vero totidem singulas eorum curationes fusius indicabo."

Caput VIII.

Nunc vero caput, therapiae partitionem discernens, exposituri sumus.

„Septuaginta sex morborum cum nominibus signisque relatorum therapiam post breviarium fuse edisserendam audi!

Inter oculorum morbos incidendi sunt undecim; novem sunt scarificandi; resecandi quinque; phlebotomandi quindecim; duodecim curandi instrumentis; dubii sunt septem; quindecim intelligenti medico relinquendi (non curandi) sunt; sive incurabiles sive dubii fieri possunt duo adventicii sic dicti oculorum morbi.

Nodis hæmorrhoidalibus affecta palpebra, siccus nodus, insensilis tumor, tumores a vasis orti et rete a vasis ortum, quinque hi morbi, simul cum articulationis morbo incidendi sunt.

Hordeolo afflicta, aucta, carnosa, livida quae est sic dicta, constricta, vexata, pustulis, tumoribus Rottleriæ tinctoriae semini similibus et calculis affecta palpebra scarificanda est.

Phlegmatis superlitio, appendix, fibræ, nodus, qui a vermibus affectus est et oblitorius nodus resecandus est.

Vasa in priore textu indicata, coctiones duæ in oculis, aër alibi, puris torpor, aëris perversitas, nimia agitatio sic dicta et destillationes sectione vasorum adeunt sedationem.

In oculis inhumectis, in coctione, in pupillis phlegmate bileque combustis, in marcore cum iridis alteratione complicato, in albugineæ inflammatione et opacitate, in palpebris inhumectis, in ignis et vexilorum adspectu, in margarita sic dicto morbo, in humectis palpebris, in phlegmatico morbo et in pupilla adventiciis duobus morbis corrupta adhibitionem instrumentorum non indicant medici horum morborum gnari.

Hominis adhuc videntis sex guttæ serenæ, quæ jam sunt demonstratæ, cum ciliorum irritatione complicatæ, fiunt dubiæ; quatuor autem cum aëris potestate complicati oculorum morbi, duo a bile orti, a phlegmatis causa ortus unus, quatuor a sanguine orti, a tribus humoribus simul corruptis orti etiam totidem, extrinsecus orti duo incurabiles sunt.“

Caput IX.

Nunc vero remediationem destillationis (oculorum) ab aëre ortae expositiuri sumus.

„Oculos vetere butyro clarificato inunctos, destillatione agitationeque afflictos, cum sudare fecerit medicus, convenienter vasorum sectione curet. Aggrediatur clysteribus oculos simul oleo purgatos; tum exhilarationibus, decoctionibus in foliis, suffitionibus, instillationibus, nasalibus remidiis, oleis et adspersionibus, per pannos capiti superimpositis, conspersionibus ex acida decoctione bubalinæ piscatoriæque carnis aërem delentis, oleis quatuor calidis, flavarum vestium gestationibus, lactibus condimentisque, Sálvaňicis jusculis et emplastris honoratis illos curet homines. Pari modo super cibum potus butyri liquidi laudatur, aut ex trium myrobalanorum decoctione paratus omnis vetus potus, et lac paratum aut cum substantiis aërem auferentibus, aut cum prima medicaminum classe (tom. I. pag. 90.).

Olea sine oleo Sesami orientalis parata ex substantiis aërem delentibus in cibo salubria sunt. Oleosus in vase coctus fumus et tale nasale remedium indicatum est. In nasalibus ceterisque remediis autem oleum Sesami orientalis cum Kakoli, lacte et dulcibus optatur. In Ricini communis germine, radice et cortice, atque in Flacourtiæ sapidæ radicibus cum lacte coctum butyrum clarificatum et suaviter calefactum in adspersione salubre est. Cum sale fossili, suffimento, liquiritia et pipere coctum lac etiam salubre est semiaquosum in adspersione. Pariter instillatio etiam salubris est cum Andropogonis shœnanthi, Chakræ, Rubiæ manjistæ et Fici glomeratæ corticibus parata. Aut cum aqua caprinum lac instillatio adversus dolores præstantissima est.

Glycyrrhizam glabram, Curcumam longam, Terminaliam chebulam et Pinum Dévadáru medicus conterat cum caprino lacte; optimum adversus destillationem hoc est collyrium. Rubricam, sal fossile, Piper longum et Zingiber aridum, ut supra, conterat; bis autem contritum hoc cum aquis boliforme collyrium desideratur. Oleosum collyrium etiam salubre ibi dicitur secundum legem.

Si morbus et aër alibi sunt, aëris circuitus est. Illo præcepto medicus etiam duos hos (morbum et aërem) curet.

Antea cultum butyrum liquidum, aut etiam lac salubre est in cibo, in Hedysaro gangetico, in Cratœva valanga et in quinque magnis radicibus (Tom. I. pag. 95).

Cum lacte etiam butyrum liquidum ex Momordicæ mixtæ succo ibi bibat. Salubre esse etiam butyrum liquefactum dicunt cum Achyranthe trian-

dra, Barleria cærulea et Plumbagine zeylanica paratum, aut lacteum butyrum cum Asclepiade geminata, aut cum Andropogone muricato paratum, et sal fossile, Pinum Dévadáru, zingiber aridum et in Citri medicæ succo butyrum liquidum.

Illud ex lacte et aqua redigendum est in collyrium in sicca coctione. Honoratum etiam ibi est butyri liquidi potatio, et oculorum saturatio, et nasale remedium ex butyro, aqua oleoque Sesami orientalis exiguo. In adspersione ibi salubre est etiam lac frigidum cum sale fossili, aut cum Curcuma longa Pinuque Dévadáru paratum et cum sale fossili commixtum. Cum butyro clarificato commixtum et cum lacte contritum alium collyrium est. Adeps bubalorum piscium que cum sale fossili et cum zingiberi arido commixta in modice sicca coctione fit collyrium.

Ab aëre orientes morbi ulli visum perdunt; iis ab hac origine ortis morbis curationem medicus mente præditus adhibeat."

Caput X.

Nunc vero remediationem destillationis (oculorum) a bile ortae exposituri sumus.

„In bilis destillatione biliosaque agitatione profluvium sanguinis delapsusque efficienda sunt; oculorum adspersio, inunctio, nasale remedium et collyrium in biliosa herpete præcipitur.

Cyperum pertenuem, Oryzam sativam, Valisneriam octandram, styracem divisum, Curcumam zanthorrhizam, Elettariam cardamomum, Nymphæam cæruleam, Symplocon racemosam, talcum, Nelumbii speciosi folium, saccharum candidum, Saccharum cylindricum, Saccharum officinarum, Borassum flabelliformem, Calamum rotang, Nelumbium speciosum, uvas Vitis viniferæ, mel, Sirium myrtifolium, liquiritiam, lac maternum et Panicum dactylon medicus conterat. Cum his substantiis butyrum clarificatum, lac et butyrum recens, scilicet hæc exposita classis in saturatione, adspersione et nasali remedio laudato adhibenda est, aut aliter semper simul in quadruplici nasali remedio. Omnes curationes antibiliosæ sunt laudatæ. Post tres dies in posterum butyrum a lacte confectum nasale remedium est. Viridis esse potest sanguis; tum in collyrio cum Boswellia thurifera commixtum saccharum melque indicatum est. Liquorem cum saccharo melleque commixtum, aut Convolvulum turpethum nigrum in liquiritia præparet. Cyperus rotundus, spuma marina, Nymphæa cærulea, et ex Erycipes paniculatæ, Elettariæ cardamomi Phyllanthique emblicæ semine paratus succus indicatus est.

Ex Flacourtia cataphracta, styrace, rubrica, Andropogone muricato et conchis cum lacte contritis applicet collyrium. Pulverem faciat pro collyrio, aut succus lacte præditus paretur ex Grislea tomentosa et Dalbergia ougeiniensi. Maternum lac, aurum tritum melliqne admixtum, Buteæ frondosæ florem, Symphlocon racemosam, uvas Vitis viniferæ, saccharum, Nymphæam cæruleam, liquiritiam et Acorum calamum in materno lacte, aut Varnakae corticem, Sirium myrtifolium Ficumque glomeratam in lacte cum aqua commixto conterat; tum facienda est spuma marina pro collyrio, in materno lacte melleque contrita. In materno lacte depositam liquiritiam, Symplocon racemosam, uvas Vitis viniferæ, saccharum, Nymphæam cæruleam, Terminaliamque chebulam panno adligatam, aut pro instillatione liquiritiam cum butyro liquido contritam symploconque racemosam, et cum aqua commixtam Gmelinam arboream, Phyllanthum emblicam, Terminaliam chebulam pariterque Cayephal medici indicant.

Hoc acidum sic dictum præceptum totum etiam in margarita (oculi morbo) est tenendum, sanguinis missione privandum. Butyrum liguidum bibendum est cum tribus myrobalanis Symplocoque racemosa paratum, vel vetus solum bibendum est.

In vitio sub margarita sito callyrium ex frigidis substantiis celeriter conficiendum est, videlicet ex crystallis, coraliis, margaritis, conchis, argento et auro. Pulvis substilis cum saccharo melleque commixtus et hoc collyrium margaritam celeriter delere valet.

Adhibeat butyrum clarificatum homo fumum videns. Reliquam methodum, ut in hæmorrhagia biliosa, medicus instituat, aliamque etiam totam antibiliosam methodum et quæ in herpete (oculi) bilioso locum habet.“

Caput XI.

Nunc vero remediationem destillationis (oculorum) a phlegmate ortae expostituri sumus.

„Destillationem agitationemque a phlegmate ortam et auctam medicus devincat vasorum sectione, sudore eliciendo, collyrio, suffitione, adspersione, inunctione et medicaminibus phlegma tollentibus, atque asperis, instillatione inservientibus, et asperis in vase coctis medicamentis. Post tres dies et rursus post tres dies sub saturationis fine, matutino horum duorum dierum tempore, amarum butyrum laudatum est. Eum autem cibum potumque sumat, qui phlegmatis incrementum efficere haud potest. Bignoniâ indica, Jasmino angustifolio, Ocymo basilico, Aegle marmelo, Achyranthe triandra,

Salvadora persica, Asclepiade gigantea, Cratœva valanga et Cannabi sativa sudorem faciat; innunctionem autem Andropogone shœnantho, zingiberi arido, liquore spirituoso, Curcuma zanthorhiza, Costo arabico, Sind'huica Asa fœtida, tribus myrobalanis, Bassia latifolia, Nymphæa alba, collyrio antimonii, vitriolo cæruleo et cupro, his contritis cum aqua. Collyrii turundæ conficiantur ex Terminalia chebula, Curcuma longa, Glycyrrhiza glabra et collyrio antimonii. Trium piperum, trium myrobalanorum, Curcumæ longæ, succi Embelæ ribis, Andropogonis shœnanthi, Costi arabici, Euphorbiæ tirucalli, Curcumæ zanthorhizæ, conchæ, Cysampeli hexandræ, Arundinis kauki, Piperis longi, Piperis nigri, aridi zingiberis, arsenici rubri et florum de Myristica moschata, Galedupa arborea Hyperantheraque morungone partes aequales cum aqua medicus conterat et adhibeat. Fructuum Caesalpiniae bonducellae aut etiam Morungae guilandinae, florum duorum Solanorum (Solani jacquini et Solani melongenae), collyrii de calce aeris, Sirii myrtifolii, arsenici rubri, auripigmenti et Allii sativi partes aequales conterat ad collyrii massam, et oculorum morbis a phlegmate ortis turundas applicet sapiens medicus. Morbo complicato cum phlegmate, corporeque bene purgato, medicis collyrii peritis parandum est hoc remedium. Nigra hordea, lacte vaccino rigata, spinosa, arida et tenuia medicus comburat, item Ocymi sancti, Echitae dichotomae, Cratœvae valangae, Aegles marmeli, Viticis negundinis et Myristicae moschatae flores; hoc pro lixivio cum sale fossili vitrioloque caeruleo commixtum et coctum applicet ferreo tubulo. Hoc est collyrium in morbo complicato cum phlegmate. Idem praeceptum in Ocymo basilico etc. locum habet. Allium sativum, in Magad'hà ortum Cyperum rotundum, sal fossile et Piper album, hoc scilicet cum Citri medicae sedimento oleoso contritum oculorum collyrium opacitatem corneae discutere valet. Fructum Solani jacquini et plantarum in Magad'ha ortarum oleosum sedimentum recipiat tempore, quo fructus maturantur; hoc, cum aquaticis plantis commixtum, revera, post septem noctes (et dies) depromtum, fieri potest idoneum.

In Solano melongena, Morunga hyperanthera, Gentiana cherayta et Phyllanthi emblicae fructibus vitriolum martis, sal marinum, calx aeris et Myristicae moschatae gemma fiat remediabile collyrium cum melle contritum, quod in madida palpebra indicatur. Praecipue vero nec sumendum est piper album, neque aequalis quantitas orta in Népala. Cum succo Citri medicae et collyrio calcis aeris paratum illud remedium discutere valet pruritum. Zingiber officinale, Pinum Dévadáru, Cyperum rotundum in Sind'hu ortum et Myristicae moschatae gemmas, cum liquore spirituoso bene contritas, indicant collyrium in pruritu et tumore salubre.

Destillationis agitationisque methodum medicus mente non captus semper observet in omnibus his (passionibus)."

Caput XII.

Nunc vero remediationem destillitionis (oculorum) a sanguine ortae exposituri sumus.

„Agitationem, destillationem, vasorum proventum et vasorum elationem a sanguine ortam, una eademque methodo medicus sanet quatuor has passiones. Homines quatuor his morbis vexatos, butyro in olla asservato inunctos, fluidis praecipuis et vasorum sectione curet. Evacuatorum hominum vasa voluptarie purget butyro liquefacto, cum purgatoriis parato et composito cum saccharo candido. Deinde unguenta, adspersiones, nasalia remedia, suffimenta, instillationes, oleamenta, alimenta et oleosa in foliis cocta remedia apte paranda sunt. Ex Indigofera anil, Nymphaea caerulea, Andropogone muricato, Curcuma flava, Curcuma zanthorhiza, Glycyrrhiza glabra, Cypero rotundo, Symploco racemosa et Nelumbio specioso, superlitis his purgato butyro, unguentum circa oculos paret. In morbo oculorum sudores mites perquam salubres sunt; ad oculos etiam undique applicandae sunt hirudines.

Butyri liquefacti magna quantitas potata dolorem cohibere valet. Praeceptum, destillationem a bile ortam sedans, etiam est indicatum.

Ex Scirpo kysoor et Glycyrrhiza glabra paratus pulvis, cum ambra commixtus et injectus aquis pluvialibus, salubris instillatio fieri potest.

Bignoniae suaveolentis, Terminaliae alatae, Gmelinae arboreae, Grisleae tomentosae, Phyllanthi emblicae, Aegles marmeli, duorum Solanorum (jacquini et melongenae), Momordicae monadelphae et Rubiae manjistae flores, cum melle vel succo sacchari officinarum contritos, scilicet singulorum partes aequales, misceat. Destillationem a sanguine ortam sedans hoc collyrium optatur.

Sirium myrtifolium, Nymphaeam esculentam, folium Lauri cassiae, bitumen, Crocum sativum, ferri cuprique pulverem, vitriolum caeruleum, ex Meliae azidaractae extracto paratum collyrium, stannum et aeris scoriam cum succo ex florum calycibus parato medicus conterat; magnae quae confectae sunt turundae, semper in collyrio honoratae sunt. Sit hoc collyrium simul cum butyro melleque remedium adversus vasorum proventum. Pari modo hoc collyrium, cum sale fossili, vitriolo martis et lacte contritum, honoratum est. Cum melle concha, Nyctanthes tristis, vitriolum caeruleum, Curcuma zanthorhiza et sal fossile, aut succus ex Mimosae sirishae flore cum liquore sprituoso, Pipere nigro et melle, aut etiam rubrica cum melle commixta salubre est collyrium.

In vasorum elatione collyrium medicus faciat saccharum crudum cum melle commixtum; aut etiam vitriolum martis a Tarksha ortum et

sal fossile cum melle commixtum; ac saccharum crudum et sal fossile cum Calamo rotang, Oxalide monadelpha et lacte commixtum.

Antibiliosam methodum omnino sedandae inflammationi albugineae adhibeat cum Saccharo officinarum, melle, saccharo candido, lacte, Curcuma zanthorhiza, Glycyrrhiza glabra et sale fossili. Ibi etiam adspersionis collyrium salubre est ex acidis, pariterque instillatio ex saccharo candido, Glycyrrhiza glabra, Bignonia indica, sero lactis, melle, Oxalide monadelpha, sale fossili, Citro medica, Zizypho jujuba, malo granato et acidis, sive conjunctim, sive singulatim, sive dupliciter, sive tripliciter composita.

Crystallum, corallium, concha, Glycyrrhiza glabra et mel; porro conchae, melli saccharoque candido admixtum sal marinum cum spuma, — scilicet duae hae compositiones datae in collyrio inflammationem albugineae discutiunt. Sal fossile, mel et Strychnos potatorum, aut calx aeris mellita, aut vitriolum martis cum melle semper ibi adhibendum est in collyrio.

Ferri pulveres omnes, metalla, salia, gemmae, dentes, cornua, classis medicamentorum sedativa, gallinacearum ovorum testae, Allium sativum, Echitarum triplex genus, Galedupae arboreae semen et Elettaria cardamomum relata sunt prout collyrium in scarificatione adhibendum.

Ciborum in foliis coctorum diminutione, sanguinis missione etc., ac praecepto universo destillationem discutiente, irridis alterationem cum ulcere non complicatam dexter medicus depellat, profundam autem, aut submersam, aut violentem et cum ulcere complicatam seminibus Mimosae sirishae, Pipere nigro, Pipere longo et sale fossili; aut alterationi iridis infrictio adhibenda est ex sale fossili. Conficiat medicus ex cupri pulvere, conchis, arsenico, Pipere nigro, sale fossili, Cypero rotundo ceterisque duplice qualitate praeditis collyrium, quod iridis alterationem discutiat. Aut conficiat simul has duas collyrii compositiones, Slokam (distichon) unum et dimidium explentes: ex conchis scilicet, ossiculis fructuum Zizyphi jujubae, Strychno potatorum, uvis Vitis viniferae, Glycyrrhiza glabra et melle; vel etiam ex melle, dentibus, marina spuma et floribus Mimosae sirishae elixum collyrium distribuat, quod phlegmatis nodum discutit. Aut Phaseolos mungones valvulis erutos, tostos, cum conchis, melle, saccharoque candido compositos, et succum Bassiae latifoliae cum melle commixtum semper adhibeat in collyrio; aut ex Terminaliae belericae ossiculis medulla cum melle commixta iridis alterationem discutit. Conchae, margaritae, mel, uvae Vitis viniferae, Bassia latifolia et Strychnos potatorum sunt remedium in morbo duas (oculi) tunicas aggresso dolorosoque salubre, aëremque delens.

Mannam bambusae, Semicarpium anacardium, Borassum flabelliformem et fructum Cocos nuciferae comburendum medicus curet; cum liquefecerit lixivii instar pulverem ossium elephantinorum, multum misceat. Hoc est collyrium iridis alterationem decolorem discutiens.

Caprinum (tumorem) ad latus acu perforatum atque ejus aquam medicus derivet: tum ulcus pulvere vaccinae carnis butyroque clarificato impleat; saepius etiam scarificet, si ulcus aggressum est palpebram oculumque.

Intumescentiae particeps et intumescentiae expers inflammatio sunt duae inflammationes, quae expositae sunt. Ibi inuncti et sudantis vas medicus cum secuerit, adspersionem, instillationem, nasalia remedia et in foliis decoctas substantias adhibeat. Undique purgato homini etiam collyrium est adhibendum. In cupreo vase depositam carnem et butyrum clarificatum cum sale fossili commixtum, aut spiritum Lythri fruticosi, lac coagulatum et spumam lactis coagulati, butyrum clarificatum cum cupri albi scoria mixtum, aut lac cum sale fossili, aut Bassiae latifoliae succum cum aequali parte mellis vel rubricae, aut butyrum clarificatum, sal fossile et cuprum, cum lacte materno commixtum, sal fossile commixtum cum malo granato, Cassia fistula, Oxalide acetosella, Plumbagine zeylanica et acidis, aut omnino liquorem adhibeat homini inflammationis (oculorum) discudiendae cupido.

Caro cum sale fossili commixta zingiberque aridum in butyro clarificato digestum et cum lacte materno commixtum, velut instillationis collyrium, adhibendum est. Jasmini grandiflori flos, sal fossile, Zingiber officinale, Morunga guilandina rubra et Kitaśatri succus — hoc scilicet contritum et cum melle compositum collyrium in oculorum coctione haud dubie adhibendum est.

In suppurationis torpore sanguinis missio et emplastrum salubre est; universa methodus coctionem oculorum discutiens medico ex præscripto adhibenda est. Ibi etiam ex vitriolo martis et Ammomo zingiberi Sind'hico, his cum melle compositis, salubre parari potest collyrium; etiam aliud medicus adhibeat ex illis cum cupri ferrique pulvere commixtis. Oleamento etc. cum dejecerit omnino vitia humorum, et exhilaratam convenienter effecerit humectatam palpebram, adspersiones, collyria, instillationes, nasalia remedia et suffimenta adhibeat. Ex Cypero rotundo, Curcuma longa, Glycyrrhiza glabra, Panico dactylo, Sinapi alba, Symploco racemosa, Nymphæa cærulea et Echite frutescente contrito instillatio ibi, collyrium et collyrium mellitum conficiendum est. Folium et fructum Phyllanthi emblicæ medicus coquat et curationem hoc collyrio efficiat. Aut ex Bambusæ arundinaceæ radice succum in turundam redactum et cum cupro craniique pulvere coctum, aut ex tribus myrobalanis, aut ex Buteæ frondosæ floribus, aut ex Achyranthe aspera excoctum succum conterat cum caprino lacte, aut sedimentum sacchari cum Tántava comburat; pro collyrio hoc cum piperibus et cum pulvere cupri commixtum adhibendum est. Spuma marina, sal marinum optimum, conchae, Phaseolus mungo et piper album tanquam pulveratum collyrium adhibendum est. Pruritum, inhumectas palpebras humectasque etiam haec remedia celeriter sanant, adhibendaque sunt, vitiis humorum respectis.

Adhibendum etiam est vitriolum caeruleum simul cum fuligine in cupreo vase contritum et cum butyro liquido commixtum, tanquam collyrium."

Caput XIII.

Nunc vero morbi remediationem per scarificationem exposituri sumus.

„Novem morbi sunt demonstrati, qui scarificandi sunt. Generale praeceptum in his hoc est. In innucti, vomitu purgati et evacuati domo, venti et caloris experte, per pannum aquâ suaviter calefactum perintentus medicus palpebram, inversam et sinistro pollice digitoque prehensam, sudatam faciat. Digito et pollice inversa palpebra, in linteolo studiose involuta, nec se movet, nec delabitur. Deinde, cum detereserit linteolo palpebram, scalpelli pede notatam, scarificet scalpello aut foliis (lamellis); deinceps, sanguine stante, palpebram rursus sudatam arsenico rubro, vitriolo martis, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, calce aeris et sale fossili, his subtiliter constritis et mellitis, efficiat; tum eam calidâ aqua abluat et butyro liquido humectatam ad vulneris modum curet. Diaphoresin etc. post triduum efficiat. Fusius jam exposita est haec methodus in illa scarificandi operatione. A sanguinis profluvio liberata, pruritu tumoreque privata, aequalis et unguibus similis omnino optatur scarificata palpebra. Ex vulnere per scalpellum inflicto oculus ruber destillansque certe profluat; porro rubor, tumor, suffusio, gutta serena morbus inexpugnabilis, palpebra livida, gravida, rigida et pruritu horripilationeque afflicta scarificanda est. Ocularem coctionem irremediabilis aegroti medicus dissecet. Male scarificatum quod cognoscendum est, id medicus inungat denuoque scarificet.

Quando se intorquet palpebra ciliaque emittit, dolorosa multoque profluvio afflicta est, tum eam ultra modum exsanguinatam (scarificatam) sciunt. Inunctio, sudatio etc., ibi exoptata est medendi ratio, aërem discutiens. Palpebram constrictam, vaxatam, auctam et pustulosam scarificet, a fronte incidendo lente. Pari modo scarificet mente praeditus medicus lividas carnosasque palpebras. Seminibus Rottleriae tinctoriae similem tumorem, calculum hordeolumque circumdet et deinceps scalpello scarificet medicus indefessus.

Fieri possunt in palpebris tumores perduri, arcti et cuprino colore praediti; eos maturatos findat fissosque scarificet. Recentes exigua irritatione affectos et in exteriore palpebrac partc ortos tumores medicus cum animadvertcrit, eos sedare potest sudore, inunctione et lavationc."

Caput XIV.

Nunc vero morbi remediationem per incisionem exposituri sumus.

„Cum sudare fecerit medicus fibratum nodum vitiaque extra ejus sedem, et inciderit scalpello, sale fossili, commixto cum vitriolo martis, Jasmini auriculati floribus, Nyctanthe tristi et Elettaria Cardamomo fricet. Deinde mellitum butyrum clarificatum supcrindat simulque deligationem conficiat. Śuńdárochani, lixivium, vitriolum caeruleum, piper et mel, cicatricantia singula, ad incisum locum optantur, Solanumque melongena. Lixivii ignisque methodi gnarus medicus cum evaporatos incisosque nodos collyriis expresserit, reuniat. Arsenico, Elettaria cardamomo Anatâ, in Sind'hu orta, cum melle composita, aut calce æris et melle incisos nodos medicus instrumentalis operationis peritus cicatricet. Cum cicatricaverit, collyriis utatur calidis, ex lampadis fuligine confectis. Simul in evaporato verminoso nodo inciso adhibeatur cicatricans remedium, scilicet ex tribus myrobalanis, vitriolo cæruleo, vitriolo martis et sale fossili paratus succus. Cum inciderit, unguentum spumosum ex pipere, melle et sale fossili adhibeat.

Scarificet disci mucrone undique et praecidat. Cum illiverit et unguentis odoris sudorem moverit ad libidinem usque ad maturitatem, praecepto indicato quinque incidendos nodos aggrediatur. —

De omnibus his nodis datum est praeceptum ab inunctione incipiens. In maturum nodum intentus medicus disturbet ulcus."

Caput XV.

Nunc vero morbi remediationem per resectionem exposituri sumus.

„Gratum cibum epulati et intente sedentis hominis oculum medicus irritet pulveribus salinis. Deinde irritatum, celeriter humefactum et circumactum nodum, ubi hic stabilis est factus, ibi medicus aggrediatur.

Nodum aegroti, angulum oculi intuentis, intentus medicus peritusque aut hamulo, aut forcipe, aut etiam filo acus capiat; nec autem medico, aegrotum surgere jubenti, celeriter abscindendus est ille sublevatus nodus. Prae scalpelli immitendi timore palpebras (aegrotantis) firmiter capi medicus jubeat; deinde laxum nodum factum et tribus illis (hamulo scilicet, forcipe et filo acus) sublevatum per disci aciem acutam excidens circumpurget. Nodum quoquoversus a nigro alboque oculi orbe solutum medicus adducat et partem pupillae proximam resecet, ne vero supra pupillam. Carne in quatuor partibus praesente, oculus calamitatem accipere non potest. Post pupillae caedem lacryma et fistula oriuntur; post malam sectionem rursus incrementum celeriter capit nodus. Hunc retis instar diffusum abstergat medicus et sublevatum resecet curvo cutello, scilicet in fines albedinis palpebrae ingressum. Curatio oculi proxime post adhibenda est. Pulvere Holci sorghi, specierum Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et Hordei hexastichi sudorem eliciat, deinde deliget peritus medicus, regionem, anni tempus et aetatem dignoscens, unguento convenienter adhibito. Pro vulneris habitudine in posterum adhibeat curationem. Post triduum solvat, Karasvédam det et purgationem aggrediatur. Ex Galedupae arboreae seminibus, Phyllantho emblica et Glycyrrhiza glabra, confecta emulsio, per biduum cum melle commixta, salubris est instillatio contra dolorem. Ex Glycyrrhizae glabrae, Nymphaeae caeruleae, fibrarum loti et Agrostis linearis sedimentis oleosis confectum unguentum simul cum butyro clarificato compositum, frigidum et cum lacte contritum, capiti adhibitum laudatur. Scarificatione et collyriis depellat medicus nodi reliquias. Sin est nodus mobilis, lacti coagulato similis, caeruleus, ruber, aut etiam canus, tenuis et semini virili similis, aut qui corio similis, durus, tendinibus, carunculis nubeculisque tectus est, eum aggrediatur. Resecandus est etiam ille nodus oculi, qui nigrum oculi orbem ingressus, claro colore praeditus integerque est, et in curationibus exhaustationem oculo infert. Resecto oculi nodo, proprie oriri omnino debet nullum symptoma. In vasorum reti ea vasa, quae sunt dura, excidat sapiens medicus disci mucrone, sublevata hamulo. Qui tumores in vasis sunt orti, non absolvuntur medicamentis. Ut ocularii nodi, ita horum vasorum resectio per disci mucronem optatur. Duobus his morbis adhibendum est remedium, nodum oculi cicatricans. Praeceptum etiam pro

humorum vitiis, aut scarificatio, aut materia medica est indicata. In articulatione sudorem cum moverit gnarus medicus, scalpello nodum, in superioribus tribus partibus hamulo sublevatum, resecet, scilicet dimidium in antica parte; aliter enim exoriri potest lacrymarum fistula.

Epiloticum ibi etiam optatur cum sale marino melleque commixtum. Scarificantes pulveres sunt morbi residui remedium. Conchae, ossis sepiae, Rubiae manjistae circa mare ortae, crystalli, Cyperi rotundi, coralliorum, oxalidis, lapidis lazuli, gemmae, margaritae et ferri cuprique pulverum partes aequales conterat cum fluido collyrio; pulveris collyrium hoc paret in vase, confecto ex arietino cornu; stabiliri a duobus lateribus nigram oculi orbem jubeat, et nodos semper illinat peritus medicus. Tumores, retia vasorum, tuberculum haemorrhoidale, siccum tuberculum haemorrhoidale sic dictum et indolentem tumorem illo remedio discutere potest. Intermedium spatium, palpebrae sedes et medendi ratio in his indicabuntur. Palpebram sudare faciat, cibum det et tum medicus medicorum optimus acu intente sublevet palpebram et acutâ disci acie secet in radice. Deinceps sale fossili, vitriolo martis et vitriolo caeruleo vulnus ad cicatricem perducat. Sanguine cohibito, palpebram omnino urat per lanceolam, lixivioque caustico eam superlinat, si morbi residuum sit; deinde acribus substantiis vitium ab ambobus lateribus tollat, adhibeatque vitio consentaneam derivativam medendi rationem. Scalpelli operatione confecta, per unum mensem bene deligatus maneat (aegrotus).“

Caput XVI.

Nunc vero ciliorum irritationis remediationem indicaturi sumus.

„Dubius morbus, qui a palpebris ortus est, ciliorum irritatio antehac appellabatur. Ibi hominis sedentis cutem super palpebram et oblique infra supercilia medicus circa cum solverit in partes duas, tum unam partem cilia aggredientem abscindat. Pupillae et angulo oculi æquam partem undique grani hordei forma praeditam, inuncto homine tenero, cum exciderit scalpello, tum vulnus magnitudine grani hordei suat crine medicus non insanus. Cum adhibuerit butyrum clarificatum cum melle, reliquum servet praeceptum, quod circa vulnus est notum. In frontali regione constrictam fasciam, antea sutam, et insuper alteram, liget. Firmitatem nactâ cultri viâ (plagâ), crines dexter medicus circumspiciens removeat. Nec vero trans purgatam

hominis palpebram opto rugam, corruptis humoribus afflictam. Tum aut igne omnino remediet hanc rugam, aut lixivio caustico medicus strenuus, eam intuitus; aut, cum fiderit eam aequaliter, et ad ciliorum lineam omnino prehenderit hamulis tribus, Terminaliae chebulae fructu, aut contrito Cytiso cajan, omnino remediet. —

Quatuor methodi hae delendi interioris ciliorum vitii singulatim indicatae sunt: purgatio, adspersio, nasi suffitio, et unguentorum, collyriorum, oleamentorum succorumque adhibitio."

Caput XVII.

Nunc vero morborum a pupilla profectorum remediationem exposituri sumus.

„Tres morbi (pupillae) curabiles, tres incurabiles et sex dubii sunt. — Unius, videlicet fumum videntis, sanatio jam relata est. — Pupillae bile et phlegmate combustae antibiliosam et antiphlegmaticam methodum praeter scalpelli sectionem, medicus adhibeat per nasales inspersiones, collyria, unguenta et decoctiones in foliis simul exhilarantes. In principio autem tres myrobalanos, aquam et butyrum clarificatum; deinde Convolvulum turpethum album et Symplocon racemosam, ambobus (humorum vitiis) aptum; aut solum etiam veterem rubricam, sal fossile ac nigrum bubuli dentis atramentum; bubulam carnem, Piper nigrum, semen Mimosae sirishae, arsenicum rubrum, petiolum Cratoevae valangae cum melle, et fructus Carpopogonis prurientis adhibeat. Haec quatuor remedia salubria esse possunt in amborum (corruptorum humorum) collyrio. Trapiâ bispinosa, Jonesia aśóka, Shorea robusta, Mangifera indica, Panico italico, Nymphaea nelumbone et Nymphaea cærulea, scilicet singulorum floribus, cum Harénú, Pipere nigro, Terminalia chebula et Phyllantho emblica commixtis, et pulveribus cum butyro clarificato melleque compositis, in Bambusae arundinaceae fistulam inditis, perungat medicus duo humorum vitia, in bile et phlegmate animadversa. Florem ex Mangifera indica et Eugenia jambu natum, ejusque succo Haréńukam, cum melle butyroque commixtam, medicus cum contriverit, hoc collyrium tum est adhibendum. Ex Nymphaea nelumbone, Nymphaeae caeruleae fibris et rubrica, cum vaccini stercoris jusculo commixtis, globosum hoc collyrium salubre est in diurna nocturnaque caligine. Ex calce aeris, fluido melle, Flacourtia cataphracta, auro et sale fossili collyrium, cum vaccini stercoris jusculo commixtum, salubre est pupillae afflictae. Calamum fasciculatum, aut Zizyphi jujubae fructum, cum aqua mistum, conterat, et cum testudinis vel Cyprini denticulati bile misceat medicus mente praeditus. Hoc pulveris collyrium

semper adhibendum est pro bile placanda. Ex Gmelinae arboreae floribus, Glycyrrhiza glabra, Curcuma zanthorhiza, Symploco racemosa et calce aeris confectum, et eum melle mistum collyrium, sicut illud, semper oculi morbo salubre est.

A fonte natum sal et nigram Réńukam conterat cum caprina urina.

Haec collyria in collyrio calcis aeris pro noctis caligine salubria sunt.

Gummi benzoës, Piper longum, Zingiber officinale, Glycyrrhizam glabram et Flacourtiae cataphractae folium in aqua, Cyperumque rotundum in stercoris liquore recipiat; collyria ex his confecta, contrita, in umbra exsiccata, voluptatem (oculis) adferunt. Arsenicum rubrum, Terminalia citrina, species Piperis nigri, Piperis longi aridique Zingiberis, Pavonia odorata et gummi benzoës cum spuma collyria fiant, contrita et cum caprino lacte commixta. In vaccinae urinae, bilis, spirituosi liquoris, faecum et Phyllanthi emblicae succo coquat collyrium Solani melongenae, aut aliud ex hepate in succo trium myrobalanorum. Ex vaccina urina, butyro, spuma marina, Pipere longo, melle et Kaťp'hala collyrium, cum sale fossili commixtum, componat, asservatum in arundinis caverna. Ab adipe hepateque receptum butyrum, pipera, sal fossile, mel et succum Phyllanthi emblicae coctum simul asservari medicus jubeat in vase ex Mimosa ferruginea confecto; sicut collyrium Solani melongenae salubre hoc est. Ex Haréńu, Pipere longo, butyro, ossium medulla, Elettaria cardamomo et hepate compositum, aut ex stercoris liquore confectum collyrium, pupillae phlegmate afflictae salubre est.

Coquat medicus alligatoris hepar, ad dimidiam partem divisum, bene impletum Jasmino auriculato. Igne calefactum id simul cum collyrio depellit noctis caliginem sine dubio. Sic hepar caprinum igne coquat, simul cum Pipere longo commixtum; adhibitum id simul cum collyrio priori modo, celeriter sine dubio devincere potest noctis caliginem hominum. Lien heparque etiam comesum, paratum in veru, butyroque clarificato et oleo Sesami orientalis conditum, et cum sinapis dichotomae oleo commixtum et prout collyrium adhibitum noctis caliginem etiam celeriter depellit. Antimonium, legumen, Michelia champaca, calx aeris, arsenicum rubrum et duae Curcumae (Curcuma longa et Curcuma zanthorhiza) in hepatis jusculo cum Sirio myrtifolio tanquam bolus aut collyrium laudantur ab iis interdiu non videntibus.

Qui dubii sunt sex morbi (oculorum), in illis sanguinem medicus detrahat per venaesectiones. Evacuet etiam vetere butyro clarificato, ad evacuandum corpus semper utili. Lac non mixtum morbo ab aëre orto salubre dicunt, oleumque Ricini communis. Fieri possunt etiam recepti tres myrobalani purgativi, praecipue in sanguinis et bilis morbis (oculorum). Convolvulus turpethum album purgativum in morbo a phlegmate orto laudatur; in morbo autem a tribus humoribus simul corruptis orto oleum ex illo con-

fectum dessiderant. Vetus butyrum clarificatum ubique in obscuritatibus (oculorum) salubre fieri potest, in ferreo vase depositum.

Salubre semper etiam sciat esse butyrum trium myrobalanorum, et butyrum, quod ex Asclepiade geminata est confectum.

Obscuritate a bile orta, semper lingat tres myrobalanos bene contritos, in butyrum clarificatum immersos; ab aëre orta, commixtos cum oleo Sesami orientalis; a phlegmate ortâ, in mel immersos praebeat intentus medicus.

Vaccarum stercus per coctionem decoctum praestantissimum est; salubre autem est salitum Sesami orientalis oleum in guttis serenis. Obscuritati a bile ortae salubre est omne butyrum clarificatum caprinum, quod dulcibus est concoctum. Oleum ex classe, incipiente ab Hedysaro gangetico et ex dulci classe, pariter Panici miliacei oleum in morbis ab aëre sanguineque ortis salubre est. Oleum ex Physalide flexuosa, Sida cordifolia et Asparago racemoso decoctum salubre est in nasali remedio, et quod oleum ex Convolvulo turpetho albo confectum est.

Ex aquigenorum (animalium) et bovis bubuli carne confectum butyrum dandum est, quodque ex lacte paratum est.

Patera sic dicta ex foliis confecta, et cum sale fossili, butyro clarificato et melle parata, in illis duabus carnibus salubris est homini carnem edenti. Adeps etiam a vulture, serpente galloque semper laudata est in collyrio cum liquiritia composito. Antimonium, quod in flumine exortum et ex praescripto cum aqua, lacte butyroque clarificato commixtum est, id collyrium triginta dies consistat in violacei serpentis ore, per Poam cynosuroidem circumdato. Id cum Jasmini grandiflori floribus et sale fossili compositum semper collyrium sit in obscuritate morbosa; bene mistum autem cum lacte per triduum, guttam serenam depellens doctrinae periti dicunt.

Butyrum clarificatum autem, ex lacte confectum, bilioso homini salubre esse dicunt in nasali remedio, cum dulcibus herbis medicis paratum. Hoc butyrum etiam in cibis adhibitum salubre est, et in illis etiam patera sic dicta, ex foliis confecta, cum carnibus parata.

Ex calce aeris, melle, saccharo albo, arsenico rubro Solanoque melongena confectum et cum Glycyrrhiza glabra compositum collyrium, aut simile collyrium ex auro multo confectum, bene contritum, optimum, desiderant medici hujus (collyrii) periti.

Cum B'hillotae odoramento et aquae irrigatione cultum collyrium vitriolatum ibi salubre est; hoc cum arietini cornu collyrii portione compositum aquosam guttae serenae secretionem aufert; sic etiam ex Butea frondosa, Carthamo tinctorio et Glycyrrhiza glabra parati, cum melle compositi et cum vino optimo commixti liquores.

Cum radice Andropogonis muricati, Symploco racemosa, tribus myrobalanis et Panico italico medicus coquat nasale remedium ad phlegmatis morbum sedandum.

Ex Emboliae ribis, Cysampeli hexandrae, Achyranthae asperae et Asae foetidae cortice suffimentum adhiberi jubeat, cum Andropogono muricato commixtum.

Ex Vanaspatis decocto confectum butyrum salubre est in cibo ex Curcuma longa et Andropogone muricato parato.

Piperatus et melle saleque fossili valde conditus sit cibus ex carne in foliis decoctus.

Collyriis fluidis, ex arsenico rubro, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, conchis, melle et Sind'huico vitriolo martis confectis, curationes (adhibeantur). Salubria etiam esse fluida vitrioli martis collyria medici dicunt, convenientia, cum rotundo zingiberi arido composita.

Quod collyrium multipliciter subactum est in urinali classe, et in trium myrobalanorum aqua cocta, ac depositum est in Canis aurei osse, id iterum per unum mensem in aquam stagnatilem collocet.

Cum Méshae floribus et melle mistum hoc collyrium omnino adhibeat, curationesque omnes. In sanguinis exortu (profluvio) salubre praeceptum est; in maerore etiam bilem rapit. Praeceptum hoc salubre destillationem etiam rapit, convenienter adhibitum, medico corruptos humores perspiciente. In corruptorum humorum ortu, adhuc non calamitatem ingresso, substantias in nasalibus ceterisque remediorum formis intelligens medicus conjungat.

Iterum in Kalpa collyrii praeceptum prolixum aptumque indicatur.

Alius etiam hanc formulam componere potest: butyrum vetus, tres myrobalanos, Asparagum racemosum, Trichosanthen dioecam, Phaseolum mungonem, Phyllanthum emblicam et Hordeum hexastichon.

Hominis devotioni diligenter addicti timor a perhorrida gutta serena non existit. Asparagi racemosi enim puls cum lacte saccharoque parata, aut omnis sic confecta cum Phyllanthis emblicis puls, copioso butyro condita, cum trium myrobalanorum aqua excellentissima parata, aut cum hordeo oryzaque, guttam serenam aufert.

Celtis orientalis olus, Marsilia dentata, Amaranthus polygamus, electum Chenopodium album, Chillí, Múlakapoticá et Falconis cheelae caro pupillae salubria sunt. Ex Trichosanthe dioeca, Aegle marmelo, Cleome pentaphylla, Solano melongena, Aeschynomene sesban, Cappari aphylla, Morunga guilandina et Barleria caerulea confecta olera pupillae salubria sunt, cum butyro clarificato parata.

Evitet sanguinis missionem in obscuritate, colorem nacta; corruptus enim humor, instrumento chirurgico vexatus, celeriter perdere potest visum. Non colorata obscuritas curabilis est, primam tunicam ingressa; difficilis

esse potest colorata obscuritas in secunda tunica; in tertia dubia dicitur. In obscuritatibus autem, colorem nactis, salubres sunt curationes, depellendi causâ, ita, ut demonstratae sunt; adhibendaeque etiam sunt hirudines.

In phlegmatica signorum destructione operationem prosperam indicabo.

Vitium (oculi), nisi speciem dimidiae lunae, solis candoris, aquae guttae et margaritae habet, stabile aut iniquum, aut in medio corpore radiosum et valde splendidum est, in pupilla situm observatur, simulque morbosum et valde rubrum est. Inuncti sudabundique hominis, tempore nec valde calido neque frigido, vincti sedentis, suum nasum aequaliter intuentis albas oculi partes duas a nigra parte medicus sapiens dissolvat ad angulos oculi externos versus; oculos (aegrotus), simul vasis retibusque liberatos, ne volvat deorsum, neve sursum a duobus lateribus in orbita a Deo facta; deinde lancettâ, Hordei hexastichi speciem habente, per digitum medium, indicem et pollicem, stabilemque manum, comprehensâ, medicus intente secureque dextra manu sinistrum, sinistra dextrum (oculum) perforet. Aquae gutta proveniat, strepitusque in vulnere.

Cum gnarus medicus lacte materno perforatum locum humectaverit, in stabili vitio aut mobili vaporet oculum extrinsecus. Simul lancettam instruat B'hangis aërem delentibus; lancettae mucrone tum autem scarificet orbem pupillae.

Is vero, qui ad alterum operationis latus adstat, cum oculi nasalem cavitatem constrinxerit, vase vitreo excipiendum est phlegma a pupillae orbe profectum. Quando pupilla, ut ex nube radius solis, lucet, tum ea recte scarificata dolorisque expers cognoscenda est. Deinde, visis formis, lancettam medicus lente reducat, butyro clarificato oculum illinat, fascia e panno facta eum circumdet; deinde in domo secura supinus cubet. Vomitum, tussim, sternutationem, sputum et oscitationem per hoc tempus ne moliatur.

Porro curandi ratio ut circa pinguedinem et flavum colorem.

Post tertium quemque diem medicus purget adstringentibus aëremque delentibus. Propter aëris metum a tertio die in posterum vaporet oculum superiorem in modum. Oculo per decem dies sic deligato, salubris est pupillae mitigatio. Postea vero negotium medicus peragat, levemque cibum modice praebeat.

Qui homines in vasorum secandorum praeceptione supra sunt excepti, eorum ecchymosin medicus ne alibi, quam relatum est, secet. —

Impletur sanguine dimanante oculus ex vasorum sectione. Ibi materno lacti liquiritiaeque concoctum butyrum pro adspersione est salubre.

In incisura angulo oculi externo proxima autem intumescentia, dolor, lacrymae et rubor oriuntur. Ibi unguentum in superciliorum medio adhibeat medicus calidique butyri adspersionem.

Si incisura nigrae oculi parti proxima est, ipsa oculi pars nigra vexatur. Ibi deorsum alvi purgatio, adspersio butyro, sanguinis missio.

Etiam super incisuram dolorosus morbus locum habet. Ibi ex calido butyro liquido circumspersio laudatur. Dolores autem, lacrymae et rubor infra incisuram exoriuntur. Ibi sapiens medicus adhibeat priorem curationem.

Color (ruber), lacrymae, dolores et rigor in homine valde laeso oriuntur. Inunctio et sudatio ibi est salubris; aut etiam salubris est suffitio.

Corruptus humor excitatus, quamvis recens, denuo sursum proficiscens, efficere potest Śakrae fuscum colorem. Hic color autem horrido morbo devastatum visum efficere potest. Butyro cum dulcibus parato conspergat oculum, caput linteo circumdet et cibum ex carnibus praebeat medicus.

Corruptus humor autem, innata vi praeditus, densus, impletum discum sistens, cum est nactus lancettae mucronem, perire potest, sicut tenuis nubes ventum nacta.

Capitis vexatione, lassitudine, coitu, vomitu, et animi deliquio corruptus humor repugnat, quique propter irritationem sectus valdeque recens est.

Lancetta dura dolorem, acris circumfusionem corrupti humoris, vulnus magnum crasso mucrone praedita efficere, acuminata multipliciter laedere potest; aquae (humoris aquei) vexationem autem aspera, functionis declinationem instabilis efficit. Itaque horum vitiorum expers lancetta idonea est. Octo digitos transversos longa, in media parte filo circumdata, pollicis articulo instructa, in duabus aciebus floris gemmae similis, cuprina, aut ferrea, aut aurea sit lancetta non spreta.

Color (ruber), intumescentia, ophthalmia, cutis ardor, bulla, oculi porcinis oculis similes, cataracta aliique morbi (oculorum) ex sectionis adhibitione oriri possunt.

Post contraindicatam methodum convenienter medicus curet illos morbos. —

In morbo, oculi rubore, remedia denuo me doce!

Rubrica, Echites frutescens, Panicum dactylon, Hordei hexastichi farina, butyrum clarificatum, lac et gratum unguentum adhibenda sunt ad sedandum dolorem ruboremque. Ex mitibus elapsis Sesami orientalis seminibus, cum Sinapis albae semine commixtis et cum Citri medicae succo paratis gratum unguentum utile est. Ex Asclepiade rosea, Echitae frutescentis foliis, Rubia manjista, et Glycyrrhiza glabra cum caprino lacte commixta confectum unguentum, suaviter calidum, idoneum esse dicitur, pariterque ex Pinu Dévadáru, Nelumbio specioso et zingiberi arido, aut ex acinis, Glycyrrhiza glabra et Costo arabico, cum sale fossili commixtis confectum. Cum sale fossili coctum lixivium dolorem ruboremque aufert. Ex Asparago racemoso, Hemionite cordifolia, Cypero rotundo, Phyllantho emblica et Nelumbio specioso cum caprino lacte coctum butyrum ardorem doloremque aufert. Butyrum paratum ex lacte cum medicaminibus aërem delentibus parato

et quatuor qualitatibus praedito, Kákólím haneque subsequentia medicamina (Tom. I. pag. 93.) medicus adhibeat in omnibus operationibus. Nisi hoc modo dolor minuitur, tum illiti sudantisque aegroti vas medicus peritus secet uratque. Sic indicatum est.

Pro pupillae successu duo collyria fausta audi nunc ex me! Asclepiadis geminatae, Mimosae sirishae, Grisleae tomentosae, Jasminique grandiflori flores, margaritas et lapidem lazuli cum caprino lacte conterat, cupreoque in vase per septem dies deponat. Medicus eum ex his confecerit turundas, eas adhibeat in collyrio. —

Arsenicum rubrum et pipera recipiat; ex his turundas conficiat priori modo. Pupillae confirmandae causâ praebeat hoc remedium in collyrio salubre.

Porro fusius indicabo praestantissima collyria in sacro praecepto multimoda; haec etiam hic adhibeat."

Caput XVIII.

Nunc vero sacram curandi rationem exposituri sumus.

„Totius scientiarum materiae peritus, devotione sapientiaque praeditus, generosus et prudens Kási Dominus (D'hanvantari), vates sanctus (muni), Viśvámitrae filium (Suśrutam) discipulum docuit.

Exhilaratio, decoctio in foliis, adspersio, instillatio et collyrium ibi sunt demonstrata. Horum extensam artem edoce me!

Purgato corpore capiteque et cibo vetere sumto, fausto die ante meridiem aut post meridiem efficienda est oculorum exhilaratio hominis supine cubantis in domo, ventis solisque ardori et pulveri non exposita. Camerata operimenta duo, orbiculata, aequalia, firma, non angusta, ex humectato Phaseoli radiati pulvere conficienda sunt pro duobus oculorum bulbis. Impleat (oculos) gratis butyraceae spumae liquefactae aquis usque ad ciliorum apicem. Deinceps (illa) imponenda sunt per tempus quingentarum syllabarum pronunciandarum. Praevalente phlegmate, sexcentarum, praevalente bile, octingentarum, praevalente aëre, mille syllabarum pronunciandarum tempus optimum est. Pro morbi sedis discrimine medici quidam tempus constituunt. Apud rite doctos trecentae, centum, quingentae et septingentae syllabae indicatae sunt.

In pupillae morbo mille et octingentas syllabas medicus comprobet. Deinde in oculorum angulos externos oleum instillando, oculum purget. Per humectatam hordeaceam farinam, deinde per fumi potationem phlegma, vi olei emissum, convenienter medicus purget. Tempus aut unius diei, aut

trium dierum, aut quinque dierum ulterius desideratur. In exhilaratione haec oculi signa hilara observet: expergefactionem e somno jucundo, album sanumque colorem, tranquillitatem, morbi solutionem, laborandi facilitatem. Gravis, turbidus, valde lubricus, lacrymis prurituque obductus, corruptis humoribus vexatus oculus ultra modum exhilaratus dignoscendus est.

Asper, turbidus, sanguinis plenus, invalidus in figurarum adspectu et morbi augmentum sumens oculus exhilaratione orbatus dignoscendus est.

Post corruptorum humorum multitudinem oculis operam medicus, intimae cogitationis gnarus, in therapia det, suffitionibus, nasalibus remediis, collyriis et adspersionibus asperis lenibusque. Conficitur valde exsiccatus, asper et perhorridus oculus. Qui oculus destructis ciliis affectus, turbidus, detortus et morbis valde vexatus est, is post exhilarationem etiam sine dubio nancisci potest vitalitatem.

Die nubilo, perfervido et perfrigido, inter cogitationes et perturbationes, morbi symptomate adhuc non sedato, oculorum exhilaratio non laudatur. His et quibus nasale remedium est reprehensum, decoctio in foliis danda est. Jis etiam, qui exhilarationi non idonei sunt dicti, quique olei potandi impotentes sunt, porro iis, quorum corrupti humores sunt sedati, quique decoctionem in foliis pati possunt, decoctio in foliis adhibenda est ad oculos a medico. Inunctio, scarificatio et roboratio trifariam utilis est. Salubris est aspero oculo inunctio, unguinoso scarificatio.

Oculi roborandi causâ aliud unguentum, bilem, sanguinem, ulcus aëremque depellens, ex oleo, carne, axungia, medulla, adipe, dulcibus substantiis et herbis medicis confectum et decoctio in foliis adhibenda sunt per ducentarum syllabarum pronuntiandarum tempus.

Cum perdicum hepatibus carnibusque, materia ad scarificandum apta impletis, pulvere lapidis magnetis, cupro, conchis, coralliis, sale fossili, spuma marina, vitriolo martis et aquoso lactis coagulati sero scarificatio per centum syllabarum pronuntiandarum tempus adhibenda est. Hujus scarificationis adhibitio praecipua esse dicitur.

Ex lacte, carne, melle, butyro clarificato et amaris substantiis decocta, tribus qualitatibus instructa roborans decoctio in foliis post scarificationem adhibenda est. Permittat medicus suffitionem in exhilarandi negotio indicatam, roboratione peractâ. Inunctio et sudatio in duobus negotiis conficienda, nec vero in roboratione conficienda.

Unum, duos aut tres dies curandi negotium; vinctura autem post curandi tempus per duplex tempus desideratur. In lumina, aërem, aethera, speculum et solem ne inspiciat, exhilarato oculo, decoctioneque in foliis adhibita.

Ex perversa curatione alimentoque morbus qui oritur, eum collyriis, instillationibus et sudationibus convenienter medicus curet. Pellucido colore

praeditus, clarus, aërem lumenque solis perferens, levis et ex jucundo somno experrectus oculus qualitate decoctionis in foliis paratae instructus est.

Post nimium remedium morbosa intumescentia, tumores, obscuritas (amaurosis), coctio, lacrymatio et horror; deficiente autem remedio, corrupti humores exoriuntur.

Porro indicabo parationem decoctionis in foliis.

Duo Vilva explentia frusta mollis carnis contrita, substantiarum unum Vilva et fluidorum Kudavam unum recipiat. Hoc in unum coactum, foliis Gmelinae arboreae, Nymphaeae esculentae, Ricini communis, Nelumbii speciosi et Musae paradisiacae circumdatum ac luto superlitum, carbonibus ex Mimosa ferruginea paratis obduci jubeat medicus.

Ex Strychno potatorum, Oxalide, Ricino communi, Bignonia suaveolente, Justicia ganderussa et Zizypho jujuba, scilicet ex arboreis lignis cum lacte et vaccino stercore commixtis paratur (decoctio in foliis).

Exsudatum hominum succum (sudorem) medicus cum absumserit, expresserit, sustulerit, ad praeceptum de exhilaratione datum convenienter curet. In pupilla supine cubantis oculus semper humectandus est.

Praesente sanguine bileque, illa duo remedia, frigida et calida, aërem phlegmaque amovent; ultra modum calida et acria, semper aestum coctionemque facientia commemorata sunt; humectata frigidaque lacrymas, rigorem, dolorem et fricationem efficiunt; permagna adstrictionem, contractionem et tremorem afferunt; perparva corruptorum humorum vexationes valde generant; duo composita aestum, intumescentiam, dolorem et lippitudinem, pruritum, superlitionem, gramiam et sanguineos radios delent. Itaque medicus, corruptos humores deleturus, det illa gaudium afferentia. —

Interitum (oculi) pro humorum vitio vincat nasalibus remediis, fumis et collyriis. In principio et fine vaporosa calida aqua et fumus Elettariae cardamomi salubria sunt et phlegma tollunt.

Pro humorum vitio adhibita, nec vero nimis praevalida robore, ruborem discutit instillatio; adspersio autem efficacius. Haec duo tripliciter morbis adhibeantur, ut decoctio in foliis. In scarificatione septem guttae, octo in inunctione, decem in instillatione, duodecim in roboratione adhibendae sunt. Adspersionis duplex est tempus, post decoctionem in foliis commemoratum.

Porro adhibenda est reconvalescentiae curatio secundum regulam.

Priori antemeridiano meridianove tempore, et morbi temporibus, utroque tempore curationes et curationum intermissiones, circa olei adspersionem in exhilarandi methodo relatas, medici indicant.

Morbos in capite ortos depellendo, praevalidas capitis qualitates (guńa) efficit clyster, et indicatae quae sunt capitis inunctiones. Corpore purgato, vespere morbo convenienter epulati recteque sedentis abdominalem globum

(abdomen) tum stricte medicus deliget; morbo convenienter oleo cocto comprimat sustentetque.

In exhilarandi methodo indicatum, decem qualitatibus instructum, corruptis humoribus congruum, aptum collyrium medicus artis peritus, vitiis manifestas formas habentibus, corporeque purgato, ad singulos oculos corrupto humori obnoxios adhibeat, scarificationemque quoque, roborationem, aut etiam lenimentum.

Ibi quinque sapores confusos, unius praeeminentis saporis expertes scarificationemque quintupliciter pro humoribus corruptis, medicus indefessus adhibeat. Humorem corruptum, in oculorum palpebras, vasa, bulbos, lacrymales canales et quadrivia (pupillas) ingressum, ex ore, naso et oculis per vim derivet.

Adstringens amarumque cum oleo roborans aestimatum est. Id ob olei refrigeratoriam vim describendum est oculi aciem augens.

Dulce et cum oleamento paratum collyrium lenimentum est. Corruptos oculi humores leniendi oleoque ungendi causâ illud salutare est.

Corruptis humoribus convenienter adhibenda collyria sunt humorum corruptorum peritis, ut indicata sunt, die antemeridiano, vespere nocteque.

Globosa, liquida, aut pulverea, triformia, collyria sunt. Ex ordine vim eorum optimam esse dicunt sapientes.

Turunda scarificationis habeat pisi mensuram ex praescripto; lenimenti mensura sit dimidia; roborantis mensura duplicem habeat quantitatem; liquidi collyrii mensura autem contritae turundae aequalis aestimata est. —

Duae, tres, aut quatuor lancettae pro pulvere ex ordine adhibendae sunt.

Illis collyriis congrua etiam det vasa, scilicet aureum vas, argenteum, corneum, cupreum, e lapide lazuli, aut aere campanario confectum; ferrea vasa etiam adhibenda sunt.

Lancetta in duobus orificiis gemmae (floreae) se aperienti similis, pisi circumferentiam habens, octo digitos transversos longa, in corpore medio bene confecta, optime comprehensibilis, ex cupro aut osse fabricata, vel corpulenta, apta est.

Sinistra manu oculum tueatur medicus valde intentus; dextra manu per lancettam injiciat collyrium in pupillam.

Pro oculi angulis etiam convenienter conficiat collyrium; quodve ultro citroque it in palpebrae gemma (oculi bulbo), id digito etiam applicet.

Oculum ne valde in finibus oblinat vexans medicus, neve oculo, cujus humor curruptus evomitusque est, purgativum adhibeat.

Corruptus humor reversus occidere potest visus vim. Humoribus corruptis liberatum, lacrymis vacuum, omninoque videntem oculum aquâ cum abluerit, tum corrupto humori convenienter parandum est collyrium.

Hominibus forti odore, lacrymatione, vino, ira, tumore et febre, impetu,

laeso capite et corrupto humore vexatis, non desideratur collyrium: hoc tum ruborem, aegritudinem, obscuritatem, dolorem, punctionem, irritationem et perturbationem; somno perdito, impotentiam agendi; inflatione praesente, interitum facultatis videndi; post laesionem per pulverem fumumque, originem effluvii et commotionis; irritationem et punctionem in nasi cacumine; in capitis morbo dolorem capitis; capite abluto, homine valde refrigerato, soleque non orto, propter corruptorum humorum immobilitatem, perturbationem corruptorum humorum, efficit.

In indigestione etiam ob defluxionis obstructionem, in corruptorum humorum impetus ortu datum collyrium haec illave symptomata efficere potest. Itaque corruptos humores deleturus medicus collyrium recte adhibeat.

Scarificandi tempus hoc praecipue indicatum est.

Calamitates illas exortas medicus peculiariter vincere potest adspersionibus, instillationibus, inunctionibus, fumi haustibus nasalibusque remediis.

Pellucidum, levem, non profluum, actioni aptum, permundum et sedatis symptomatibus praeditum oculum omnino purgatum esse medicus demonstret.

Curvus, horridus, turpi colore affectus, delapsus et perquam asper est oculus, purgatione nimis adhibita, stillatque ultra modum. Ibi exhilarans observandum est praeceptum, aëremque delens.

Oculus tarde purgatus vehementius corruptis humoribus afficitur. Vaporationibus, nasalibus remediis et collyriis ibi fiat salubris corruptorum humorum irrigatio. Grato colore et vi instructus ac pellucidus oculus corruptis humoribus liberatus est. Cognoscendus est autem oculus, lenimento recte adhibito, absolutus (sanatus.) Oculus aliquo vitio relicto affectus esse potest, exhilaratione ultra modum adhibita. Ibi corruptos humores delens asperum medicamentum laudatur. Lene commune praeceptum etiam cognoscendum est roborationis indicatione praeditum. Ut circa lenimentum, sic in hac dicta indicatione nimium medicamentum, nimia inunctio, aut etiam roboratio inepta inutilisque est. Conficiendum est igitur modice collyrium medico successum optanti.

In confectionibus decoctionum foliatarum et in ceteris confectionibus singula tantummodo exsistit paratio; in collyriis autem milleformis ex semine dicto culta est, visus vim augendi et dubii morbi delendi causâ. —

Porro rege digna collyria eximia cognosce haec.

Octo partes collyrii antimonialis, Nymphaeae caeruleae similiter splendentes, cupream, auream argenteamque partem, uno verbo, undecim has partes misceat peritus medicus.

Illud Andropogoni serrato injectum, sufflatum et inclusum in igne per Mimosae ferrugineae et Oxalidis (Asmontikae) prunas, aut etiam per vaccina stercora, vaccini stercoris liquore, urina, lacte coagulato, butyro, melle, oleo Sesami orientalis, vino, adipe, medulla, quovis odoramento, aquis, uva-

rum Vitis viniferae succo, Sacchari officinarum succis perfrigidis, Echitae frutescentis etc. infusione et infusione Nymphaeae caeruleae etc. conspergi singulatim medicus jubeat. Hoc saepius inflatum, tum in aëre per septem dies panno colligatum et in aqua collocatum eum exsiccaverit, pulveret margaritam, crystallum corallumque pariter, gummi benzoës jam diu convenienter recepto. Hoc collyrium optimum est, depositum in nitido vase recte confecto ex dentibus, crystallis, lapide lazuli, conchis, styrace, auro, cornibus, aut argento. Hoc collyrium ut mille decoctiones, cultum regi eum tribuerit, adhibeat. Per hoc inunctus tauro similis rex omnibus hominibus carus fieri potest, invictus ab omnibus creaturis, oculorum morbis liberatus.

Costum arabicum, Sirium myrtifolium, Elettariam cardamomum, Lauri cassiae folium, Glycyrrhizam glabram, collyrium antimoniale, Asclepiadis geminatae folia, Hemioniten cordifoliam, septem gemmas, Nymphaeae caeruleae, Solani melongenae et Nelumbii speciosi fibram, Micheliam champacam, Andropogonem muricatum, Piper longum, vitriolum caeruleum, Jasminum auriculatum, gallinacei ovi testam, Curcumam zanthorrhizam, Terminaliam chebulam, simul Bezoar orientale, Piper nigrum, Terminaliae belericae medullam et aequalem domesticae lacertae partem redigat in subtilem pulverem purum et deponat, rege priorem in modum culto. Hoc c o l l y r i u m s a l u t i s confectum sic dictum divinus terrae tutor (rex) honorat.

Hemioniten cordifoliam, Piper nigrum, Valerianam jatamansem, styracem, scilicet singulorum partes aequales recipiat; cum his aequalibus omnibusque arsenicum rubrum et Lauri cassiae partes quatuor fiunt collyrium duplice qualitate omnino praeditum. Tantum Glycyrrhizae glabrae, quantum antea, hoc collyrium (habeat).

Arsenicum rubrum, Pinum Dévadáru, duas Curcumas, tres myrobalanos, Piper nigrum, laccam, auripigmentum, S u n a m, Rubiam manjistam, sal fossile, Elettariam cardamomum, mel, Symploci racemosae pulverem, ferrum, cuprum, gummi benzoës, gallinacei ovi testam, scilicet singulorum partes aequales, cum lacte conterat et bolum faciat medicus doctus, ad pruritum, obscuritatem, albuginem, A r u a m et sanguinis lineas leniendas.

Cuprum album, A p a m a r j j a n a m, Nyctanthen tristem, mel, sal fossile, Tabernaemontanam coronariam, tantundemque radicis Ricini communis, cum duplice parte Solani jacquini commixtum, conterat cum caprino lacte, et cupreae paterae illinat.

Septies autem turundae in umbris exsiccatae morbos depellunt. Idoneae sunt ex vitrioli caerulei et liquiritiae aequalibus Piperisque nigri sedecim partibus confectae. Idonea est in omnibus morbis (oculorum) turunda cum aqua frigida contrita.

Solutiones ex praescripto, sicut dictum est, globosaque collyria lege artis conficiat medicus praeceptorum gnarus indefessusque.“

Caput XIX.

Nunc vero laesorum oculorum remediationem exposituri sumus.

„Laesi autem multipliciter sunt hominum oculi. Morbis per iram affectusque tumultuosis sapiens medicus methodum, in nasalibus remediis, inunctionibus, conspersionibus, exhilarationibus etc. indicatam, rursus ad sanguinem, bilem doloresque idoneam et oculorum lenimentum generantem celeriter adhibeat. Mitibus, refrigeratoriis dulcibusque remediis medicus sudore, igne, fumo, timore, moerore, dolore et laesione afflictos oculos sanet.

Statim laeso oculo illa methodus, in posterum adversus destillationem edita, corruptum humorem respiciendo, adhibenda est.

Oculus paululum laesus lacrymisque deinceps suffusus fit doloris statim expers. Una laesa tunica (oculi) est curabilis; duae autem difficiles; tres laesas tunicas medicus deserat. Fissus autem oculus, valdeque destructus, prolapsus, egressus et visu privatus si est, dubius fieri potest. Extensa pupilla affectus, tenuiter rubefactus et perverse videns oculus curabilis est, sicut firmus et inturbido visu praeditus.

Respirationem comprimendo, vomendo, sternuendo et guttur constringendo celeriter sublevandus est oculus, qui valde intravit.

Oculo prolapso methodus praecedens insalubris est: incisio in caput et aquae adspersio indicata est. —

Sex et septuaginta in oculis orti parvulorum adultorumque morbi, qui expositi sunt, illis fiunt ex lactis irritatione, phlegmate, aëre, bile et sanguine.

Infans oculis palpebrisque instructus aliusque corrugatus ideo semper conterit oculum valde prurientem, oculi bulbum, nasum frontemque. Solis candorem non tolerat et lacrymas profundit. Auctum illius sanguinem celeriter mittat scarificetque. Cum melle commixtis pungentibus substantiis remediet. Matri infantique adhibeat indicatam methodum. Huic vomitum facere potest pota emulsio ex fructibus Achyranthae asperae cum melle ac sale fossili commixtis aut cum Pipere longo, sale fossili et melle commixtis. Illi jam vomenti vomitum ne facere medicus nitatur. Cum Acorum calamum dederit huic, cibum lacque edenti, posthac emeticum cum fructibus commixtum adhibendum est a praeceptorum gnaris.

Ex Eugeniae jambu, Mangiferae indicae, Phyllanthi emblicae et Panici miliacei foliis, purgandi causâ, conficienda est infusio atque adspersio. Pro instillatione salubre est ibi butyrum liquidum cum Menispermo cordifolio paratum. Sic etiam indicant trium myrobalanorum decoctionem. In Népála ortum Piper nigrum, concha et calx aeris, cum sale marino, saccharo et melle commixta, paretur collyrium, aut ex Sanseviera zeylanica, melle et cupro.

Nigrum ferrum, lipuidi butyri emulsionem, mel, combustam speciem Piperis longi, Piperis nigri et aridi zingiberis, Allium cepam, Glycyrrhizam glabram, sal fossile optimum, laccam cum rubrica commixtam, globosam calcem aeris, Meliae azidaractae folium, liquiritiam, Curcumam zanthorrhizon, simul cuprum et Symplocon racemosam optant ibi medici collyrium, partes aequales habens.

Cum fluviatili concha, lacte coagulato et sale fossili parata et cum collyrio commixta caro dimidium infantis latus incitat. In destillatione a phlegmate orta traditum persequatur praeceptum medicus, morbi infantilis gnarus, oculi morbum depulsurus.

Ut mare profundum, ita therapia plane exponi decem millibus Ślokarum non potest. Millibus Ślokarum etiam dictam materiam homo, exigua mente instructus et rationalium librorum materiis destitutus, amplecti non potest indoctus (apańdita).

Hoc ipsum valde absconditas materias amplectens therapiae semen emissum, a perito medico profectum, multipliciter crescit. Quam ob rem sapienti, variarum doctrinarum (śútra) materias cernenti, universa semper investiganda est doctrina valde profundas materias amplectens, illi sacrarum doctrinarum gnaro."

Caput XX.

Nunc vero caput, morbos ab auribus profectos discernens, expositurí sumus.

„Aurium dolor, sonitus, perturbatio, tinnitus, aurium profluvium, aurium pruritus, aurium sordes, vermes, aurium compressio, phlegmone duplex, auris coctio, suppuratio aurium, tuberculum haemorrhoidale quadruplex, indolens tumor septemplex, intumescentia quadruplex, — hi ab auribus profecti morbi octo et viginti expositi sunt.

Aër aurem ingressus, maleque agens, undique auribus dolorem valde facit, corruptis humoribus proprie involutus. Hic auris dolor appellatus difficilis curatu est.

Quando autem aër devortium ingressus in canalibus sonum ferentibus commoratur, tum homo varios audit sonos. Sonitum appellant hunc morbum.

Quando autem aër, phlegma ingressus, vasa sonum ferentia persecutus commoratur, tum homini curationem nullam adhibenti perturbatio sine dubio sane fieri potest.

Post lassitudinem, consumtionem, asperum et adstringentem cibum aër,

in sonorum via collocatus, homini impurgato capite affecto et frigus adhibenti aurium tinnitum vehementer efficit.

Homini post contusionem, aut post coctionem phlegmones, caput in aquam submergenti, auris, aëre involuta, pure fluere potest. Hic morbus aurium fluor appellatus est.

Phlegmate coacervato pruritus aurium valde oriri potest in meatu auris sic dicto.

Phlegmate per bilis vim exsiccato, hominibus fit in meatu aurium sordes. Haec aurium sordes, fluentiam nacta et soluta, quando narium orificium adit, tum aurium compressio morbus sic dictus oriri potest, caput vexans.

Quando autem animi deliquium patiuntur homines et muscae suas proles procreant ex cerumine, tum hic morbus a praecipuis medicis auris verminosa dicitur.

Ex vulnere inflicto oriri potest phlegmone, aliaque rursus phlegmone ex corruptis humoribus effici potest; ea auris rubro, flavo fuscoque sanguine fluere potest, dolore, fumi ductu, aestu et ardore afflicta.

Fieri sane potest post vehementem cruciatum coctio, per bilem irritata, et ulcerationem madoremque efficiens in auribus, praesente phlegmate in cursu, bilis vi vexato.

Auris suppuratio, sive dolens, sive doloris expers, denso fluere potest pure.

Demonstratis signis praedita tubercula haemorrhoidalia et intumescentiae atque insensilis tumoris signa jam prius a me accurate exposita sunt, quae intuitus medicus eximius ibi intente curet."

Caput XXI.

Nunc vero morborum ab auribus profectorum remediationem expositluri sumus.

„Generale praeceptum in aurium morbis hoc est; butyri liquidi potio, elixirium vitae, nulla defatigatio, capitis ablutio, Brahmanica observantia (brahmacharya) et silentium.

In aurium dolore, in sonitu, in perturbatione et in tinnitu, in his quatuor morbis universale illud remedium agnoscunt medici.

Inunctum unguentoque purgatum hominem vaporationibus aërem tollentibus, tubi vaporationibus et globulorum vaporationibus curet.

Aegle marmelo, Ricino communi, Asclepiade gigantea, Varshab'hu,

Cratoeva valanga, Datura metel, Morunga guilandina, Vastagand'ha, Physalide flexuosa, Aeschynomene sesban, Hordeo hexasticho, Bambusa arundinacea et oryzis fermentatis coctis effecta tubi (meatus) vaporatio aurium dolorem, a phlegmate aëreque ortum, abjicit.

Piscium, Galli domestici et Perdicis chinensis carneis globulis aut lacte vaporationem faciat, aurium dolores arcentem.

Ex Ficus religiosae foliis cavamen multifolium medicus cum confecerit, oleo Sesami orientalis oblitum et sero lactis impletum (cavamen) superimponat aurium fluori. Quod oleum Sesami orientalis destillat de hoc cavamine per prunam absoluto, id nactum aurium fluorem momento eripit dolorem.

Lino, bdellio et Aquilaria ovata cum butyro clarificato suffiat aurem. Post cibum salubre est butyrum clarificatum, et clysteris adhibitio honorata est. Incænatus nocte hoc butyrum liquidum cum biberit, lac post bibat. In capitis, abdominis, nasi et cerebri adspersione et in cibo centies coctum Pavoniae odoratae oleum laudatum est.

Flacourtiam sapidam in caprino lacte cum coxerit, ex hoc lacte coquat Galli domestici adipem; hoc fiat aurium explementum.

Amaranthi polygami radices, fructum Alangii hexapetali, Momordicae mixtae et Echitae antidysentericae radicem, Pinum longifoliam, Pinum Dévadáru, Allium sativum, Zingiber officinale, Bambusae arundinaceae corticem recipiat, ex horum sedimentis acidis coquat oleum quadruplex, doloris sedandi causâ. Salubre hoc aurium fiat explementum.

Allii sativi, Amomi zingiberis, Morungae guilandinae, Murungi, Raphani sativi et Musae paradisiacae sedimentum oleosum optimum est tepidum in aurium explemento.

Zingiberis officinalis succus, mel, sal fossile et oleum Sesami orientale; hoc tepidum auribus adhibendum est, dolorem delens.

In urina caprina cum Bambusae arundinaceae cortice commixta butyrum clarificatum medicus coquat; eo aurem expleat hominis, aurium dolorem habentis.

Magnarum quinque radicum quantitatem, duodeviginti pollices continentem, melle circumdet, oleo Sesami orientalis conspergat et tum igniri jubeat. Quod oleum Sesami orientalis destillat de illis receptis substantiis in pateram, hoc agnoscendum est ignitum oleum Sesami orientalis. Id momento eripit dolorem.

Pari modo faciat medicus peritus in B'hadrae ligno, Costo arabico et ligno Pinus longifoliae ignitum oleum Sesami orientalis, aurium dolores auferens.

Asclepiadis giganteae surculos, cum Oxalide monadelpha contritos, cum oleo Sesami orientalis commixtos et sale fossili adspersos deponat in Eu-

phorbiae antiquorum caule gemmato, fructibus operto. Ad formulam decoctionis in foliis vaporatos exprimat usque ad succi adventum. Suaviter calefactum hunc succum auri instillet, ad dolorem sedandum.

Cratoevae valangae, Citri medicae, Oxalidis monadelphae et Zingiberis officinalis succis optimis suaviterque calefactis expleat aurem, ad hujus dolores tollendos.

Aurem hominis, auris dolore vexati, tepida Oxalide monadelpha expleat. Marinae spumae pulvere aut compositione conterat (aurem).

Urinâ tepida una ex octo urinis ibi expleat aurem, ad auris dolorem sedandum. In urinis acidis, et in classe aërem delente cocta, coquat medicus quadruplex oleum, hoc aurium explementum.

Has quoque curationes bilioso aegroto adhibeat per antibiliosa remedia. In classe (remediorum), a Kákoli incipiente, butyrum clarificatum, ex decem lactibus confectum, et amarum, ibi salubre est.

In Ficus glomeratae germinibus, Glycyrrhiza glabra et Sirio myrtifolio, scilicet in sedimenti oleosi decoctione, eximium butyrum est, decoctum cum succis ex Saccharo officinarum et Glycyrrhiza glabra confectis.

Terminaliae catappae Sinapisque dichotomae olea pro auris explemento cum phlegmate complicato salubria sunt.

Amarum herbarum medicarum juscula etiam et vaporationes phlegma delent. In Anetho sowa etc. (tom. I. pag. 92.) et in quinque magnis radicibus (tom. I. pag. 95.) paratum Sesami orientalis oleum, succus citreus, acetum Allii sativi et Amomi zingiberis succus singulus pro explemento (auris) idonea sunt, aut etiam in his paratum Sesami orientalis oleum. Acres et caput purgantes boli etiam ibi sunt honorati. —

Aurium doloris praeceptum universum, antibiliosum in aegroto sanguineo, doloris, sonitus, perturbationis tinnitusque generatim traditum est.

Specialiter in (auris) perturbatione explementum audi!

Cum vaccarum urina fructus Aegles marmeli medicus conterat, et oleum Sesami orientalis concoqui jubeat. Cum aqua et lacte id in perturbatione auris explementum est. Cum saccharo candido, liquiritia et Momordica monadelpha paratum (oleum Sesami orientalis), in caprino lacte, aut etiam paratum in decocto fructuum Aegles marmeli, refrigeratum et capulatum, rursus coquat cum decem lactis partibus, cum saccharo candido, liquiritia et Sirio myrtifolio. Cum Aegles marmeli aqua confusum hoc oleum in perturbatione auris explementum est.

Quod praeceptum de catarrho tradetur, id etiam hic honoratum est.

De aëris morbis quod traditum est praeceptum, id etiam salutare fieri potest. In aurium fluore, aurium suppuratione, pariterque in ver-

minosis auribus aqualem curationem adhibeat medicus, remediaque specifica, purgationem, capitis suffitionem et aurium explementum.

Tersum purgationemque medicus, cum identidem inspexerit, efficiat. Aquâ Buchananiae latifoliae etc., aut aquâ classis ab Anetho sowa incipientis, aurium ablutio efficienda est, et illarum substantiarum pulveribus explementum.

Pulverem ex quinque adstringentibus substantiis confectum, cum Cratoevae valangae succo et melle commixtum, in aurium fluore laudant explementum. Resinâ ex Gossypii herbacei seminibus nata, cum pulvere corticis Shoreae robustae commixta et cum melle composita, in aurium fluore etiam laudatur. Lacca et Shoreae robustae resina pulverata fiunt aurium explementum. Cum Vallisneriae octandrae, Euphorbiae antiquorum, Eugeniae jambu et Mangiferae indicae fructibus commixtum, cum Cancro maenade, melle et Rubia manjista paratum, oleum Sesami orientalis honoratum est. Diospyros glutinosa, Terminalia citrina, Symplocos racemosa, Mimosa pudica, Phyllanthus emblica et mel explementum ibi idoneum fiant, cum Cratoevae valangae succo commixtum.

Succum Mangiferae indicae Cratoevaeque valangae, et ex Glycyrrhiza glabra, Grislea tomentosa et Shorea robusta natum, explementum laudant aut Sesami orientalis oleum illis concoctum.

Cum Panico italico, Glycyrrhiza glabra, Jasmino auriculato, Grislea tomentosa, Symploco racemosa et lacca, aut cum succo Cratoevae valangae, coquat oleum Sesami orientalis; hoc fluorem tollit post expletionem auris.

Calx aeris cum lacte materno contrita, cum melle commixta, laudatur in chronico fluore et in auris suppuratione.

Oleum Sesami orientalis in Viticis negundinis sedimento oleoso, et ex Sind'hi fumi pulvere confectus globulus expletivus, cum melle commixtus, sedamen supurationis aurium est.

Vermium in auribus delendorum causâ anthelminthicam adhibeat methodum.

Solani melongenae fumus saluber est, et Sinapis dichotomae oleum etiam anthelminthicum est cum arsenico flavo et vaccina urina compositum.

Bdellium in aurium foetore resina optima esse dicitur.

Vomitus, fumi potatio et Kad'avae gestatio in aurium tinnitu salubria sunt, et Sesami orientalis Sinapisque dichotomae oleum explementum.

In phlegmone (auris) adhibeat curationem phlegmonae aptam.

Humectet aures peritus medicus oleo Sesami orientalis, sudorem eliciat, auriscalpio simul purget hominem aurium sordibus affectum.

Tubi (meatus) sudor, vomitus, suffitio, capitis purgatio, omnisque methodus antiphlogistica aurium pruritum aufert.

In aurium compressione autem oleum sudationemque adhibeat, deinde hominis, purgato capite praediti, curationem aptam aggrediatur.

Aurium coctionis remedium faciat medicus bilis et herpetis remedio simile.

In auris cavitate versatum vermem, aut madorem, sordes etc. cornu extrahat peritus medicus, aut auriscalpio. —

Reliquorum morborum curatio antehac est emissa."

Caput XXII.

Nunc vero caput, morbos a naso profectos discernens, exposituri sumus.

„Gravedo, foetor nasi, nasi coctio, sanguine bileque affectus nasus, pure sanguineque affectus nasus, sternutatio, destilliatio, inflammatio, nasi constrictio, profluvium et nasi siccitas, — undecim emisi sunt morbi. Quatuor nodi, quatuor intumescentiae, septem insensiles tumores et quinque catarrhi exponuntur, simulque horum morbum curationes. Unus et triginta nasales morbi mensi demonstrati sunt. —

Si nasus constringitur, agitatur, frequenter coquitur, aut etiam humectatur; si homo non sentit suaves odores: eum gravedine vexatum esse decernere potest medicus. Hunc morbum aëre phlegmateque praeditum dicat, catarrho similia signa habentem.

Si cujus aër per humores combustos in gutturis palatique radice habitat et foetor ex ore nasoque prodit, foetorem nasi appellant hunc morbum.

Nasum aggressa bilis et vehemens coctio in quo morbo efficit ulcera, hunc morbum nasi coctionem appellant.

Nasum aggressa bilis, vehemensque coctio, si ulcera in morbo facit, eum morbum nasi coctionem medicus decernat, oculo ibi humoribus corruptis vexato.

Porro quadrupliceem, scilicet duplice origine praeditam et duplicem viam ineuntem, haemorrhagiam biliosam edisseram.

Humoribus autem combustis, hominis in frontali regione percussi nasus effundere potest pus cum sanguine commixtum; quem morbum puris sanguinisque profluvium vocant.

Olfactum aggresso organo corrupto, si aër ex naso exit cum phlegmate commixtus multoque cum sonitu, morbum hunc doctrinae periti appellant sternutationem.

Post acrium adhibitionem, aut si quis valde odoratur substantias pungentes, aut post solis inspectionem, aut tenerorum ossium organo (naso) filis etc. vexato, sternutatio provenit.

Si de naso destillat crassum, acre acidumque phlegma jam antea in capite collectum, bile combustam destillationem vocant hunc morbum.

Ex naso autem valde calefacto prodire potest fumus aëri similis, nasusque hominis quasi inflammatus est; morbum hunc inflammationem vocant.

Phlegmate obductus aër cephalicus (tom I. pag. 169.) sic dictus quando in sua via corruptus perstat, nasumque quasi inducit, tum hic morbus appellatus est nasi constrictio.

Si nasus semper pellucidum, aquae instar clarum, caloris expertem liquorem quasi effundit, praecipue nocturno tempore, morbum hunc medicus nasi profluvium decernat.

Phlegmate nasum ingresso, per aërem autem et bilem valde exsiccato, si quis spiritum moleste ducit sursum deorsumque, morbus dictus est nasi siccitas.

Ex tribus humoribus corruptis separatim singulatimque explicet medicus tubercula haemorhoidalia et intumescentias, vel etiam insensilem tumorem universalem (ex omnibus humoribus corruptis ortum) septimum, Sàlàkyae commentationem (sidd'hántam) intuitus.

Morbus catarrhus hic indicatus supra dicitur esse quintuplex.

Intumescentiae in naso organo sitae explicantur in dijudicatione intumescentiarum (tom. II. pag. 138.).

In Nidàna haemorrhoidalia tubercula (tom. I. pag. 173.) explicata medicus animadvertat."

Caput XXIII.

Nunc vero morborum a naso profectorum remediationem exposituri sumus.

„In nasi foetore supra demonstrato hominis inunctio, sudatio, vomitus, destillatio; aptus cibus, acer, exiguus levisque sit; calida aqua et fumi potatio suo tempore. Asa foetida, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Wrightea antidysenterica, Celtis orientalis, lacca, semen Micheliae champacae, Cayaphal, Morunga hyperanthera, Costus arabicus, Pan-

danus odoratissimus et Embelia ribes semper sunt optima; in vexatione autem Galedupa arborea. Cum his substantiis oleum Sinapis dichotomae, cum urina commixtum, decoquat peritus medicus, nasi causâ.

In nasi coctione autem antibiliosa methodus adhibenda est omnis, externa internaque. Sanguine misso, Fici glomeratae cortices applicandi, adspersiones et innunctiones adhibendae sunt.

Exponam in posterum sanguinis bilisque sedationem. Fistularum in modum curatio puri sanguinique adhibeat. Post vomitum simul indicant compressivum acrem fumum, purgationemque ibi nasalem.

In sternutatione et destillatione injiciendus est nasalis pulvis de substantiis caput purgantibus per fistulam. Adhibeat vapores capiti, aëris morbum depellentes, gratos fumos et quidquid aliud salubre est.

In inflammatione morbo antibiliosam methodum adhibeat, et quidquid suave refrigeratoriumque est.

In nasi constrictione olei potatio, grati fumi, capitisque fascia semper optima sunt. Pavoniae odoratae oleum quovis modo adhibendum est, et quidquid aliud in aëris morbo indicatum est.

In nasi profluvio pro odore indicatus pulvis per fistulam applicandus est, adstringensque, quod acre sit. Acrem fumum ex Pinu Dévadàru et saccharo rubro, carnem et butyrum clarificatum idoneum ibi demonstrant.

In nasi siccitate lactis butyrum optimum est, compositum oleum Sesami orientalis cum vehiculo nasali, butyri liquidi potatio, cibus ex carnibus, inunctio, sudatio et unguinosus fumus.

Reliquos morbos ex naribus ortos cohibere potest praeceptum, quod de his datum est.“

Caput XXIV.

Nunc vero catarrhi remediationem exposituri sumus.

„Uxoris concubitus, capitis dolor, fumus, pulvis, frigus, vehemens calor, retentio urinae faecumque statim catarrhi causae dictae sunt.

Accumulati in capite humores, aër etc., separati et conjuncti, pari modo etiam sanguis, si irritati sunt hi humores variis irritamentis, hominum catarrhum efficiunt.

Capitis gravitas, sternutationis proventus, membrorum fricatio, horror,

phaenomenaque alia separatim hominum catarrhum antecedentia commemorata sunt.

Constrictus, clausus nasus, tenui profluvio affectus, gutturis, palati labiique siccitas, vexatio in ossibus temporalibus, respirationis difficultas fieri potest in catarrho ex aëre orto.

Calidum flavidumque profluvium de naso destillat in biliosо catarrho; homo fieri potest macer, valde pallidus, vexatus, siti afflictus; is fumum subito ignemque quasi vomit.

Phlegma in catarrho phlegmatico ex naso album frigidumque identidem profluere potest. Albo colore tumidisque oculis et gravi capite vultuque affectus esse potest homo. Capitis, gutturis, labii palatique vehemens pruritus saepius oritur, si catarrhus subito provenit. Maturus immaturusque catarrhus omnigenus commemoratus est. Signa omnium gravedinum nasalium adsunt in catarrho ab omnibus humoribus simul corruptis orto. In catarrho orto a sanguine sanguinis profluvium provenit. Cupreo oculi colore pectorisque passione homo vexatus esse potest. Foetidus odor, difficilis respiratio pronuntiatioque locum habet; odores non percipit aegrotus et animi deliquium patiuntur homines. Ibi vermes albi nigrique parvi oriuntur. Helminthiasi capitisque morbo simile est illius morbi signum. Madescit rursus nasus, rursusque arescit; indentidem constringitur, identidemque aperitur; inspirationis exspirationisque foetor adest; odores non percipit aegrotus. Sic etiam corruptus catarrhus oriri potest, curatu difficilis. Omnes autem hi catarrhi hominis irremediabiles sunt.

Tempore genera morborum oriuntur a corrupta gravedine profecta. Perturbationem, caecitatem, odoris privationem, horridos oculorum morbos, tussim, ignem (inflammationem), consumtionem et intumescentias auctae gravedines efficiunt.

Novo catarrho depulso, reliqua medicus peragat butyri liquidi potionibus, vaporationibus variis, vomitibus aptis temporique convenientibus et adstringentibus. Immaturi catarrhi enim maturandi causâ vaporatio salubris est; ex acidis autem alimentum insalubre est. Inserviens lac et Amomum zingiberi concoquat cum Arundinis sacchariferae praeparatae compositionibus. Catarrhum maturum, spissum et delabentem capitis purgationibus, purgativorum adhibitionibus, fumi potationibus et ecligmatum sumtionibus removeat medicus, corruptos humores intuitus. Ventis non exposita cubatio, sessio et motio, gravis calidusque vestitus, acria purgantia, capitis vaporatio, asper cibus e carne paratus et cannabis sativa adhibenda sunt. Frigidam aquam, feminas, gelidum balneum, cogitationes, valde asperos cibos, excrementorum obstructiones, moerorem et vina nova evitet homo, gravedinis morbo affectus.

Vomitu, membrorum lassitudine, febre et gravitate vexatum, cibi fasti-

dio, ira et diarrhoea tentatum gravedinosum medicus jejuniis remediisque digestivis calefacientibusque convenienter curet.

Multis decoctionibus juvenem gravedinosum, ab aëre phlegmateque liberatum, vomere faciat. Symptomata ex praescripto propriis medicamentis et ciborum regulis vincat, lenitatem cum cognoverit. Illud in antegressis signis dictum tunc doceat.

In catarrho ab aëre orto bibat butyrum liquidum, ex praescripto cum quinque salibus et cum prima (medicamentorum) classe (Tom. I. pag. 90.) paratum. In nasalibus remediis etc. praeceptum totum inspicere potest, de hemiplegia datum.

In catarrhis a bile et sanguine ortis bibendum est butyrum liquidum cum herbis medicalibus decoctum. Adspersiones, inunctionesque etiam faciat frigidulas. Pinus longifoliae et Shoreae robustae resina, Pterocarpus santalinus, Panicum italicum, mel et Saccharum officinarum cum uvis Vitis viniferae, Sanseviera zeylonica, Gojí, Gmelina arborea et Glycyrrhiza glabra adhibetur, ecligmataque ibi etiam purgatoriumque cum syrupis.

Ex Grisleae tomentosae corticis, trium myrobalanorum, Convolvuli turpethi floribus nigris, Symploci racemosae, Glycyrrhizae glabrae, Gmelinae arboreae et Indigoferae tinctoriae misturis in lacte et decima (medicamentorum) classe (Tom. I. pag. 92.) coquat oleum. Id tempori subjectum fieri potest nasale remedium, in his duobus catarrhis (a bile et sanguine) salubre.

In catarrho a phlegmate orto aegrotum, butyro clarificato inunctum, per oryzam fermentatam, cum Sesamo orientali et Phaseolo radiato decoctam, vomere faciat; post vomitum antiphlegmaticam methodum adhibeat.

Ambo valida Solana (Solanum jacquini et Solanum melongena), Embeliam ribem, Ruelliam longifoliam, Śvétamúlam (albam radicem), Barleriam albam, Phrynium dichotomum, et ranas ibi recipiat. Oleum ex his excoctum nasale praeparet.

Ex Pinu longifolia, Achyranthe aspera, Pinu Dévadáru, Jatropha glauca et Terminalia catappa confectae turundae sunt adhibendae, ut circa fumi sorbitionem praeceptum datum est.

Butyra pungentia amaraque, acres fumi, pungentia medicamina adhibita depellere possunt omnem ab irritatione ortum catarrhum.

Ex Amomo zanthorrhiza, Ativishae misto, et ex Cypero rotundo Pinuque Dévadáru excoctum oleum pro nasali remedio sapiens tribuat.

Cyperum rotundum, Pothum officinalem, Cysampelum hexandram, Cayaphal, pungentes cortices, Sinapim dichotomam, Piperis longi grana, sal fossile, acarum rubrum, vitriolum caeruleum, Galedupae arboreae semen, sal maritimum et Pinum Dévadárum recipiat. Ex his autem paratam infusionem in ecligmate adhibeat.

Salubre capiti purgando est oleum ex illis excoctum.

Lac cum dimidia aquae parte coquendum est, cum carnibus Cervi axis aviumque, et cum floribus aquaticisque aërem pellentibus herbis commixtum. Hoc refrigerato et lactis experte, butyrum studiose faciat; tum gummi benzoës, saccharum candidum, Panicum dactylon, Glycyrrhizam glabram et Sirium myrtifolium adsumat et denuo coquat. Hoc est butyrum ex decuplo lacte paratum. Prout nasale remedium id adhibitum evidentes catarrhos removet.

Corruptis humoribus sedandis idoneum oleum medicus studiose conficiat.

Circa urinam bilemque autem indicatas curationes vermibus adhibeat peritus, scilicet eorum expellendorum causâ anthelminthinca remedia.“

Caput XXV.

Nunc vero caput, morbos a capite profectos discernens, exposituri sumus.

„Caput mortalium aegrotat ex his tribus, aëre bile et phlegmate, ex omnibus his humoribus simul corruptis, ex sanguine, ex phthisi, ex vermibus, ex solis vertigine, ex infinito rheumatismo, ex dimidiae (capitis) partis fissura, et ex temporum passione. Morbi undecim species habentis signum hic dicitur.

Si sine causa capitis morbi oriuntur nocte ultra modum acres, vinculisque et caloribus oritur morbi species, capitis vexatio haec ab aëre profecta est.

Si calidum et sicut prunae collectio fit caput, nasusque fumidus et per frigus nocte fit morbi species, capitis vexatio haec a bilis irritatione profecta est.

Caput, guttur, si phlegmate superlitum, grave, et frigidum est, si bulbus oculi, si facies tumida est, capitis vexatio haec a phlegmatis irritatione profecta est.

In capitis vexatione, tertium locum obtinente, omnia signa oriuntur.

Sanguinis indole praedita vexatio capitis bili similia signa habet; tactionis intolerans caput fit.

Ex morborum ab adipe, phlegmate et ulceribus ortorum et caput aggressorum interitu fieri potest phthisica capitis vexatio molesta, horrifice dolorosa ultra modum.

Si caput sudationibus, vomitibus, suffitionibus, sanguinis detractionibus

augmen sumit, cruciatur, ultra modum comesum interne quasi exsilit, sienaribus exit aqua cum sanguine commixta, capitis est vexatio haec a vermibus orta terribilis.

Sub solis ortum si sensim sensimque magis supercilia aggreditur morbus, increscitque cum sole, et sub solis reversionem recedit, si frigore homo sedationem adipiscitur et aliquando calore voluptatem percipit, hanc passionem universalem molestissimamque solis vertiginem appellant.

Humores corrupti tres, cervicalem tendinem vexando, cervicem perdolentem perhorridamque efficiunt. Simul in superciliari temporalique regione praesertim torporem celeriter excitat haec passio; in genae lateribus facit tremorem maxillas corripientem, ocularesque morbos. Infinitum rheumatismum hunc appellant, a tribus humoribus simul corruptis exortum capitis morbum.

Praestantissimi membri (capitis) pars dimidia vehementer fissurâ, cruciatu, vertigine doloreque afflicta a latere, post decem dies, aut celeriter dimidiae partis fissura post tertium diem aegrotum destruere potest.

Tempora aggressus aër, dilacerante impetu praeditus complicitusque cum phlegmate, bile et sanguine, morbos perhorridos expandit in capite, praesertim vero in temporibus. Valde molestum esse hunc temporalem morbum sacrosancti (maharshayas) Védarum periti antiquissimi dicunt, exortae morti similem, a millibus medicorum adeo difficilem depulsu."

Caput XXVI.

Nunc vero morborum a capite profectorum remediationem exposituri sumus.

„Aërii morbi methodus adhibenda est in capitis morbo aëris naturam habente.

Lac pro potu, butyrum liquidum, aut etiam oleum Sesami orientalis homo bibat; Phaseolos mungones, Dolichos bifloros et Phaseolos radiatos comedat nocte omnes pungentes, calidos butyroque clarificato conditos; calidumque lac post bibat; aut bibat ex lacte oleum Sesami orientalis, aut etiam hujus olei sedimentum. Adspersionem ex lactibus, de substantia aërem depellente paratis, suaviter calefactis, doceat; aut jusculis de tali substantia paratis suaviterque calefactis, aut vaporatis piscium carnibus, aut pulmentis sale fossili conditis, aut Sirio myrtifolio, Nymphaeâ caerulea Costoque arabico, his scilicet permollibus, et cum Pipere longo compositis, caput inungat.

Inuncto homini oleum Sesami orientalis remedium nasale sit, cum cancri jusculo commixtum.

In medicaminum classe, incipiente cum Cappari trifoliata (Tom. I. pag. 91.), contrita, lac cum dimidia parte aquae commixtum coquat. A lacte relictam, idoneam, frigidam hanc essentiam recipiat. Deinde cum syrupis paratum hoc butyrum in nasali remedio honoratum est. Ex illo autem decocto lacte bibendum est butyrum liquidum saccharo mistum. Vaporem ejus unguinosum medicus tempori convenienter adhibeat. In potibus, unguentis et nasalibus remediis, in clystere et adspersione, sapiens det oleum ex Convolvulo turpetho albo, aut ex Pavonia odorata confectum. Cibet jusculis oleosis, aut lactibus bene paratis.

A bile et sanguine ortos duos capitis morbos medicus avertat cephalicis unguentis cum butyro paratis, circumspersionibus frigidis, sacchari succo, aquâ oryzae fermentatae, sero lactis, melle, aquâ saccharo mista.

Ex Arundine kauka, Calamo rotang, Kalhara, Sirio myrtifolio, Nymphaea caerulea, Padmaka, conchis, Valisneria octandra, Siphonantho indica, Cypero rotundo et Nelumbio specioso commixtis fiat unguentum cephalicum cum butyri liquidi aequali parte paratum.

Dulcibus gratisque inunctionibus, nasalibus curationibus, roborationibus, purgationibus aptisque clysteribus oleosis curet. Lactis butyrum salubre est nasale remedium, aut adeps animalis fausta est. Ex lacte cum Nymphaea caerulea etc. (Tom. I. pag. 94.) concocto roborans salubre est.

Alimentum ex jure carnis elixae et butyro clarificato; suffimentum ex dulcibus; in unguento autem lactis butyrum saccharatum, bilem sanguinemque delens, indicatum est, et quidquid aliud hic salubre est.

A phlegmate ortum capitis morbum medicus vincat medicaminibus phlegma amoventibus, capitis purgationibus, emeticis acribus et gargarizationibus. Clarum bibere det medicus butyrum liquidum, vaporet identidem caput succo Glycyrrhizae glabrae, inunctumque purget.

Ex his, scilicet ex Terminaliae catappae cortice, aut ex Asclepiade geminata, confectas turundas pro fumi haustu medicus adhibeat.

Odorandus est Gmelinae arboreae pulvis. Ecligmata phlegma auferentia sunt adhibenda. Pinu longifolia, Costo arabico, Śárngashtâ, Pinu Dévadáru et Rohisâ, cum lixivio saleque fossili contritis et suaviter calefactis, inungat caput.

Ex Hordeo hexasticho et Oryza praecoce cibum, cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis compositum, adhibeat. Jusculis Trichosanthae dioecae, Phaseoli mungonis et Dolichi biflori modice cibet aegrotum.

In capitis morbo, a tribus humoribus simul corruptis orto, methodus, tres humores simul corruptos delens, salutaris est. Butyri liquidi potionem praecipue indicant.

In capitis morbo a phthisi orto phthisin cum adiverit medicus, nutritoria methodus adhibenda est.

In potu et in nasali remedio butyrum liquidum, cum dulcibus aërem delentibus coctum, fieri potest remedium phthisin catarrhumque auferens. Ibi butyrum liquidum aptissimum medici agnoscunt.

Vermibus adrosi hominis curationes capitis indicantur.

In nasum indat medicus sanguinem, quo deliquium patiuntur vermes. Inebriati vermes sanguinis odore undique accurrunt. Horum evulsio efficienda est. Tum remediis caput purgantibus, aut Hrasvae et Morungae guilandinae seminibus cum vitriolo caeruleo commixtis, anthelminthicis et comprimentibus, cum urina contritis, negotium medicus persequatur.

Cum foetido pisce compositos vapores anthelminthicos, cibos anthelminthicos potusque varios adhibeat.

In capitis morbo a solis vertigine orto dandum est nasale remedium etc., cibus carnis plenus et cum lacte et cibo parato butyrum. Eadem adhibenda sunt morbo, dimidiam capitis partem findenti, et quidquid aliud idoneum est.

Ex Mimosa sirisha, Raphano sativo et tribus myrobalanis expressus succus oculis saluber est.

Ex Bambusa arundinacea, Raphano sativo et camphora expressum succum adhibeat. Expressus succus cum Acoro calamo et Pipere longo compositus ibi quoque saluber est; aut ex Glycyrrhiza glabra expressus succus cum melle compositus; aut ex arsenico rubro, melle et Sirio myrtifolio expressus succus.

In oculorum fine salubre est nasale remedium, butyrum clarificatum, scilicet cum saccharo officinarum commixtum; et Echites frutescens, Nymphaea caerulea, Costus arabicus et Glycyrrhiza glabra, contrita cum acidis. Cum butyro clarificato et oleo Sesami orientalis compositum unguentum duobus oculis voluptatem adfert. Hoc unguentum etiam adhibendum est in capitis morbo phlegmatico.

In infinito rheumatismo tenendum est praeceptum de solis vertigine datum. Sanguinis missio instituenda est, infiniti rheumatismi mitigandi causâ. Alimentum praebendum est, aërem bilemque delens, de cibis, ex melliculis (mad'humastaka), placenta (sanyáva) et conditura (g'hrĭtapúra) confectis.

Lactis butyrum laudant in nasali remedio et in potu concheo. De pinquibus carnis elixae jusculis cibus laudatur.

Asparagum racemosum, Sesamum orientale, Piper longum, Glycyrrhizam glabram, Indigoferam anil, Nymphaeam caeruleam, Panicum dactylon et Boerhaviam diffusam alatam pro unguento bene praeparet.

Mahásugand'ham, Convolvulum turpethum nigrum cum acidis contritum, frigidas ibi adspersiones et inunctiones adhibeat.

Succus expressus, solis vertiginem arcens, ibi dandus est, cum verminationem phthisinque exortam in capitis morbis amoverit medicus prudens. Melle oleoque Sesami orientalis caput medicus purget. Deinde ex oleo Sinapis dichotomae nasale remedium adhibeat. Nisi sedationem et unguinosam sudationem nanciscitur, postea omnino medicus persequatur negotium missionibus sanguinis.

Sic diffuse sunt demonstratae simul cum signis (symptomatibus) curationes.

In sacra commentatione (sanhitá) expositi sunt sexaginta septem morbi oris. Illi ex praestantissimo corpore profecti morbi in hacce sacra institutione (śástra) latius expositi sunt numeris, formis et curationibus." —

Sic in *Susruta* opere, *Ayurvédae* doctrinam continente, composito a *Susruta* praeceptore, in *Ultimo Tractatu (Uttaratantra) Sáláhyatantra* (Tom. I. pag. 2.) peractum est. —

Caput XXVII.

Nunc vero caput, novem daemonum actiones discernens, exposituri sumus.

„Daemonum parvulos spectantium distinctionem, effectionem immediatam, originem et actionem, ad Suśrutam tantummodo animadvertens, audi!

Skandas daemon est primus, Skandápasmaras, Śakuní, Révatí, Pútaná, And'hapútaná, Pútaná Śítá vocata, Muk'hamańdiká, nonus Négaméshas, qui vocatus est Pitrĭgrahas.

Ob nutricis matrisque perversam vitae rationem antea demonstratam parvulos puritate privatos, prosperis vitae rationibus orbatos, perterritos, horrore affectos, minis jactatos, aerumnâ afflictos et lacrymis confectos illi, venerationis causâ, interficiunt. In divina omnipotentia (aiśvarya) commorantes illi omniformes non possunt, intrantes corpus, videri ab hominibus. Aptum sermonem respiciens referam signa, quae in illorum (parvulorum) corpore sunt.

Tumidis oculis affectus, sanguineo odore praeditus, mammis inimicus, ore curvo instructus, laesus et tremulus in uno cilio oculoque, perterritus, valde deformatus est in oculis, parum lacrymat infans a Skanda vexatus.

Secespitae splendorem habet, animi impos fit, rursus fieri potest animi compos, iratus est, manibus pedibusque quasi saltat, faeces urinamque egerit clamans, oscitat, spumam egerit, ad suum amicum profugit, deciduis membris affectus, tumore perculsus, avem olens, profluo ulcere oppressus undique, tumoribus corporis extensus, aestu et coctione dignoscendus est infans laesus a Śakuní.

Rubros oculos habet, viridia excrementa reddit, perpallido corpore praeditus aut lividus est, febribus, oris coctione et doloribus vexatus est, afflictum corpus habet, aures naresque conterit certe oppressus a Révati infans.

Deciduis membris affectus est, dormit suaviter interdiu, nec vero noctu, excrementa divisa reddit, cornicis instar odorem emittit, vomitu vexatus, horripilantibus pilis afflictus et hydriae sitiens est infans a Pútaná captus.

Qui odit mammam, dysenteriâ, catarrho, singultu et vomitu cum febre concomitato afflictus et decolor est, semper subtus jacet in lecto, acidum odorem emittit, eum (infantem) dicunt medici ab And'hapútaná esse vexatum.

Qui perterritus est, valde intremit, lacrymat, sopitus dormit, intestinis crepantibus, profluo corpore et dysenteriâ valde afflictus est, eum intelligat medicus a Śitapútaná esse vexatum.

Qui languidis nembris, valde splendentibus manibus, pedibus et vultu praeditus, multum edens, turbidis vasis et obstructo ventre affectus et simul timidus est, urinam olet, is parvulus tum cognoscendus est a Vaktramańďika (Muk'hamańďiká) vexatus.

Qui parvulus spumam vomit, inflectitur in medio corpore, simul timide queritur, sursum spectat, febricitat semper, adipem olet et animi impos fit, is a Négamésha captus est.

Qui infans rigidus mammisque inimicus est et obstupescit, eum identidem intrans mox interficit daemon, aetheris signis praeditus (Skandápasmáras).

Aegrotum curabilem, non ita pridem vexatum, medicus sanare potest.

In domo pura butyro vetere clarificato cum inunxerit infantem medicus purus, semina Sinapis dichotomae prospergat. Ex horum oleis lucernam conficiat. Semper praesentem sacrificet ignem, seminibus herbarum omni odore praeditarum et odoriferis floribus exornatum, Agnem et Krĭttikas voce sacrificali — Sváhá! Sváhá! — invocans. Honos Skandae Deo, daemonum domino honos! Capite (inclinato) te veneror ego, accipe a me sacrificium! Morbi expers, aegritudinis expers mihi fiat infans certe!“

Caput XXVIII.

Nunc vero Skandae daemonis remediationem expositurі sumus.

„Infantibus a Skanda daemone captis, decoctio, ex arborum foliis aërem delentibus parata, laudatur pro adspersione. Ex earundem (arborum) radicibus confectum oleum pro inunctione salubre est. Suffimenti, liquoris spirituosi, Palmae Christi et Kaitaryae adspersio optatur.

Cum Pinu Dévadáru, Mimosa octandra et dulcibus arboribus paratum butyrum liquidum lacteum ceu potum illi (daemoniaco morbo) adhibeat.

Semina Sinapis dichotomae, anguina pellis, Acorus calamus, Abrus precatorius, butyrum clarificatum, camelinos, caprinos, ovillos et vaccinos crines pro suffitione infantis adhibeat.

Asclepiadem acidam, Indravallim, Mimosam sumam, Aegles marmeli spinas, Cucumis colloquintidae radices colligatas gerat.

Rubra serta florea, vexilla rubra, odoramenta, varii cibi, campanae et Gallus domesticus Deo, ad Skandam daemonem salutari, sacrificia in Skandae habitatione facienda sunt.

Ablutionem per tres noctes noctu, et denuo per quatuor, faciat recentibus oryzae hordeique aquis, Gáyatrí incantatis, holocaustumque oblationibus ignis. —

Porro parvulorum praeservationem, vitia delentem, exponam, quae adhibenda est quotidie medicis indefessis.

Devotionum, splendorum, gloriarum et pulchrarum formarum exitium, scilicet Deus ille Skandas, interitus expers, tibi faveto!

Daemonum exercituum dominus, Deus, Deorum exercituum excelsus, Deorum exercituum hostes capiens, praeclarus Guhas, te tuetor!

Deorum Dei magni Pavakae (Agnis) qui filius est, aut Gangae, Umae et Krĭttikae, ille tibi felicitatem dato!

Rubri serti florei odoramento praeditus, fortunatus, Pterocarpo santalino exornatus, rubro caelesti corpore instructus Deus, Kraunchae occisor, tuetor te!“

Caput XXIX.

Nunc vero Skándásmárae remediationem expondituri sumus.

„Aegle marmelos, Mimosa sirisha, Juncus articulatus floribus albis et medicaminum classis, quae incipit ab Anetho sowa (tom. I. pag. 92.) in adspersione adhibenda sunt, Skandápasmárae domandi causâ.

Ex odoramentis decoctum oleum ad inungendum salubre est.

In Ficus glomeratae infusione, et in classe a Kákolí incipiente, aut in butyro liquido coquendus est potus cum lacte commixtus.

Odoramentum cum Acoro calamo et Asa foetida commixtum ad Skandam daemonem salutare est.

Vulturis et noctuae excrementa, crines, elephanti ungulae, butyrum clarificatum et taurini pili adhibenda sunt in suffitione.

Panicum dactylon, Bombacem heptaphyllon, Momordicam monadelpham et Guilandinam bonducellam gerat.

Cocta incoctaque caro, purus sanguis, lac, B'hútodanas etiam communicandus est in Skandápasmárico antro.

In quadrivio balneum faciendum est refraenato animo.

Skandápasmáras qui appellatus, Skandae amicus est dilectus.

Viśák'has appellatus infantis Śivas esto, deformi ore praeditus."

Caput XXX.

Nunc vero Śakunis remediationem expondituri sumus.

„Aegroto a Śakuní circumdato adhibenda est a medico intelligente decoctio, ex Calamo rotang, Mangifera indica et Cratoeva valanga parata in adspersione.

Ex adstringentibus dulcibusque oleum conficiendum est pro inunctione infantis.

Glycyrrhizâ glabra, Andropogone muricato, Andropogone shoenantho, Echite frutescente, Nymphaea caerulea, Nelumbio specioso, Symploco raccemosa, Panico italico, Rubia manjista et rubricâ superlinat infantem.

In vulneribus (ulceribusque) indicati pulveres varii idonei sunt. In Skanda daemone suffimenta eosdemque pulveres etiam adhibeat.

Asparagum racemosum, Cervum axem, Cucumerem utilatissimum, Heliotropium indicum, Solanum jacquini, Lakshmańam, Echiten frutescentem et Solanum melongenam gerat.

Tilatańd'ulakae flos, arsenicum flavum et arsenicum rubrum — sacrificium hoc in Galedupa arborea offerendum est submisso animo.

In fruticeto adhibendum est aegroto balneum ex praescripto.

Skandam daemonem sedans butyrum clarificatum ibi etiam est honoratum.

Praestet quoque varias reverentias Śakuní floribus pulchris.

In aëre incedens Dea, omnibus ornamentis decorata, deorsum spectans, acri vultu praedita Śakuní tibi faveto!"

Difficilis conspectu, magno corpore instructa, nigris oculis praedita, terribilem vocem emittens, ventriosa, palo similes aures habens Śakuní tibi faveto!"

Caput XXXI.

Nunc vero Révatís remediationem exposituri sumus.

„Physalis flexuosa, Odina pinnata, Echites frutescens, Boërhavia diffusa alata, duae barleriae, Convolvulus paniculatus, — infusiones pro adspersione salubres sunt.

Oleum pro inunctione conficiendum est ex Costo arabico, aut etiam ex resina Shoreae robustae.

Ex Grislea tomentosa, Shorea robusta, Pentaptera arjuna, D'hátakí, Diospyri glutinosae resinoso fructu et ex medicaminum classe incipiente a Kákolí (tom. I, pag. 93.) potabile butyrum liquidum optatur.

Dolichos biflorus, conchae pulvis, unguenta omnibus odoramentis praedita (aromatica), vulturis et noctuae excrementa, Hordeum hexastichon, Wrightea antidysenterica et butyrum clarificatum — haec infantis suffitio diluculo crepusculoque facienda est.

Capparis trifoliatae et Sapindi saponariae, Citri medicae et Viticis negundinis, aut Nageliae putrajivae fructum semper gerat.

Alba Caesalpiniae bonducellae grana, lac, Oryza sativa cocta — sacrificium offeri debet Révatí submisso animo in sacra ablutionis aqua.

Ad confluentes medicus lavationem nutricis et infantis paret.

Varias vestes gerens Dea, versicoloribus sertis floreis obducta, tremulis inauribus ornata nigra Révatís tibi faveto!

Ampla, igens, inclinata, liberis fecunda Révatié mater, haec Dea, tibi semper faveto!“

Caput XXXII.

Nunc vero Pútanae remediationem exposituri sumus.

„Kapotavanká, Ailanthus excelsa, Capparis trifoliata, Erythrina fulgens et Echites dichotoma adhibenda sunt in parvulorum adspersione.

Acorus calamus, Asclepias acida, Juncus articulatus floribus albis, arsenicum flavum, arsenicum rubrum, Costus arabicus, resina Shoreae robustae et oleosa classis optatur.

Salubre est butyrum clarificatum in Bambusae arundinaceae manna et in dulcibus paratum, Costus arabicus, Flacourtia cataphracta, Mimosa ferruginea, Sirium myrtifolium, Dalbergia ougeiniensis, Pinus Dévadáru, Acorus calamus, Asa foetida cum Costo arabico, montana Nauclea cadamba, Elettaria cardamomum et Pisum sativum semper adhibenda sunt in suffitione.

Morungae hyperantherae, Piperis chavyae, Rottleriae tinctoriae et Zizyphi jujubae medulla, Momordicae mixtae ossiculum et butyrum clarificatum cum Sinapi dichotoma fiat suffimentum.

Abrum precatorium, Cucumerem utilatissimum, Momordicam monadelpham et Abrum precatorium rubris baccis gerat.

Cum piscibus coctam oryzam conficiat pulmentumque (ex lacte, Sesamo orientali et oryza) et carnem; operculum et capsam faciat, et tum sacrificium in vacua domo capiat.

Relictâ conspersione ablutio in capite optatur.

Honorandâ est Pútaná Dea sacrificiis oblaticiis. Sordidis vestibus induta, sordida, horricomis, vacuam domum ingressa Dea Pútaná infantem tuetor!

Horribilis visu, valde foetida, ingens, nubilae tempestati similis, fissam domum habitans Dea Pútaná infantem tuetor!

Caput XXXIII.

Nunc vero And'hapútanae remediationem exposituri sumus.

„Ex Mimosae catechu arboris foliis conficiendum est decoctum pro conspersione. Liquor spirituosus, Suvíracus Costus arabicus, arsenicum flavum, arsenicum rubrum et resina Shoreae robustae, ob oleosam substantiam, indicantur.

Piperis grana, piperis radix, dulcis classis, mel, Hedysarum gangeticum et duo Solana, ob butyraceam substantiam, indicantur; ex omnibus odoramentis frigidis confectum unguentum etiam pro membris et oculis indicatum est.

Excrementum Galli domestici, capillos, scutum, anguinam pellem, obsoletam vestem ad suffitionem praeparet.

Bombacem heptaphyllum, Guilandinam bonducellam, legumen et Panicum dactylum gerat.

Caro cruda, coctus quoque sanguis offerendus est in quadrivio et intra domum, infantis tuendi causâ.

Infantis lavationem paret ex omnibus odoramentis et ceteris substantiis faustis.

Ingens, e gilvo nigricans, calva, furvis vestibus induta Dea Pútaná infantem hunc laeta custodito!"

Caput XXXIV.

Nunc vero Śítapútanae remediationem exposituri sumus.

„Cratoevam valangam, Convolvulum turpethum album, Momordicam monadelpham, Aeglen marmelon, Prachíbalam, Ficum indicam et Semicarpum anacardium in adspersione adhibeat.

Caprinam urinam, vaccinam urinam, Cyperum rotundum, Pinum Dévadáru, Costum arabicum et omnia odoramenta (aromatica), ob oleosam substantiam, recipiat.

Asclepiadis acidae, Shoreae robustae, Mimosae ferrugineae, Buteae frondosae et Pentapterae arjunae cortices cum coxerit, in hoc decocto lac simul concoquat.

Vulturis et noctuae excrementa, Vastagand'hámahis cutem, Micheliae azidaractae folia et Glycyrrhizam glabram in suffitione adhibeat. Gerat etiam Cucumerem colocynthidem, Abrum precatorium et Abrum precatorium baccis rubris.

In flumine cibis ex Phaseolo mungone confectis exhilaret Śitapútanam. Deae dandus est cibus, liquor spirituosus et sanguis.

In lacus fine balneum infantis indicatum est.

Phaseolum mungonem et oryzam coctam comedens Dea, liquorem spirituosum et sanguinem bibens, in lacu domicilium habens Dea Śitapútaná tuetor te!"

Caput XXXV.

Nunc vero Muk'hamańd́ikae remediationem exposituri sumus.

„Cratoeva valanga, Aegle marmelos, Aeschynomene sesban, Bambusa arundinacea, Ricinus communis et Bignonia suaveolens adhibenda sunt in parvulorum adspersione.

Ex sedimentis oleosis arboris Cassiae fistulae et ex Aja Harigad'haque oleum medullamque componat et coquat ad unguentum infantis.

In Sanseviera zeylanica, lacte, mannarum classe, liquiritia et in quinque radicibus recentioribus (Tom. I. pag. 95.) butyrum coquat.

Adeps, resina Shoreae robustae, Costus arabicus et butyrum clarificatum in suffitione salubria sunt.

Gerat infans linguas Caraciae indicae, Chírallis et serpentis.

Odoramentum, aromaticum pulverem, sertum floreum, collyrium, hydrargyrum et arsenicum rubrum offerat in bubili medio.

Oblationem (cum lacte, oryza et saccharo) butyraceam, scilicet holocaustum (purod́áśam) sacrificium offerat.

Balneum ex aquis per sacros hymnos (mantra) lustratis ibi quoque est salutare.

Decorata, formosa, fausta, amabilem formam habens, in medio bubuli domicilio delectata Muk'hamańd́iká tuetor te!"

Caput XXXVI.

Nunc vero Négaméshae remediationem exposituri sumus.

„Aegle marmelos, Premna spinosa et Caesalpinia bonducella sunt adhibenda in adspersione.

Ex liquore spirituoso, fructibus Zizyphi jujubae et aqua oryzae fermentatae adspersio laudatur.

Cum Panico italico, Pinu longifolia, Panico dactylo, Anetho sowa, Bignonia indica, vaccina urina, lacte coagulato, sero lactis et acida alica coquat oleum Sesami orientalis.

Cum bis quinque radicum (Tom. I. pag. 95.) decoctione, lacte, syrupis, psittaci et K'harjúris capite butyrum coquat.

Acorum calamum, Asclepiadem acidam, Juncum articulatum floribus albis, aut Valerianam jatamansem gerat.

Suffimentum salubre est ibi, Skandápasmáram delens.

Sinapis alba, Hibiscus populneoides, Asa foetida et Costus arabicus cum farinis tostis, Semicarpus anacardium et semina Cari carvi sunt infanti salubre suffimentum.

Ex simiarum, noctuarum et vulturum faecibus in novem daemonibus suffitio, homine dormiente, facienda est medico, infantis salutem optanti.

Sesami orientalis semen, sertum floreum et cibos varios Pitriméshae infantis in arboris radice offerat. Sacrificium sub ficubus indicis arboribus die lunari sexto offerat.

Caprino ore, tremulis oculis et superciliis praeditus, amabili forma instructus, gloriosus salvator, Deus Négaméshas infantem tuetor!"

Caput XXXVII.

Nunc vero caput de daemonum origine exposituri sumus.

„Novem daemones infantium a Skanda incipientes sic dicti, fortunati, coelesti corpore praediti, foeminino masculinoque corpore instructi sunt. Hi, Guhae in sagittarum sylva habitantis tuendi causâ, proprio splendore praediti, A Krittika, Uma, Agni et Śúli procreati sunt. Foeminino autem corpore instructi daemones, multiformes, a me explicati sunt.

Gangae, Umae et Krittikae partes impetuosae (rájasá) creditae sunt.

Négaméshas autem a Párvatí natus, arietino ore praeditus daemon, infantes ferens, Dei Guhae intimus amicus est.

Qui vero Skandápasmáras appellatus est, is, ab Agni generatus, Agni similiter splendet. Hic vero Skandae amicus etiam Viśákas vocatur. Skandas generatus est a venerabili Deo Tripurae hoste.

Sustentat alios sic cognominatos Kumáras daemon. Infantilia crepundia gerens Deus a Rudra et Agni progenitus, in perversis moribus venerabilis ipse non versatur.

Ob communitatem cum Skanda quidam indocti — „Rudras capit" — sic dicunt, illi parvam cognitionem habentes corpusque solum considerantes. Deinde, venerabili Skanda Deorum exercitus duce facto, aggressi sunt daemones (Graha) omnes fulgentem viresque habentem Guham. Dixerunt, implicatis manibus: hunc tanquam existentiam nostrum discerne! Eorum causâ tum Skandas Śivam Deum commovit. Deinde daemonibus illis dixit Venerabilis, pulchris oculis cordeque praeditus: quadrupede origine praeditum esse hominem, divinumque triplicem mundum. Mutuo auxilio existit sustentaturque (mundus). Dii homines, quadrupede origine praeditos, exhilarant tempori convenientibus frigoribus, pluviis, caloribus et ventis. Sacrificiis autem, manuum implicationibus, adorationibus, precationibus, holocaustis, devotionibus etc. omnino adhibitis homines exhilarant coeli dominos. Sors salusque aliqua separata non cognoscitur. Haec in vestris infantibus fausta vita erit, si in familiis Dii, Manes, Bráhmańae, boni magistri et hospites coluntur. In his domibus, perfecta probitate puritateque praeditis, hospiti cibum praebentibus, opertis victimis eleemosynisque impletis et in perforatis scyphis potum offerentibus, si vos infantes illos (daemones) excipitis intrepidi, ibi vobis longa vita honorque erit.

Pari modo daemones (Graha) aggressi deinceps excipiunt parvulos.

A daemonibus autem vexati parvuli difficillimi curatu sunt crediti. Imparata mors celeriter certe a Skanda daemone credita est; qua de causa etiam Skandas daemon vel maxime terrificus in omnibus est creditus. Alius autem omniformis daemon non curabilis esse dicitur."

Caput XXXVIII.

Nunc vero uteri corruptionis remediationem exposituri sumus.

„Magno pene praeditum virum quae femina ultra modum adhibet, hujus asperae infirmaeque feminae aër irritatur. Aër corruptus, uterum ingrediendo, uteri morbus fit. Ex trium humorum corruptorum signo viginti corruptiones uteri convenienter demonstratae sunt in morborum compendio. Perverso

more illae corruptiones, mulierumque corrupta menstruatione, oriuntur, et seminis virilis vitio fatoque. Illas (uteri corruptiones) singulatim audi!

Uterus aquis vexatus, sterilis, non fluens, circumfluus, ventosus ab aëre ortus; a bile ortus, sanguine vexatus, perversus, procidens, infantes occidens, biliosus, ultra modum voluptarius, auritus, coitu dupliciter usus; phlegmaticus pituitosus, sterilis, fecundus, magnus; orificiis sicut acus instructus, ab omnibus tribus humoribus simul corruptis ortus esse potest.

Pituitosa aquosaque menstruatio difficulter curatur. Sterilem uterum menstruatione privatum medicus cognoscat; non fluentem semper dolorosum; in circumfluo utero oritur inter coitum aegritudo vehemens; ventosus uterus durus, rigidus et tormentis vexationibusque afflictus est. In quatuor antecedentibus oriuntur ventosi dolores.

Cujus uteri menstrualis sanguis simul aestum emittit, is sanguine vexatus est.

Simul ventosum deglutire potest semen virile uterus perversus, commixtum cum menstruo sanguine.

Procidens uterus peragitatus tremit difficulterque parit.

Rigidum foetum occidit uterus infantes occidens, post sanguinis profluvium.

Ultra modum biliosus uterus aestu, coctione febreque affectus est.

In quatuor antecedentibus biliosa signa oriri possunt.

Ultra modum voluptarius uterus non percipit gaudium ex coitu.

In aurito utero inauris (sic dicta) ex phlegmate et sanguine oritur.

A viro coitum exercente primum (semen) praevalet; a viro autem ultra modum coitum exercente alia femina semen virile saepius non concipit.

Phlegmaticus pituitosusque uterus pruritu affectus perfrigidusque est.

In quatuor antecedentibus phlegmatica signa oriri possunt.

Menstruationis mammarumque expers femina sterilis horrido contactu est in coitu.

Valde corpulentus uterus feminae junioris captae fecundus esse potest.

Extensus permagnusque uterus orificiis, acus instar, valde opertus est.

Omnibus his signis praeditus uterus ab omnibus humoribus simul corruptis irritatis ortus est.

In quatuor antecedentibus omnia signa oriri possunt.

Quinque incurabiles existunt uteri, ab omnibus humoribus corruptis orti.

Ad corruptum humorem autem in curabilibus uteris inunctio ceteraque curandi ratio desideratur. Det medicus praecipue aptos clysteres jam dictos. Durum uterum, ventosum, rigidum intangibilemque in coitu Bdellii vaporibus cum urina bubulina commixtis curet.

Cum dulcibus herbis commixta condimenta uteris ingerat, adhibeatque crioxylon Sesami orientalis indefessus; purgationesque faciat explementaque

convenientia; ad uteros aestu et inflammatione affectos dictam admoveat frigidam medicus curationem.

Male olentes pituitosque uteros pulveribus ex quinque adstringentibus paratis impleat. Ex Buchananiae latifoliae etc. infusionibus purgatio fiat.

Utero autem purulento implementum per globulos ex purgatoriis substantiis paratos et cum vaccina urina saleque fossili commixtos, salubre est.

Solani jacquini triumque myrobalanorum sedimento oleoso, cum duabus Curcumis composito, pruriginosum intactilemque uterum impleat suffiatque.

Turundam applicet aurito utero, ex purgativis substantiis paratam.

Procidentem uterum, butyro liquido oblitum, lacte vaporatum, reponat, operiatque condimento, et tum deligationem faciat.

Adversus corruptos humores det medicus siceram, liquorem spirituosum et spiritum destillatum.

Mane maneque praebeat de Allio sativo exemtum liquorem; lacte et jure carnis plenum cibum det.

A semine virili, menstruo etc. orti humores corrupti et mammarum morbi sunt expositi.

Torporis origo, perturbati embryonis praeceptio, et curatio in gravidarum remediationibus quoque demonstratae sunt. Hanc curationem quovis modo adhibeat in uteri corruptionibus peritus medicus. Puerperarum morbos curet priori modo medicus.“ —

Sic in Suśruta opere, Áyurvédae doctrinam continente, composito a Suśruta praeceptore, in Ultimo Tractatu (Uttaratantra) Kaumárab'hrĭtya (Tom. I. pag. 2.) peractum est. —

Caput XXXIX.

Nunc vero febrium remediationem expособituri sumus.

„A quo ambrosia (amrĭta) ex aquarum medio depromta est in primordiali ortu; unde immortalitatem adepti sunt tredecim (Dii) ex triplicis coeli Domino (Jśvara), illum Deum (D'hanvantarem) sedentem interrogarunt Suśrutas et ceteri discipuli.

Vulneris (et ulceris) phaenomena jam dicta sunt; vulneratorum (et ulceratorum) phaenomena inde in posterum breviter, et diffuse etiam, explica nobis, medicorum excellentissime (D'hanvantari)!

Phaenomeno affectum autem vulnus (et ulcus) difficile curatu est. Phaenomena autem vulnerati (et ulcerati), difficilia curatu, jam dicta sunt.

Hominis, post illam humorum et corporis elementorum destructionem perdito robore et carne affecti, phaenomena universa dic nobis simul cum curationibus, quae in totius corporis curationibus observatae sunt ab eximiis sapientibus (rishis).

Illorum (Suśrutae et reliquorum discipulorum) orationem hanc cum audiverat, dixit medicorum excellentissimus (D'hanvantaris):

Febrem in principio explicabo.

Morborum turbae regina (febris) aestimata, Rudrae iracundiae et Agni similis, omnium animantium vexatrix, his illisve nominibus rerum nominatur.

In nativitatis principio et in occasu etiam saepius aggreditur homines febris; inde haec omnium morborum regina est vocata.

Praeter divinos homines autem non alius perfert febrem. Quia opere homo divinitatem adipiscitur ex homine, rursusque ingressus coelos (svarga) humanitatem sequitur, propterea illi homines divina portione perferunt febrem. Ceteri ex tortuosa vulva nati omnes intereunt, febre vexati.

Sudoris obstructio, aestus, omnium membrorum correptio et passiones subito exoriuntur, in quo febris dicta est.

Humoribus singulis, totis aut duobus corruptis egressa, variis de causis effecta, octuplex commemorata est febris.

Humores irritati in suis temporibus, suis irritamentis corpus penetrantes, plane febrem adducunt. Corrupti suis de causis humores, assequendo crudidatis sedem per aestum, conjuncti chylum aggrediendo, chylum sudoremque ferentium ductuum viam praecludendo, torpidum ignem (digestionem) faciendo, foras ejiciendo calorem omnem ex coctionis sede, et corpus penetrando, in suis temporibus febris accessionem (paroxysmum) producunt; tum intumescentiam et proprium colorem in cute etc.

A perverse et nimis adhibitis unguentis ceterisque operationibus hominum, a varia laesione, morborum ortu, coctione, lassitudine, consumtione, indigestione, veneficio, negligentia observantiae anni temporibus propriae, odore florum medicarum herbarum, moerore, constellationis vexatione, incantatione, exsecratione, animi angore feminarum gravidarum puerperarumque, insalubribus rebus, lactea metastasi etiam, febris post corruptos humores oritur. His (corruptis humoribus) impetuosis, multipliciter circumvagantibus deviaque ingressis, injectus interne ignis subito foras erumpit.

Quod febris constringit aquarum principium (Dhátu), propterea febre laborans homo perfervido corpore est affectus, neque omnino sudat. Lassitudo, dolor, decoloratio, siccitas, lippitudo, identidem appetitio aversatioque frigoris, venti, caloris etc., oscitatio, membrorum fricatio, gravitas, horripilatio, cibi fastidium, caligo, laetitiae absentia et frigus generatim oriun-

tur, exurgente febre. Speciatim autem oscitatio ultra modum ab aëre, a bile in oculis aestus, a phlegmate cibi inappetentia oritur; omnium autem signorum (symptomatum) numerus in febre ab irritatione omnium humorum simul corruptorum orta locum habet.

Binorum (humorum corruptorum) febrem, formâ unitam, ex conjunctione (binorum humorum corruptorum) ortam esse sciunt.

Trepidatio, inaequalis impetus, gutturis, labiorum orisque ariditas, insomnia, sternutationis suppressio, membrorum asperitas, capitis, cordis membrorumque afflictio, oris siccitas, faecum obstructio, oscitatio et punctio oritur in febre ab aëre orta.

Impetus, acerrima diarrhoea, somni diminutio, vomitio, gutturis, labiorum, oris nasique coctio, sudatio, lamentatio, punctio in ore, animi deliquium, aestus, delirium, sitis, flavidi, faecum urinaeque instar colorati oculi et vertigines oriuntur in febre a bile orta.

Gravitas, frigus, tormina, horripilatio, ultra modum somnolentia, sensuum organorum obstructio, dolorum paucitas, irrigatio, oris dulcitudo, non perfrigidus membrorum status, vomitio, membrorum lassitudo, indigestio, catarrhus, cibi fastidium, tussis et oculorum albugo oritur in febre a phlegmate orta.

Insomnia, vertigo, anhelitus, syncope, torpor membrorum, inappetentia, sitis, mentis error, delirium, stupor, aestus, frigus, cordolium, longinqua coctio corruptorum humorum, insania, atri dentes, lingua rudis violaceaque, ab articulis, capite ossibusque ortae passiones, inflexi turbidique oculi, aures tinnitu doloreque affectae, lamentatio, sensuum organorum coctio, indistincta loquela, mentis alienatio, sudoris, urinae faecumque diminutio et post longum tempus secretio sunt omnia signa (symptomata) in febre ab omnibus humoribus simul corruptis orta. Differentiam autem ibi a me audi!

Non valde calidus frigidusque, parum sui conscius, vertiginoso obtutu affectus, orationis expers, acri lingua et sicco gutture vexatus, sudore, faecibus urinaque privatus, cum lacrymis inflexo corde afflictus, odio incensus, splendore orbatus est, suspirans collapsus jacet, lamentationibus phaenomenisque (morbosis) affectus est (aegrotus). Hunc alii caducum dicunt splendoreque orbatum; alii autem febre ab omnibus humoribus simul corruptis orta correptum, miserum incurabilemque esse sciunt.

Somnolentia affectum, caducum, emaciatum, splendore orbatum, (quasi) depositis membris afflictum, hunc febre ab omnibus humoribus simul corruptis orta correptum esse sciat.

Cujus splendor cadit post bilis aërisque erectionem, is ob membrorum rigorem et frigus in lecto est amens.

Vigilans quoque dormit homo, somnolentus flebilisque est, arrectis pilis,

delapsis membris, stupore, aestu, doloreque affectus est. Hujus splendorem ab obstructione ortum esse cognoscat peritus medicus.

Septimo, decimo aut etiam duodecimo die aggresso, febris rursus atrocior facta sedationem init, aut interficit.

Duorum corruptorum humorum erectionis signa, ex (binorum humorum corruptorum) conjunctionibus orta, triplicia sunt.

Oscitatio, inflatio, delirium, tremor, articulorum divisio, consumtio, sitis, lamentatio et aestus nascitur in febre ab aëre bileque orta.

Punctio, catarrhus, phlegmatis vexatio, frigus, tremor, tussis, gravitas, inappetentia et obstructio nascitur in febre ab aëre phlegmateque orta.

Frigus, aestus, inappetentia, stupor, sudatio, mentis error, delirium, vertigo, tussis, membrorum lassitudo et singultus nascitur in febre a phlegmate bileque orta.

Infirmorum, a febre liberatorum et perversis alimentis gavisorum hominum humor corruptus, quamvis exiguus, adauctus (perversis alimentis), aërem ingressus, febres continuas, quotidianas, tertianas, quartanas, pituitosas, in phlegmate sitas, nullius numeri participes, facit. In dies ex loco in locum progreditur humor corruptus; deinceps, cruditatis sedem nactus, terribilem facere potest hominum febrem.

Pituitosa febris siccorum aegrotorum dignoscenda est vitam destruens.

Difficillimus curatu est stupor valde dolorosus, corporis elementa exsiccans.

Corruptus humor, in phlegmatis sedibus situs, duobus, tribus aut quatuor diebus contrarias, inaequales difficilesque curatu facit febres.

Alia origo autem esse propria natura in inaequali febre a quibusdam dicta est; aut adventicia causa plerumque in inaequali febre exposita est.

Ex aëris principatu tertianam quartanamque oriri dicunt medici harum febrium gnari.

In vehemente et a vino orta febre causam a bile effectam esse dicunt.

Pituitosam, aëream phlegmaticamque febrem a phlegmatis principatu ortam esse dicunt hujus febris gnari.

Animi deliquii symptomatibus praeditae inaequales febres plerumque ex copulatione (duorum corruptorum humorum) exortae sunt.

In cute situm phlegma et aër frigus in febris initio generant; in horum (phlegmatis et aëris) fine bilis aestum efficit. Vehementer sic etiam ab initio bilis in cute sita aestum efficit. Bile autem sedatâ, illa duo (phlegma et aër) frigus faciunt in fine. Hae duae ab aestu et frigore incipientes febres, ab unione (trium corruptorum humorum) ortae commemoratae sunt. In his duabus febribus illa ab aestu incipiens gravis et difficillima curatu est commemorata, et adsidua, et ex laesionibus orta, et ab animo profecta febris.

Nocte dieque, in sex accessionibus (temporibus) jam antea expositis, violenter inaequalis febris multipliciterque hominem invadit. Haec inaequalis febris etiam corpus nunquam relinquit, quia aegrotus a languore, gravitate vexationeque non liberatur. Impetu enim transgresso, — „praeterita est febris“ — sic videtur. In mediis autem corporis elementis sita ob solutionem et placiditatem non animadvertitur febris, exiguo humorum corruptorum phlogisto affecta et exilis, sicut ignis pauco ligno instructus.

Exiguus, insaluber factus humor hominis a febre relicti, rursus unum aut alterum elementorum corporis ingressus, facit inaequalem febrem.

Continuam febrem corruptus humor ille in chylo et sanguine situs; carnes ingressus quotidianam; telam cellulosam autem ingressus tertianam; porro ossium medullam nactus facere potest febrem quartanam; terribilem, mortiferam, cum morbis complicatam.

Quidam a daemonum imprecationibus ortam esse inaequalem febrem dicunt, sic etiam septimo, aut decimo, aut duodecimo die exortam.

Quae febris ob suam continuitatem assidua est, ea continua appellatur.

Intra diem et noctem continua febris bis accedit; quotidiana intra diem et noctem semel accedit; tertiana tertio die; quartana quarto die.

Vento agitatum sicut tumescit mare, sic aëre commoti humores corrupti faciunt febres. Sicut in impetus accessione, ripam oceani cum obtexerit aqua, haec in impetus relictione ibi evanescit, sic in corruptorum humorum impetus ortu emitti potest febris, in impetus relictione autem sedari potest ita, ut finis in mari.

Si febris ex varia laesione oritur, sicut corruptorum humorum irritationem, ita hanc febrem aestimet.

Livor faciei in febre veneficio effecta, aestus, diarrhoea, cordis prehensio, crudus morbus, sitis, dolor, animi deliquium, virium amissio.

In febre, ab odore herbarum medicarum orta, animi deliquium, capitis dolor et sternutatio oritur.

In febre, ab amore (káma) orta, mentis lapsus, lassitudo, inertia, crudus morbus, cordis dolor exsistit, celeriterque corpus exsiccatur. Ex timore lamentatio, ex moerore irritationeque tremor exoritur.

Ab incantatione et exsecratione oritur mentis error et sitis; ex daemonum imprecatione timor, risus, tremor, lacrymatio. Lassitudine, consumtione et laesione hominum irritatus aër, implendo universum corpus, febrem valde potest adducere. Ex morborum autem ortu, aestu et adventiciis causis febris alia exoritur, et his aliisque conditionibus.

Corruptorum humorum signa (symptomata) interdum non praetereunt.

Profunda autem febris cognoscenda est ex interno aestu, siti, suppressione urinae, vehementis suspirii tussisque ortu.

Lumine et sensu orbatum, emaciatum, pravo animo affectum, dissolutum, profundo aerique impetu (paroxysmo) vexatum febricitantem medicus deserat.

Humoribus corruptis ex medio superioreque corpore emissis, tertio, septimo, duodecimoque die febris impetus (paroxysmus) fieri potest acutus, ex ordine facilis curatu. —

Sic febres expositae sunt; nunc curatio indicabitur.

Antecedentibus febris formis locum habentibus, sapiens medicus bibere det butyrum liquidum purum, inde aegrotus voluptatem percipit.

Praeceptum in febribus ab aëre et bile ortis purgatio est; lene emeticum in febribus a phlegmate ortis datur.

Quidquid in febribus a duplice corrupto humore ortis dictum est, medicus secundum corruptos humores curet. Nec inungendus est aegrotus, nec abluendus, sed jejunio etc. curandus.

Formae et prioris formae varietatem medicus cognoscat ad instar ignis et fumi.

In febribus evidente forma praeditis salubre est omnino jejunium.

Corrupto humore in cruditatis sede sito et cum torminibus complicato, emeticum praestantissimum est.

Aegrotus, humidis humoribus corruptis adligatus, quamdiu servet jejunium, tamdiu tum familiaritatem (illorum) obtinere potest.

Ne jejunet in febre ab aëre, consumtione et animo orta. Etiam fame domandae non sunt febres, quae antea in duplice vulnere (vulnere et ulcere) explicatae sunt.

Post instabilium humorum corruptorum ignem jejunium est coctio humorum corruptorum.

Febres depellentem, lucidum, appetentiam cibi, famem levitatesque efficientem, ab aëre, faecibus et urina liberatum, sternutationis sitisque expertem, levem, claris animi sensibus praeditum et tenuem esse hominem sciat, jejunio bene defunctum.

Virium interitus, sitis, tabes, lassitudo, somnolentia, vertigo, defatigatio et phaenomena, ab anhelitu incipientia, exoriuntur ex nimio jejunio.

Calefaciens, phlegma incidens, bilem aëremque ordinans, aegrotis febre a phlegmate et aëre orta vexatis salubris est calida aqua. Sitim autem findens, mitigatorium humorum corruptorum et organorum est frigida aqua. Perverse autem adhibitâ aqua frigida, febris augetur.

In febribus ex bile, vino et veneno exortis frigida decoctio. parata ex amaris, Cypero rotundo, Zingiberi officinali arido, Andropogone muricato, Oldenlandia biflora, Andropogone shoenantho et Sirio myrtifolio, salubris est.

Calefaciens, coquens, levis, febribus vexatorum febres extinguens, proprie ex decoctionibus confecta potio coenae tempore salubris est.

In hominis, multo corrupto humore et torpido igne affecti febre, post septem dies (et noctes), sub jejunii fine, quando corruptus humor ptisanis oryzae fermentatis non coquitur, tum hunc infusionibus, siccitatem oris, sitim et cibi fastidium delentibus, decoctionibus suavibus, febrem tollentibus, aggrediatur medicus.

Ex quinque parvis radicibus (Tom. I. pag. 95.) paratam adstringentem decoctionem in febre ab aëre orta; in febre a bile orta ex Cypero rotundo, Echite antidysenterica et seminibus Nerii antidysenterici confectam, simul mellitam decoctionem; in febre a phlegmate orta ex Pipere longo etc. (Tom. I. pag. 95.) confectam adstringentem decoctionem; in febribus a (binorum corruptorum humorum) conjunctione ortis autem compositam (ex antecedentibus) decoctionem medicus det. Evitet autem (medicamentum) aquae potu impletus, jejunio defunctus, epulatus, aetate confectus, emaciatus et siticulosus. In leni febre, in levi corpore et in mobilibus secretionibus coctum esse humorem corruptum cognoscat medicus; in febre tum medicamentum dandum est.

Ex corruptorum humorum naturae mutatione illorum singulorum coctionis signum (oritur.)

Cordis palpitatio, lassitudo, salivatio, cibi fastidium, corruptorum humorum recessus, inertia, ischuria, copiosum urinae profluvium, grave abdomen, sudatio, nulla coctio (indigestio,) faecum passio, somnolentia, stupor, gravitas membrorum, ignis mitigatio, oris immundities, indefatigabilitas et fixa vehemensque febris. Quibus ex signis cognoscat febrem crudam peritus medicus.

Post septem dies (et noctes) nonnulli credunt esse dandum medicamentum; nonnulli autem dijudicantes post decem dies (et noctes) credunt esse dandum.

In biliosa, et brevi tempore ante exorta febre dandum est medicamentum.

Aegroto non diu febricitanti dandum etiam est medicamentum, corrupti humoris coquendi causâ. Medicamentum enim febrem aegroti, crudo humore afflicti, plus accendit.

Purgatio sedatam efficit inaequalem febrem.

Egredientem, febre perturbatam excretionem semper respiciat. Nimis provenientem curet, ut diarrhoeam.

Quando organorum (abdominis) excret iones intestina sequuntur, maturae solutaeque sunt, tum aegroto non diu febricitanti adhibeat purgationem. Maturus enim, non extractus humor corruptus, in corpore situs, valde mortiferam aut inaequalem facere potest febrem, et virium morte praeditam. Idcirco extractio humorum corruptorum est efficienda vomitu etc. Primum negotium est vomitus aegroti; tum efficienda est institio; tum alvi purgationem efficiat, et capitis purgationem.

Gradatim in vehemente febre a phlegmate orta dandum est emeticum.

In febre bilis plena, et solutam sedem habente, alvi purgatio adhibenda est.

In dolorosa, ab aëre orta et cum aquae vortice complicata febre adhibendus est clyster evacuans.

Febricitanti, lumbi dorsique affectionibus vexato et ignibus accenso, adhibenda est suffitio.

Capitis gravitatem doloremque discutiens et sensus suscitans capitis purgatio capiti est adhibenda in febre phlegmate praedita.

Infirmi inflatam dolorosamque alvum illinat Pinu Dévadáru, Acoro calamo, Costo arabico, Anetho sowa, Asa foetida et sale fossili cum aceto contritis suaviterque calefactis, aëre sursum meante.

Aegroto cohibitâ urina faecibusque affecto in anum ingerat turundam. Cum Pipere longo, Piperis longi radice, Hordeo hexasticho, Ligustico ajwaën et Pipere chavya paratam aquam oryzae fermentatae, aëris etc. ordinatricem, bibere det.

Cujus aegroti, a duobus lateribus purgati, febris ad sedationem non pervenit, ejus, residuis humoribus corruptis asperati, febrem butyro liquido vincat.

Macrum et exiguis humoribus corruptis affectum sedativis curet; abstinentiis autem robustum in febre ex saturitate exorta.

Irrigatam oryzae fermentatae alicam homini stupore, igne sitique vexato bibere det; siti, vomitione, aestu sudationeque cruciato, vini potatori et frumentis saturato mel cum aqua; postea in inveterata, jejunio et defatigatione effecta, debili et aëris plena febre oryzam coctam ex jure pisino.

Ignibus accenso homini medicus doctus oryzam coctam ex jure pisino prout cibum suppeditet.

Ex Phaseoli mungonis jure etiam oryza cocta salubris est in febre a phlegmate orta.

Ille etiam Calamus fasciculatus cum saccharo commixtus in febre biliosa saluber est.

Mali granati, Phyllanthi emblicae et Phaseoli mungonis jus salubre est in febre ab aëre bileque orta.

Brevis Raphani sativi jure cibet in febre a phlegmate aëreque orta.

Trichosanthae dioecae et Meliae azidaractae autem jus idoneum est febri, bilis phlegmatisque indole praeditae.

Homini aestu vomitioneque affecto, emaciato, cibi experti et siti afflicto illud jus, cum calamo fasciculato melleque compositum, frumentis saturato, bibere det.

Phlegmate bileque cruciato homini, pariterque sanguinis bilisque pleno,

vinum semper bibenti, fervido anni tempore non salubris est aqua oryzae fermentatae; illum curet pisinis jusculis acidis, aut non acidis, aut carnis juribus salubribus.

Vinum vetus, cum hordeaceo cibo adhibitum, homini sopitis ignibus praedito salubre est.

Cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis lac ebutyratum concedat homini phlegmate et inappetentia cruciato.

Macer, exiguis humoribus corruptis praeditus, miser, inveterata febre vexatus, solutus, ab humoribus corruptis liberatus, asper, febre biliosa aëreque laborans, siti cruciatus, aut aestuosus homo illa potione laetus fieri potest. Quae vero potio potata in juventute interficit hominem.

In omnibus febribus per septem dies modicus cibus saluber est in paroxysmi decessione; alioquin enim cibus febris paroxysmum auget.

Febre correptus etiam si cibum comedit salubrem, ejus inappetentia oriri potest. Tempore coenae autem non edens destruitur aut moritur.

Gravida femina destillandi tempore febricitans ne edat ullo modo, nec enim cibus aut illius aetati aut gaudio saluber est.

Continuam, aut etiam inaequalem, jam dudum exortam emaciati febrem alimentis convenientibus levibus curet.

Phaseolum mungonem, Ervum hirsutum, Cicer arietinum, Dolichon biflorum et Costum arabicum, scilicet singulorum partes aequales, ceu jusculum, coenae tempore det febricitanti.

Perdicum chinensium, Perdicum francolinorum, Antiloparum nigrarum, hystricum, camelorum, leporum, Kalapuchch'harum et Antiloparum albarum carnem carni adsuetis febricitantibus det.

Grues, ardeas, pavones, gallos domesticos et Tetraones cinereas ob gravitatem aestumque in febre non laudant quidam medici. Febricitantium autem paroxysmum quando adit aër, tum etiam hae carnes, per modicum tempus adhibitae, laudantur.

Conspersiones, ablutiones, illitus, purgationes, balnea, inunctiones, diurnum somnum, frigus, defatigationes et feminas ne collat homo a febre liberatus, quamdiu non robustus fit. Hominis enim a febre liberati infirmi corpus febris, insalubribus rursus aggressa, celeriter comburere potest, sicut aridam arborem ignis. Idcirco obtinenda est abstinentia homini a febre liberato, quamdiu non in sua natura repositus est, quoad humores corruptos scilicet et spiritus vitales.

In febre stupor oritur a perparvis etiam contentionibus. Perterritum coenet; ex eo urinam faecesque emoveat. In cibi fastidio, membrorum lassitudine, decoloratione, in corporis excretionibus etc. homo a febre quamvis liberatus purgandus est propter symptomatum metum.

Ne vero unquam hominem, febre debilitatum, doctus medicus subito satiet. Eo enim corrupta rursus febris exoritur.

Curet medicus febres omnes causarum contrarictatibus.

In febre, a lassitudine, consumtione et laesionibus orta, corporis elementorum morbum curet. Si morbus a puerperarum feminarum lactis descensu (metastasi) est ortus, ibi sedationem corruptis humoribus convenienter efficiat medicus artis peritus. —

Porro sedativas infusiones me doce, quae in omnibus febribus ab intelligente medico dandae sunt.

Ex Pipere longo, Echite frutescente, uvis Vitis viniferae, Anetho sowa et Piso sativo confecta infusio cum saccharo depellere potest febrem a suspirio ortam. Cocta etiam refrigerataque infusio Menispermi cordifolii bibenda est.

Pavoniae odoratae, Sacchari cylindrici et Flacourtiae cataphractae infusionem sedimento privatam, cum saccharo butyroque liquido commixtam, bibat, aëris febres auferentem.

Anethum sowam, Acorum calamum, Costum arabicum, Pinum Dévadárum, Pisum sativum, semina Coriandri sativi, Andropogonem muricatum et Cyperum rotundum celeriter praeparet; cum melle et saccharo candido commixta haec decoctio idonea est febri aëris indole praeditae.

Uvas Vitis viniferae, Menispermum cordifolium, Gmelinam arboream, Tráyamáńam et Echiten frutescentem decoquat; cum saccharo hanc decoctionem bibat in febre ab aëre effecta.

Menispermi cordifolii sedimentum praebendum est cum aequali parte Asparagi racemosi. Id cum saccharo potatum febrem aëre effectam celeriter potest depellere.

Butyri liquidi inunctiones, vaporationes et emplastra locis (morbosis) applicet.

A Gmelina arborea, Sirio myrtifolio, Andropogone muricato, Xylocarpo granato et Bassia latifolia confecta infusio, cum saccharo et syrupo commixta, depellit biliosam febrem.

Potus ex Echite frutescente etc. (Tom. I. pag. 93.) confectus, cum saccharo commixtus, biliosam febrem depellere potest. Ex Nymphaea caerulea etc. (tom. I. pag. 94.) cum Glycyrrhiza glabra, aut ex Nymphaea caerulea cum saccharo commixta, cocta refrigerataque infusio (hanc febrem) depellere potest.

Menispermi cordifolii, Nelumbii speciosi, Symploci racemosae, Echitae frutescentis et Nymphaeae caeruleae decoctio, cum saccharo syrupoque condita et refrigerata biliosam febrem aufert.

Uvarum Vitis viniferae et Cassiae fistulae, aut Gmelinae arboreae, dul-

cium, amararum adstrigentiumque substantiarum infusionibus, cum saccharo commixtis, beneque refrigeratis, sedare potest sitim auctam et aestum.

Frigidam cum melle commixtam aquam usque ad gulam bibere dando, medicus sitientem vomere faciat; hac aqua enim sitis sedatur.

Ex lactibus et lacteis infusionibus bene refrigeratis et cum Sirio myrtifolio compositis in interno aestu potus conficiendus est, aut ex his aliisque refrigeratoriis. Deinde deponat in aquis peragitatis aegrotum nocte perustum.

Cum melle commixtam aquam bibentis et febrem aestumque sedantis hominis capiti, cum linguae, palati, gutturis et vesicae urinariae siccitate complicato, Nelumbium speciosum, Glycyrrhizam glabram, Nymphaeam albam, Nymphaeam caeruleam, Hordeum hexastichon aridum, Andropogonem muricatum, Mimosam pudicam et Gmelinae arboreae fructum imponi jubeat.

Filamenta Citri medicae cum melle saleque fossili commixta, aut de saccharo officinarum et malo granato, pariterque de uvis Vitis viniferae et Phoenice sylvestri sedimentum in ore teneat, ut salubre est.

Saptachch'hadam, Menispermum cordifolium, Meliam azidaractam et Diospyron glutinosam decoqui jubeat medicus, et aegrotus tum hanc decoctionem cum melle bibat in febre a phlegmate orta.

Pungentes tres substantiae (Piper longum, Piper nigrum et zingiberi aridum), Michelia champaca, Curcuma longa, Wrightea antidysenterica et Echitae antidysentericae fructus depellere possunt inhaerentem phlegmatis febrem.

Curcumam longam, Plumbaginem zeylanicam, Meliam azidaractam, Andropogonem muricatum, Ativishám, Acorum calamum, Costum arabicum, semina Nerii antidysenterici, Sansevieram zeylanicam et Trichosanthem dioecam praeparatam et cum Pipere nigro melleque commixtam bibat in febre a phlegmate orta.

Ex Echite frutescente, Ativishá, Costo arabico et antea dictis cum Hedysaro alhagi et Cypero rotundo confecta decoctio potata depellere potest phlegmatis febrem.

Cyperus rotundus, Wrighteae antidysentericae semina, tres myrobalani, Michelia champaca, Asclepias acida et Xylocarpus granatum fiat decoctio, phlegmatis febrem delens.

Infusio classis a Buchanania latifolia incipientis, cum melle commixta, febrem a phlegmate simul et aëre ortam, suo tempore accessam, celeriter depellere potest.

Zingiberi aridum, Coriandrum sativum, Siphonanthum indicam, Terminaliam citrinam, Pinum Dévadáru, Acorum calamum, Oldenlandiam bifloram, Cyperum rotundum, Gentianam cheraytam et Gmelinam arboream excoquat; id in febre, a phlegmate simul et aëre orta, cum melle et Asa foetida

commixtum potandum est; simulque suspirium catarrhumque depellit in gutturis affectione cum phlegmatis madore complicata.

In singultibus, in gutturis intumescentia, in dolore circa cordis latus orto, decoctio Elettariae cardamomi, Trichosanthae dioecae, trium myrobalanorum, Siphonanthi indicae et Justiciae gandérussae, cum melle commixta, potata, depellit febrem a bile simul et phlegmate ortam.

Ex Wrightea antidysenterica, Cannabi sativa, uvis Vitis viniferae, Cypero rotundo et Oldenlandia biflora confecta infusio potata febrem a phlegmate simul et bile ortam tollere potest.

Ex Siphonantho indica, Acoro calamo, Oldenlandia biflora, Oryza sativa, Asa foetida, Terminalia citrina, Cypero rotundo, Gmelina arborea et zingiberi arido parata decoctio, cum melle commixta, in febre a phlegmate simul et bile orta utilis est.

Saccharatam et quantitate Terminaliae belericae commixtam Wrighteam antidysentericam ex calida aqua potando, febrem hominis a phlegmate simul et bile ortam medicus vincat.

Gentianam cheraytam, Menispermum cordifolium, uvas Vitis viniferae, Phyllanthum emblicam et Curcumam zerumbet decoquat; quam decoctionem in febre ab aëre simul et bile orta cum saccharo officinarum bibat.

A Mimosa octandra et Justicia gandérussa confecta et cum tribus myrobalanis et Buchananiae latifoliae fructibus parata infusio potata febrem ex aëre simul et bile ortam vincere potest.

In febre autem ab omnibus humoribus simul corruptis orta conjunctos (hos humores corruptos) medicus aggrediatur. Secundum corruptorum humorum elationem febres omnes sanet.

Vangueriae spinosae, Aegles marmeli et ranae emulsionem et aquam coquat; id enim lacte carens omnes febres aufert.

Ex Arundinis karkae et Calami rotang radice, Sansevierâ zeylanica et Pinu Dévadáru infusionem ex praescripto conficiat; haec potanda est, febrem auferens.

Butyri cum tribus myrobalanis decoctio potanda est in febre a tribus humoribus simul corruptis orta.

Panicum dactylon, Andropogonem shoenanthum, Cyperum rotundum, zingiberi aridum et Wrighteam antidysentericam coquat cum grata aqua; ante aquam bibat oculis simile (summum); hoc omnes febres depellit, splendentemque efficit celeriter ignem.

Substantias calefacientes et purgativas, febrifugas, simpliciter aut dupliciter, adhibeat.

Butyri liquidi, mellis, Terminaliae citrinae et olei Sesami orientalis linctus febrem ab omnibus humoribus simul corruptis ortam depellit.

Sedationem adducit Convolvulus turpethum album; cum melle compositum hoc vehementem febrem depellit.

In febre autem inaequali sursum deorsumque purgatio efficienda est. Aut butyrum clarificatum inaequalem febrem, a lienis affectione et abdominis intumescentia ortam, depellere potest; aut tres myrobalanos, saccharo officinarum immersos, bibat aegrotus, febre inaequali vexatus; aut Menispermi dordifolii, Meliae azidaractae et Phyllanthi emblicae infusionem cum melle commixtam. Quotidie mane cum butyro clarificato Allium sativum adhibeat.

Ex tribus, quatuor, aut quinque compositis substantiis, scilicet Glycyrrhizae glabrae, Trichosanthae dioecae, Asclepiadis acidae, Cyperi juncifolii et Terminaliae chebulae, decoctionem praeparet. Omnis haec triplex compositio optatur.

Aut butyrum, lac, saccharum candidum, mel et Piper longum pro viribus, aut Piper longum cum infusione ex decem radicibus (Tom. I. qag. 95.) adhibeat. Aut ex Pipere longo oleum ricini bibat homo, lac et succum esitans. Aut ex galli domestici carne bibat vinum optimum.

In Zizyphi jujubae, Premnae spinosae et trium myrobalanorum decoctione coquat butyrum clarificatum cum lacte coagulato.

De Symploco racemosa conspersio etiam inaequalem febrem tollit. Cum Pipere longo, Ativishá, uvis Vitis viniferae, Echite frutescente, Aegle marmelo, Sirio myrtifolio, Echite antidysenterica, seminibus Nerii antidysenterici, Andropogone muricato, Solano melongena, Justicia adhenatoda, Cypero rotundo, Tráyamáńa, Hedysaro gangetico, Phyllantho emblica, zingiberi arido et Plumbagine zeylanica decoctum butyrum potatum, devincendo aestum inaequalis febris, rejicit inveteratam febrem, capitis dolorem, indurationem glandularum internarum, intumescentiam abdominis, icterum, pneumophthiseos tussim cum ardore et laterum dolorem.

Cum Menispermo cordifolio, tribus myrobalanis, Justicia ganderussa, Tráyamáńa, Hedysaro alhagi, uvis Vitis viniferae, Pipere longo, Kamb'hoda, zingiberi arido, Nymphaea caerulea et Sirio myrtifolio, scilicet cum singulorum partibus aequalibus, ex praescripto decoctis et ad sedimentum redactis, potatum butyrum liquidum devincere potest pneumophthisin, suspirium, catarrhum et inveteratas febres.

Butyrum clarificatum, cum Hedysari lagopodioidis, Solani jacquini, uvarum Vitis viniferae, Tráyantis, Meliae azidaractae, Ruelliae longifoliae, Pavoniae odoratae, Oldenlandiae biflorae, Kamb'hodae, Hedysari gangetici, Hedysari alhagi, Curcumae zerumbet, Flacourtiae cataphractae, Siphonanthi indicae, Médae, Strychni potatorum et Costi arabici sedimentis excoctis concoctum, et cum duabus lactis partibus commixtum, inveteratam febrem aufert,

et eximium in capitis laterumque doloribus, tussi et pneumophthisi sedativum est.

Cum Trichosanthe dioeca, Oldenlandia biflora, Sapindo saponaria, Menispermo cordifolio, tribus myrobalanis, Justicia ganderussa, Echite antidysenterica, Ambuda, Gentiana cherayta, Hedysaro alhagi, Siphonantho indica, Sirio myrtifolio, Curcuma zanthorrhiza, Wrightea antidysenterica, Hordeo hexasticho, Andropogone muricato, Tráyamáńa, Pipere longo, Nymphaea caerulea, Phyllantho emblica, Eclipta prostrata, Asparago racemosa et Solani indici succo paratum butyrum ignem equinum (sic dictum morbum), lepram, febres, iridis alterationem, inflammationem scleroticae, ulcera, et morbos in oculis, ore, auribus et naribus exortos depellere potest.

Cum Andropogone shoenantho, Costo arabico, Indigofera tinctoria, Butea frondosa, Echite frutescente, Piso sativo, Convolvulo turpetho albo, Dantí, Acoro calamo, Flacourtia cataphracta, Mesua ferrea et Jasmini grandiflori floribus cum duplice parte lactis, coquat butyrum, quod inaequalem febrem, suspirium, indurationem glandularum internarum, delirium et venenum aufert. Hoc butyrum, sedimentosum sic dictum, prosperum et praestantissimum miseriam, Grahas, Rakshasas, ignis torporem, epilepsiam et corruptos humores depellit; laudaturque optima foetum dans medela feminarum, semen virile perdentium liberisque carentium. Hoc butyrum purum, oculis idoneum et vitae longae aptum est atque seminis virilis viarum morbos aufert.

Ex his substantiae congruis omnibus odoramentis paratum est butyrum, cum uno Prast'ha butyri elephanti compositum et cum auro gemmisque commixtum.

Ex elephanti lacte simpliciter cum floribus Caesalpiniae bonducellae, Micheliae champacae, Jonesiae asocae et Mimosae sirishae praeparet butyrum; pariterque cum fibris Andropogonis muricati, Nelumbii speciosi et mali granati parandum est butyrum.

Die lunari, in comprobata lunari constellatione aegroti reconvalescentis confectum et hominibus, Diis, Brahmanisque sacratum datum butyrum omnes febres depellit perinsigne, visus tactusque morbos omnes rapiens, prosperum. Invictus ab omnibus creaturis et magnae canitiei expers, propter hujus butyri adhibitionem trecentos annos vivere potest.

Vaccini lactis coagulati, urinae, lactis, butyri clarificati et faecum liquoris partes aequales coquendae sunt; haec sedimenta adspergat.

Tres myrobalanos, Plumbaginem zeylanicam, Cyperum rotundum, duas Curcumas, fibras Nelumbii speciosi, Acorum calamum, Embeliam ribem, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Piper chavya, Pinum Dévadáru et quinque vaccae substantias (scilicet vaccinum lac coagulatum, urinam, lac, butyrum et stercoris liquorem) bibat, id guod inaequalem febrem delet. Praeter quinque vaccinas has substantias pro embryone etiam aliud

remedium coquendum est ex taurinis substantiis. Pro viribus hae eximinae substantiae pari modo coquendae sunt cum Menispermo cordifolio. In inveterata febre, in intumescentia et in ictero etiam hoc remedium est honoratum. Eodem autem praescripto butyrum ex quinque iisdem ovillis substantiis confectum coquat, aut ex quinque caprinis, aut ex quinque bubalinis, aut etiam ex quatuor camelinis.

Cum tribus myrobalanis, Andropogone muricato, Cassia fistula, Echite antidysenterica, Ativishá, Asparago racemosa, Echite scholari, Menispermo cordifolio, Curcumis duabus, Plumbagine zeylanica, Convolvulo turpetho albo, Sanseviera zeylanica, Trichosanthe dioeca, Sapindo saponaria, Andropogone shoenantho, Gentiana cherayta, Acoro calamo, Cucumi colocynthide, Nelumbio specioso, Nymphaea caerulea, Echite frutescente, Siphonantho indica, Pipere chavya, Pterocarpo santalino, Hedysaro alhagi, Oldenlandia biflora, Tráyamáňa, Justicia adhenatoda, Mimosa octandra, Croco sativo, Rubia manjista, Jasmino auriculato, zingiberi arido et Phyllanthi emblicae fructuum succis, scilicet cum horum partibus duabus paratum butyrum circumvagam febrem, suspirium, indurationem glandularum internarum et lepram arcet. Ictero, lienis affectioni et caloris torpori salubre etiam est hoc eximium butyrum.

Trichosanthen dioecam, Wrighteam antidysentericam, Curcumam zanthorrhizam, Meliam azidaractam, Justiciam gandarussam, tres myrobalanos, Hedysarum alhagi, Oldenlandiam bifloram et Tráyamáňam, scilicet singulorum Palam unum, et Prast'ham unum fructuum Phyllanthi emblicae, coquat in aqua. Cum hoc sedimento facto coquat unum Prast'ham butyri clarificati. Sanguinem, bilem, phlegma, sudorem, madorem, pus, corporis consumtionem, icterum, febres, herpetem, inflammationem glandularum cervicalium auferens optimum remedium hoc est.

Coctum lac, saccharum, Piper longum, mel et butyrum clarificatum, — haec quincuplex essentia bibenda est agitata in inaequali febre; in vulneris inflictione, in pneumophthisi, in suspirio et cordis morbo haec essentia etiam optatur.

Ex lacca, zingiberi arido, Curcuma longa, Sanseviera zeylanica, Rubia manjista, Svarjikámaya et sextuplice parte lactis ebutyrati praeparatum oleum febribus finem facit.

Ex Ficu glomerata, Terminalia alata tomentosa, Sapindo saponaria, Eugenia jambu, Saptacch'hada, Terminalia alata glabra, Mimosa sirisha, Mimosa ferruginea, Jasmino angustifolio, Menispermo glabro, Justicia adhenatoda, Wrightea antidysenterica, Oldenlandia biflora, Andropogone muricato, Acoro calamo, Potho officinali et Cypero rotundo confectum oleum post inunctionem celeriter inveteratas febres aufert.

Veneni expertibus, tortuose procedentibus serpentibus placidis furtificis-

que terreat in accessione (paroxysmo) aegrotum, eumque per hunc diem ne cibet. Valde profluis et gravibus vomitum identidem faciat; vinum austerum bibere det, aut butyrum liquidum, febres delens; aut vetus butyrum liquefactum; aut ad libidinem mite purgativum; aut sapiens medicus faciat hominem per hunc diem bene sudantem. Caprae et ovis pelles lanamque, et suffimentum ex Acoro calamo, Costo arabico, Ruellia longifolia, Melia azidaracta, Lauro cassia et melle compositum aegroto applicet; aut stercus felinum adhibendum est trementi ceu suffimentum. Piper longum, sal fossile, oleum Sesami orientalis et Nyctanthes tristis fiat collyrum oculorum.

In abdominalibus tumoribus indicata butyra, quae antea (Tom. II. pag. 107.) a me exposita sunt, et in Kalpa (antidotorum doctrina) dictum caprinum butyrum applicatum febrem vincere possunt.

In daemonologia explicatis ligationibus, malignorum daemonum flagellationibus, modis musicis etc. devincat mentem in daemonum potestate captam.

In lassitudinis decessione comedat aegrotus butyro superlitus jusculum oryzae coctae.

Ab exsecratione et incantatione ortas duas febres holocausto etc. devincat; donis autem, benedictionibus et hospitalitatibus devincat febres duas a portentorum et daemonum vexatione ortas.

A laesione ortae febri adhibeat curationem calore privatam (antiphlogisticam), adstringentem, dulcem, aut oleosam, pro humorum vitiis.

Ab herbarum medicarum odoribus et venenis ortas duas febres veneni bilisque sedationibus devincat. Infusio autem salubris est ex omnibus odoramentis confecta; aut infusio ex Melia azidaracta et Pinu Dévadáru, aut ex Jasmino grandifloro confecta salubris est.

Hordei oryzaeque praeparatio, butyrum liquidum et vinum in febre inaequali salubria sunt. Colat Bráhmańas, vaccas, Deum Iśánam, Deam Ambikam.

In duabus febribus, a phlegmate et aëre ortis, aegrotum frigore vexatum oblinat calida medicaminum classe. Subsequens etiam calida methodus salubris est; aegrotum humectet calidis alicis oryzae fermentatae, aceto vini, vaccina urina et sero lactis; superlinatque eum foliis ab Anetho sowa, Ocymo sancto et Morunga guilandina ortis; inunctio ex lixivio, oleo Sesami orientalis et aceto vini adhibetur; praecipue autem potus Cassiae fistulae etc. decoctae, et lavatio suaviter calida, cum decoctionibus aërem depellentibus composita.

Cum vicerit medicus illis praeceptis frigus, et aegrotum, suaviter calefactâ aqua humectatum ac laneis, xylinis sericisque pannis opertum, involverit, eum, defatigato corpore praeditum et Aquilaria agallocho ornatum, dormire jubeat. Mammis divites, pulchritudine praeditae, fortunatae, recente

juventute ornatae feminae colant (ministrent) cum membris frigus tristitiamque discutientibus. Autumnalis lunae ore instructae, Nymphaeae caeruleae foliis similes in vultu, superciliis tremulis, plantarum repentium fracturae instar in frontis campo trementibus, praeditae, magnis splendidisque zonis, Momordicae monadelphae fructui similibus labiis, macro abdomine et valde amplis coxis instructae, in turgescendo pigrae, Croco sativo et Aquilaria agallocho oblitis membris et ad modum nubis elevatis mammis praeditae, odoramentis suffitâ, molli delapsaque veste et ornamentis indutae, hae valde amplectantur hunc virum, sylvestris plantae repentis instar. Cum exhilarationem aegroti cognoverit medicus, has feminas rursus abducat. Ab amplexibus harum eximiis membris praeditarum impeditum frigidaque febre correptum cibet salubri alimento; sic etiam gaudium percipere potest.

Febri autem aestu praevalenti curationem adhibeat aestum delentem (antiphlogisticam).

Aut etiam aquâ foliorum Meliae azidaractae cum melle saccharoque crudo commixtâ aegrotum, aestu febreque jactatum, celeriter vomere faciat prudens medicus. Aut butyro centies clarificato inunctum aegrotum oblinat hordeaceis farinis, cum Zizypho jujuba, Phyllantho emblica, aristis hordeaceis et aqua oryzae fermentatae commixtis. Sapindi detergentis surculis, cum aciditate contritis et bene refrigeratis, aut surculis a Butea frondosa arbore ortis, cum aciditate contritis et refrigeratis, oblinat.

In corpore, Zizyphi jujubae et Sapindi saponariae spumis oblito, aestum, sitim quovis modo lipothymiamque sedat.

Hordei hexastichi Kuḋavam dimidium et Rubiae manjistae partem dimidiam conterat; hoc cum centum Prast'his aciditatis et cum uno Prast'ha olei Sesami orientalis commixtum coqui medicus jubeat. Hoc exhilarans oleum febrem aestumque delet. Classem (medicaminum) autem, quae a Ficu indica incipit (Tom. I. pag. 94), et quae a Kákolí incipit (Tom. I. pag. 93), et quae a Nymphaea caerulea incipit (Tom. I. pag. 94), recipiat. His substantiis contritis aegrotum inungat. Ex illarum substantiarum infusionibus et aciditatibus confecta unguenta pro inunctione salubria sunt. In earum frigida infusione aegrotum aestu vexatum submergat; aestus impetu autem transgresso, ex illa infusione cum hominem medicus extraxerit eumque frigidis aquis adsperserit, eundem oblinat Sirii myrtifolii etc. unguinosa praeparatione.

Aerumnoso animo afflictum feminae amplectantur felices, praecipuis membris instructae, delicatis vestibus lineis indutae, mammis Sirio myrtifolio uvidis praeditae, circumvagae, serta ex loti (Nelumbii speciosi) floribus gerentes, versicolores, gemmis et sertis e margaritis ornatae. Eum illae colant, demulcentes suis uberibus frigidis, ex aqua emersis, laetificis. Cum exhilarationem aegroti cognoverit medicus, has feminas rursus abducat. Sa-

lubrem etiam cibum suppeditet; sic percipit magnum gaudium. In biliosa febre indicatum sedativum, purgativum et quidquid aliud salubre est, adhibeat.

Extrahat bilem etiam in principio, febribus accedentibus. Difficilior impeditu est enim bilis, praecipue in aegrotis febre jactatis.

Vomitum, animi deliquium, sitim et cetera febri amica phaenomena vincat medicus hostili ratione.

Speciem (medicamentorum) aliam, phaenomena morbosa delentem, hic audi!

Glycyrrhizam glabram, Curcumam longam, Cyperum rotundum, malum granatum, Rumicem vesicarium, collyrium, Tetraonem cineream, Andropogonem muricatum, folia Lauri cassiae, Nymphaeam caeruleam, Laurum cassiam, Vyâg'hranak'ham, Citri medicae succum et mel recipiat. Inungat his cum melle et aceto vini commixtis caput aegroti febre vexati. Capitis aestum, delirium, vomitum, singultum et tremorem haec inuntio depellit, febricitantium phaenomena.

Bassiam latifoliam porro, Andropogonem shoenanthum, Nymphaeam caeruleam et Sansevieram zeylanicam, scilicet singulorum pulveres lingendo ex melle et butyro clarificato, vincere potest vomitum, phlegmatis humorem, sanguinem, bilem, singultum suspiriumque horribile.

Aegrotus febre vexatus, lingens tres myrobalanos et Piper longum mellitum ex melle butyroque clarificato, laetus fieri potest.

Convolvulum paniculatum, malum granatum, Symplocon racemosam, Cratoevam Valangam et Citrum medicam recipiat; his inungat caput hominis, siti aestuque vexati.

Ex malo granato, spirituoso liquore, uvis Vitis viniferae et Phyllanthi emblicae fructibus sedimentum in siccitate teneat in ore, sicut salubre est.

Cum lacte, saccharo crudo, spirituoso liquore, butyro clarificato, oleo Sesami orientalis, calida aqua et Menispermo glabro decoctum nasale remedium salubre est in inani capite.

Cum contritis tribus myrobalanis, Convolvulo turpetho floribus nigris, Convolvulo turpetho albo et Pipere longo compositum, mellitum saccharinumque purgativum medicamentum laudatur.

In matura biliosa febre, in sanguine sursum procedente, in tremore et in febribus a phlegmate aëreque ortis purget oleosis inunctionibus.

A corruptis humoribus liberatus, vertigine autem vexatus, lingat mel, saccharum candidum Terminaliamque citrinam.

Ex syrupis aërem pellentibus clysteres evacuantes applicandi sunt in febre ab aëre orta; aut, convenienter dijudicato humore corrupto vitalitateque, suffitio; porro applicandi sunt clysteres infusione Nymphaeae caeruleae etc.

pleni, cum Sirio myrtifolio et Andropogone muricato compositi, melliti saccharinique, frigidi, bilem aestumque auferentes sic crediti.

Mangiferae indicae etc. corticem, concham, Sirium myrtifolium, Phyllanthum emblicam, Nymphacam caeruleam, rubricam, collyrium, Rubiam manjistam, Andropogonem muricatum et Nelumbium speciosum subtiliter conterat, cum lacte, saccharo melleque commisceat; bene purificatum et frigidum hunc clysterem doloribus affecto homini applicari jubeat.

Febrem aestumque delens suffimentum ex illis quoque paratum est.

A Cassia fistula incipientis (medicaminum) classis (Tom. I. pag. 90) decoctiones, cum classe a Pipere longo incipiente (Tom. I. pag. 95) commixtae, mellitae dandae sunt, phlegmatis febrem delentes; et suffimenta etiam ex substantiis aërem delentibus parata, salubria sunt.

In febre a compositione (binorum humorum corruptorum) orta, et in febre ab omnibus humoribus simul corruptis orta, clysteres compositi salubres sunt, et etiam ex compositis substantiis composita suffimenta, et olea omnia aëris morbum depellentia, quae omnino sunt relata.

Sine oleo Sesami orientalis etiam adhibenda sunt oleamenta in febre ab aëre orta. Omnino adhibenda sunt haec oleamenta in omnibus inunctionibus etc.

In febre biliosa butyrum adhibetur cum dulcibus amarisque paratum; in phlegmatica (pituitosa) febre butyrum cum pungentibus amarisque paratum; in aliis febribus butyra composita.

Reliqua bilis autem, in cute sita, generat febrem. Bibat sacchari crudi succum ibi, aut frigidam saccharo officinarum mistam aquam. Oryzae praecocis cibum cum lacte superfusum comedat.

In febribus a phlegmate aëreque ortis sudorem et inunctionem faciat.

Butyrum post duodecim noctes (et dies) autem dandum est in omnibus febribus. Hoc intervallo enim sedem (bilis, aëris et phlegmatis) aggrediente, humores corrupti oriuntur.

Corporis elementa (d'hátu) agitans humor corruptus tempore liberationis (reconvalescentiae) evanescit. Febre perturbatus autem sicut moribundus jactatur.

Levitas capitis, sudor, vultus nec pallidus nec coetus, sternutatio et cibi appetentia sunt signa hominis a febre liberati.

A conchae bivalvulae ira orta, terrifica, virium, coloris et ignis (digestionis) torporem afferens, morborum regina et morborum complexio febris demonstratur.

Ob penetrationem, omnium contactum, molestiam et mortis originem haec creaturarum febris mortifera demonstratur."

Caput XL.

Nunc vero dysenteriae remediationem expondituri sumus.

„Gravibus, ultra modum delicatis, asperis, calidis, fluidis, firmis, perfrigidis, restringentibus, immoderate comesis, indigestibilibus et inconvenientibus cibis, inunctionibus etc. ultra modum et perverse adhibitis, porro post venenum, timorem, moerorem, post corruptae aquae et vini immoderatum potum, neglectam anni temporibus propriam observantiam, frigidis delectationibus, excretionum obstructionibus et vermibus ex corruptis humoribus oritur hominum dysenteria, cujus signa (symptomata) nunc indicantur.

Quia aquarum elementum, aëre cum faecibus commixto tusum auctumque, cum cohibuerit internum ignem, vehementer deorsum fertur, idcirco hunc terribilem morbum dysenteriam medici vocant.

Ex singulatim simulque corruptis humoribus, moerore sextaque morbosa affectione oriri alia dysenteria dicta est. Quidam dicunt, multiformi specie praeditam esse dysenteriam, sed non ita Káśirájas (D'hanvantaris) dixit. In corruptis humoribus sitae aegrotantis dysenteriae multiformes ab alio ad aliud tempus exoriuntur, cum cordis, umbilici, ani, abdominis alvique doloribus, membrorum lassitudine, aërisque obstructione complicatae.

Faecum accumulatio, inflatio et indigestio fient dysenteriae prodromi!

Aegrotus porro, doloribus percussus, retentione urinae, intestinorum crepitu, ano prociduo, dolorosis lumbis, femoribus cruribusque affectus, faeces reddit paucas paucasque, spumosas, asperas, fuscas, ventosas, ob aërem male olentes, calidas, impetuosas, carnis aquae similes, divisas et sudoro corpore praeditus peracres; ob bilem flavidas, lividas aut rubras, siti, lipothymia, aestu, coctione et febre vexatus, extensione, lassitudine, gravitate, torminibus afflictus, impetu perterritus; alvi dejectione privatus quispiam denuo albas faeces, crassas, cum phlegmate commixtas coctis cibis inimicus, crepulas horripilatione affectus reddit.

Extensione affectus, delirio, lassitudine et oris siccitate afflictus, faeces facit multicolores, siti cruciatus.

Ab omnibus humoribus simul corruptis orta, omnibus signis praedita dysenteria, haec molestia in infantibus senibusque incurabilis est.

His illisque conditionibus dolentis paululumque comedentis hominis vaporosus impetus, digestionem interrumpendo intestinaque aggrediendo si commovet sanguinem, tum sanguis, Kákananti similis, faecibus commixtus. aut faecum expers, olens, aut inodorus, ex intestinis ab illo deorsum effunditur. Hic morbus a moerore ortus ultra modum difficilis curatu dolorosusque a medicis demontratus est.

Ex crudis indigestisque substantiis progressi commoventesque intestina humores corrupti effundunt multipliciter cum difficultate concoctas versicoloresque hominis faeces. Sextam hanc vocant dysenteriam.

Ex his humoribus corruptis autem compositum, depositum in aquis, dissolvitur excrementum, valde foetidum, divisum, crudum appellatum.

Illa phaenomena autem perversa, et illius hominis levationem maturam, medicus demonstret.

Ut butyrum liquidum, adeps, condimentum (contriti coriandri, sinapis, piperis etc.), aqua, oleum Sesami orientalis, butyrum oleosum, lac et mel quod fluit, et Rubiae manjistae splendore carnisque odore praeditum, frigidum, ut collyrium contra mortuorum odores splendidum, aut lineatum, aut unguibus expansum puri simile, ut caro splendidum, pariterque calidum est, id occidere potest, quia contra naturam est. Interficere possunt hominem infirmum haec phaenomena maligna exorta.

Aperto ano praeditum, infirmum, mala inflatione vexatum, phaenomenis morbosis affectum et ano calente caloris expertem dysentericum medicus deserat.

Cuicumque animantium dysenteria exorta est, corruptorum humorum signa nunquam praetergreditur. Ab oleamentis autem et indigestis substantiis orta est dysenteria, valde dolorosa, a spasmo orta, alia ex indigestione nata, a veneno, haemorrhoidibus vermibusque exorta et humoribus corruptis proprio signo praedita est.

Cruditatis maturitatisque rationem deponendo quia in dysenteria curatio non exsistit, idcirco omnes dysenteriae discernendae sunt maturitatis cruditatisque signis.

Ibi hominum jejunium initio in primis formis locum habet; deinde digestiva cum alica oryzae fermentatae incipiens methodus salubris est.

Porro vomere cum fecerit aegrotum doloribus inflationeque affectum, Pipere longo, sale fossili, aqua, jejunio etc. negotium medicus persequatur. Parandus est in vomitus fine plerumque levis cibus; in portionibus juris pisini et fermentatae alicae ex oryza adhibeat etiam Piper longum etc. Hac methodo cujus cruditas non sedatur, ille Curcumam longam etc., Acorum calamum etc., mane bibat. Crudâ dysenteria affectis hominibus contentio initio non facienda est. Illorum corrupti humores, antea constricti, producunt morbos hos: lienis affectiones, icterum, suppressionem urinae, urethritidem gonorrhoicam, lepram, intumescentiam abdominis, febres, tumores, indurationem glandularum mesentericarum, diarrhoeam, haemorrhoides, colicam, torporem et cordis passionem.

Dolorosum saepius cum difficultate qui excrementum constrictum effundit, corruptos humores coacervatos myrobalanis egerat. Qui valde fluidum

factum excrementum effundit, ei in fine vomitum faciat; deinde jejunium et coctionem.

Exiguum rursusque exiguum constrictumve et dolorosum excrementum qui effundit, Terminaliae citrinae et Piperis longi sedimentis oleosis suaviter calefactis eum purget.

In cruditate jejunium laudatum est initio, aut coctio. Remedia autem ibi indicantur, crudam dysenteriam delentia: Pinus Dévadáru, Acorus calamus, Cyperus rotundus, zingiber aridum, Ativishà et Terminalia citrina; — Guilandina bonducella, Ativishá, Asa foetida, natron, Acorus calamus et Terminalia citrina; — Terminalia citrina, Coriandrum sativum, Cyperus rotundus, Andropogon shoenanthus et Aegle marmelos; — Cyperus rotundus, Oldenlandia biflora, zingiberi aridum, Acorus calamus, Ativishá et Terminalia citrina; — Terminalia citrina, Ativishá, Asa foetida, Acorus calamus et natron; — Plumbago zeylanica, Piperis longi radix, Acorus calamus et Wrightea antidysenterica; — Cysampeli hexandrae et Wrighteae antidysentericae semina, Terminalia chebula et Allium sativum; — Sanseviera zeylanica, Nirddahaní, Cysampelos hexandra, triplex species (Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis) et Pothos officinalis; — Sinapis alba, Pinus Dévadáru, Anethum sowa et Wrightea antidysenterica; — Elettaria cardamomum, Symplocos racemosa, Costus arabicus, Curcumae duae, Echites antidysenterica et Hordeum hexastichon; — Asclepiadis geminatae cortex, Elettaria cardamomum, Erycibe paniculata et Wrightea antidysenterica; — Hedysarum gangeticum, Pentaptera arjuna, Solanum jacquini et duo Hedysara; — Ricini communis cortex, Diospyros glutinosa, malum granatum, Echites antidysenterica et Mimosa suma; — Symplocos hexandra, Pothos officinalis, Cyperus rotundus, Piper longum et Echitae antidysentericae semen; — Trichosanthes dioeca, Ligusticum ajwaën, Aegle marmelos, Curcumae duae et Pinus Dévadáru; — Embelia ribes, Terminalia citrina, Cysampelos hexandra, Zingiber officinale, Cyperus rotundus et Acorus calamus; — Acorus calamus, Wrighteae antidysentericae semina, sal fossile et Wrightea antidysenterica; — Asa foetida, Wrighteae antidysentericae semina, Acorus calamus, Aegle marmelos et Śáláíu; — zingiber aridum, Ativishá, Cyperus rotundus, Piper longum et Wrighteae antidysentericae semen; — Allium sativum, Ativishá et Cyperus rotundus. Hoc viginti cruditatem coquentia medicamenta sunt adhibenda, in hemiślokis (hemidistichis) exposita. Decoctiones aquae oryzae fermentatae, calidae aquae et vini cum uno aut altero illorum medicamentorum bibat, aut decoctiones illorum suaviter calidas bibat cum aqua paratas.

Summatim indicata est haec cruditatis sedandae methodus.

Terminaliam chebulam, Ativisham, Asam foetidam, natron et Acorum calamum bibat ex suaviter calefacta aqua homo, crudâ dysenteria vexatus.

Trichosanthem dioecam, Ligusticum ajwaën, Aeglen marmelon, Acorum calamum, Piper longum, zingiberi aridum, Cyperum rotundum, Costum arabicum et Embeliam ribem bibat etiam ex suavi aqua. Zingiberi officinale et Menispermum cordifolium bibat ex calida aqua. Salia fossilia, pipera, Embelia ribes et Terminalia chebula; — Plumbago zeylanica, Dalbergia Sisu, Cysampelos hexandra, Sárngashtá et salia fossilia; — Asa foetida, Wrighteae antidysentericae semina et salia fossilia particulatim; — Hastidanti, pipera et sedimenta oleosa duo oculis similia commemorata; — Acorus calamus et Menispermi cordifolii surculi, quod medicamentum praestantissimum est creditum. Haec quinque praecipua aestimata medicamenta ex suavi aqua danda sunt.

In lacte cum tripla parte aquae commixto coquat Cyperi rotundi viginti partes; hic potus lacte privatus depellit cruditatem doloremque.

Cessantibus cruditatibus doloribusque, cujus aër non rectus est, quique exiguum saepius, morbosum crudumque et cum dolore excrementum effundit, is, torpido igne (digestione) praeditus, butyrum liquidum cum lixivio et sale fossili commixtum bibat. Aut cum lacte, zingiberi arido, Oxalide monadelpha, Zizypho jujuba, lacte coagulato et aciditate paratum butyrum clarificatum pellucidum bibat, doloris dysenteriaeque sedandae causâ.

Oleosum butyrum, cum lacte coagulato, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Myristica moschata et Plumbagine zeylanica, aut cum Asa foetida, Piperis longi radice et malo granato coctum, — haec universa aëris phlegmatisque sedandi formula aegrotis indicata est.

Aeritate caloreque privandum illud medicus det in dysenteria a bile orta.

Sicut dictum est, in jejunii fine alica oryzae fermentatae laudatur.

In Pavonia odorata, Hedysaro gangetico, Svadanshtra, Solano jacquini, Asparago racemosa, Phaseolo mungone etc. parata juscula pisina, bene refrigerata, cum melle commixta et cum calefacientibus bene confecta sint.

Ex mitibus, calefacientibus et amaris substantiis sit remedium cruditatem coquens.

Curcuma longa, Ativishá, Cysampelos hexandra, Wrigtheae antidysentericae semina et collyrium Amomi zanthorrhizae; — collyrium Amomi zanthorrhizae, Curcumae duae et semina Echitae antidysentericae; — Cysampelos hexandra, Menispermum cordifolium, Gentiana cherayta et Wrigthea antidysenterica. Ex his substantiis in hemiślokis (hemidistichis) expositis decoctiones fiant bilem coquentes.

Cyperum rotundum, Echitae antidysentericae semina, Gentianam cheraytam et collyrium Amomi zanthorrhizae; — Curcumam zanthorrhizam, Hedysarum alhagi, Aeglen marmelon, Andropogonem shoenanthum et Pterocarpum satalinum; — Sirium myrtifolium, Andropogonem shoenanthum, Cy-

perum rotundum, Gentianam cheraytam et Hedysarum alhagi; — Andropogonem muricatum, Sirium myrtifolium, Symplocon racemosam, zingiberi aridum, Nílam et Nymphaeam caeruleam; — Cysampelon hexandram, Cyperum rotundum, duas Curcumas, Piper longum et Echitae antidysentericae semen; — trium myrobalanorum et Wrighteae antidysentericae corticem, Zingiberi officinale, butyrum clarificatum et Acorum calamum recipiat. Sex haec exposita medicamenta biliosam dysenteriam delent.

Ex Aegle marmelo, Wrightea antidysenterica, Hordeo hexasticho, aqua, Andropogone shoenantho et Ativishá confecta infusio depellit dysenteriam crudam ex bile ortam.

Ex Glycyrrhiza glabra, Nymphaea caerulea, Aegle marmelo, Mangifera indica, Andropogone shoenantho, Andropogone muricato et zingiberi arido parata decoctio cum melle commixta biliosam dysenteriam delet.

Quando dysenteria quamvis cocta identidem fluit, tum ibi post hominis ex diarrhoea ortam mollitudinem roboratio salubris est.

Mimosa pudica, Grisleae tomentosae flos, Rubia manjista, Symplocos racemosa et Cyperus juncifolius; — Bombacis heptaphylli resina, Symplocos racemosa, Wrighteae antidysentericae et mali granati cortices; — Mangiferae indicae ossiculorum nucleus, Symplocos racemosa, Aegles marmeli medium et Panicum italicum; — Glycyrrhiza glabra, zingiberi aridum et Bignoniae indicae cortex. Quatuor haec medicamenta coctam dysenteriam delent. Haec indicata medicamenta sunt adhibenda cum melle simul et cum oryzae jusculo commixta.

Infusio Cyperi rotundi aut sola, aut cum melle commixta bibenda est.

Medicaminum classes a Symploco racemosa (Tom. I. pag. 91.), Jasmino auriculato et Panico italico (Tom. I. pag. 94.) incipientes novem adhibeat. Aut Nelumbium speciosum, Mimosam pudicam, Glycyrrhizam glabram, Aeglen marmelon, Eugeniam jambu et Salátum bibat ex oryzae aqua; cum melle commixtum hoc salubre est medicamentum.

Dolichi carpopogonis radicis sedimentum oleosum ad Fici caricae fructuum similitudinem, Asclepias rosea, Sirium myrtifolium, Nelumbium speciosum, saccharum candidum, Cyperus rotundus, Eugenia acutangula et Mesua ferrea. Hoc medicamentum devincere potest coctam dysenteriam, cum sanguine complicatam (cruentam).

Sana idole praedito, doloribus autem vexato, jejuniis etc. afflicto homini asperoque medicus, ignem (aestum) intuitus, bibere det butyrum clarificatum cum lixivio.

Cum Pavonia odorata, Solano jacquini, Hedysaro gangetico et Dolichi carpopogonis radice paratum butyrum liquidum mellitum et cum liquiritia commixtum bibat aegrotus doloribus abdominis commotus.

Cum Curcuma zanthorrhiza, Aegle marmelo, Pipere longo, uvis Vitis viniferae, Echite antidysenterica et seminibus Nerii antidysenterici paratum butyrum clarificatum depellit dysenteriam, aëris, bilis phlegmatisque natura praeditam.

Cum lacte et butyro liquido commixtum mel, cum saccharo candido, Caro carvi, Bignonia indica et Glycyrrhiza glabra contritum, bibat dysentericus doloribus abdominis commotus.

Doloris expertem, bene coctam, jam diu exortam, multiformem dysenteriam hominis, incenso igne affecti, decoctionibus in foliis curet.

Placentam ex Bignoniae indicae cortice formatam, cum Nelumbii[3] speciosi fibris commixtam, Gmelinae arboreae et Nelumbii speciosi foliis circumdatam, filo confirmatam, luto superlitam et bene confectam prunis circumdet, sudantem extrahat, exprimat et succum recipiat; hunc deinde succum refrigeratum et cum melle compositum bibere det in abdominis morbo.

In Celte orientali, Asclepiade geminata et ceteris etiam substantiis praeparet perdicem; detractam autem, omnino evulsis intestinis, farciat.

Fici indicae etc. corticem cum sedimentis oleosis priorem in modum praeparet; succum hujus bene sudantis substantiae recipiat, tum cum melle compositum, cum saccharo confectum et frigidum bibere det in abdominis morbo.

Symplocon racemosam, Sirium myrtifolium, Siphonanthum indicam, Curcumam zanthorrhizam, Cysampelon hexandram, saccharum candidum et Nymphaeam caeruleam, cum oryzae jure contritam et cum Bignoniae indicae cortice commixtam, priorem in modum circumdet; de hoc succum recipiat, eumque mellitum bibere det in abdominis morbo a phlegmate et bile orto.

Sic ex surculis Fici indicae etc. medicus praeceptorum gnarus conficiat in foliis coctiones, ex praescripto cum carne paratas eximias.

Multo phlegmate et sanguine praeditam, torpido aëre affectam et jam diu exortam dysenteriam Echites antidysenterica, saccharum crudum et Oxalis corniculata etc., cum melle Pipereque longo etc. commixta, vi depellunt.

Ex Hedysaro lagopodioide, Pavonia odorata, Aegle marmelo, Válaka, Nymphaea caerulea, Coriandro sativo et zingiberi arido paratam potionem bibat aegrotus abdominali morbo affectus.

Ailanthi excelsae corticem, panicum italicum, Glycyrrhizam glabram et Punicae granati surculos inspergendo et conterendo in lacte coagulato alicam oryzae fermentatam, praeparet jusculum, quod omnes dysenterias depellit coctas sine dubio.

Collyrium Amomi zanthorhizae, Ativiśhám, corticem seminaque Echitae antidysentericae, Grisleam tomentosam et zingiberi aridum bibere det ex aqua oryzae. Cum dolore complicatam cruentamque dysenteriam haec medicamenta, mellita, depellunt.

Glycyrrhiza glabra, Aegle marmelos, ova, saccharum officinarum cum melle commixtum, et in Oryza sativa Oryzaque praecoce semina Cari carvi dysenteriam depellere possunt. Pari modo lincta Zizyphi jujubae radix cum melle commixta.

Zizyphi jujubae, Terminaliae alatae glabrae, Eugeniae jambu, Mangiferae indicae, Boswelliae thuriferae et Calami rotang cortices, saccharaque cum melle commixta, potata depellunt abdominis morbum. Cum his etiam alicas oryzae fermentatas, infusiones et juscula pisina medicus peritus praeparet; bibenda sunt sitienti illa in his substantiis.

Parata ex Bombacis heptaphylli petiolis infusio frigida, per noctem calefacta, bibenda est cum melle liquiritiaque commixta. Ligato aëre faecibusque et doloribus vexatus dysentericus, sanguine bileque affectus, siticulosus hanc potionem bibat.

Sicut ambrosia, sic lac in dysenteriis honoratum est. Id in dysenteriis jam diu exortis bibendum est, cum triplis partibus lactis elixum. Corruptorum humorum reliquias hoc demere potest; idcirco aptissimum commemoratum est.

Salubris est oleosa purgatio, et clysteres mucosi; et cum mucoso sedimento oleoso paratum salubre esse butyrum clarificatum dicitur.

Cum excremento et Spondia mangifera concoctum butyrum liquidum bibat simul cum melle et saccharo officinarum.

Butyrum liquidum cum Curcumae zanthorhizae cortice, Pipere longo, zingiberi arido, lacca, Wrightea antidysenterica et Hordeo hexasticho compositum, cum Phrynio dichotomo et Asclepiade acida concoctum et cum lacte etc. commixtum et potatum dysenteriam a tribus humoribus simul corruptis ortam depellit perhorridam.

In gravitate vomitus idoneus est, si cujus phlegma praevalidum est.

In febre, in aestu, in faecum obstructione ex aëre, sicut in haemorrhagia biliosa, et in concocta multisque humoribus corruptis praedita ischuria, per urinam et purgationes celeriter efficienda est roboratio; tum etiam suffitio facienda est.

In ani prolapsu ex diarrhoea, in urinae suppressione et in coxae dolore oleum Sesami orientalis cum dulcibus acidisque coctum, aut etiam butyrum clarificatum, suffimentum est.

Si cui insalubria edenti coctio ani ex bile oritur, ibi bilem auferentes adspersiones et ex illis paratae suffitiones (indicatae sunt.)

Cum lacte coagulato, Palma Christi, liquore spirituoso et Aegle marmelo paratum oleum Sesami orientalis in aëreo cibo salubre est, et lac cum Dolichi carpopogonis radice paratum.

Exiguum saepius et rubrum dolorosumque excrementum quando aër constrictus dejecit, tum mucosus clyster saluber est.

Plerumque ani infirmitas aegrotorum ex intestinis jam diu laborantium oriri potest; idcirco his salubris est in ano inunctio olei Sesami orientalis.

Cratoeva valanga, Bombax heptaphyllum, Hedysarum alhagi, Gossypium herbaceum sylvestre, malum granatum, Caesalpinia bonducella, Dolichos carpopogon, Cordia myxa, Cannabis sativa, Marsilia dentata, lac coagulatum, Hedysarum gangeticum, Hedysarum lagopodioides, Solanum melongena, Solanum jacquini, Pavonia odorata, Flacourtia cataphracta, Aegle marmelos, Cymsampelos hexandra, zingiberi aridum et Coriandrum sativum (recipiantur). Haec cibi compositio salubris est omnibus dysentericis. Sesami orientalis et Phaseoli mungonis sedimentum oleosum et Phaseolus mungo pariter salubria sunt.

Qui homo biliosâ dysenteria affectus est, antibiliosa remedia adhibeat. Bilis enim corrupta illius celeriter cruentam dysenteriam adducere potest, febremque, dolorem, sitim, aestum et ani coctionem terribilem.

Qui sanguinem ante aut post faeces dejecit, is ex surculis Fici indicae etc., et cum butyro liquido paratam potionem bibat, simul cum saccharo officinarum et melle commixtam. Tum butyrum recens lingat et lac ebutyratum deinde bibat.

Chironjiae sapidae, Bombacis heptaphylli, Fici infectoriae, Boswelliae thuriferae et Dalbergiae ougeiniensis cortices in lacte contriti et melliti potati cruorem delent.

Glycyrrhizam glabram, saccharum officinarum, Symplocon racemosam, Asclepiadem roseam et Echiten frutescentem bibat ex caprino lacte mellito, cruorem delens hoc medicamen.

Rubiam manjistam, Echiten frutescentem, Symplocon racemosam, Nelumbium speciosum, Nymphaeam esculentam, Nymphaeam caeruleam et Hibiscum mutabilem bibat ex lacte caprino, cruoris sedandi causâ.

Saccharum officinarum, Nymphaea caerulea et Symplocos racemosa; — Mimosa pudica, Glycyrrhiza glabra et Sesamum orientale; — Sesami orientalis Morungaeque hyperantherae succus, Symplocos racemosa, Glycyrrhiza glabra et Nymphaea caerulea; — Dolichos carpopogon et Sesami orientalis sedimentum oleosum. Quatuor haec medicamina ex lacte caprino bibenda sunt in cruenta dysenteria, cum melle commixta.

Diarrhoea cruenta fluente, Andropogonem shoenanthum et Aeglen marmelon cum saccharo crudo, melle et oleo Sesami orientalis prius lingat celeriter; salubre enim hoc est.

Arundo saccharifera in butyro clarificato cocta, Andropogonis muricati pulvis, saccharum candidum et mel linctum depellit abdominis morbum dolorosum, ab haemorrhagia biliosa ortum.

Aegles marmeli fructuum medium cum Glycyrrhiza glabra compositum

et cum saccharo officinarum, melle et oryzae jusculo commixtum, — hoc medicamen dysenteriam a bile sanguineque ortam devincere potest.

Quae curandi rationes in ani coctione sunt relatae, illae hic quoque indicatae sunt. Morbo sedato, mucosus clyster saluber esse potest.

Cruentum excrementum corruptis humoribus impletum qui, incenso igne affectus, reddit, eum Embeliae ribis, trium myrobalanorum et Piperis longi infusionibus, aut emulsione ex Ricino communi parata sola expurget. Alicam oryzae fermentatam concedat illi, cum calidis aërem pellentibus substantiis paratam.

Incenso igne affectus faecumque expers qui reddit spumosum excrementum, is bibat saccharum crudum cum zingiberi arido, lacte coagulato, oleo Sesami orientalis, lacte dulci et butyro liquido compositum: Zizyphi jujubae fructus evaporatos ex saccharo crudo et oleo Sesami orientalis comedat. Bene evaporatam contritamque cum Aegles marmeli immaturis fructibus ex lacte coagulato adhibeat fermentatam oryzam, et post bibat album liquorem spirituosum.

Leporinam carnem cum sanguine, Mimosam pudicam et cum butyro clarificato lac coagulatum decoquat comedatque, et adhibeat hunc mitem cibum, stercore deficiente.

Perfectum in religiosa observantia faustum jus Phaseoli radiati, Hordei hexastichi et fructuum Zizyphi jujubae, cibi loco dandum est, cum lacte coagulato et malo granato paratum. Murias sodae impurae, Aegles marmeli fructus immaturi, zingiber aridum cum acidis contritum et serum lactis in religiosa observantia coctum salubria sunt, faecibus deficientibus.

Cum dolore tenuia excrementa qui incenso igne affectus reddit, is bibat butyrum liquidum calefacientibus substantiis admixtum cum antidysentericis.

Aër auctus coacervatum phlegma hominis insalubria comedentis deorsum pellit. Aegroti, identidem phlegma cum excrementis commixtum reddentis, passionem diarrhoeam vocant artis periti.

Diarrhoeae ab aëre ortae dolorosae sunt; a bile aestuosae; a phlegmate cum phlegmate complicatae; cruentae a sanguine ortae sunt. Hae diarrhoeae a lenibus asperisve substantiis ortae esse relatae sunt. Harum diarrhoearum signa (symptomata), sicut in dysenteriis, demonstret, methodumque curandi, et cruditatem, et coctionem.

Si qua diarrhoea vehemens sedationem non adit jejuniis, medicamentis aut coctionibus, eam celeriter lac elixum, oleum Sesami orientalis, Sesamum orientale et mucosi clysteres depellunt.

Humidis Pois cynosuroidibus circumdatos petiolos humidos Bombacis heptaphylli, simul coctos per coctionem in foliis adhibitam, conterat et ex his succum sumat.

Lac elixum, oleum Sesami orientalis et butyrum liquidum mixtum cum

sedimento Glycyrrhizae glabrae — clysterem adhibeat non insanus medicus in diarrhoeae, urinae stercorisque conventu.

Cum bis quinarum radicum (Tom. I. pag. 95.) decoctione mellita in dolore aegroti ex diarrhoea laborantis, et cum lacte, roborans eximium dictum commisceat, et suffimentum cum oleo Sesami orientalis.

Cum classe (medicaminum) aërem depellente et cum salibus oleum Sesami orientalis paratum salubre est in cibo potuque.

Symplocon racemosam, muriatem sodae impurae et Aegles marmeli fructus impuros lingat ex oleo Sesami orientalis.

Micheliam champacam et tres myrobalanos ex lacte coagulato cum succo et melle comedat siccitate vexatus.

Lacte in bene calefacta metallica sartagine decocto, refrigerato et mellito, porro lacte parato cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et cum Hedysaro gangetico homo doloribus vexatus cibandus est intenti medico.

Ex substantiis aërem delentibus, antidiarrhoicis et calefacientibus confectos succos cibos suppeditet. Comedat (aegrotus) pisces, succumque sumat ex substantiis aërem delentibus confectum et cum butyro clarificato oleoque Sesami orientalis compositum. Antiloparum nigrarum, ovium et caprarum carnes, cum Fici indicae surculis paratas, comedat. Caprae sanguinem cum caprae lacte paratum et cum butyro clarificato oleoque Sesami orientalis commixtum comedat. Cum juribus de Śik'hiláva et cum lactibus coagulatis praecipuis bene paratos Phaseolos radiatos, et cum butyro clarificato et Palma Christi commixtos comedat; gustetque ex lacte coagulato linctum Piperis nigri. —

In magno morbo (dysenteria) et in dysuria medicus clysterem applicari jubeat, cum lacte, melle butyroque clarificato commixtum, ex Glycyrrhiza glabra et Nymphaea caerulea paratum. Hic clyster sedare potest aegroti sanguinem, aestum et febrem.

Ex dulcibus herbis medicis parata suffitio quoque illi aegroto salubris est.

Ut quidam noctu diuque semper doloribus affectus est, ita ille oleis Sesami orientalis sedationem aëris nanciscitur. Sedato aëre, sedationem adit diarrhoea; idcirco in diarrhoea morbo aërem sedet medicus.

Cysampeli hexandrae, Cari carvi, Echitae antidysentericae seminum, zingiberis aridi et Piperis longi aequales partes contritae et ex dulci aqua potatae sedant morbum, aut potus ex caprino cibo confectus et cum butyro liquido commixtus.

Zingiberi aridum, butyrum clarificatum, Sinapim dichotomam et oleum Sesami orientalis concoquendo lingendoque morbum celeriter depellere potest.

In butyro oleoso, cum Canabis sativae, Pistiae stratiotae et mali granati

succis et lactibus coagulatis parato, alica oryzae fermentata, cum Aegle marmelo composita, aptissima est, pariterque potio liquidi calidi lactis.

Levia aptaque calefacientia et mitia comedenda sunt in abdominis morbis. Probo semper concedat cibum, haecque illaque medicamenta medicus non insanus.

Sitim depellens, levis, calefaciens, abdomen purgans et in febre dysenteriaque alica oryzae fermentata semper salubris est.

In dysenteria, ab asperitate orta, curatio mitis adhibeatur; a miti autem causa orta, aspera; a timore orta, consolatio prior; a moerore orta, moerorem delens curatio adhibeatur. In dysenteria a veneno et haemorrhoidalibus vermibus exorta salubris est curatio amborum morborum auxilium ferens.

Vomitum, animi deliquium, sitim etc. medicus absolvere potest sine impedimento. In multitudine corruptorum humorum prius bilem, in febre autem, in dysenteria et ubique alibi aërem prius aggrediatur medicus.

Ad cujus faeces sine urina omnino aër adit, ejus incenso igne levique stomacho praediti morbus stabilis est.

Ab actionibus orti sunt quidam morbi, alii autem a corruptis humoribus orti sunt, alii rursus ab actionibus simul et humoribus corruptis orti sunt. Hi autem intereunt, incuratis curationibus, in actionis interitu. Cessant morbi a corruptis humoribus orti ex causis exitii humorum corruptorum. Inter hos exsistunt exiguis symptomatibus praediti, dolore vacui, mites. aut multis humoribus corruptis praediti, ab actionibus et corruptis humoribus orti, actionibus, corruptis humoribus et consumtione effecti morbi. Eorum successus consideratur.

Corrumpitur diarrhoicus de causis perditi ignis (digestionis) in homine. Dysenteriâ quamvis desinente, digestio hominis, torpido igne affecti et insalubria comedentis, magis corrupta diarrhoicum corrumpere potest. Idcirco abstinentia servanda est in dysenteria, sicut in alvi purgatione, quamdiu non in naturali statu versetur aegrotus quoad corruptos humores et vitalitates.

Sextus dies quatuordecim lunarium dierum bilem ferens tempus demonstratus est. In coctionis cruditatisque sede media haec diarrhoea sita esse dicta est. Diarrhoeâ robur et ignis sublatus est. Idcirco, igne (digestione) corrupto, diarrhoicus corrumpitur. Diarrhoea singulatim summatimque corruptis humoribus admodum elatis corrupta multipliciter cibum crudum dejicit. Coctam dolorosamque materiam identidem constrictam et identidem profluam diarrhoicum morbum appellant viri Áyurvédae periti. In hujus morbi ortu aestus, cibi fastidium, inertia, sitis, defatigatio, virium interitus, inappetentia, catarrhus, tinnitus aurium et intestinorum crepitus exsistunt. Initio fieri potest homo tumidus in pedibus manibusque et macer, et articulorum doloribus, cupiditate, siti, vomitu, febre, cibi fastidio et aestu affici

potest. Ructat asperum, amarum, acidum; sanguinis vaporem et crudum odorem; destillante ore, siccitate, caligine et inappetentia vexatus est.

Ob aërem afflictus est multis doloribus ani, cordis, laterum, abdominis et capitis; ob bilem aestibus; ob phlegma gravitatibus; ob tres humores simul corruptos tribus his symptomatibus. Unguibus, pariterque faecibus, urinâ, oculis et ore, corruptorum humorum colorem habentibus, affectus est. Cordis pallore, abdominis intumescentia, induratione glandularum mesentericarum, haemorrhoidibus et lienis affectionibus implicitus est homo.

Humoribus corruptis consentanea sit expurgati curatio. Ptisanarium oryzae etc. medicus concedat, omnino cum calefacientibus conditum. Deinde has tres classes medicaminum digerentium, antidysentericorum et calefacientium bibat aegrotus mane ex sicera, spirituoso liquore, oleis, urinis, dulcibus aquis, aut lacte ebutyrato; aut lac ebutyratum solum salubre esse dicitur.

Vermes, indurationem glandularum mesentericarum, abdominis intumescentiam et haemorrhoides depellentes curationes adhibeat.

Pulvis Asae foetidae etc., aut butyrum clarificatum, lienis affectionem delet.

Cum sedimento oleoso Piperis longi etc., aut cum Oxalidis monadelphae succo oleoso, aut cum lacte coagulato, quatuor qualitatibus praedito, paratum butyrum clarificatum salubre esse potest.

Quovis modo omne calefaciens (aromaticum) ex diarrhoea aegrotantibus salubre est.

Febrem ceteraque effrenata symptomata absolvat medicus propriis curationibus."

Caput XLI.

Nunc vero consumtionis remediationem exposituri sumus.

„Varios morbos secuta, multos morbos praeiens, difficilis dignotu et difficilis cohibitu est consumtio, morbus magna vi praeditus.

A succos etc. consumendo, consumtio sic nominata est. Functionum tabis causâ etiam tabes vocatur. Quia regali lunae similis factus est hic morbus, idcirco eum lunarem phthisin quidam appellant sapientes medici. A confusis humoribus corruptis (hic morbus) oritur, ut quidam dicunt, scilicet in uno die circa proximitatem undecim dierum lunarium, secundum sacram doctrinam (tantra).

Ex functionum privatione et ex inveterata etiam origine una

quoque relata est consumtio, collectivam naturam habens (ab omnibus humoribus simul corruptis orta). Post purgationem ibi signa corruptorum humorum concidunt.

A tabe, impetus repulsione, fatigatione et veneni sumtione oritur consumtio, irritatis humoribus corruptis hominis, corpore penetrato praediti.

Succorum viis, per humores corruptos phlegmatis naturam habentes obstructis, aut semine virili valde libidinosi hominis tabefacto, proxime extabescunt corporis elementa (Tom. I. pag. 31.) omnia; deinde consumitur (exsiccatur) homo.

Cibi odium, febris, suspirium, tussis, sanguinatio et vocis interruptio oritur in regali (lunari) phthisi, sex formas habente.

Vocis interruptio ex aëre, dolor et constrictio in humero latereque. Febris, aestus, diarrhoea et sanguinis profluvium ex bile. Capitis expletio, cibi fastidium, tussis et gutturis maligna destructio dignoscenda est, phlegmate irritato. Undecim his signis, aut sex his, scilicet tussi, diarrhoea, lateris dolore, vocis interruptione, cibi fastidio et febre affectum, aut tribus his vexatum, febre scilicet, tussi et sanguinis morbo, hominem consumtione affectum medicus curet, permagnae appetens gloriae.

A coitu, moerore, rigiditate, lassitudine, itineribus majoribus, jejunio, ulcerum pectorisque vulnerum tormentis alii consumtiones esse ortas dicunt.

Ex coitu tabescens homo seminis virilis exsiccati symptomatibus affectus et pallido corpore praeditus est; primum ejus corporis elementa (D'hatu) tabescunt. In meditatione versatus homo, caduco corpore praeditus et moerore exsiccatus, etiam talis, sine mutationibus tabe seminis virilis effectis, conspectus est.

Ex febre tabescens homo macer, stupore et perexigua mente, vi sensibusque praeditus, suspiriosus ciborumque fastidiosus est et fisso potorio vasi similem raucem vocem emittit, exspuit et phlegmate orbatum sputum etiam nanciscitur afflictus, oris, nasi et oculorum profluvio laborat, aridis horridisque excretionibus et colore praeditus est.

Homo post itinera majora tabescens caduco corpore affectus, arido rudique colore praeditus, dormientibus corporis membris afflictus et arida vesica urinaria, gula oreque praeditus est.

Ex lassitudine tabescens homo maxime his symptomatibus affectus est, et qui signis, pectoris vulnere (dolore) effectis, praeditus est sine vulnere.

Ex sanguinis jactura, doloribus et ex cibi vexatione fieri etiam potest ulcerati hominis consumtio maxime incurabilis; porro lassitudine, gravitate, lectionibus (sacrorum librorum), percussionibus, nimio coitu actioneque.

Si cujus uber in pectore dilaceratum est, in ejus pectore vulnerato sanguis, pus et phlegma provenit. Tussiens vomit flavidam, rubidam, nigri-

cantem et fuscam massam. Combusto pectore afflictus ille ultra modum vexatione conficitur, foetido ore respirationeque affectus et dirupto colore voceque praeditus est homo.

Si quorum consumtio actionibus diruptionem nacta est, ibi non omnia corruptorum humorum signa dilabuntur.

Tabes (consumtiones) hae omnino cognoscendae sunt ex corporis elementorum (D'hatu) destructione. Curatio earum autem in antedicta corporis elementorum destructione (indicata est).

Anhelitus, corporis torpor, phlegmatis confluvium, palati siccitas, vomitus, ignis (digestionis) torpor, delirium, catarrhus, tussis et somnolentia in consumtione futura oritur; ille homo autem albido oculo et carne eximia praeditus fit et gemitus ducit. In somniis cornices, psitaci, hystrices, pavones, vultures, simiae et chamaeleones eum vehunt; ipse fluvios inundantes videt aridasque arbores, ventis, fumo igneque vexatas.

Polyphagum, destructum, diarrhoea afflictum et intumescente scroto abdomineque affectum phthisicum medicus deserat. Sui compotem, accenso igne praeditum, non emaciatum et recentem sanet butyro caprino, parato cum (medicamentorum) classe ab Hedysaro gangetico incipiente (tom. I. pag. 90).

Inuncti evacuatio mitis sursum deorsumque efficienda est: roboratio etiam facienda est, capitisque purgatio.

Hordeum hexastichon, Triticum aestivum et Oryzam sativam ex juribus comedat evacuatus. Aucto igne (digestione), nutriat hominem symptomatibus (phthisicis) liberatum.

Ex coitu tabescentem plerumque incolunt morbi ab aëre orti. Augenda est methodus illi salubris, oleosa aëremque depellens.

Cornices, ululas, ichneumones, Viládas, lumbricos, serpentes, angues, mures et vultures medicus det variis modis, sali fossili et Sinapi dichotomae oleoque Sesami orientalis concoctos. Dandae sunt carnes perdicum, et Phaseoli mungonis Cytisique cajan grata juscula et succi. Asininae, camelinae, anguinae, mulinae et equinae dandae sunt carnes bene paratae. Carnis jure conditos liquores spirituosos bibat. Cum liquore spirituoso compositi liquores vinosi adhibendi sunt. Ex Hordeis hexastichis, cum Asclepiade gigantea, Menispermo cordifolio, sale et aqua concoctis, confectos varios cibos gustet, aut bibat emaciatus butyrum caprinum liquidum cum aqua oryzae fermentatae tempore coenae.

Ex butyro liquido et melle speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, cum Pipere chavya et Embelia ribe compositam, tabe vexatus lingat.

In carnibus carnivororum paratum butyrum, cum melle et Pipere longo compositum, consumtionem depellit.

Ex uvis Vitis viniferae, saccharo candido et Jasmino auriculato linctus, cum melle et oleo Sesami orientalis commixtus, tabem morbum tollit.

Ex butyro caprino commixto cum melle pulverem Physalidis flexuosae, Micheliae chanpacae, Sesami orientalis et Phaseoli radiati lingat; lingat etiam sacchari candidi, Physalidis flexuosae et Piperis longi pulverem butyrumque cum melle commixtum. Lac quoque bibat, Physalidi flexuósae concoctum, et capiat cibum ex eo paratum. Lactis butyrum liquidum, sacchari candidi plenum, mane bibat; tum lac post bibat.

In odoramento etiam Physalis flexuosa adhibenda est, et Hordeum hexastichon in Boërhavia diffusa alata.

Cum tota Justicia gandarussa ejusque floribus paratum butyrum liquidum, cum melle commixtum, bibat, salubria comedens. Phthisin hoc, et vehementem tussim, et suspirium, et pallorem tollere valet.

Decoctiones stercorei liquoris vaccarum, equorum, elephantorum, ovium et caprarum, conspersae cum partibus Sansevierae zeylanicae, Curcumae longae et Mimosae ferrugineae arboris, tum lactis et butyri clarificati partes recipiantur. Partes decem has decoquat medicus praecepti peritus, cum dederit tres myrobalanos, universam dulcium classem, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis cum Pinu Dévadáru, et butyrum clarificatum praestantissimum, phthiseos coërcendae causâ.

Decem radices (tom. I. pag. 95.), Tapiam cratoevam, Galedupam arboream, Semicarpum anacardium, Aeglen marmelon, Boërhaviam diffusam alatam, Hordea hexasticha, Dolichos bifloros, Zizyphos jujubas, Siphonanthum indicam, Cysampelon hexandram, Hutáśan, Hingtsham repentem et Naucleam cadambam infundat; coquat deinde cum sex vasibus hujus infusionis unum vas butyri clarificati, porro speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Euphorbiae antiquorum lac, Terminaliam citrinam, Piper chavyam, liquorem spirituosum et sal fossile optimum. Hoc remedium enim consumtionem, abdominales affectiones et morbos urinales cum aëre complicatos tollere valet.

Cum vaccarum, equarum, ovium, caprarum, elephantorum, antiloparum, asinarum et camelorum butyris oleosis, a stercoreo liquore, lacte et succo vulnerum ortis, et cum uvis Vitis viniferae, Physalide flexuosa, Pipere longo et saccharo candido paratum butyrum clarificatum phthisin morbum aufert.

Elettariae cardamomi, Cari carvi, Phyllanthi emblicae, Terminaliae citrinae, Terminaliae belericae, Mimosae catechu, Sapindi saponariae, Terminaliae alatae tomentosae et Shoreae robustae succos, porro Embeliam ribem, Semicarpum anacardium, Plumbaginem zeylanicam, Morungam hyperantheram, Micheliam champacam, Ruelliam longifoliam, Amb'hodam et Phaseolum mungonem coquat in aqua. In hoc bene paratum et deductum triginta Pala sacchari candidi indat et sex Pala vaccini lactis; tum in

Prast'ham unum butyri clarificati duplum indat mel; deinde hoc agitatione commixtum praebeat. Deinde semper Palam unum mane lingat; postea lac bibat indefessus. Hoc est enim purgatorium, eximium, purum, oculis salutare, longam vitam efficiens et celebratum remedium. Phthisin celeriter hoc tollit, et pallorem morbosum, et fistulam ani; suspirium depellit vocisque interruptionèm, guttam serenam et cordis lienisque affectiones, indurationem glandularum mesentericarum et diarrhoeam morbum. Neque ibi aliquid relinquendum est; ceu elixirium vitae hoc est honoratum. In lienis affectionibus abdominisque intumescentiis indicatum et salubre est butyrum. — Tria alia quoque ibi salubria sunt. —

Phaenomena, in vocis mutationibus etc. versata, peculiariter devincere potest, respiciendo sacram doctrinam (śástram), caprinum stercus, urinam, lac, butyrum, sanguinem, carnem et stabulum adhibens. Variis a balneo incipientibus praeceptis amittit post mensem certe universam consumtionem.

Allii sativi compositionem ex praescripto aegrotus, tabe vexatus, adhibeat ex lacte, aut Hedysari lagopodioidis compositionem, Piperis longi formulam et compositionem laccae et calcis rubrae.

Moerorem, uxorem, iram et maledictionem evitet; eximias regiones colat, medicos, Brahmańas, tredecimque Gurus; et orationes puras audiat ex Bráhmańis."

Caput XLII.

Nunc vero glandularum internarum induratarum remediationem exposituri sumus.

„Humores corrupti, dictis irritamentis irritati, et exta aggressi, generant indurationem glandularum internarum hominum. Haec induratio quintuplex indicatur. In cordis et abdominis intervallo si nodus mobilis aut vacillans, cumulum accumulans et rotundus est, is nodus induratio glandularum internarum nuncupatus est.

Quinque sedes induratarum internarum glandularum hominum sunt: duo latera, cor, umbilicus et abdomen.

Ab irritati aëris radice, ab occultae radicis ortu et a magnitudine ad instar cumuli, cumulus (induratio glandularum internarum) sic nominatur. Haec induratio, quia in se ipsa cumulum nanciscitur, sicut bulla in aquis, et quia intrinsecus proficiscitur, nec vero deinceps maturationem adit, humoribus corruptis oritur confusis, totis et erectis.

A virorum feminarumque sanguine orta cognoscenda est alia (induratio internarum glandularum). Tabes, stupor, ignis superbia, intestinorum crepitus, faecum, urinae et aëris congressus, satietatis congestio, odium in cibum et aër sursum versus oritur in primis formis indurationis glandularum internarum.

Cordis et ventris dolor, oris et gulae siccitas, aëris retentio et iniquus ignis oritur. Hae alienitates, aëris indole praeditae, oriuntur in glandularum internarum induratione ab aëre orta.

Sudor, febris, cibi combustio, aestus, sitis, corporis rubor et quae bilis signa universa sunt, ea oriuntur in glandularum internarum induratione a bile orta.

Mador, cibi fastidium, corporis lassitudo, vomitus, dulcis sapor oris et quae phlegmatis signa sunt, ea oriuntur in glandularum internarum induratione a phlegmate orta.

Ab omnibus humoribus simul corruptis orta induratio haec etiam omnibus alienitatibus praedita est, et incurabilis est dicta.

Sanguinem etiam dicam.

Si puerpera cibo usa est insalubri, aut immaturum embryonem parit in menstruatione, ejus aër, superando sanguinem, facit indurationem glandularum internarum morbosam aestuosamque. Bilis signo simile signum aliamque differentiam cognosce!

Non se movet induratio, non intumescentia adit incrementum, et oriuntur signa gravidarum. Hanc glandularum internarum indurationem, tempore embryonis transacto curandam, a sanguine ortam esse volunt hujus morbi intelligentes.

Aegrotum, induratione glandularum internarum ab aëre orta vexatum, inunctum et usum oleosis purgationibus, tempori convenienter curet evacuantibus clysteribus simul et suffimentis.

Aegrotum, induratione glandularum internarum a bile orta vexatum, inunctum et butyro ex (medicaminum) classe a Kakoli incipiente (Tom. I. pag. 93.) purgatum, dulcibus medicaminibus et clysteribus evacuantibus curet.

Aegrotum, induratione glandularum internarum a phlegmate orta vexatum, inunctum et butyro ex (medicaminum) classe a Pipere longo incipiente (Tom. I. pag. 92.) acribusque purgatum, ejusdem naturae clysteribus evacuantibus curet.

In glandularum internarum induratione ab omnibus humoribus simul corruptis orta salubre est praeceptum tres humores simul corruptos delens.

Ut circa bilem, ita feminae, induratione glandularum internarum a sanguine ortarum vexatae, curandi praeceptum adhibendum est.

Aliam quoque curandae feminae rationem ad sanguinis solutiones pertinentem audi!

Butyrum liquidum cum aqua cineris Buteae frondosae paratum adhibeat; det superiorem (per vaginam) clysterem ex butyro liquido, parato cum (medicaminum) classe a Pipere longo incipiente; aut calidis dissolvat indurationem; huic solutae methodus ad sanguinis eruptionem pertinens salubris est.

Bubalinum jus et medulla, adeps, oleum Sesami orientalis, butyrum clarificatum et lac coagulatum, singulatim decoctum, laudatum est in glandularum internarum induratione ab aëre orta, et suffitio; perdicum autem et equorum adeps et butyrum clarificatum in biliosa induratione; oleum Sesami orientalis et perdicum adeps in glandularum internarum induratione a phlegmate orta.

Sex partes fructuum phyllanthi emblicae receptas in sedimento oleoso decoquat, cum saccharo et sale fossili commixtas. Hoc enim est salubre aegroto, glandularum internarum induratione ab aëre orta affecto.

Cum Plumbagine zeylanica, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Alpinia cardamomo in Sind'hu orta, Pipere chavya, malo granato, Ligustico ajwaën, radice Piperis longi, Cumino cymino, Havushá, Coriandro sativo, scilicet partibus aequalibus, lacte coagulato, alica oryzae fermentata, Zizypho jujuba, Raphano sativo et oleoso sedimento paratum butyrum liquidum hoc bibat, internarum glandularum indurationem ab aëre ortam, ignem, imbecillitatem, borborygmum et dolorem depellens.

Cum Asa foetida, natro, Cumino cymino, Muriate sodae impurae, malo granato, Ligustico ajwaën, Costo specioso, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, aquâ oryzae fermentatae, Calamo rotang, lixivio, Plumbagine zeylanica, Curcuma zerumbet, Acoro calamo, Michelia champaca, Anetho sowa et lacte coagulato decoctum butyrum abjicit dolorem aegrotorum, induratione glandularum internarum ab aëre orta affectorum et urinae suppressionem.

Cum muriate sodae impurae, malis granatis, alkali, ignea specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Cumino cymino, Asa foetida, natro, lixivio, Spondiade mangifera et Rumice vesicario paratum butyrum, cum Citri medicae succo et quatuor partibus lactis coagulati commixtum, a lacte coagulato cognominatum (Dad'hika), indurationem glandularum internarum tollit, lienis affectiones doloresque devincit.

Ex Allii sativi oleoso sedimento butyrum, cum quinarum radicum (Tom. I. pag. 95.) succo commixtum, et cum liquore spirituoso, alica oryzae coctae fermentata, lacte coagulato, Oxalidis monadelphae Raphanique sativi sedimento oleoso, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, malo granato, Spondiade mangifera, Ligustico ajwaën, Pipere chavya, sale fossili,

Asa foetida, Rumice vesicario, Cumino cymino, Celosia cristata et Valeriana jatamansi paratum, indurationem glandularum internarum, diarrhoeam, haemorrhoides, suspirium, delirium, tabem, febrem, catarrhum, epilepsiam, torpidum ignem (indigestionem), lienis affectiones, dolores et aërem devincere valet.

Lac coagulatum, Zizyphi jujubae fructus, duas decoctiones ex Phaseolo mungone et Dolicho bifloro confectas, scilicet quinque Aḋ'haka, concoquat; tum inspergat duo Pala natri, Svarjikarum, Pini Dévadáru et salis fossilis. Hoc butyrum indurationem glandularum internarum ab aëre ortam depellit et etiam calefactorium est.

In infusione radicum graminum butyrum cum aquis decoquat, aut in (medicaminum) classe a Ficu indica, aut a Nymphaea caerulea incipiente (Tom. I. pag. 94.). Indurationem glandularum internarum a sanguine bileque ortam tollunt haec butyra sine dubio.

In (medicaminum) classe incipiente a Cassia fistula (Tom. I. pag. 90.) decoquat butyrum cum calefactoriis compositum; in lixivii classe autem decoquat aliud butyrum; rursus aliud in urinae classe. Haec butyra sine dubio tollunt internarum glandularum indurationem a phlegmate ortam.

Humorum corruptorum elationi congruenter curet medicus indurationem glandularum internarum ab omnibus humoribus simul corruptis ortam.

Aut pulverem substantiarum ab Asa foetida incipientium et butyrum liquidum lienis affectiones delens, aut bibat suo tempore butyrum cum Symploco racemosa paratum, indurationem glandularum internarum tollens.

Sesami orientalis, Sacchari cylindrici, Buteae frondosae, Sinapis dichotomae, Holci sorghi et Raphani sativi cinerem cum vaccina, ovilla, asinina, equina bubalinaque urina, et cum contrito Costo arabico, sale fossili, liquiritia, zingiberi arido Erycibeque paniculata, scilicet cum singulorum Pala uno, et cum decem Palis Cari carvi et sale marino commixtam, in ferreo vase, igne pauco, decoquat et linctum hunc deinceps eximat. Hanc massam aegrotus etiam bibat ex lacte coagulato, liquore spirituoso, aut butyro liquido, aquâ oryzae fermentatae, calida aqua, aut jure Dolichi biflori. Indurationem glandularum internarum et morbos ab aëre ortos hoc jusculum depellit sine dubio.

Cum Ocymo sancto et Costo arabico commixtum jusculum, ex Pandano odoratissimo confectum et ex oleo Sesami orientalis potatum, sedare potest indurationem internarum glandularum, ab aëre ortam; aut etiam potus dulci aqua paratus ex Ocymo sancto, Costo arabico et sale fossili.

Vangueriam spinosam, Ricinum communem, Varshab'hum, Solanum jacquini et Plumbaginem zeylanicam cum aquae Droṅa uno coquat ad remanentiam Pádae unius et tum hoc indat in vas, Jasmino auriculato, Plumbagine zeylanica et melle illitum. Prast'ham unum mellis addat cum di-

midia parte pulveris Terminaliae chebulae commixti et cum Terminalia belerica compositi; tum hoc per decem dies bibat homo aetate confectus. Liquor spirituosus hic devincere valet indurationem glandularum internarum, indigestionem et cibi fastidium.

Cysampelos hexandra, Jatropha glauca, Indigofera tinctoria, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, tres myrobalani, Plumbago zeylanica, sal fossile et Wrighteae antidysentericae semen, scilicet singulorum pares portiones fiant globulus vetus. Tum pulverem cum Terminaliis chebulis commixtum et cum vaccina urina infusum decoquat. Bolos, cum hoc densum effecerit, comedat incoenatus. Hi indurationem glandularum internarum, lienis affectiones et ignis torporem plane depellere possunt, cordisque morbum, diarrhoeae vitium, icterumque horribilem.

In glandularum internarum induratione pungente, edita mobilique et aestu, coctione doloribusque praedita sanguinem per hirudines aut per vasorum sectionem detrahat.

Suaviter calefacta carnis juscula, permitia et bene salita, cum Michelia champaca et Ruellia longifolia commixta salutaria sunt in potu aegrotorum, induratione glandularum internarum affectorum. Potanda etiam sunt cum substantiis aërem tollentibus parata juscula ex Dolicho bifloro confecta.

Sedimenta oleosa et quinae radices (Tom. I. pag. 95) in cibo aegrotorum, induratione glandularum internarum affectorum, salubria sunt.

Adstrictis faecibus aëribusque, cum Amomo zingiberi lac desideratur. Kumb'hi, ture et Ricino communi sudores peritus medicus faciat. Omnes enim aegroti, ex induratione glandularum internarum laborantes, longe difficillimi expurgatu sunt dicti. Itaque eos bene sudantes delapsu efficiat. Unguenta oleamentaque, suffimenta et emplastra conficienda sunt, suaviter calefacta, exorta in Śálva etc. regione; butyra in abdominis intumescentia indicata, pulverum turundarumque curationes et salia sunt adhibenda, quae in abdominis intumescentia indicata sunt.

In aërum faecumque restrictione autem turundas ex sale maritimo, Amomo zingiberi Sinapique dichotoma cum confecerit, bene piperitae eae in anum imponendae sunt.

Cum Danti, Plumbaginisque zeylanicae radicibus aërem tollentibus praeparet spirituosos liquores omnes in Sútrast'hána (principiorum medicorum libro) expositos.

Comedat etiam suboles contritas, ex Caesalpinia bonducella et Nrĭpavrĭksha enatas.

Hominem aëre adscendente praeditum et induratione glandularum internarum affectum ne clysterizet.

Bibat Convolvulum turpethum album, aut zingiberi aridum cum saccharo officinarum, Terminaliam chebulam, bdellium, Convolvulum turpethum

nigrum, Dantim, Antherum tuberosum, sal fossile et Acorum calamum ex urina, liquore spirituoso, lacte et vino, intuitus vires amissas. Pariter Salvadoram persicam contritam bibat cum sale maritimo.

Cum Pipere longo, Piperis longi radice, Pipere chavya, Plumbagine zeylanica et sale fossili commixti liquores spirituosi, (apto) tempore adhibiti, indurationem glandularum internarum celeriter depellunt.

Adstrictis faecibus aëribusque vexatus aegrotus, induratione glandularum internarum affectus, comedat ex lacte Hordeum hexastichon; aut oryzam fermentatam permitem, sale maritimo conditam, comedat.

Porro illius hominis (induratione glandularum internarum affecti) dolor ullo modo oritur. Hunc dolorem, quasi defossam voluptatem, ubi aegrotus sentit, ibi faecum urinaeque retentio, molesta respiratio, membrorum rigor, sitis, aestus, vertigo, cibi combusta accumulatio, horripilatio, cibi fastidium, vomitio, cibi incrementum et frigus membrorum oritur ab aëre ceterisque corruptis humoribus secundum numerum mixtis. Medicus hoc intuitus adhibeat Terminaliam chebulam, tria salia, lixivium ex Asa foetida, Coriandro sativo et Costo specioso confectum, Hordeum hexastichon, Curcumam longam, Embeliam ribem, Rumicem vesicarium, Convolvulum paniculatum, tres myrobalanos, Asparagum racemosum, Trapam bispinosam, saccharum officinarum, Gmelinam arboream, Echiten antidysentericam, Siphonanthum indicam, Xylocarpum granatum, Morungam guilandinam, Acorum calamum, Ativishám, Pinum Dévadáru, Terminaliam chebulam, Piper nigrum, Wrighteam antidysentericam, Piper longum, Raphanum sativum, Piper chavyam, zingiberi aridum, lixivium et Plumbaginem zeylanicam ex calida acidaque oryzae fermentatae aqua, lacte et aqua, secundum Ślokarum conclusionem. Ex praescripto duos hos Ślokas mixtos adhibeat in induratione glandularum internarum a duobus humoribus corruptis orta; omnes autem Ślokas mixtos adhibeat in hac induratione ab omnibus humoribus simul corruptis orta.

Sic etiam adspersio, lavatio, illitus, inunctio, nutritio, frigidâ aqua impletorum vasorum gestatio, vomitus, frictio, sudatio, abstinentia, alvi purgatio, et oleosa reliqua methodus omnis praecipue indicatur.

Acidam carnem, Raphanum sativum, pisces, arida olera, legumen, Arum campanulatum et dulces fructus ne comedat aegrotus, induratione glandularum internarum affectus.

Sine induratione glandularum internarum qui dolor in locis hujus indurationis oritur, pathologiam ejus exponam, formamque et curationem.

Post aëris, urinae et faecum invasionem, nimiam satietatem, indigestum cibum, defatigationem, perversi alimenti usum, aquae haustum tempore sternutationis, subolum usum, contritorum ciborum aridaeque carnis adhibi-

tionem, sic etiam post ejusdem generis substantiarum usum aër irritatus in stomacho dolorem (lanceam) efficit vehementem.

Suspirium petit, doloribusque inde vexatus esse homo potest. Quod lanceis transfixi hominis dolores horribiles, sicut jaculorum percussiones, conspiciuntur, propterea hic dolor lancea appellatur. Incoenati hominis dolor (lancea) horribilis provenit; membrorum rigore afficitur, difficulter respirat, flatus, urinam et faeces difficulter reddit homo. His signis dignoscat medicus dolorem (lanceam) ab aëre ortum.

Sitis, aestus, delirium, animi deliquium, sic etiam horribilis dolor oritur; homo frigus cupit, frigoreque etiam sedatur. His signis dignoscat medicus dolorem (lanceam) a bile ortum.

Dolore (lancea) vexati hominis singultus, ingens stomachi expletio et membrorum gravitas oritur. Haec a phlegmate orti doloris (lanceae) indicata species est.

Omnes intuitus formas medicus demonstret, dolorem (lanceam) a tribus humoribus simul corruptis ortum esse. Dolorem a tribus humoribus simul corruptis ortum incurabilem esse demonstret. —

Dolorum (lancearum) signum indicatum curationemque cognosce a me!

Celeriter agit aër; itaque eum medicus festinanter devincat. Aegrotantis ex doloribus (ab aëre) ortis sudor etiam voluptatem adfert.

Ex jusculis de lacte, oryza et saccharo, ex pulmentorum globulis, ex gratis carnibus, aut ex Convolvuli turpethi albi olere, salubrem, gratum calidumque cibum comedat. Aut Galedupae arboreae suboles in oleo Sesami orientalis tostas comedat. Iuscula de avibus grata et perdices homo doloribus (lanceis) vexatus pro adeptione adhibeat, carnesque serpentium.

Liquor spirituosus, Suviracum acetum, serum lactis, lac ebutyratum, lac coagulatum et sal facticium bibenda sunt in dolore (lancea) ab aëre orto.

Dolichi biflori jusculum cum aciditate commixtum, cum Perdicis chinensis jusculo paratum, salitum piperatumque dolores ab aëre ortos delet.

Embeliam ribem, Morungam guilandinam, Convolvulum turpethum album, Terminaliam chebulam, Convolvulum turpethum nigrum, Rumicem vesicarium, Anethum sowa et Shoream robustam cum sale maritimo commixtam bibat ex vino; dolorem (lanceam) ab aëre ortum etiam hoc celeriter sedat.

Alpiniam cardamomum, Cuminum cyminum, Piper chavya, Ligusticum ajwaën, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Plumbaginem zeylanicam, Piper longum et Piperis longi radicem salque fossile conterat. Hunc pulverem ex lacte bibat, aut ex oryzae aqua, aut ex spiritu florum Bassiae latifoliae, aut ex aceto aromatico, aut ex liquore spirituoso fructuum Zizyphi jujubae, aut ex succo Citri medicae. Sic etiam hunc pulverem, cum

Zizyphi jujubae jusculo iterum iterumque digestum, et Asâ foetida impletum saccharatumque, bibat.

Cum mali granati succo (ex illo pulvere) turunda conficienda est medico; haec turunda aëreum dolorem (lanceam) celeriter detrahit, sive ex saccharato oleo Sesami orientalis lincta, sive rursus ex vino potata.

In dolore (lancea) a fame orto levis saturatio salubris est ex calidis lactibus, oryza fermentata et gratis juribus carnis.

In dolore ab aëre orto asperum cum miti comisceat. Bene parata danda praecipue sunt panifica; liquoresque spirituosos bibat homo; sic laetus efficitur.

Haec est doloris (lanceae) ab aëre orti curatio indicata. —

Inde in posterum a bile orti doloris medicationem indicabo.

Ille homo, qui jucunde vomuit et frigidam aquam potavit, frigida adhibeat, omnia autem calida evitet. Gemmea, argentea cupreaque vasa, aquae plena, super hunc dolorem (locum doloris) imponat. Saccharum officinarum, Oryza sativa, Hordeum hexastichon, lac, butyrum clarificatum pro potu, purgativum et ferina caro sit medicamen hominum, dolore a bile orto affectorum. Succos adhibeat bilem delentes; biliosas substantias evitet.

Buteae frondosae, aut etiam Pentapterae arjunae jus bibat, saccharo conditum, et Xylocarpum granatum cum uvarum Vitis viniferae et Elates sylvestris succo paratum. Hoc bibat cum saccharo commixtum, ceu medelam biliosos dolores arcentem. —

Cibo comeso, irritatio hominis phlegmate affecti oritur. Vomitum medicus ibi faciat aquâ Piperis longi. Asper sudor eliciendus est; aliaeque calidae curationes salubres sunt.

Piper longum et Zingiberi officinale in dolore a phlegmate orto medicamentum est.

Cysampelon hexandram, Acorum calamum, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Echiten antidysentericam, Asclepiadem acidam et Plumbaginem zeylanicam, scilicet horum decoctum jusculum, bibat, et jus pisinum cum Ocymo sancto. Ricini communis et Echitae antidysentericae radices, radicem Ruelliae longifoliae, Hedysarum lagopodioides et Solanum jaquini det, Śringálavinnamque cum Hibisco mutabili. Wrighteam antidysentericam, Phaseolum trilobum et radicem Sacchari cylindrici recipiat; receptam hanc quantitatem in uno Drońa aquae decoquat. Remanentiam quartae partis, cum nitro commixtam, bibat. Id dolorem (lanceam), ab aëre, bile, phlegmate et a tribus humoribus simul corruptis ortum, fortiter depellere valet, sicut scissam nubem ventus. Piper longum, Svarjikae lixivium, Hordeum hexastichon et Plumbago zeylanica adhibenda sunt. Aequalem cinerem etiam conficiat expertus medicus. Id ex calida aqua potatum in phlegmatis dolore remedium est. Includit aërem phlegma in ab-

domine lateribusque situm. Aer inclusus facit celeriter inflationem globulosam. Acubus quasi punctio oritur; homo difficilem tum habet respirationem; non cibum appetit; non ad somnum proficiscitur doloribus vexatus. Laterum dolor hic cognoscendus est, a phlegmate aëreque ortus.

Porro Costi speciosi radices, Asam foetidam, natron, sodam impuram, sal fossile, Coriandrum sativum et Terminaliam chebulam in pulverem redigat, et bibi jubeat cum Hordei hexastichi decocto commixtum in laterum, cordis abdominisque doloribus.

Butyrum clarificatum cum Asa foetida commixtum, aut Citri medicae succum cum lacte paratum, aut Ricini communis oleum ex vino, sero lactis, aquis et jusculis comedi jubeat, aut ex lacte, aut ex jure carnis.

Quando irritatur in abdomine aër ignem aggrediendo, tum hominis cibus comesus retentusque non coquitur; homo spiritum ducit et crudo excremento doloreque identidem percutitur. Nec in sedili, neque in lecto manet, non percipit gaudium. Abdominis dolor (lancea) sic dictus, ab aëre ortus morbus est. Vomitum faciat ibi, aut jejunet pro viribus. Unitam digestionem efficiat per acida cum calefactoriis commixta.

Zingiberi aridum, Ligusticum ajwaën, Piper chavyam, Asam foetidam, natron, sal facticium, Citri medicae fructus, Convolvuli turpethi nigri, Ricini communis, Solani jacquini et Flacourtiae sapidae decoctionem, — dolorem tollens medicamentum, — bibat.

Acorus calamus, natron, Asa foetida, Costus arabicus, Ativishá, Terminalia citrina et Echitae antidysentericae semina statim dolores tollunt. Alvi purgationem adhibeat, cognitâ corruptorum humorum firmitate aut infirmitate. Oleosos evacuantesque clysteres applicet, corruptum humorem auferentes. Inunctiones, oleosae adspersiones, oryzae fermentatae aquae conspersiones (indicatae sunt).

In phlegmate bileque inclusus aër, chylo commotus, in corde situs, efficit dolorem cum suspirio obstructioneque nimis complicatum. Hic cordis dolor sic dictus a chyli aëre ortus est. Ibi etiam curatio indicata est, quae in cordis dolore dicta est.

Propter obstructionem irritatus aër, alvum operiendo, insistit. In alvo, inguinibus, et umbilico tum dolor hominis oritur. Hic faecum, urinae et aëris obstructione alvique dolore affectus est. In umbilico, inguinibus, lateribus, abdomine et in pene medio vexatus est; urinam impediendo urinae dolor arripit (hominem) ob aërem. Aër irritatus, cujus hominis, aspero cibo usi, excrementum praecludit, ignem (digestionem), in stomacho situm, torpidum efficiendo, ejus dolorem horribilem efficiet, sensuum organa operiendo. Utrum dextrum, an sinistrum abdomen corripuerit (aër irritatus), oritur ubique in aucto aëre ibi celeriter dolor cum strepitu. Sitis horribilis increscit, vertigo animique deliquium oritur. Qui abdomen purgavit et urinam reddidit,

non ad sedationem pervenit. Ex faecibus dolorem illum agnoscat medicus perhorridum. Celeriter curatio corruptos humores auferens adhibenda est medico rectum intelligenti, scilicet sudatio, vomitus, clysteres evacuantes et oleosi. Antea indicata bibere det medicamina, alvum purgantia. Flatulentam affectionem auferentes curationes omnes voluptatem homini adferunt. Ultra modum comesum quando in digestione, mollitudinem ingressa, immobile factum est, tum aër, illud operiendo, insistit in stomacho. Indigestibilis enim cibus dolorem horribilem efficit, animique deliquium, inflationem, aestum, cordis tormina et morbum caducum; aegrotus alvi profluvio afficitur, vomitat, contremit, conturbatur. Lixivia, pulveres et boli dolorem delentia laudantur. Conditioni indurationis glandularum internarum convenintes curationes adhibendae sunt omnibus aegrotis dolore (lancea) afflictis.“

Caput XLIII.

Nunc vero cordis morbi remediationem exposituri sumus.

„Impetu, percussione, calidis asperisque cibis ultra modum adhibitis, retentis, nimis comesis, indigestis succulentisque alimentis cum corruperint chylum humores vitiosi, cor aggressi, efficiunt in corde vexationem, quam cordis morbum vocant. Hic morbus quadruplex oritur a corruptis humoribus; quintus autem a vermibus.

Separatim signum (morbi) exponam curationemque proxime post.

Intenditur in morbo ab aëre orto cor, pariterque vexatur, agitatur, laceratur, dirumpitur et commovetur. Sitis, calor, aestus, inflammatio et cordis defatigatio oritur in bilioso morbo.

Fumi via, animi deliquium, sudor, siccitas oris, gravitas, phlegmatis profluvium, cibi fastidium, stupor, ignis lenitas, dulcitas oris oritur, si cor phlegmate vexatum est.

Tormen, exsputio, vexatio, dolor, singultus, caligo, cibi fastidium, livor oculorum et tabes oriri potest in hoc morbo a vermibus orto.

Vertigo, defatigatio, lassitudo et tabes cognoscenda sunt phaenomena aegrotorum in morbo hoc a vermibus orto, quae etiam a vermibus simul et phlegmate laborantium phaenomena aestimata sunt.

Corde aëribus affecto, vomere faciat inunctum aegrotum medicus

decoctione decem radicum (tom. I. pag. 95.) cum oleo saleque fossili commixta.

Piperis longi, Elettariae cardamomi, Acori calami, Asae foetidae et Hordei hexastichi cinerem, sal fossile, natron, zingiberi aridum et Carum carvi, contritum cum tribus myrobalanis, aquâ oryzae fermentatae, Dolicho bifloro, lacte coagulato, vino, spiritu destillato etc. bibere det.

Aegrotanti, purificato per oleum aut aliam substantiam, porrigat veteris oryzae cibum ex juribus carnis cum butyro clarificato commixtis. Oleum Sesami orientalis cum substantiis aërem delentibus paratum det ex praescripto in clystere. Gmelinae arboreae, Glycyrrhizae glabrae, mellis, Calami fasciculati et sacchari candidi aquis vomitum faciat.

Bile affecto corde, adhibeat butyrum clarificatum cum dulcibus decoctum infusionesque jam demonstratas, bilem febremque depellentes.

Homini saturato juribus carnis praecipuis cum butyro commixtis medicus oleum Sesami orientalis cum Glycyrrhiza glabra paratum et cum melle commixtum pro clystere applicet.

Corde phlegmatis indole affecto, aegrotanti, qui antea infusionibus Acori calami et Meliae azidaractae vomuit, bibere det pulverem medicus jam indicatum in hoc morbo ab aëribus orto; eique Echiten antidysentericam etc., Cyperum rotundum etc., aut tres myrobalanos, cibum praebeat. Aut bibat etiam homo butyrum liquidum cum Convolvuli turpethi albi et Convolvuli turpethi nigri sedimento oleoso commixtum, purgatorium medicamentum. Ex Pavoniae odoratae oleis clysterem applicet medicus, clysterum peritus.

Ex cordis morbo, a vermibus orto, laborantem, inunctum, cibet oryzâ in carnibus cocta. Lacte coagulato hominem, carne saturatum, postea per triduum expurget. Ex suaveolentibus, salitis, cum Cumino cymino saccharoque commixtis et Embeliâ ribe impletis medicamentis oryzam fermentatam bibere det proxime post. In corde siti hominum vermes etiam deorsum cadunt. Deinceps hordeaceum cibum cum Embelia ribe commixtum ei praebeat."

Caput XLIV.

Nunc vero icteri remediationem exposituri sumus.

„Coitum, acida, salia, vinum, fragrantem terram, somnum diuturnum et acria valde adhibentis hominis humores corrupti, sanguine vitiato, efficiunt in cute flavidum colorem.

Icterus morbus demonstratus est octuplex, singulis, simul omnibus et binis humoribus corruptis. In omnibus his (icteri generibus) ibi flavidus color est, ubi major sane icterus morbus exsistit.

Cutis fissurae, exspuitio, membrorum lassitudo, terrae fragrantis esus, tumores in cavo oculi, faecum et urinae color flavus et indigestio prodromi fiunt.

Icterus cum vehemente obstructione complicatus urceus vocatur, exsiccatus torpidusque esse dicitur. Signum ejus universum percipe! Explicabo id ex ordine.

Violaceo vultu, violaceis vasis, ejusdemque coloris faecibus, urina, unguibus oreque affectum, aliisque ejusmodi symptomatibus praeditum hominem medicus ictericum ex aëre designet.

Flavo vultu, flavis vasis, ejusdemque coloris faecibus, urina, unguibus oreque affectum, aliisque ejusmodi symptomatibus praeditum hominem medicus ictericum ex bile designet.

Albo vultu, albis vasis, ejusdemque coloris faecibus, urina, unguibus oreque affectum, aliisque ejusmodi symptomatibus praeditum hominem medicus ictericum ex phlegmate designet.

In ictero ab omnibus humoribus simul corruptis orto omnia haec symptomata designet.

Indicabo nunc signa obstructionis bilis.

Qui in morbi fine subito cibum acidum insalubriaque comedit, illius bilis efficit pallidum vultum, praecipue magnam lassitudinem et prius indicata phaenomena. Hujus (obstructionis) divisio, urceus sic dictus, intumescentia est magna ibi et articulorum divisio.

Cum febre, corporis consumtione, vertigine, defatigatione, lassitudine et phthisi complicatus icterus exsiccatus torpidusque vocatur. Hunc icterum signis aëre bileque complicatis praeditum auruginem (halímaka) appellant medici hujus morbi periti.

Phaenomena in his (icteri formis) sunt cibi fastidium, sitis, vomitus, febris cum capitis dolore et ignis (digestionis) torpore concomitata, intumescentia gulam aggressa, infirmitas, animi deliquium, fatigatio et in corde cruciatus.

Sanabilem autem ex ictero aegrotantem intuitus, inunctum butyro clarificato, deinceps expurgatum, medicus curet medicamentis, mellis butyrique liquidi plenis et cum pulvere Terminaliae chebulae commixtis. In urina Palam dimidium Jatrophae glaucae coquat et bibat identidem dimidium Kudavam. Aut comedat saccharum crudum cum Terminalia citrina commixtum, aut cum Cassia fistula etc. decoctum bibat.

Pulverem ferri, speciei Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et Embeliae ribis, aut Curcumam longam cum tribus myrobalanis composi-

tam lingat ex butyro clarificato melleque; aut det medicamenta in sacrae doctrinae (śástra) institutionibus indicata. Auferat medicus saepe humores corruptos quamvis exiguos; crescit enim (icterus). Corruptis humoribus nimis evacuatis, Phyllanthi emblicae fructuum succum et ex saccharo paratum potum bibat cum melle commixtum aegrotus salubria edens.

In utroque Solano (Solano melongena et Solano jacquini) Indigoferam tinctoriam, Bignoniam indicam, pomum granatum, Solanum indicum, Ándárivimbím et Naucleae cadambae florem decoquat, et tum butyrum clarificatum decoquat in hoc adstringente decocto. Id icterum depellit, commixtum cum lacte, sicut Mágad'hicos ignis.

Salubris est infusio Glycyrrhizae glabrae; aut hujusce pulverem ex melle lingat.

Cum vaccina urina commixtum trium myrobalanorum foliorum et ferri pulverem per longum tempus det; coralliorum, margaritarum et collyriorum pulverem lingat, pariterque ex auro et rubrica confectum. Aut caprini stercoris Kuḋavam unum, sal facticium, Curcumam longam et sal fossile optimum, scilicet singulorum Palam unum recipiat; totum hunc pulverem aegrotus, salubria edens, ex melle lingat.

Ferri rubiginis, Plumbaginis zeylanicae, Embeliae ribis, Terminaliae chebulae et speciei Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis partes singulas recipiat; totum hoc pariter combustum et in urina destillatum fit cum melle linctus, qui icterum morbum horribilem mox depellit.

Terminaliae belericae, sedimenti ferri et zingiberis aridi pulvis, et Sesami orientalis globulus praecipuus est.

Lactis ebutyrati fluidum vehiculum cum pulmento pisino commixtum aufert etiam horridos icteros morbos.

Aut natri, Asae foetidae, Gentianae cheraytae Pisique sativi quantitates ex dulci aqua lingat, aut Sanseviera zeylanicam, Curcumam longam Phyllanthumque emblicam, per sex dies in vaccina urina digestam. Aut Aksham unum radicis Pavoniae odoratae Plumbaginisque zeylanicae ictero morbo vexatus, salubria edens, bibat ex dulci aqua. Sali maritimo similis fructus Morungae guilandinae cum lacteo cibo adhibendus est. Infusionem frigidam classis Fici indicae (Tom. I. pag. 94.) cum saccharo candido melleque commixtam bibat, salubria edens.

Classem (medicaminum) a Shorea robusta incipientem (Tom. I. pag. 91.), scilicet resinam pulveratam, aut Phyllanthi emblicae fructum ex melle lingat.

Embeliam ribem, Cyperum rotundum, tres myrobalanos, Carum carvi, Xylocarpum granatum et speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis comburat et pulveret; tum saccharum officinarum crudumque, et butyrum clarificatum melque probatum recipiat. Hanc quantitatem decoquat et ingerat in resinae aquam resinosae classis (medicaminum). Effectum linc-

tum sapiens cum cognoverit, asservet eum in capsula ex Mokshaka confecta. Depellit hic linctus sane icterum simul cum intumescentia, et horrificam bilis obstructionem.

Cum saccharo officinarum commixtus Convolvulus turpethum album Cucumisque madraspatanus, et cum saccharo crudo commixtum zingiberi aridum salubria sunt aegrotis ex obstructione bilis laborantibus.

In Curcuma zanthorrhiza etiam butyrum clarificatum decoctum salubre est; hoc etiam salubre est cum Indigofera tinctoria commixtum.

Metallum, antimonium, laccam, aut bitumen, cum urina commixtum, bibat in ictero, qui urceus vocatur. Aut etiam cum urina digestam et cum sale fossili commixtam bibat rubiginem ferri per mensem unum. Cum combusserit Terminaliae belericae lignis rubiginem aut ferrum, vaccinâ urina conspersum, per octo dies, et pulveraverit, tum hoc linctum ex melle mox icterum morbum, urceum sic dictum, depellere potest.

Aut sal fossile igni simile faciat et humectet in urina semel combustum; tum rubiginem ferri pluries comburat et inspergat urinae pluries; in unum redactum et cum vaccina urina contritum hoc simpliciter conspergat et tum coquat in sartagine. Ne aduratur hoc exsiccatum; in pulverem redactum hoc bibendum est ex lacte ebutyrato, cum pari portione aquae commixto.

Lac ebutyratum et oryzam coctam comedens morbum icterum depellere potest; pariterque accendit ignem (digestionem).

Cum uvarum Vitis viniferae, Menispermi cordifolii et Phyllanthi emblicae succis paratum butyrum clarificatum in ictero exsiccato salubre est.

Saccharatos liquores spirituosos, mellita sacchara, cum urina paratos spiritus destillatos, pariterque cum lixivio parata grata carnis jura, cum Phyllantho emblica composita, aut etiam cum Zizypho jujuba commixta, et illa in intumescentiis indicata medicamina, et Oryzam sativam Hordeumque hexastichon aegrotus ex ictero laborans semper adhibeat.

Suspirium, diarrhoeam, cibi fastidium, catarrhum, animi deliquium, sitim, vomitum, dolores, febres, intumescentias, aestum, coctiones, vocis interruptiones et lassitudinem devincere potest medicus, convenienter respiciendo sacram doctrinam (śástra).

In extremitatibus tumidum, in medio corpore autem diminutum, aut in extremitatibus marcidum, in medio corpore autem tumidum, porro in ano, pene et testiculis tumidum, lugentem, et sui impoti similem ictericum medicus gloriae appetens deserat, pariterque diarrhoeâ febreque vexatum.“

Caput XLV.

Nunc vero diarrhoeae biliosae remediationem exposituri sumus.

„Hominis, furorem, moerorem, timorem, laborem, perversum cibum, solis ardorem et ignem semper adeuntis, pungentibusque, acidis, salinis, lixiviis, acribus et calidis valde calefacti chylus corruptus bilem irritare potest. Combusta ex suis qualitatibus bilis comburit sanguinem. Exinde procedit sanguis sursum, aut deorsum, aut etiam utroqueversum. De cruditatis sede abire potest sursum; deorsum de coctionis sede abire potest; combustis duobus, in duas partes procedit.

Quidam ex hepate et liene indicant sanguinis iter.

Sursum abiens sanguis curabilis, deorsum dubius, incurabilis autem utroqueversum.

Tabes, frigoris desiderium, in gutture fumi via, vomitus, ferri odor et suspirium oritur, illo statu futuro. Ex sanguinis excreti signis numerum et surrectionem humorum corruptorum in homine cognoscunt medici.

Ubi infirmitas, suspirium, catarrhus, febris, vomitus, delirium, pallor, aestus, animi deliquium, in comeso cibo semper aestus et stipatio, cordis dolori similis vexatio, sitis, gutturis fissura, in capite calor, foetoris exspuitio, cibi fastidium, cruditas, obstructio, in coitu sanguinis bilisque emissiones apparent, — si porro carnis colluviei similis et quasi coctus, aut carnis aquae similis sanguis (excretus), adipi, puri et lacrymis similis, hepati aut coctis Eugeniae jambu fructibus similis, violaceus, niger et valde ultra modum foetidus est, — ubi haec dicta morbosa symptomata locum habent, ibi deserenda est haemorrhagia biliosa, et quae Surapatis (Indrae) arcui (iridi) similis splendet. Non in principio cohibendus est hominis robusti profluus sanguis, quia is icterum, dysenteriam, lepram, lienis affectionem, indurationem glandularum internarum et febrem tollit.

Deorsum progressum sanguinem vomitoriis, sursum meantem purgatoriis, alterum emaciati hominis sedativis devincat medicus.

Homini valde exortis humoribus corruptis afflicto, primum sanguinosa bile vexato et non exili vi, carne caloreque praedito adhibendum est jejunium. Jejuno deinde oryzae alicam cum perpauca farina compositam, det, nutrientem decoctionem, linctus et varia butyra. Cum uvis Vitis viniferae, liquiritia, Gmelina arborea et Indigofera tinctoria commixtum purgatorium, et cum liquiritia melleque compositum vomitorium salubre est. Lac frigidum, juscula carnis, jura pisina, Oryza sativa, Oryza praecox, Trichosanthae dioecae, Cordiae myxae, Marsiliae quadrifoliae, Jasmini auriculati, Fici indicae Dalbergiaeque ougeiniensis germina et a Vitice negundine ortae proles, cum butyro clarificato praeparata semper salubria sunt, pariterque cum

Phyllanthi emblicae fructibus et malo granato commixta. Jura columbina, conchea et testudinea, pariterque fermentata, cum butyro clarificato optima dicta, et cremores in lacte cum Nymphaeae caeruleae classe (Tom. I. pag. 94) parato comprobati sunt, cum melle saccharoque optimi. Refrigeratoria unguenta, et cum melle saccharoque commixta butyra clarificata, idonea sunt hominibus ex haemorrhagia biliosa laborantibus.

Ex Bassiae latifoliae, Hyperantherae morungae, Bauhiniae variegatae et Panici italici floribus contritis det medicus quatuor linctus cum melle compositos pro salutari sanguinis sedatione. Lingat ex Agroste lineari, Ficu indica et alba Premna spinosa enatas suboles cum duplice mellis portione commixtas. Saluber etiam est Phoenicis sylvestris fructus cum melle compositus et fructus alii ejusdem qualitatis.

In sanguinis profluvio indicata medicamina hic quoque adhibeat: Album saccharum munjam et Nymphaeam caeruleam conterat, in novo vase cum frigida aqua digerat et noctu in aëre deponat; mane hoc auditum (indicatum) cum melle commixtum bibat aegrotus haemorrhagiâ biliosa affectus. — Aut bibat frigidam infusionem ex Eugenia jambu, Mangifera indica et Terminalia alata paratam. — Aut etiam Fici caricae fructum conterat et ejus succum bibat. — Aut Cucumeris sativi radicis sedimentum cum melle commixtum ex oryzae aqua bibat, scilicet A k s h a m unum, aut etiam hoc sedimentum cum liquiritia commixtum. — Sirii myrtifolii, Glycyrrhizae glabrae et Symploci racemosae pares portiones eodem modo bibat, aut Galedupae arboreae semen pari modo bibat cum saccharo melleque commixtum. — Sic medullam Terminaliae catappae bibat cum liquiritia compositam. — Aut etiam suaviter calefactum sal fossile et semen Galedupae arboreae ex sero lactis bibat per triduum homo haemorrhagia biliosa vexatus. — Haemorrhagiam biliosam depellentia haec sex medicamenta praestantissima sunt laudata. —

Idonea etiam sunt in t o r m i n i b u s odorifera, profluente sanguine. Aegrotus nimio sanguinis profluvio affectus bibat sanguinem cum melle commixtum, aut hepar comedat caprinum, crudum, bile instructum.

In Buteae frondosae arboris sedimento oleoso decoctum butyrum clarificatum bibat cum melle commixtum beneque refrigeratum; aut cum arborum sedimentis oleosis paratum et cum saccharo commixtum butyrum lactis bibat. Uvam Vitis viniferae, Andropogonem muricatum, Nelumbium speciosum, saccharum candidum, scilicet singulorum P a l a m unum, in aqua inspergat; deposita per noctem haec emulsio, aquae similis, et tum potata, horribilem morbum hominis salubria comedentis devincere potest. Equinum liquorem stercoreum cum melle compositum bibat, aut bovinum cum saccharo candido melleque commixtum. Lingat sic pulverem seminum Justiciae adhenatodae cum melle compositum; aut oryzae farinam dictae compositionis; lingatque frumenti humectati et collyrii pulverem singularem; pariterque cum saccharo

candido melleque commixtam mannam bambusam, uvam Vitis viniferae, saccharum candidum, Mimosam catechu et Asclepiadem acidam cum liquiritia commixtam ex frigida aqua, idoneam innoxiamque Indigoferam tinctoriam butyrumque clarificatum lingat aegrotus haemorrhagia biliosa affectus.

Justiciae ganderussae infusionem, Nymphaeam caeruleam, terram fragrantem, Panicum italicum, oculare collyrium, aquam et Nelumbii speciosi filamenta cum saccharo candido commixta combibendo aegrotus haemorrhagia biliosa affectus celeriter depellere potest impetum vehementem.

Mimosae catechu, Eugeniae jambu, Terminaliae alatae glabrae, Bauhiniae variegatae, Mimosae sirishae, Symploci racemosae, Terminaliae alatae tomentosae, Bombacis heptaphylli et Morungae guilandinae flores medicus conterat fiatque linctus melle compositus in haemorrhagia biliosa morbo.

Nymphaeae caeruleae cineris aqua cum melle commixta, Galedupae arboreae semen cum melle et butyro clarificato, et aqua cum Eugenia jambu, Terminalia alata glabra et Mangifera indica decocta — tria haec medicamina — depellunt bilem sanguinemque. Contritas radices et flores Citri medicae bibat ex oryzae aqua.

Sanguine ex naribus profluente, aqua cum saccharo commixta celeriter applicanda est naso, aut lac. Aut succum uvae Vitis viniferae, et butyrum lactis bibat, aut sacchari officinarum succum frigidum. Refrigeratoriam curationem dulcemque adhibeat praecipue in haemorrhagia biliosa morbo.

Ex lacte commixto cum uvis Vitis viniferae, butyro clarificato cum Hedysaro gangetico etc. roborans praecipuum dictum salubre est. butyrumque clarificatum ad fumigandum.

Ex Panico italico, Symploco racemosa, collyrio ammomi, rubrica, Nymphaea caerulea, Cassia fistula, Curcuma zanthorrhiza, conchis, Sirio myrtifolio, saccharo candido, Physalide flexuosa, Ambuda, liquiritia, Andropogone muricato, Nymphaea loto similibusque contritis, lacte butyroque cum melle commixto conficiat cibum, cum frigida aqua irrigatum et lacte oryzaque refertum. Deinde fumiget butyro parato cum liquiritia et melle. Deorsum ferentem sanguinem celeriter deleat diarrhoeamque sanguinis difficilem. In purgationis adhibitione varia laudatur vomitus, sanguine devicto, homineque viribus praedito. Sic varii abdominales clysteres sunt applicandi, sanguine in urinali sede collocato.

Sanguinis profluviis ab ano ortis, medicus adhibeat curationem in haemorrhagia biliosa indicatam.

Eadem curatio in sanguinis eruptione feminarum adhibenda est dignoscenti medico.

In chirurgica operatione sanguis ultra modum si profluit, cum trium humorum corruptorum sanguinisque signa omnino medicus consideraverit, adhibenda est proxima curatio."

Caput XLVI.

Nunc vero lipothymiae remediationem exposituri sumus.

„Quando in sensuum sedes externas internasque hominis emaciati, humoribus corruptis pleni, perverso cibo onusti et post vulnerationem laesionemve bona indole (satva) orbati, ingrediuntur humores corrupti horrifici, tum animi deliquium patitur homo. Cordis dolor, oscitatio, languor et mentis roborisque privatio oritur.

Omnium hominum priores formas proprie medicus animadvertat.

In tubulatis vasis, cognitionem afferentibus relatis, per aërem etc. caligo (tamas) advenit subito, jucundi injucundique insensibilitatem efficiens. Post jucundi injucundique insensibilitatem homo collabitur, ligni instar.

Animi deliquium, lipothymiam, appellant hunc morbum. Sextuplex ea est demonstrata: ab aëre etc. (bile et phlegmate), sanguine, vino et veneno orta. In his sex bilis praevalet, terrae, aquae et caliginis (tamas) indole praedita. Sanguinis odor eandem habet indolem. Idcirco sanguinis odore deliquium animi patiuntur in terra homines, quia homo intuitus unam elementiciarum substantiarum naturam sic dictam, obstupescit. Qualitates vehementes sitae sunt in veneno et vino; idcirco oriuntur ab his duobus illae perturbationes, ut dictae sunt.

Homo rigido corpore et visu affectus est per sanguinem, obtecta respiratione vexatus et animi deliquium passus est.

Per vinum querens jacet, deleta circumvagaque mente affectus est, membra ad terram projiciens, quin id ad senectutem pertineat.

Tremor, somnolentia, sitis et rigor oritur, aegroto venenato animi deliquium patiente. Cognoscendus vehementior morbus est proprie ex veneni signis.

Humectatio, lavatio, margaritae, fructus Mangiferae indicae, frigida unguenta, flabellorum venti et potiones odoriferae in omnibus lipothymiis non contraindicata sunt.

Sacchari candidi, Buchananiae latifoliae et sacchari crudi infusiones, cum uvarum Vitis viniferae et Bassiae latifoliae sedimento commixtae et cum Echites sylvestris et Gmelinae arboreae succis decoctae pro potione, butyra liquida recentia, lac in classe dulci paratum, jura carnis cum pomo granato, Hordeum hexastichon, Oryza rubra et pisa in lipothymiis semper idonea sunt.

B'hujangae florem, Piper nigrum, Andropogonem muricatum, Zizyphi jujubae medullam, singulorum partes aequales, bibat ex pisina aqua. Fibram

Nymphaeae odoratae Andropogonemque muricatum cum melle, et Piper longum cum saccharo candido idoneum praeparet.

Aut nasum osque constringens lac maternum bibat.

Lipothymiam continuam autem capitis purgationibus devincat identidem vomitibusque acribus.

Aut cum Terminalia chebula decoctum butyrum bibat, aut cum sedimentis fructuum Phyllanthi emblicae paratum.

Ex uvis Vitis viniferae, saccharo candido, malo granato et Andropogone muricato confectas, frigidas, et ex Nymphaea caerulea Nelumbioque specioso confectas bibat infusiones, suaveolentes, quae biliosam febrem ad sedationem adducant.

Humoribus corruptis praeditus, perturbatus, post nimiam evacuationem animi deliquio vexatus, et qui homo omnino non expergiscitur menteque privatus est, is tum perdifficilis curatu cognoscendus est sapienti medico.

Ut crudam glebam in aqua humefactam celeriter extrahere debet non solutam, sic curare debet subito lipothymiâ implicatum, sensibus carentem, sub mortis potestatem redactum.

Acribus collyriis, oleamentis, suffimentis, medicamentis, in unguium intervalla spiculorum injectionibus, instrumentis musicis, cantibus, adorationibus (Deorum), moralibus meritis, fricationibus, servatorum myrobalanorum contritionibus, aquis curationibusque animum non recipiens, et urinae suppressione, salivatione et suspirio affectus, deserendus est.

Mentis compotem, vomitibus, medicamentis aptis acribusque purgatum et levibus idoneisque alimentis cibatum medicus per unum mensem tribus myrobalanis, Plumbagine zeylanica, zingiberi arido etc., laccâ in montibus orta et medicamentis cum saccharo commixtis tum curet. Praecipue autem aegrotus butyrum liquidum vetus bibat.

Convenienter antifebriles infusiones adhibeat hominibus quavis lipothymia affectis; ex veneno autem lipothymiâ affectis antidota.“

Caput XLVII.

Nunc vero crapulae morbi remediationem exposituri sumus.

„Vinum calidum, acre, subtile, pellucidum, asperum, celeriter agens, aphrodisiacum et expansivum est. Ob calorem id frigora sanat; ob acritudinem tollit mentis cursum; intrat membra ob subtilitatem; ob pelluciditatem phlegma semenque virile pellit; aërem irritare valet ob asperitatem; ob

celeritatem scelerem actionem efficit; gaudia dat ob vim aphrodisiacam; ob expansivam vim dimanat.

Vinum est acidum quoad gustum, leve, stomachicum illuminansque dictum. Quidam salsitudine privandos esse gustus ibi demontrant.

Cum gratis cibis carnibusque esculentis vinum inservire valet senectutis ereptioni, roborationi et accumulationi.

Amatio, animi gaudium, firmitas, splendor, et nimia fortitudo sunt proximae in vino varie adhibito qualitates. —

Vinum autem sine cibo a stulto immoderate adhibitum, congrediendo cum corporis igne, igni similem efficit ebrietatem.

Ob ebrietatem, alienatione sensuum instrumentorum effecta exsistenteque, homo absconditam adeo exsistentiam, se ipsum illuminans, facit invitus.

Triplex status ebrietatis est: prior, medius et posterior.

In priore statu roboris, voluptatis, laetitiae, gaudii, loquacitatis etc. augmentum oritur.

In medio statu lamentum, gaudium, aptae ineptaeque actiones oriuntur.

In posteriore statu homo amens jacet, negotiis, actionibus qualitatibusque bonis orbatus.

Phlegmaticos, parum biliosos, unguinosos, modice bibentes, potatio non vexat; ultra modum perversos autem vexat. Incultum omnino vinum adhibitum ab homine semper adfert gravissimos morbos, adducitque etiam corporis dissolutionem. Vinum ab irato, territo, siticuloso, moeroribus afflicto, esuriente, vexato lassitudine, oneribus itineribusque, perculso impetibus obstructionibusque, ex nimis acidis cibis extensum abdomen habente, indigestibilibus uso, infirmo et caloribus perusto adhibitum, efficit varios morbos.

Signum illorum, crapulâ, nimia ebrietate, potationis indigestione et potationis vertigine praeditum horrificumque indicabo:

Stupore, membrorum pruritu, cordis comprehensione, cruciatu et tremore affecti sunt homines in crapula cum aëre complicata, capitisque dolor oritur.

Sudore, lamento, oris siccitate, aestu et animi deliquio affecti sunt in crapula cum bile complicata, et oris oculorumque color flavus oritur.

In crapula cum phlegmate complicata vomitione, frigore, phlegmate destillationeque affecti sunt.

In crapula cum omnibus humoribus simul corruptis complicata oritur omnium morborum concursus.

Aestum, corporis gravitatem, exsuccum oris statum, phlegmatis nimietatem, cibi fastidium et faecum urinaeque proventum, — haec signa nimiae ebrietatis indicant periti.

Sitim, dolorem in capite et articulis, diruptionem, inflationem, crepitum

ventris, acidum succum et aestum, — haec signa indigestionis a potatione ortae indicant.

Cognoscendae sunt hic medico bene explicatae a bilis irritatione ortae causae. Cordis membrorumque dolor, vomitus, febris, gutturis fumus, animi deliquium, phlegmatis profluvium, capitis morbus, aestus et fastidium in his illisve liquore vinoso ciboque aegrotantibus oritur. Hanc vertiginem a potatione omnino ortam esse volunt sapientes.

Superiore labio orbatum, perfrigidum, ultra modum calidum et olei instar splendidum hunc nimia potatione afflictum medicus agnoscat.

Lingua, labia dentesque nigri aut etiam violacei, oculi flavi et sanguinis instar splendidi, singultus, febris, vomitio, tremor, laterum dolor, catarrhus et vertigo aegrotum potatione afflictum indicant.

Horum symptomatum propulsationem, quae a me indicatur, clareque omnino daemonstratum praeceptum cognosce!

Vinum, cum Oxalidis monadelphae, Piperis nigri, Amomi zingiberis, Ligustici ajwaën, Costi arabici et natri sedimento commixtum, aëri sedando utile est.

Cum Alpinia cardamomo, Ligustico ajwaën, Allio sativo, Asa foetida et natro commixtum vinum medicus concedat gaudio.

Cum Spondia mangifera, Mangifera indica, tribus myrobalanis, malo granato et Citro medica praeparet pulchras ad cantum potiones. Aut adhibeat cum trium myrobalanorum succis confectos succos etc., carnesque ex bubali classe (Tom. I. pag. 138) suaveolentes.

In biliosa crapula vinum, cum infusionibus ex dulcium classe (Tom. I. pag. 105.) commixtum, mellitum saccharatumque et exoptato odore praeditum salubre est. Cum potaverit vinum cum sacchareo succo commixtum, omninoque per quintam decimam horae partem (Kshańam) depositum, lingat Perdicis chinensis, Antilopae nigrae et Tetraonis cinereae juscula, et bibat jucunde insulsa (non acida) Phaseoli mungonis Pisique sativi jura, butyro clarificato saccharoque candido condita.

In crapula cum phlegmate complicata spumam lingat ex vino cum Momordicae monadelphae et Calami fasciculati aqua commixto. Adhibeat amaros pungentesque succos eximios, juraque pisina cum amaris pungentibusque parata pro salute. Idoneus est hordeaceus cibus, et praeparatae carnes, et quidquid aliud phlegma tollens innocuumque est.

Adhibeat medicus omne praeceptum crapulae, cum omnibus humoribus simul corruptis complicatae; crapulae autem cum copulatis binis humoribus corruptis complicatae adhibeat curationem, duplicem naturam intuitus.

Breviter aliud, quod valde praecipuum summumque est, et quod mentis ebrietatem gaudiumque efficit, dicam.

Ex Lauro cassia, Michelia champaca, Pipere longo, Elettaria carda-

momo, Bassia latifolia, Oryza sativa, seminibus Cumini cymini et Pipere nigro, singulorum paribus partibus comminutis, parata potio, a Cratoevae valangae succo, aquâ et Xylocarpo granato dives, in crapulis ex praescripto destillata est in vestis fine.

Floribus, cum Andropogone shoenantho, Nelumbio specioso et Cypero rotundo commixtis, in Nerii odori aqua digestis, contritis, cum Padmaka et Echite frutescente etc. compositis, illinat (aegrotum), et conspersionem ex aquis claris perfrigidisque permittat.

Ex cortice Laurae cassiae, Pipere nigro, Elettaria cardamomo, B'hujangapushpa, floribus Cordiae myxae, Terminalia belerica et saccharo officinarum confecta, cum uvis Vitis viniferae composita, sedimenti expers, pura suaveolensque potio adhibenda est hominibus, vinositatis morbo vexatis.

Cum contriverit bibat Glycyrrhizam glabram, Wrighteam antidysentericam, uvam Vitis viniferae et radicem Ari campanulati saepius, et Cucumeris sativi essentiam.

Cum potaverit Gossypii arborei radicem et aequalem Hedysari lagopodioidis partem seminaque Lini utilatissimi, hilaris sane fit.

Ex Gmelina arborea, Pinu Dévadáru, sale facticio (Vitálavańa), malo granato et Pipere longo, commixto cum uva Vitis viniferae, confecta in aqua potio, Citri medicae succo condita et celeriter potata, sedationem eximiam in vinolentiae morbis brevi tempore affert.

Etiam ex uvis Vitis viniferae, saccharo candido, Glycyrrhiza glabra, seminibus Cumini cymini, Oryza sativa et Pipere longo confectam potionem cum Convolvulo turpetho albo bibat, et tum natro conditam praecipuam frugum aciditatem.

Ex aqua cum Siphonantho indica decocta paratur salubris adspersio.

Ikshákum, Achyranthen asperam, Wrighteam antidysentericam, Ardisiam solanaceam et Ficum caricam in lacte cum decoxerit, hujus decoctionis quantitate, manum cavam implente, vomat, vinum tum bibat die praeterito in indigestione.

Cum Lauro cassia, Pipere longo, B'hujagapushpa et sale facticio paratam et cum Asa foetida, Pipere nigro et Elettaria cardamomo commixtam frugum aciditatem adhibeat.

Aut cum calida aqua et sale fossili commixtum sal facticium, Laurus cassia, Piper chavya, Elettaria cardamomum, Asa foetida, Piper longum, tres myrobalani et zingiber aridum ex gratis vasis ibi alimentum probatum est.

Ex uvis Vitis viniferae, Cratoeva valanga, tribus myrobalanis et malo granato quae potio confecta est, ea vertiginem aufert, aut etiam potio ex Spondiae mangiferae Zizyphique jujubae succo confecta, mellis saccharique dives. Aut ex Elate sylvestri, Calamo rotang, Cappari aphylla, Xylocarpo

granato, uvis Vitis viniferae et Convolvulo turpetho albo confectam potionem pellucidam, salubrem, cum Gmelina arborea commixtam, bibat.

Has potiones, cum Oryza praecoce, Nymphaea caerulea et frigida aqua commixtas, et ex Mimusopis Kauki surculis, Nymphaeae odoratae fibris, seminibus Cumini cymini, Micheliae champacae foliis, Élavâlu, Śita, Periploca indica, Nelumbio specioso, Spondia mangifera, Averrhoea carambola, Carissa caronda, Cratoeva valanga, Zizypho jujuba, fructibus Tamarindi, Calamo rotang, tribus myrobalanis et malo granato confectas adhibeat; et succos cum Pipere nigro, seminibus Cumini cymini, Michelia champaca, Lauro cassia, zingiberi arido, Pipere chavya et Elettaria cardamomo compositos et Strychni potatorum, ambrae, Śrntae et Santali albi suaveolentia odoramenta.

A potatione ortos depellit medicus septem morbos totos.

Ad quinque sensuum objecta (colorem, formam, gustum, odorem et vocem) pertinentes mitium potionum mixtiones gratae jucundaeque semper animo adhibendae sunt.

In crapulis uxores amplo largoque podice praeditae, crassas elatasque mammas gerentes, in medii corporis regione incurvatae, lascivae, crasso recentis juventutis corpore instructae et eximiam quinque sensuum objectorum indolem possidentes usurpandae sunt.

Bibat succum ex Cucurbita pepone confectum, cum saccharo candido, Glycyrrhiza glabra et tribus odoramentis commixtum.

Cum contriverit commiscueritque cum Rottleriae tinctoriae floribus et paribus portionibus Cumini cymini, Piperis longi et Piperis nigri, Varsháb'hum, Siphonantum indicam, Bassiam latifoliam, laccam, Laurum cassiam, Bauhiniae variegatae surculum, semina Cumini cymini, uvam Vitis viniferae, Piper longum et Mesuam ferream, et id in lacte cum agitaverit, bibat hoc suaviter calefactum.

Quo autem vino, voluptarie potato, cum liquoribus spirituosis mellibusque floreis etc. commixto, homo prostratus est, id quoque illi ex praescripto det; sin aliter, ille collapsum nanciscitur; sicut in aliquem, a rege punitum, postea benevolentia reconciliari potest, nec vero aliter.

Vini expers qui subito nimium adhibet vinum, in illo morbi a crapula profecti indicati oriuntur.

Vini igneae aëreaeque qualitates organa aquam ferentia exsiccare possunt, quo sitis oritur. Ibi aquam, cum Bignonia suaveolente, Nymphaea caerulea, Aro campanulato Phaseoloque trilobo paratam et cum Pipere longo commixtam, gelidam frigidamque bibat.

Cum butyro liquido, oleo Sesami orientalis, adipe, medulla, lacte coagulato Laniique caerulescentis jure commixta, et cum decoctione Aegles mar-

meli, Hordei hexastichi omnibusque odoramentis contritis concocta aqua pro inunctione optima est; pro adspersione decoctio perfrigida.

Fluidos cibos proprie conficiat et potiones perfrigidas, gratas suaveolentesque.

Cutem autem nactus potationis calor, ex bile sanguineque deliquium animi procreans, aestum efficit horrificum. Ut circa bilem, ibi medicamentum (adhibeatur).

Refrigeratoriam methodum dehinc indicabo, caloris sedamen efficientem.

Ibi ab initio adultis viris unguentum ex Santalo albo est salubre. Jacentem virum radiorum lunae, sertorum e margaritis, pruinae et aquae frigoribus, et sertis margaritarum frigidâ aqua frigidioribus, feminam autem circumjectibus fibrarum e loto amplectantur medici.

In lecto ex aperti lilii splendida nive dormiat, aut in foliis aquâ guttatis Nelumbiorum speciosorum, ingrediens aërem, adductum ex suaveolentis Nymphaeae loti Nelumbiique speciosi foliorum et Valisneriae octandrae cumulis.

Frigidis in sylvae fine aëribus exceptus, laetus incedat in campis, lucis et lacubus. Aestu superatum autem circumspergat frigidis Andropogonis muricato, Andropogonis shoenanthi et Sirii myrtifolii aquis.

Celebratum, luto liberatum, recenti aqua impletum, Nelumbio specioso, Nymphaea caerulea et splendida aqua praeditum, odoramentis suffitum lacum colat vir Aristolochiá indica Sirioque myrtifolio ornatus in corpore, et amatae feminae manuum contactu asperis poris praeditus. Eum ibi feminae folio ex aqua enato similibus frigidis manibus, femoribus, vultu et solidis mammis demulcentes, lavationum guarae et dulci indole praeditae exhilarent dulcibus querelis. In stillaticia domo, decidentibus aquis praedita et nubils diei simili defatigatus dormiat, in abdomine, aquis aëribusque refrigerato, cubans; et in terra, odoris aquis cum floribus humectata. In domo, vallum foliis, aquis Siriique myrtifolii succis obductum habente, et ex Valeriana jatamansi, Xanthocymo pictorio, Cypero rotundo, Croco sativo, Nelumbio specioso, Lauro cassia, Myristica moschata, Nymphaea caerulea, Nauclea cadamba, Mesua ferrea, Nymphaea alba, Rottleria tinctoria, Cypero pertenui, Nerio odoro, Nymphaea nelumbone, Rénu et Rubia manjista confecto ornamento instructa dormiat, ubi de arboribus crebro vento tremefactis, de frigida Vind'hya, Himavante et Malaya montibus, de gelidis aquis, de Kadali viridibusque arboribus, de efflorescente violaceo Nelumbio specioso multisque generibus ex aqua exortis, et de lunae ortu narrationes audiat jucundas.

Ad defatigatum pertristique animo vexatum virum feminae perbenevolo

animo praeditae, adipalibus mammis, femoribus et coxis instructae, Cyperi rotundi succo inunctae et humidis vestibus indutae accedant; amplectandoque languidum feminae, singularibus margaritarum lineis ornatae, exhilarent: rursus suis venustatibus die adstantes feminae hac frigore prohibeant virum biliosâ crapula afflictum.

In haemorrhagia biliosa, siti et aestu etiam hoc praeceptum commemoratum est.

Breviter differentiam in caloribus omnino audi!

Universum corpus penetrans sanguis evidenter valde urit. Exhauritur uriturque homo; cupri instar splendet; cuprinis oculis praeditus est; sanguinis odorem corpus usque habet; igne quasi prosternitur. Huic cibis impleto inediam imponens ex praescripto medicus medeatur. Non sedatur sanguis in calore hominis, juribus carnis satiati. Vasa rubra, ramis adpropinquantibus instructa, convenienter medicus secet; similis autem curatio, ut in biliosa febre, propter bilem, etiam huic salubris est. Post sitis cohibitionem, aquae elemento perdito, bilis orta est. Haec externum internumque corpus hominis, torpida mente praediti, urere potest. Sicco gutture, palato et labiis affectus, linguam vexando, tremit homo. Ibi domet bilem, aquae autem elementum augeat. Bibat libenter aquam, saccharo divitem, cibum hordeaceum concedat medicus, datumque praeceptum observet. Sanguine impleta exta habentis hominis calor alius oriri potest, perdifficilis perpessu. Praeceptum de vulnere (et ulcere) datum et hujus signum (locum habet).

Si ex corporis elementorum (D'hatu) interitu calor ortus est, ex eo homo, animi deliquio sitique afflictus, exili voce praeditus et actionibus privatus, tabescit, valde vexatus. Praeceptum de haemorrhagia biliosa datum, gratum, aëremque auferens, illi est salubre; aliud autem sanguinem comedenti, aut multimodis dolenti. Illa de causa homo intrinsecus-uritur ultra modum, siti animique deliquio et delirio afflictus est. Hunc optimis sensuum objectis praeditum, amicis circumdatum et lacte carnisque juribus fruentem ex praescripto indicato curet.

A membrorum vitalium vexatione ortus calor incurabilis septimus est commemoratus.

Omnes autem sedandi sunt corporis frigore laborantes homines.

Ita sit praeceptum, si quis vinolentiae morbo afflictus est.

Sedatis phaenomenis, purgationem aptam efficiat.

Cum seminibus Cumini cymini, Amomo zingiberi, Zingiberi officinali et natro parata, dimidiis aquae partibus temperata, grata suaveolentiaque vina potata statim sedant sitim. Aquâ ablutus, membris Sirio myrtifolio ornatis instructus et sertis redimitus homo bibat venerata ex carne parata jura; sic non morbis corripitur, et animum mentemque interficiens delirium non nanciscitur."

Caput XLVIII.

Nunc vero caput de sitis remediatione exposituri sumus.

„Semper qui bibit aquam, satietatem non adit, sed rursus desiderat aquam, illum siti afflictum medicus demonstret.

Post agitationem, moerorem, lassitudinem, vinolentiam, asperarum, acidarum, siccarum, calidarum et pungentium substantiarum usum, corporis elementorum occasum, jejunium et solis ardorem bilis aërque valde aucta congressaque corrumpunt animantium organa, aquam ferentia. Organis aquam ferentibus corruptis, sitis deinceps oritur vehemens.

Tria sitis genera haec commemorata sunt; a vulnere ortum est quartum sitis genus; a tabe aliud; aliud a morbo; septimum a cibi causa natum est.

Signa illorum (sitis generum) remediaque percipe!

Palati, labiorum, gulae et oris siccitas aestusque, calor, mentis error, vertigo, lamentatio, prima symptomata oriuntur, praesertim temporibus originis illorum sitis generum.

Siccus oris status in siti aëre effecta oritur, dolor in temporibus, capite guttureque, et organorum vitalium praeclusio; ariditas oris frigidis aquis augmen sumit.

Animi deliquium, lamentatio, cibi fastidium, oris siccitas, flavidus oculorum color, expansus aestus, frigoris desiderium et amarus oris sapor in biliosa siti oritur, evaporatioque.

Post vaporis obstructionem autem in igne, per phlegma operto, sitis ibi per phlegma oriri potest, somnolentiaque, gravitas et oris sapor dulcis. Siti afflictus exiccatur ultra modum. Frigore, febre, vomitu et cibi fastidio afflictus est aegrotus in siti a phlegmate orta; in cute etiam aestus est. In qua siti haec symptomata oriuntur, ibi eâ afflictus non valde desiderat aquam.

Ex vulneris dolore sanguinationeque sitis quarta, a vulnere orta, commemorata est. Hominis, hac siti oppressi, aquam adeo bibentis, noctes diesque dolorem efficiunt.

Post succorum tabem si sitis a tabe originem trahit, aegrotus eâ oppressus noctu diuque potitat aquam; is vero voluptatem non percipit. Hanc sitim a corruptione omnium humorum ortam esse quidam dicunt. Circa succorum tabem indicata symptomata in hac siti medicus omnino deleat.

A morbo indicii trium humorum corruptorum orta sitis complicata est cum cordis dolore, exspuitione et lassitudine.

Oleosus, acidus et salsus cibus, grave etiam alimentum, celeriter sitim facit.

Emaciatum, dementem, surdum et procidua lingua affectum medicus celeriter deserat.

In sitis incremento et abdominis intumescentia plena hominem vomentem efficiat per Piperis longi aquam.

Unguentum ibi etiam salubre esse dicunt ex malo granato, Spondia mangifera et Citro medica confectum.

Sitis illa omnino avertenda est frigidis remediis, ex succorum vi natis.

Aquam ad eluendum, ore exsucco, conficiat ex aridis pulchrisque Phyllanthi emblicae pulveribus.

Cum auro, argento etc. in igne combustis, aut cum ferrugine, aut cum glarea gemmisque parata aqua suaviter calefacta sedare potest sitim, aut frigida aqua cum saccharo melleque commixta.

Quinque corpora medica continentes quinquepartitae classes (Tom. I. pag. 95.) expositae sunt; cum his, aut cum illarum prima classe, paratam aquam bibat suaviter calefactam homo; paululum autem siti ab aëre orta liberari potest.

Ex classe bilem delente confecta infusio, cum saccharo melleque commixta, bene refrigerata et potata sitim bile factam depellit, aut lac aquis concoctum.

Cum Aegle marmelo, Cytiso cajan, Bambusa arundinacea, quinis radicibus (Tom. I. pag. 95.) et Saccharo cylindrico paratum lac sitim a phlegmate ortam depellit. Salubre esse potest ibi etiam emeticum ex calefacta aqua florum Meliae azidaractae.

In omnibus sitis generibus antibiliosam adhibeat methodum, sine qua sedatio non exsistit.

A circumgressa Ficu glomerata ortus succus cum saccharo commixtus aut aqua cum illo decocta, aut aqua frigida classis decoctae ab Echite frutescente incipientis (Tom. I. pag. 93.), bibenda est aegrotis siti affectis.

Cum Scirpo kysoor, Trapia bispinosa, Nelumbio specioso, Moringa hyperanthera et Nymphaeâ nelumbone decocta aqua sitim a vulnere ortam depellit.

Nymphaeam caeruleam, Andropogonem muricatum et Pterocarpum santalinum medicus cum dederit, spirante nocte (aegrotum) tegi jubeat. Aqua illa suaveolens, cum saccharo candido melleque commixta et uvis Vitis viniferae impleta, praestantissima est pro salute; medicus hominibus siti afflictis hanc permittat.

Ex classe incipiente ab Echite frutescente (Tom. I. pag. 93.), ex graminibus et quinis radicibus (Tom. I. pag. 95.), ex classe incipiente a Nymphaea caerulea (Tom. I. pag. 94), ex dulci classe (Tom. I. pag. 105) con-

ficiat infusionem aptam, aut ex Bassiae latifoliae floribus etc., aut ex aliis, scilicet ex Buchanania latifolia, Mimusope Kauki et Spondia mangifera. Sex hae potiones ibi salubres esse possunt.

Cum Momordica monadelpha autem bibat pulveres Gossypii herbacei.

Sitim a vulnere ortam cohibitione morbi devincat et potatione succorum sanguinisque.

Sitim a tabe ortam butyrum lactis depellere valet, aut jus carnis, aut aqua Glycyrrhizae glabrae.

Sitim a morbo ortam infusionibus aromaticorum (calefacientium), cum Aegle marmelo et Acoro calamo commixtorum, devincere valet. Bibat quoque aromaticas infusiones cum Spondia mangifera, Semicarpo anacardio et Pavonia odorata compositas.

Sitim a gravi cibo ortam emeticis devincere potest, et reliqua etiam sitis genera, praeter sitim a tabe ortam.

Sitim a lassitudine ortam jus carnis depellit, aut aqua saccharo mista, aut ptisana hordeacea.

Post cibi deductionem sitiens homo aquam oryzae fermentatae calidam bibat, et ptisanam hordeaceam frigidam.

Ubi ab oleorum potatione sitis oritur, ibi calidam aquam bibat homo.

Sitim vinosi hominis, a vino ortam, vinum cum dimidia parte aquae commixtum depellit.

Sitim a calore ortam depellit aqua frigida saccharo mista, et sacchari crudi aqua.

Ex propriis infusionibus confecta adhibeat emetica adversus haec genera sitis, et in febribus indicatas decoctiones, et inunctiones lavationesque, adspersiones, frigidas habitationes, purgationem, lac, aquam, butyra clarificata, et in omnibus sitis generibus linctus dulces et frigidos."

Caput XLIX.

Nunc vero caput de vomitionis remediatione exposituri sumus.

„Nimis fluidis, oleosis, ingratis, salsis, intempestivis, immodicis et perversis alimentis, lassitudine, tabe, trepidatione, indigestione, corruptione humorum ex vermibus, a femina eximiis qualitatibus orbata, celeri esu, fastidio aliisque de causis homo celeriter robore privatus est. Corruptus humor, os tegens impetibus, et hominem vexans membrorum fracturis, vo-

mitio dicitur. Aggressus ad os, corruptos humores auctos emittens aër cephalicus (Tom. I. pag. 169.), cum aëre diffuso (Tom. I. pag. 170.) congressus, sursum progreditur, hominibus valde perversos cibos adhibentibus. Singultus, vomitus, impeditio, destillatio, salsitudo tenuis et fastidium cibi potusque priora valde vomentium symptomata sunt.

Vomit spumam paucam paucamque homo doloribus vexatus, ex vexatis lateribus dorsoque laborans et defatigatus; strepitus multus adstrictioque in sene immodica adest, vomitione ab aëre ortâ.

Si quis pungente amaroque ore affectus acidam, multam, flavam, cum sanguine commixtam aut viridem massam evomat, haec vomitio, cum aestu, cutis ardore, febre et oris siccitate complicata, a bilis causa orta est.

Si quis horripilans dulcem, copiosam, albam, frigidam, crassâque pituita penetratam massam, dolori non deditus, sed gravitate et lassitudine affectus, evomat, vomitio haec a phlegmatis causa est orta.

In qua vomitione autem omnes hae formae fiunt, ea ab omnibus humoribus simul corruptis orta credita est.

A fastidio, a cupiditatibus et cruditatibus, aut a propria natura, aut a vermibus orta est vomitio. Has quincuplices vomitiones comprobet medicus, et a corrupti humoris adscensu ortam, ut dictum est in principio.

A cruditatis sedis vexatione omnes ortae sunt vomitiones; idcirco in his salubris est abstinentia.

Dolore singultuque accumulata praesertim est vomitio a vermibus orta; haec signo, helminthiasis cordisque morborum instar, conspicua est.

Emaciati symptomatibus praeditam, cum sanguine pureque complicatam et lunae splendori similem vomitionem sempiternam peritus medicus ne curare ordiatur.

In vomitibus copiosos corruptos humores habentibus emeticum salubre esse dicitur. Aut alvi purgationem adhibeat medicus pro humorum corruptorum exortu, compositionesque ex ordine medicamento congruas.

Leves, siccos et proprios quaerat cibos; convenienter infusiones antifebriles adhibeat.

Vomitionem ab aëre ortam depellat lactis butyrum liquidum potatum, aut Phaseoli mungonis Phyllanthique emblicae jus cum butyro clarificato saleque fossili conditum. Aut bibat clarum in Sind'hu regione ortum fructuum acetum et avium jus. Aut suaviter calefactum sal marinum ibi salubre est et oleosa purgatio.

Bilem sedantes potiones frigidaeque infusiones adhibitae depellunt vomitionem a bile ortam. Purgationem ex dulcibus ibi, cum uva Vitis viniferae commixtis, in vehemente vomitione comprobant, et butyrum oleosum, et jus ex classe incipiente a Cassia fistula (Tom. I. pag. 90.), et etiam medicamentum decem corporibus instructum (Tom. I. pag. 95.).

In vomitione a phlegmate orta infusionem bibere det medicus, ex praescripto paratam ex Menispermo cordifolio, frigidam.

In tribus his vomitionibus (ab aëre, bile et phlegmate ortis) idonea est haec infusio, cum melle composita.

A fastidio ortam vomitionem inimicam gratissimis desideratisque fructibus curet; jejuniis emeticisque crudam; propriis ab impropriorum irritatione ortam; ut in vermibus cordisque morbis a vermibus ortam.

Adhibeat corruptis humoribus convenienter comprobatam methodum proxime post.

Cum Cratoevae valangae succo compositum Piper longum et cum melle commixtum iterum iterumque lingendo homo a vomitionibus liberatur.

Cum melle commixta Sanseviera zeylanica, potata ex Amaranthi polygami aqua, aut explementum cum melle compostitum, aut medicamentum trium vomitionum (ab aëre, bile et phlegmate ortarum) indicatum est. Carpopogonem prurientem cum liquiritia compositum et cum Amaranthi polygami aqua et Hyperanthera morunga commixtum bibat, aut aquam oryzae fermentatae, paratam cum foliis Galedupae arboreae. Aut cum acidis salinisque composita semina Coriandri sativi, contrita, salubria sunt. Aut cum Amaranthi polygami aqua commixtam comedat Cratoevam valangam simul cum specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis. Aut cum saccharo candido, Sirio myrtifolio et melle compositum lingat muscarum excrementum. Bibat lac igne calefactum, insperso lacertae domesticae pulvere. Aut etiam cum butyro liquido melleque commixtas frumentorum farinas bibat. Aut cum butyro liquido melleque compositum Piper longum lingat. Aut in Phyllanthi emblicae succo Sirium myrtifolium; aut aquam cum Phaseoli mungonis foliis decoctam; aut Zizyphi jujubae Phyllanthique emblicae medullam lingat, tripliciter suaveolentem. Aut cum melle commixtam aquam fermentatam farinae oryzae homo bibat. Olfaciendas quoque substantias animo nasoque gratas offerat, carnesque ferinas, dulces potiones cibosque varios praeparet in omnibus vomitionibus indefessus medicus."

Caput L.

Nunc vero singultus remediationem expositurí sumus.

„A calefacientibus, gravibus, obstruentibus, asperis destillantibusque cibis, a frigidis potionibus, sessionibus stationibusque, a pulvere, fumo, aëre igneque, a fatigationibus, laboribus, oneribus, itineribus, impetibus, laesioni-

bus jejuniisque, a feminis morbo corruptoque humore afflictis, a tabe morbo, dolore, inaequali immodicoque esu et a quietibus singultus, suspirium tussisque oritur. Iterum iterumque aër surgit cum sonitu, hepar, lienem et intestina quasi ejiciens.

Quia singultus cum strepitu complicatus celeriter occidit quinque vitales aëres (Tom. I. pag. 169.), idcirco is (singultus) occisor a medicis vocatur.

A cibis ortum, duplicem, parvum, profundum et magnum singultum, quinque igitur singultus, efficit aër phlegma agressus.

Os adstrictum, irritatio, gravitas gutturis pectorisque et borborygmus abdominis sunt priora singultuum symptomata.

Potionibus cibisque ultra modum adhibitis subito vexatus aër sursum aggressus singultum efficit. Hunc singultum medicus cognoscat a cibis esse ortum.

Duplicibus impetibus qui singultus diu locum habet, tremefaciens caput et cervicem, eum duplicem finem habere medicus demonstret.

Cum brevibus impetibus paucisque qui singultus provenit, is parvus appellatus est, a claviculae radice eggressus.

Ab umbilico progressus qui singultus, terrificus, profunde sonat, sicca labia, gulam, linguam et os, suspirium laterumque dolores efficit, et cum variis phaenomenis complicatus est, is profundus nomine relatus est.

Membra vitalia quasi semper vexans qui singultus provenit, et hominis valde sitientis corpus intendendo impetuose sonat, is magnus agnoscendus est, omnia membra tremefaciens.

Cujus singultientis membra intenduntur faciesque valde sursum torquetur, quique emaciatus cibisque inimicus tussit, singultu affectus, hos duos ultimos singultientes medicus deserat. Nasalis respiratio (ex Védarum praescriptione), tremor, terror, et perturbatio ictibus acus, ibi comprobata.

Aut liquiritia cum melle compressa, aut Piper longum cum pulvere sacchari commixtum, butyrum liquidum calidum, lac, aut sacchari officinarum succus, aut, homine non valde emaciato, collapsio vomitusque aut lac maternum, contritum Sirium myrtifolium non album, butyrum clarificatum suaviter calefactum et cum sale fossili commixtum, aut contritum sal fossile cum aqua depellit singultum, salubreque est pro remedio nasali.

Adhibeat suffimentum ex resina Shoreae robustae paratum Nepalense, aut ex vaccinis cornibus confectum; aut butyrum ex oleosis corticibus fragrantibusque graminibus confectum adhibeat singultienti; aut sudor faciendus est.

Cum melle commixtam rubricam, aurum, aut cinerem ex porcinis substantiis et ossibus paratum, lingat. Aut sic etiam ibi hystricis, arietis, vaccae et erinacei pilos inter suffimentum combustos, aut cum melle butyroque

commixtum ex foliis externis Fici glomeratae Sesamique orientalis confectum cinerem et Svarji lixivium cum melle compositum lingendo ex Citri medicae succo aegrotus celeriter depellit singultum. Butyrum oleosum depellit singultum; aut haustus calidus aquae oryzae fermentatae; aut jusculum de lacte, oryza et saccharo suaviter calefactum; aut cum aridi zingiberis aqua potatum lac; aut butyrum oleosum pariter potatum; aut hoc cum saccharo commixtum usque ad saturitatem adhibitum; aut depellere potest singultum urina caprina ovillaque olfacta, cum foetidis vermibus, Allio sativo, Caro carvi, Asa foetida et Eugenia acutangula contrita et bene commixta.

Mel, saccharum candidum et elephanti capillum bibat ex succo Sacchari officinarum et Bassiae latifoliae; aut ebibat omnino Palam unum salis maritimi optimi ex duobus Palis butyri liquidi. Bibat Terminaliam chebulam ex fluido vehiculo calidae aquae; porro butyrum liquidum cum lixivio melleque commixtum.

Pichum (Karsha) unum succi de Cratoeva valanga cum melle Pipereque longo libenter bibat, Piperque nigrum saccharumque candidum.

Phyllanthus emblica cum Zingiberi officinali commixta et ex melle lincta, aut suillorum ossium medulla, collyrium et frumentum contritum et ex melle linctum singultum quoque depellere potest.

Bignoniae suaveolentis fructus flosque, rubrica, Wrightea antidysenterica, Elates sylvestris medium (medulla), Piper longum, vitriolum martis; mel. [illegible] quatuor pisini jusculi compositiones avertendi singultus causâ demonstrata sunt. Cum melle secundae hae compositiones in singultibus dignoscenti medico conficiendae sunt.

Juscula ex columbis, palumbis, perdicibus, hystricibus, canibus, apris, alligatoribus, tauris et tabanis parata, cum fructuum aceto commixta, non frigida, saleque fossili condita bibat; sic etiam grata juscula ex antilope albis pedibus praedita, antilope communi, et ex avibus parata.

Purgatorium aptissimum cum sale fossili compositum, butyrum suaviter calefactum cum albo saccharo commixtum, et in eundo sursumque progrediendo suffitionem semper indicant quidam pro salute singultientium."

Caput LI.

Nunc vero suspirii remediationem expositurì sumus.

„Quibus multis de causis singultus provenit, iisdem de causis etiam suspirium hominum terrificum oritur. Naturam relinquendo aër et halitus

cum phlegmate complicatus, spirat, sursum iens effectus. Hunc morbum suspirium nuncupant.

Exiguum, luctuosum, divisum, magnum et sursum versum suspirium exsistit. Quintupliciter praesertim dividitur hic magnus morbus unus, suspirium.

Prior forma ejus est dolor cordis, cibi fastidium, ira vehementissima, urinae suppressio, laterum dolor et siccitas oris.

Cujus hominis paululum suscipientis suspirium provenit, et considentis adit sedationem, id exiguum suspirium appellatum est.

Siti, sudore et vomitione copiosum et gutturis strepitu praeditum est suspirium; praecipue die pluvio luget homo. Hoc suspirium luctuosum est commemoratum. Corrupto humore magno penetratus et tussi phlegmateque afflictus est homo, qui suspirat, infirmus est, cibum odit, somnolentus luctuque affectus est. Hoc suspirium autem sedatur, phlegmate amisso. Dormientis et animi deliquio febreque devicti suspirium crescit. Hoc autem suspirium luctuosum est dignoscendum.

Inflatus perusto abdomine, dolet homo; omni halitu divisum suspirium petit. Hoc suspirium divisum demonstret medicus.

Sui impos, laterum doloribus vexatus, sicco gutture affectus, valde lamentans et furiosis oculis praeditus est homo, qui cohibendo suspirat. Id magnum suspirium commemoratum est.

Artubus intentis, si homo suspirat, conturbatus identidem sursum spectat voceque privatus est, suspirium hoc sursum versum medicus demonstrat.

Exiguum suspirium inter haec facillimum est curatu; luctuosum difficile dicitur; tria reliqua suspiria et luctuosum suspirium hominis infirmi non curantur.

Oleoso clystere excepto, quidam sursum ac deorsum ductam purgationem hominum leniter respirantium quidem, sed suspirio affectorum, optimam esse demonstrant.

In tussi suspirioque, in singultu doloreque cordis honoratum est butyrum clarificatum vetus, paratum cum Terminalia citrina, sale facticio et Asa foetida; aut cum natro, Terminalia citrina et Aegle marmelo confectum recens butyrum clarificatum; aut ex Pipere longo etc. cum prima (medicaminum) classe (Tom. I. pag. 90.) confectum praeparatum.

Butyrum clarificatum quintuplex, sale conditum, suspirium tussimque aufert.

Ex Valeriana jatamansi, Embelia ribe, Caesalpinia bonducella, tribus myrobalanis, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et Plumbagine zeylanica, singulorum quantitate fructui Zizyphi jujubae aequali, cum duplice parte lactis paratum butyrum, cum guadruplice parte aquae commix-

tum, bibat. Id enim suspirium tussimque aufert, haemorrhoidesque, et cibi fastidium, indurationem glandularum mesentericarum, excrementorum divisionem et tabem. Illorum radicem cum floribus adspersis decoctam cum melle commisceat.

Cum Sriṅgí (Betula), Anetho sowa, Siphonantho indica, arido zingiberi, Shorea robusta, saccharo candido, Curcuma longa et liquiritia, singulorum paribus portionibus ex praescripto conspersis, Prast'ham unum butyri clarificati sapiens medicus coquat in quadruplice parte frigidae aquae. Suspirium, tussim et singultum hoc butyrum cohibet.

Convolvuli turpethi albi, Kálikae, Siphonanthi indicae, Bignoniae indicae et Barringtoniae acutangulae fructum, Abrum precatorium, Zingiber officinale, Varsháb'húm et duo Solana (Solanum melongena et Salanum jacquini) recipiat. Cum horum quantitate, fructui Zizyphi jujubae aequâ, Prast'ham unum butyri clarificati et dimidiam aquae partem coquat. Pungens hoc butyrum calidum potatum depellit suspirium morbum.

Cum natro, nitro, Wrightea antidysenterica, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Plumbagine zeylanica, Acoro calamo, Terminalia citrina et Embelia ribe paratum et in duplice portione aquae Asclepiadis pseudosarsae concoctum aliud butyrum est ad sedandum suspirium.

Cum Táliśa, Flacourtia cataphracta, Morunga hyperanthera, Celte orientali, Costo arabico, sale fossili, Aegle marmelo, Costo specioso, Caesalpinia bonducella, natro, Pipere longo, Plumbagine zeylanica, Terminalia chebula et Potho officinali paratum butyrum, quadruplicem aquae portionem continens et cum Asae foetidae radice commixtum, eximia omne suspirium tollens medela est.

Quinque illa butyra medici indicant in suspirio tussique.

Cum Justicia ganderussa et cum sex fructibus paratum butyrum ibi etiam salubre esse potest.

Oleum Sesami orientalis, cum decemplice portione optimi jusculi Lauii malabarici paratum et convenienter adhibitum, suspirium tussimque aufert.

Cum fructuum aciditatibus commixta avium juscula, grata, sale fossili condita, aut cum antilopae nigrae etc. capitibus bene parata juscula Dolichi biflori, et paratae emulsiones depellere valent suspirium tussimque.

Dalbergiae ougeiniensis semina, Momordicam mixtam, alkali, Hedysarum alhagi, Piper longum, Echiten antidysentericam, Terminaliam chebulam, hystricis et pavonis pilos, Zizyphum jujubam, Jasminum auriculatum, semina Cumini cymini, Siphonanthi indicae corticem, Zingiber officinale, Saccharum officinarum, Bignoniae indicae fibram et Ruelliae longifoliae semina omnino contrita recipiat. Quinque autem hi sunt semiślokae (semidisticha), qui omnino pro linctibus prolati sunt. Ex butyro clarificato et melle illae substantiae lingendae sunt hominibus tussi suspirioque vexatis.

Septem Xanthocymi pictorii flores et Piper longum ex sero lactis bibat; etiam cum melle conterat oryzam tostam, et tum comedat.

Homo suspirio vexatus bibat usque ad saturitatem multipliciter probatum Hordei hexastichi butyrum liquidum cum melle commixtum.

Cum Mimosa sirisha, Musa paradisiaca, Jasmini multiflori floribus Jasminoque auriculato compositum et cum oryzae aqua commixtum butyrum liquidum bibendo, devincere omnino potest suspiria.

Medullam fructus ·Zizyphi jujubae, Curculiginem orchioidem, Antilopae pedibus albis praeditae cutem et Nyctanthis tristis caules lingat ex melle, aut Siphonanthum indicam cum butyro clarificato melleque commixtam.

Aut cum Melia azidaracta commixtum semen Naucleae cadambae mellitum ex oryzae aqua, aut uvam Vitis viniferae, Terminaliam chebulam, Piper longum, Momordicam mixtam et Hedysarum alhagi, ex butyro clarificato melleque lingens depellit suspiria perhorrida.

Curcumam longam, Piper nigrum, uvam Vitis viniferae, Saccharum officinarum, Mimosam octandram, semina Cumini cymini et Curcumam zerumbet, singulorum partes aequales, ex oleo Sesami orientalis lingat aegrotus suspirio vexatus, salubria comedens.

Aut vaccarum stercoreus liquor cum melle Jasminoque auriculato commixtus sit linctus in suspiriis tussibusque, aut caprarum stercoreus liquor.

In icteris et intumescentiis quae medicamina sunt indicata, ea etiam suspirium tusimque depellunt; et quae tussim depellentia indicata sunt.

Siphonanthi indicae corticem, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, oleum Sesami orientalis, Curcumam longam, Wrighteam antidysentericam, Piper longum, Piper nigrum, Andropogonem aciculatum, vaccinum stercoreum liquorem et frumentum pulchrum coquat cum Talakotae seminibus. Hoc adhibitum depellit celeriter suspiria perdifficilia superatu.

Vetus butyrum clarificatum, Piper longum, juscula Dolichi biflori et carnis, liquor spirituosus, in Suvíra regione orta Asa foetida, succus Citri medicae, mel, uva Vitis viniferae, Phyllanthus emblica et Aegle marmelos comprobata sunt aegrotis suspirio singultuque affectis. Suspirio singultuque oppressum aegrotum jucundis sudoriferis medicus curet. His enim, ad sal fossile oleumque Sesami orientalis admixtis, aegroti phlegma constrictum validum divisionem adit et aër ejus sedatur.

Inunctum aegrotum animadvertens medicus praebeat cibum jusculum oryzae coctae.

Aëre phlegmateque constricto, medicus suffimentum adhibeat, ex arsenico rubro, Pinu Dévadáru, Curcumae longae foliis, carnibus, lacca et Ricini communis radicibus ex praescripto turundas conficiens; aut ex butyro recente, cera, Shoreae robustae extracto confectum; aut ex cornibus, pilis, ungulis, tendinibus et cutibus vaccarum, Turashkarum et hystricum compositum;

aut bdellii Nelumbiique speciosi suffimentum adhibeat. Haec omnia butyracea suffimenta conficienda sunt perito medico.

Valde firmo homini phlegmate oppresso vomitorium purgatoriumque salubre; infirmo autem asperoque saturatio ex bene paratis perdicum, arietum bubulorumque carnibus salubris esse dicitur.

Solanum jacquini, ad magnitudinem fructus Phyllanthi emblicae, cum dimidia parte Asae foetidae commixtum et cum melle bene commixtum lingat homo, suspirio vexatus. Id enim ob suam vim suspirium triduo devincit.

Sicut ignis ligni struibus incensus, aut fulmen a Deorum (Sura) rege emissum, sic etiam hi morbi, scilicet suspirium et tussis, difficiles depulsu et tardi sunt."

Caput LII.

Nunc vero caput de tussis remediatione exposituri sumus.

„Causae duorum hominum morborum, suspirii videlicet et singultus, quae dictae sunt, eaedem etiam tussis originis causae agnoscendae sunt.

Fumi contactu, pulvere, fatigatione, asperorum ciborum usu, devio alimenti intinere, excretionum impedimento et sternutatione respiratio (práńa) aërem cephalicum (Tom. I. pag. 169.) assecuta, corrupta et fissorum vasorum sonis similem vocem emittens, egreditur subito ex ore cum corrupto humore. Haec autem tussis a sapientibus relata est.

Tussis ab aëre, bile et phlegmate orta est, alia a laesione, alia a pneumophthisi. Quinquegena tussis exposita a medicis, adaucta, Yaksharum morbum efficit.

Futurae autem tussis signa haec sunt: gutturis pruritus, alimenti restrictio, gulae palatique superlitio, propriae vocis difficultas, cibi fastidium et caloris (digestionis) torpor.

Aegrotus, cordis, temporum, capitis, abdominis, laterum doloribus affectus, emaciato vultu praeditus, exili vi, voce splendoreque instructus et alvi profusione implicatus ob aërem tussit sicce, vocisque interruptione laborat.

Cordis aestu, febre, oris siccitate, amaro ore et siti afflictus massas bile flavescentes pungentesque evomit; hic pallidus tussit perustus.

Polluto ore dolens, capitis dolore vexatus, phlegmatis pleno corpore praeditus, doloris expers, graviditate torporeque affectus ob phlegma valde tussit, crasso phlegmate afflictus.

Cujus hominis pectus ultra modum laesum est contentionibus, oneribus,

lectionibus et percussionibus, ille, infirmo pectore affectus, cum sanguine commixtam massam identidem exspuit. Haec tussis a laesionibus orta dicta est. Nimiis coitibus, oneribus, itineribus, equorum elephantorumque equitationibus et pugnis laesum asperi hominis pectus corripiendo aër tussim concitare potest. Primum sicce tussit; deinde exspuit massam cum sanguine commixtam; aegrotus, gulâ dolente, pectore ultra modum dissoluto et acubus quasi acutis tuso dolenteque, difficili contactu, dolore fissionibus vexationibusque inusto, membrorum fissionibus, febribus, suspiriis, siti et laesionibus afflictus, columbae instar gemit ex tussis impetu a laesione orto.

Post inaequale impropriumque alimentum, nimium coitum excrementorumque cohibitionem, igne miserorum querentiumque hominum interito, tres secretiones irritatae tussim a consumtione ortam facere possunt, phthisicum corpus efficientem. Hic membrorum doloribus, febribus, aestu mentisque errore affectus respirationis interitum adipiscitur tussiens. Exsiccatur exspuitque infirmus emaciataque carne praeditus sanguinem cum pure commixtum. Hanc tussim a consumtione ortam, omnibus signis praeditam perdifficilemque esse curatu dicunt therapiae gnari. Augmentum fit aggrediendo. Hanc tussim dubiam appellant.

Jasminum auriculatum, Acorum calamum, Gmelinam arboream, Hemioniten cordifoliam, Cyperum rotundum, Oryzam sativam, Terminaliam citrinam, Siphonanthum indicam, Euphorbiam tirucalli et aridum zingiberi, cum Asa foetida commixtum, ex aqua calida bibendo, aegrotus tussim os constringentem celeriter removet.

Ex tribus myrobalanis, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Embelia ribe, Jasmino arabico, Mimosa octandra, Acoro calamo, Nelumbio specioso et Pinu Dévadáru, singulorum partibus aequalibus, confectus linctus, cum melle, saccharo candido et butyro clarificato commixtus, tussim ingentem brevi depellere potest.

Terminaliam chebulam, saccharum candidum, Phyllanthum emblicam, frumenta tosta, Jasminum auriculatum et aridum zingiberi conterat et ex butyro clarificato melleque lingat tussiens, aut cum sale fossili commixtum Piper longum ex calida aqua.

Gustet saccharum crudum cum arido Zingiberi Pipereque longo, et uvam Vitis viniferae butyrumque ex melle lingat.

Uvam Vitis viniferae, saccharum candidum et Jasminum auriculatum, singulorum partes aequales, et cum Zingiberi officinali Glycyrrhizam glabram mannamque Bambusae arundinaceae lingat, cum butyro melleque commixtam, aut aequales partes albi sacchari cum portione Piperis nigri commixti. Phyllanthum emblicam, Piper longum, aridum zingiberi albumque saccharum conterat et ex spuma lactis coagulati bibat.

Pisi sativi Jasminique auriculati, singulorum pares portiones, ex lacte coagulato bibat aegrotus tussi morbo affectus.

Ambas Curcumas, Pinum Dévadárum, aridum zingiberi et Mimosae catechu succum, singulorum partes aequales bibat, aut ex Moschi moschiferi urina, aut ex suavi aqua Dantim Antherumque tuberosum cum Symploci racemosae parte.

Tostos in butyro clarificato fructus Zizyphi jujubae comedat cum sacchari partibus et sale fossili.

Ad magnitudinem fructus Zizyphi jujubae bibat Asam foetidam ex acida alica, aut ex acido succo.

Aut ex melle lingat grana Piperis nigri, et collyrium ex Siphonantho indica, Acoro calamo et Asa foetida confectum. In suffitione laudatum est collyrium ex Bambusa arundinacea, Lauro cassia, Elettaria cardamomo et sale fossili confectum et cum butyro liquido commixtum.

Ex Cypero rotundo, Terminalia catappa, Lauro cassia, Glycyrrhiza glabra, Valeriana jatamansi, arsenico rubro et auripigmento cum caprina urina contritis conficiat collyria, et cum lactis vehiculo fumum bibat aegrotus ob aërem phlegmaque tussiens. Bibatque spiritum destillatum cum Pipere nigro commixtum. Eo tussis ad sedationem celeriter pervenit.

Cum succo uvarum Vitis viniferae, Rubia manjista et Cypero rotundo coctum lac cum melle commixtum, et cum Solano jacquini, arido zingiberi, Pipere longo et melle bene paratum Phaseolum mungonem comedat.

Frumenta (farinas) in butyro clarificato, aridi zingiberis pleno, coquat cum radicibus et foliis Alpiniae cardamomi Plumbaginisque zeylanicae. Ex his paratam decoctionem tenuem, bene refrigeratam et cum melle commixtam adhibeat.

Quod in lienis affectione butyrum relatum est simplex, id aëris tussim vehementer devincit; aut cum Hedysaro gangetico etc. paratum butyrum; aut decoctio ex succo Justiciae gandarussae; et purgatorium oleosum ibi indicatum; et roborans; et suffimentum. Fumum bibat oleosum homo non insanus; bibatque ibi suaviter calefactum butyrum liquidum. Salubres sunt de oryza alicae fermentatae in succis paratae emulsiones, et linctus cum butyro clarificato parati.

Vomitorium, corporis capitisque purgationes, ecligmatum adhibitiones calidique linctus et pungentia depellere possunt praecipue phlegma, aut siccitatem.

Pungentem speciem triplicem (Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis) etiam indicant medici idoneam, et butyrum clarificatum in oleoso anthelmithicorum sedimento coctum.

In oleoso sedimento foliorum Viticis negundinis coctum butyrum depellit tussim a phlegmate ortam.

In sedimento oleoso foliorum Viticis negundinis coctum butyrum etiam sitim a phlegmate ortam depellit.

Cum Cysampello hexandra, sale facticio, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Embelia ribe, Vitice negundine, Ruellia longifolia, Mimosa octandra, Hutab'hug, Pavonia odorata, Jasmino arabico, Acoro calamo, Amb'hod'hara, Pinu Dévadáru, Hedysaro alhagi, Siphonantho indica, Terminalia citrina, Curcuma zerumbet et duplo Solani jacquini sedimento oleoso simul concoctum butyrum clarificatum depellit quinque tussis genera, a suspirio, ignis torpore vocisque interruptione ortam, divisam et ingentem tussim.

Classes (medicaminum) ab Hedysaro gangetico, Nymphaea caerulea et Echite frutescente incipientes (Tom. I. pag 90. 93. 94.) et dulcem universam classem (Tom. I. pag. 105.) cum coxerit, butyrum concoquat cum sacchari crudi succo, aqua et lacte. In classe (medicaminum) a Kákoli incipiente (Tom. I. pag. 93) cum saccharo hoc butyrum mane bibat aegrotus in tussi a bile, coitu et pneumophthisi orta.

Ex Elate sylvestri, Siphonantho indica, Pipere longo, Chironjia sapida, Sanseviera Zeylanica, Elettaria cardamomo et Phyllantho emblica, singulorum partibus aequalibus, confectus pulvis, saccharo candido, melle butyroque clarificato humefactus, tria tussis genera adhibitus depellit.

Abrum precatorium, Curcumam longam, collyrium Amomi zanthorrhizae, Plumbaginem zeylanicam, Cysampelon hexandram, Sansevieram zeylanicam et Piper longum, singulorum pares portiones, lingat ex melle in tussi a laesione orta; in tussi autem a pneumophthisi orta bibat butyrum liquidum in sacchari crudi succo coctum. Aut pulverem Phyllanthi emblicae cum lacte decoctum et butyro clarificato conditum bibat aegrotus, salubria comedens.

Pulvis Tritici aestivi Hordeique hexastichi et classis (medicaminum) a Kákoli incipiens, subtilissime contrita, in tribus tussis generibus adhibenda sunt tussientibus ex lacte, cum melle butyroque liquido commixto. Sacchari aquam coctam bibat aegrotus cum melle, refrigeratam, Pipere nigro conditam, cum medicus dederit in tribus Prast'his succi Phyllanthi emblicae bene purgati dimidiam Tulám sacchari.

Cum contrito bdellio, Pipere chavya, Cumino cymino, Mesua ferrea, Pipere longo, terra salina, Caro carvi, Embelia ribe, Vitice negundine, tribus myrobalanis, Ligustico ajwaën, Cysampelo hexandra, Plumbagine zeylanica et Oryza sativa, singulorum Picho (Karsha) uno, det pulveris convolvuli thurpethi albi Pala octo et olei Sesami orientalis Pala octo; tum hoc apte concoquat. Id comedat ad magnitudinem fructus Terminaliae belericae, ad libidinem cum tribus odoramentis commixtum. Eo omnes diarrhoearum affectiones simul cum suspirio, tussi, vocis interruptione et tabe sedantur.

Id diu deleti interni ignis et seminis virilis augmentum efficit. Mulierum sterilitatem morbosam depellere potest eximius globulus celebratus.

Bis quinque radices (Tom. I. pag. 95.), Mesuam ferream, Piper longum, Carpopogonem prurientem, Siphonanthum indicam, Curcumam zerumbet, Costum arabicum, radicem Ari campanulati, aridum zingiberi, Cysampelon hexandram, Menispermum cordifolium, bdellium, Andropogonem aciculatum, Mimosam octandram, Plumbaginem zeylanicam, Achyranthen asperam, Pavoniam odoratam, Hedysarumque alhagi, singulorum Pala duo, Hordei hexastichi Ad'hakam unum, et centum ossicula gravia Terminaliae chebulae in uno Drona et uno Ad'haka aquae decoquat. In decoctionis quarta parte pura effecta tum coquat Tulam unam sacchari, addatque singulatim olei Sesami orientalis et butyri clarificati Kud'avam unum. Pulvis Piperis longi nunc indendus est in hoc dulce paratum refrigeratum. Ex succo sedimentoso lingat duos Terminaliae citrinae fructus; semper id celeriter depellere potest pneumophthisin, diarrhoeam, corruptos humores, intumescentiam, ignis torporem, vocis interruptionem, tussim, icterum morbum, suspirium, capitis passiones, cordis morbos, singultum et difficiles febres. Intelligentiam, robor, fortitudinem et mentem reddens remedium confecit venerabilis Sanctus (D'hanvantaris).

Cammaros, ostreas, passeres, nigram antilopam et Perdicem chinensem decoquendo cum dulcibus (medicaminum) classibus et aliis coquat butyrum. Hoc autem adhibitum depellere potest tussim a laesione et pneumophthisi ortam.

Cum Asparago racemoso, Hedysaro lagopodioide et Pavonia odorata paratum butyrum dandum est pro salute tussientium."

Caput LIII.

Nunc vero caput de vocis interruptae remedatione exposituri sumus.

„Peralta locutione, veneno, lectione, laesione, frigore reliquisque causis irritatus aër etc., in soniferentibus tubulis nactus sedem suam, perdere potest vocem. Hic igitur morbus est sextuplex.

Ex aëre violaceos oculos, vultum, urinam faecesque habens aegrotus interruptam lente emittit, asini instar, vocem.

Ex bile flavum vultum, oculum, faeces et urinam habens loquitur per collum aestu affectum.

Ex phlegmate gulam phlegmate semper praeclusam habens moleste, torpide lenteque loquitur, praesertim interdiu.

In vocis interruptione, ab omnibus humoribus simul corruptis orta, oritur omnium affectionum congressionis manifestatio in voce. Hunc morbum incurabilem esse dicunt.

Comburi potest vox in interruptione a tabe orta; tabem etiam nancisci potest vox. Hic voce privatus deserendus est.

Voce privatum et invisibilibus pedibus praeditum diu adeps sequebatur; loquitur superlitâ gula, labio et palato.

Infirmi, senis et emaciati vocis morbus diu ortus, et adipe praediti vocis morbus, et ab omnibus humoribus simul corruptis ortus, successum non adit.

Vocis morbo affectos homines, inunctos et a corruptis humoribus liberatos medicus curet emeticis, purgatoriis clysteribusque; et nasi expressionibus, oris purgationibus, suffitionibus variisque ecligmatum sumtionibus eosdem aggrediatur.

Quod suspirii tussisque praeceptum ab initio datum est, idem etiam universale hic ut transducatur, medicus adnitatur.

Speciale praeceptum dehinc dabo.

Hoc vocis morbo salubre praeceptum totum percipe!

In vocis morbo ab aëre orto post coenam bibat butyrum liquidum, cum Cassiae esculentae, Solani melongenae et Márkavae sedimentis oleosis commixtum.

Potatum butyrum liquidum, cum succo Barleriae caeruleae paratum, aërem depellit; aut butyrum cum nitro, Caro carvi, Plumbagine zeylanica, Phyllantho emblica, Pinu Dévadáru et Agnika paratum, cum melle commixtum; aut cum suavis aquae vehiculo saccharata oryza cocta butyro condita.

In bilioso vocis morbo autem butyrum liquidum ex lactis vehiculo bibat indefessus. Comedat butyro clarificato conditam et cum Siphonantho indica Glycyrrhizaque glabra commixtam pultem oryzae. Lingat dulcium substantiarum pulverem cum melle et butyro clarificato humectatum, aut etiam cum pulvere Asparagi racemosi commixtum pulverem Pavoniae odoratae.

Bibat pungentes substantias ex urina in vocis interruptione a phlegmate orta; aut lingat ex melle oleoque Sesami orientalis comedatque substantias pungentes post coenam.

In vocis vexatione ab adipe orta praeceptum de phlegmate datum desideratur.

In vocis morbo ab omnibus humoribus simul corruptis et a

pneumophthisi orto aggrediatur medicus, postquam recusaverat, curationem.

Cum saccharo et melle commixtum decoctum lac cum dulcibus substantiis bibat aegrotus, cujus alte vociferantis vox percussa est."

Caput LIV.

Nunc vero caput de verminatione expositari sumus.

„Indigestione, nimia impletione, inconvenientibus substantiis, perversis sordidisque cibis, desidià, diurno somno, gravibus, valde oleosis frigidisque substantiis, cibis Phaseoli radiati contriti, placentis, Nymphaeae odoratae fibris, variarum Nymphaearum radicibus, Butea frondosa, Tectonia grandi, liquoribus spirituosis, acidis, lacte coagulato, lacte dulci, saccharo crudo, saccharo officinarum, stramento, carne bubalina, amurca, oryza, potionibus ex dulcibus acidisque substantiis phlegma et bilis irritantur, quae multigenos procreant vermes, variaque domicilia inhabitantes.

Cruditatis coctionisque sedem inhabitans vermium stirps saepius commemorata est.

Vermium viginti generum triplex origo commemorata est: Faeces, phlegma et sanguinem, vermium referam distinctionem.

Tardus (ayava), ovis (avi), hordeum (yava), Kippa, nodipes (gańdúpada), ustor (chúrava), distoma (dvimuk'ha), heptapus (saptaiva), versicolor (éta), stercoreus (purishaja), albus (svéta) et tenuis (súkshma) vexant anum aggrediunturque. Horum alii caudis latis sunt praediti.

Dolores, ignis torpor, pallor, obstructio, virium exitium, humor, cibi fastidium, cordis morbi et faecum interruptiones oriuntur a vermibus ex stercore ortis.

Nodipedes rubri sunt, longi, et ab ani pruritu orti. Dolores, inflationem, faecum interruptionem et coctionis (digestionis) deletionem hi efficiunt.

Darb'hapushpae (Poae cynosuroidis floribus similes) grandiflori, praesecti, simi, magnis rubris formicis similes, horridi a phlegmatis irritatione orti, pilosi, piloso capite praediti, cauda instructi, furvis orbibus circumdati, perturbatae oryzae germini similes, albi et tenues medullam comedunt, oculorum linctores sunt, palatum auremque arrodunt, capitis cordisque morbos, vomitum et catarrhum hi efficiunt.

Capillos, crines, ungues dentesque arrodentes Kikviśae, a lepra orti et circumvagi ex sanguine exorti cognoscendi sunt. Hi plerumque morbos a sanguinis regno ortos procreant.

Phaseoli radiati contriti cibis, sale fossili, saccharo crudo et Galedupa arborea fiunt vermes a stercore orti.

Carne, Phaseolo radiato, sacchari crudi succo, lacte coagulato et aceto fiunt vermes a phlegmate orti.

Obstructione, indigestione, Galedupâ arborea etc., fiunt vermes a sanguine orti.

Febris, decoloratio, dolor, cordis morbus, tabes, vertigo, cibi fastidium et dysenteria sunt symptomata ortorum vermium.

Spectandi tredecim primi vermes relati sunt. Capillos arrodentes posterioresque non spectandi sunt. Duos horum primos medicus omnino deserat.

Vermium ullum cum cognoverit medicus, (ejus) delendi cupidus, gratum aegrotum butyro clarificato, cum classe ab Anetho sowa incipiente decocto, vomentem efficiat ab initio, tum expurget acrioribus medicaminibus et reficiat cum Hordei hexastichi, Zizyphi jujubae, Dolichi biflori et classis ab Anetho sowa incipientis (Tom. I. pag. 92.) decoctione, cum Embeliae ribis oleo commixta, et sale fossili. Deinde, applicato clystere evacuante, hominem grata aqua lavatum medicus excellentissimus celeriter anthelminthicis cibis curet.

Oleo indicato eum medicus curet oleosoque clystere. Deinde Mimosae sirishae et Achyranthae asperae succum cum melle commixtum aegrotus bibat; aut Kévúkae sedimentum oleosum superiore modo bibat, acrioribus comesis, aut Buteae frondosae sedimentum oleosum, aut sedimentum ex oryzae aqua; aut Erythrae fulgentis foliorum sedimentum oleosum cum melle commixtum bibat, aut etiam Achyranthae triandrae sedimentum oleosum bibat, aut ex Anetho sowa etc. confectum. Lingat equini stercoris pulverem, aut Embeliam ribem, cum melle commixtam.

Ex foliis Lauri cassiae, aut Salviniae cuculatae bene contritis et cum farina commixtis comedat placentas coctas, et aquam oryzae fermentatae post bibat.

In classe (medicaminum) ab Anetho sowa incipiente (Tom. I. pag. 92.) decoctum oleum Sesami orientalis pro potu optatur. Ex Embeliae ribis pulvere et farina cum illo oleo cibum conficiat; aut oleum seminum Sesami orientalis pro infusione potatorum.

Hystricis stercoris pulverem septies bene digestum cum Embeliae ribis triumque myrobalanorum infusione ex melle lingat, et succum Phyllanthi emblicae post bibat, et Terminaliae belericae citrinaeque succum. Hoc est etiam praeceptum ferri.

Aut Caesalpiniae bonducellae sedimentum oleosum bibat cum melle, aut

bibat Piperis longi radicem cum caprina urina commixtam, aut bibat per sex noctes (et dies) contritum stannum ex sero lactis coagulati.

A stercore et phlegmate ortos vermes medicus pari modo occidat.

In capite, corde, naribus, ore et oculis congressos vermes singulos, praecipue collyriis, nasalibus destruentibusque remediis tollat. Stercoreum liquorem equi valde siccum commisceat cum decoctione Embeliae ribis; pulvis autem hic inflans remedium est.

Ferri pulverem ex eodem praescripto adhibeat medicus.

Vitriolum caeruleum et oleum Sesami orientalis fiant nasale remedium in classe (medicaminum) ab Anetho sowa incipiente (Tom. I. pag. 92.).

Praeceptum de calvitie etiam dandum est de vermibus capillos arrodentibus.

De vermibus dentes arrodentibus praeceptum explicatum est in oris morbis.

Vermibus a sanguine ortis praeceptum, in leprae therapia explicatum, adhibeat.

Classem (medicaminum) autem ab Anetho sowa incipientem in omnibus vermium generibus quovis modo adhibeat. Clarum, amarum pungensque alimentum salubre fieri potest. Cum Dolichi biflori decoctionibus composita lactis potio honorata est.

Lac, carnes, butyra, lac coagulatum, olera foliorum, et, ut paucis absolvam, acida, dulcia frigidaque medicus, vermes deleturus, evitet."

Caput LV.

Nunc vero caput de inflationis remediatione exposituri sumus.

„In posterum de substantiis exortis proprie dicendum est.

Ne evacuationes aëris etc. retardet sapiens vivendi cupidus. Aëre, faecibus, urina, oscitatione, lacrymis, sternutatione, ructu, vomitu semineque virili turbatis, inflatio edicitur.

Ex famis, sitis, respirationis et somni retentione fit inflatio, cujus signum curationemque fusius edisseram.

In tredecim genera inflatio divisa est illis causis.

Ex inconveniente alimento etiam (inflatio) fieri dicitur, sicut alia.

Flatulescentiam, dolorem, cordis perturbationem, capitis morbum, suspirium, vehementem singultum, tussim, catarrhum, gutturis affectiones, phleg-

matis bilisque progressionem terrificam efficere potest aër abdominalis (Tom. I. pag. 170.) repnlsns; in sua via vexare faeces, ant ex ore ejicere potest. Irritatio, dolor, percussio, evacnatio et faecum subrectio oritur, faecesque ex ore proveniunt, si faecum evacuatio hominis repulsa est.

In repulsa autem urinae evacuatione homo difficulter reddit urinam exiguam exiguamque.

In pene, ano, inquine scrotoque, in umbilici regionibus et in capite hominis, alvi obstructione affecti, dolores horribiles oriunter, sicut dolores hominis fisso corpore laborantis.

Cervicalium tendinnm, gutturis, bronchi et capitis morbi, aëris natura praediti, oriri possunt ab oscitationis repulsu. Tum in auribus, ore, naribus et oculis oriuntur horribiles morbi.

In homine aquam oculorum (lacrymas) a gaudio aut moerore ortam aggressam non profundente gravitas capitis et oculorum morbi horribiles oriuntur simul cum frigida narium affectione.

Oriuntur ex sternutationis retentione in capite, oculis, naribus et auribus morbi vehementes, gulae orisque nimia impletio, vexatio, gemitus, aut etiam aëris eruptio.

Repulsâ ructus evacuatione, oriuntur hominis morbi ab aëre orti.

Vomitionis repressione oriri potest lepra, quo vitio etiam cibus non digestus est.

In urinae sede, in ano et scroto intumescentia, dolor, urinae difficultas, seminis virilis calculus et gonorrhoea oriri potest. Hi oriuntur morbi, semine virili repulso.

Somnolentia, membrorum pruritus, cibi fastidium et lassitudo, fame repulsa, maciesque faciei oritur.

Gutturis orisque siccitas et aurium praeclusio a sitis repulsione oritur, et in corde dolor.

Defatigati respiratione repressa, cordis morbus, delirium, aut etiam induratio glandularum internarum oritur.

Oscitatio, membrorum pruritus, in membris, capite oculisque frigus, aut etiam somnolenta oritur a somni repulsu. —

Siti afflictum, vexatum, emaciatum, doloribus affectum et faeces evomentem flatulentum mediens deserat. —

In omnibus his inflationibus ex praescripto universa aëris curatio pro propriarum viarum insecutione generatim adhibenda est; specialem curationem autem amplius percipe a me!

Roboratio in inflatione ab aëre orta, in mucosa sutatoriaque commendatur.

In inflatione a faecibus orta adhibendum est praeceptum de obstructione datum.

Liquorem vinosum natro divitem bibat, urinâ suppressa. Elettariam cardamomum etiam ex vino, aut lac bibat homo; aut oleosum sedimentum fructuum Phyllanthi emblicae cum aqua bibat per triduum; aut liquorem equini stercoris aut loti albi bibat; aut carnis jus dulce bibat; aut spiritum destillatum Gaudicum; sic etiam Pinum Dévadárum. Cyperum rotundum, Sansevieram zeylanicam, Curcumam longam et Glycyrrhizam glabram, singulorum tantum, quantus est fructus Zizyphi jujubae, bibat ex aëria aqua; aut etiam Hedysari alhagi sedimentum oleosum et infusionem Croci sativi; aut Cucumeris utilatissimi semen ex aqua bibat salitum; aut cum quinis radicibus (Tom. I. pag. 95.) concoctum lac; aut etiam succum uvarum Vitis viniferae. Medicaminaque antedicta hic etiam concedat calculum findentia. Aut praeceptum de urinae difficultate datum adhibeat sine relictione. —

Iterum indicabo medicamina ad urinae suppressionem domandam (vide infra cap. LVIII.).

Unguentis et sudoriferis inflationem ab oscitatione ortam curet.

Lacrymarum profusio in inflatione a lacrymis orta instituenda est, homine inuncto sudanteque.

Acri collyrio et vexatione acribus odoramentis et ferrugine, aut turundarum applicationibus sternutationis vim medicus adferat, aut acres herbas inflando, aut solis radiis.

In inflatione a ructu orta ex praescripto oleosam suffitionem adhibeat, liquoremque spirituosum natronatum et Citri medicae succo conditum.

Vomitionis suppressae inflationem secundum humorum vitium oleamentis etc. omnino devincat medicus; aut etiam ibi unguentum cum lixivio saleque maritimo commixtum applicari jubeat, et abdomen purgantem adspersionem lactis cum quadruplice parte aquae.

Qui emulsionem, ex substantiis alvum purgantibus quadrupliceque parte aquae compositam et usque ad aquae abitum decoctam cum voluptate potavit, eum virum, ex semine virili inflatum, carae feminae exhilarare possunt.

In inflatione a famis cruciatu orta saluber est gratus, calidus et exiguus cibus.

In inflatione a sitis cruciatu orta bibat hordeaceae farinae jusculum butyro clarificato conditum, aut etiam fermentatae oryzae aquam frigidam.

Succo cibandus est homo defatigatus et lassitudine suspirioque aegrotans.

In inflatione a somni repulsu orta bibat lac et dormiat, exoptatis narrationibus delectatus.

In morbis ab inflatione ortis medicus proprie operam ponat. Quid cuique aptum est, ei adhibeat.

Aër stomachum aggressus, asperis, adstringentibus, pungentibus amarisque cibis irritatus, statim inflationem facit, aërem, urinam, faeces, sanguinem, phlegma et adipem ferentia organa inflat, faecesque exsuperare potest. Deinde cordis abdominisque doloribus affectus et gravitate cibique fastidio vexatus homo aërem, urinam faecesque difficulter reddit, suspirium, tussim, catarrhum, aestum, mentis errorem, vomitum, febres, sitim, singultum, capitis morbos et mentis auriumque confusionem nanciscitur, ac multos alios morbos ab aëris irritatione ortos. Propterea oleo Sesami orientalis et sale maritimo inunctum, illitum sudabundumque medicus exsequatur. Ex humore corrupto fissis faecibus afflictum cibatumque hominem suffiat. Nisi ad sedationem pervenit inflatio perhorrida, tum aegrotum multo sudore manantem curet oleosis purgatoriis medicamentis.

Bibere det Convolvulum turpethum album, Salvadoram persicam et Ligusticum ajwaën ex acidis potionibus, aut Asae foetidae, Costi arabici Acorique calami potionem et Embeliam ribem, duo praestantissima remedia. Haec medicamenta inflationem doloremque cohibent.

Pinum Dévadárum, Plumbaginem zeylanicam, Costum arabicum, Acorum calamum, Terminaliam chebulam, Ruelliam longifoliam, Costi speciosi radices et aquae dimidium Ád'hakam decoquat. Id sedimento liberatum, potatum, inflationem aufert.

Raphanum sativum, aridum zingiberi, ranas, quinas radices et Cassiae fistulae fructum in aqua coquat et tum cum hoc butyrum clarificatum coquat. Id potatum inflationem plane sedare valet.

Acorum calamum, Ativisham, Costum arabicum, Hordei hexastichi cinerem, Terminaliam chebulam, Piper longum et Nirddahanim bibat ex calida aqua.

Cucumeris colocynthidis radicem, Vangueriam spinosam, Menispermum cordifolium, Ativisham, Acorum calamum, Costum arabicum, fermentum et Plumbaginem zeylanicam superiorem in modum bibat.

Ex urina Pinum Dévadárum, Plumbaginem zeylanicam, tres myrobalanos et Solanum jacquini bibat.

Hordei hexastichi Prast'ham unum cum dimidia parte trium myrobalanorum et Flacourtiae sapidae coquat in uno Ád'haka aquae; remanentiam dimidii Prast'hae bibat cum Asa foetida commixtam. —

Vangueriae spinosae et Cucurbitae lagenaris semina, Piper longum et Solanum jacquini medicus conterat inspiretque per fistulam hoc, ut id anum intret.

Pulverem Jatrophae glaucae, Convolvuli turpethi albi, Convolvuli turpethi floribus nigris, Cucumeris colocynthidis, Plumbaginis zeylanicae, Kritavéd-

hanae, Jasmini auriculati et salis maritimi conficiat, et cum vaccarum urina embolos faciat in anum injiciendos.

Statim felicitatem dant haec duo remedia ab ambrosia orta."

Caput LVI.

Nunc vero caput de ilei remediatione expursituri sumus.

„Quid indigestum, crudum, immobile et combustum prolatum est, ex eo oriri potest ileus, languor et retentio.

Si cujus indigestione aër, acubus quasi membra vexans, instat, ileus a medicis hic morbus vocatur.

Non ileum nanciscuntur homines modicis cibis utentes sacramque doctrinam (ágama) compertam habentes; stulti autem, terrore devictum animum habentes et ciborum avidi (ileum) nanciscuntur.

Animi deliquium, dysenteria, vomitio, sitis, cruciatus, vertigo, praeclusio, oscitatio, aestus, decoloratio, tremor, cordis morbi et capitis dolores oriuntur in spasmo. Alvus adstringitur, homo ultra modum vexatur et indistincte loquitur. Aër in alvo inclusus sursum progreditur. Cui aëris faecumque adstrictio in alvo vehemens fit, ei languor, immobilitas, singultus et ructus evenit. Cujus vero cibus phlegmate aëreque corruptus neque sursum, neque deorsum procedit, ejus retentionem (retardationem) deserendam esse docent antiquissimi sacrae doctrinae (śástra) periti.

Ubi situm est crudum, id hanc regionem praecipue morbidam efficere potest morbosarum mutationum generationibus. Humore quovis corrupto, hominem propriis signis a cruditate ortis extensum animadvertere potest medicus.

Qui homo lividis dentibus, labiis unguibusque instructus, parum sibi conscius, vomitu vexatus, oculis introgressis exilique voce praeditus est, is rursus accedat ad sacram doctrinam (ágama).

In curandis lateribus ustio laudata est, ignis calor et emeticum acre. Deinde, cocto (digesto) cibo, jejunium, concoctio aut alvi purgatio locum habeat. Expurgato enim corpore, statim animi deliquium, dysenteria etc. sedationem nanciscuntur. Roborationem quoque indicant medici aptam.

Omnibus (ilei generibus) oppositas medicinas percipe!

Ex Terminalia chebula, Acoro calamo, Asa foetida, Guilandina bondu-

cella, Dauco carota, natro et Ativisha paratus pulvis depellit statim indigestionem, dolorem, ileum et cibi fastidium.

Aut lixivium ceu medicamen, sal maritimum, aut muriatem sodae impurae, aut sacchari officinarum refertam Sinapim dichotomam ex aceto, aut duas trigeminas species cum sale fossili Asaque foetida commixtas, seminibus impletas butyroque clarificato conditas, aut speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis cum sale maritimo aut lacte Euphorbiae antiquorum commixtam bibat, aut etiam bibat prosperum sal maritimum, quod indicatum est in principio circa morbos ab aëre ortos (Tom. II. pag. 69), aut etiam Piper nigrum, Carum carvi Sinapimque dichotomam, aut partes aequales Piperis longi et Jatrophae glaucae bibat, aut cum Danti commixtum Piperis longi sedimentum bibat ex Koshavatis succo, aut ex calidis aquis sedimentum Piperis longi bibat cum arido zingiberi commixtum, aut speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, fructum Galedupae arboreae, duas Curcumas et radicem Ari campanulati, singulorum pares portiones, cum Citro medica.

In umbra exsiccati boli, ex oculorum collyrio confecti, depellere possunt ileum. Bene vomitione defunctum, aut probe expurgatum, aut bene jejunum hominem cum medicus cognoverit, lactibus etc., cum calefacientibus substantiis coquendis, omnino fame vexatum aegrotum aggrediatur.

Crudum excrementum, collectum gradatim, amplius adstrictum nocivo aëre, et non convenienter procedens, — hunc morbum suppressionem appellant.

In hoc morbo a cruditate orto fit sitis, catarrhus, capitis aestus, in cruditatis sede dolorum vexatio, gravitas, singultus, ructus, destructio, rigor, in lumbo et dorso faeces et urina, dolor, animi deliquium, stercoris vomitus et suspirium.

In hoc morbo circa coctionis sedem orto fiunt signa ibi a languore orta.

In hoc morbo a cruditate orto aërem medicus aggrediatur contactibus, alimentis, incessu et calefacientibus substantiis.

Porro alterum aegrotum, qui non faeces evomit, hunc devincat diaphoreticis digestivisque.

In ileo indicatas substantias, quae purgatoriae sunt, illas etiam ceu embolos adhibeat contritas cum bubalorum, ovium, elephantorum et vaccarum urinis.

In sitabundi anum injiciat illas turundas; pulverem autem illarum substantiarum inspiret per fistulam.

Cum urina praeparet ex praescripto substantias, quae sursum decor-

sumque eunt. Hac decoctione, cum dimidia parte urinae et cum melle commixta, celeriter curationem peragat.

Si negotium oleo Sesami orientalis cum illis substantiis parato confectum est, suffiat."

Caput LVII.

Nunc vero caput de ciborum fastidii remediatione exposituri sumus.

„Corruptis humoribus singulis simul et animi adversitate in ciborum viis et in corde valde extenso inappetentia fit. Hunc morbum quintuplicem medici cibi fastidium appellant.

Cum cordis dolore compressioneque complicata oris siccitas in cibi fastidio aëreo symptoma est.

Cordis aestus cutisque magnus ardor, oris amaritudo, animi deliquium, sitis etiam oritur in cibi fastidio a bile affecto.

Pruritus, gravitas, phlegmatis confluentia, defatigatio, lassitudo et oris dulcedo oritur in cibi fastidio a phlegmate orto.

In cibi fastidio ab omnibus humoribus simul corruptis orto aër, bilis et phlegma multas formas (morborum) in ejus (fastidientis) corde commovent.

Homo, qui affectibus, moerore et timore circumactum animum habet, imperfectis cogitationibus praeditus est ob impurum visum.

Aëre praesente, aquam Acori calami, post vomitum factum, bibat, aut bibat ex oleis, liquoribus spirituosis, aut ex calida aqua, pulverem Piperis longi, Embeliae ribis, Hordei hexastichi cineris, Pisi sativi, Siphonanthi indicae, Mimosae octandrae, Elettariae cardamomi, Asae foetidae, salis maritimi, Jasmini auriculati et aridi zingiberis.

Bile praesente, emeticum laudatum est ex saccharo crudo, aqua et dulcibus. Oleum, cum sale fossili, saccharo candido, melle et butyro clarificato commixtum, exoptatum est.

In cibi fastidio a phlegmate orto aqua Meliae azidaractae, vomitu facto, potus sit, aut aqua Rajadrimae cum melle et Ligustico ajwaën.

Pulvis, qui indicatus est in cibi fastidio ab aëre orto, ille etiam omne cibi fastidium omnibus humoribus simul corruptis effectum pariter aggredi (curare) potest.

Ex uvarum Vitis viniferae, Trichosanthae dioecae, Embeliae ribis, Calami rotang, Capparis aphyllae, Meliae azidaractae, Sansevierae zeylanicae, Terminaliae citrinae, Terminaliae belericae, Zizyphi jujubae, Phyllanthi emblicae, Pini Dévadáru, Galedupae arboreae et Nrĭpavrĭkshae seminibus contritis linctum coquat ex praescripto, cum odoramentis et urina commixtum.

Aut Cyperum rotundum, Acorum calamum, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, duas Curcumas, Siphonanthum indicam, Costum arabicum et Nirddahanim conterat et in urina ovilla cum elephanti urina commixta coquat.

Aut Cysampelon hexandram, mannam Bambusae arundinaceae, Ativisham et Curcumam longam eximiam, Rubiam manjistam, Asclepiadem giganteam, Menispermum cordifolium et Commelinam salicifoliam in urina bubalina coquat medicus praeceptorum peritus.

Quatuor autem aegroti hos linctus non lingunt: aegrotus ob glandularum mesentericarum indurationem fastidiens, suspirio affectus, ex gula laborans et cordis morbo afflictus.

Convenientes, in sua ipsa regione paratos variosque cibos, potiones, radices, fructus, symphonias cupidinesque adhibeat: comedatque succos varios ex variis generibus; aut vescatur etiam levibus, asperis animoque gratis cibis.

Roborationem ex praescripto ibi et alvi purgationem mitesque capitis purgationes moliatur.

Speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis cum Curcuma longa et tribus myrobalanis compositam, contritam, et tum cum nitro Solanoque melongena commixtam concedat, oris purgandi causâ, et alia amara purgantiaque medicamina.

Decoctionibus ex classe Cyperi rotundi (Tom. I. pag. 94.) Rájataru et ex classe decemmembri (Tom. I. pag. 95.) paratis et cum melle commixtis devincat cibi fastidium, et variis linctibus, et spiritibus destillatis vinosisque liquoribus cum saccharo paratis, et spirituosis liquoribus, et kalinis vinosis liquoribus, mellis dulcedinibus simili odore praeditis.

Idem praiceptum etiam locum habeat in aegrotis phlegmate aëreque afflictis. Igne sedationem nacto pro aegroti sedatione, aut interno igne, desideriis, vexationibus, timore et moerore extincto, substantias medicus pro salute praebeat potentibus indolibus instructas.

Opibus diminutis, iterum pro salute Pauranicis traditionibus delectet aegrotum.

Paupertatem nacta mente, ibi scientia laudata est.

Quidcumque optatum est, id fastidienti homini adhibendum est."

Caput LVIII.

Nunc vero caput de remediatione ischuriae posituri sumus.

„Aëris anulus, globosus tumor, inflatum abdomen, urinae praeteritio, urinae suppressio, urinae retentio, urinae perditio, urinae semen, calidus aër, et duo vesicae torpores — undecim morbi expositi sunt.

Post asperationem excrementorumque obstructionem aër in abdomine urinam cum doloribus corripit; aegrotus incedit quasi anulus factus (incurvatus); exiguum exiguumque crepitum lentius emittit. Aëris anulum hunc perhorridum morbum esse sciat.

Faecum abdominisque intervallum ingressus aër globi instar durum nodum facit, stabilem editumque. Faecum, urinae et aëris retentio ibi inflatioque oritur, dolorque oritur in abdomine. Hunc morbum esse globosum aëris tumorem sciunt.

Qui vero urinae evacuationem retinet imperitus homo, ejus aër, abdomen aggressus, praecludit orificium abdominis. Urinae accumulatio oriri potest, qua de causa in abdomine alvoque homo vexatus est. Inflatum abdomen hic morbus dignoscendus est, difficilis curatu.

Qui urinam, postquam ejus profluvia cohibuit, iterum reddere vult, illius urina non procedit, aut si ullo modo provenit, magno labore tarda, dolorosa exiguaque identidem provenit. Urinae praeteritionem autem hunc morbum esse cognoscat, ab urinae evacuandae repulsu ortum.

Urinae evacuatione inhibita, aër abdominalis (Tom. I. pag. 170.) abdomen valde potest implere; sub umbilico inflationem horrifice dolentem parit. Hanc urinae suppressionem ab inferioris abdominis coërcitione ortam esse sciat.

Cujus hominis urina aut in abdomine, aut in urethra glandeque penis sita retinetur, ea cum sanguine magnoque labore profluit lente lenteque exigua exiguaque, morbosa, aut non morbosa. Ex corrupto aëre ortus hic morbus cognitus est ceu urinae retentio.

Asperi defatigatoque corpore praediti hominis bilis et aër in abdomine situs aestuosam, dolentem molestamque urinae perditionem efficere potest.

In interno abdominis orificio (collo vesicae) situs parvus et stabilis, dolens, calefactus, destillans, urinae viam obstruens et calculi signo praeditus si cui oritur nodus, hic urinalis nodus appellatur, cum dolore etc. complicatus.

Qui, exorta urinali affectione, coitum adpetit, ejus semen cum urina commixtum subito provenit aut ante, aut post urinam, interdum cineris aquae simile. Urinae semen hoc vocatur.

Lassitudine, itineribus et solis ardore si bilis abdomen aggressa est, tum aëre obducta et abdomen, penem anumque calefaciens profluit deorsum urina curcumae similis cum sanguine, aut etiam sanguis cum difficultate provenit. Hominis calidum aërem appellant hunc morbum.

Urina flavida, calida et copiosa si inarescit, et mali granati pulveri similis est, vesicae torporem esse hunc morbum, bile effectum, sapiens medicus sciat.

Si urina arida, ut concharum pulvis pallida, mucosa, densa albidaque moleste progreditur, vesicae torporem alterum esse hunc morbum, a phlegmate ortum, sciat. —

Infusiones, sedimenta oleosa, butyrum clarificatum, cibos, linctus, potiones, lixivium, mel, spiritum destillatum, sudorifera et clysteres prius indicatos (Tom. II. pag. 179 — 200.) sapiens medicus ibi det; et methodum calculos auferentem et urinae inflationisque medicamina omnino adhibeat.

Sedimentum oleosum, seminum Cucumis utilatissimi Aksham unum et sal fossile cum aqua oryzae fermentatae commixtum bibendo a difficultate urinae liberatur.

Liquorem spirituosum nitrosum homo urinae difficultate vexatus bibat; aut dulce carnis jus bibat, aut spirituosam essentiam. Aut bibat Croci sativi Karsham unum cum mellita aqua commixtum et per noctem digestum; mane tum gaudium adipiscitur.

Cum malo granato et Oxalide monadelpha commixtum, eximium, ex Ellettaria cardamomo, seminibus Cumini cymini et arido zingiberi confectum et sale maritimo bene conditum liquorem spirituosum bibendo a difficultate urinae liberatur.

Classis (medicaminum) ab Hemionite cordifolia incipientis et Ruelliae longifoliae radicem cum dimidio Prast'ha aquae coquat, quadruplice parte lactis adjectâ. Lactis remanentiam refrigeratam et cum saccharo candido melleque commixtam bibat homo, urinae suppressiones ab aëre bileque ortas arcentem.

In panno simul exprimat asininum equinumque stercus, et liquoris ex eo Kuḋavam unum bibat, urinales morbos auferentem.

Cyperi rotundi, Terminaliae citrinae, Pini Dévadáru, Sansevierae zeylanicae et Glycyrrhizae glabrae sedimenti oleosi Aksham unum cum succo uvarum Vitis viniferae commixtum bibat.

Bibat fatuam aquam frigidam, urinales morbos depellentem.

Solani jacquini sedimenti oleosi Kuḋavam unum bibat, urinalia vitia tollentem, aut hoc sedimentum cum melle commixtum.

Ex Phyllantho emblica expressi succi Kuḋavam unum bibendo, sanus fieri potest homo ex urinalibus vitiis morbisque laborans. Aut pari modo

ex succo fructuum Phyllanthi emblicae homo bibat subtilem Elettariam cardamomum.

Cum perfrigida Oryzae sativae et Amaranthi polygami aqua conterat Borassi flabelliformis recentem radicem, Cucumis sativi succum, semen Cumini cymini et Momordicam mixtam; hoc ex lacte mane bibat.

Decoctum cum syrupis lac, cum butyro clarificato commixtum, bibat homo, urinalium vitiorum purgandorum causâ, ceu seminale vitium tollentem praecipuam medelam.

Pavoniae odoratae, Flacourtiae cataphractae, ossium ardeae, Zizyphi jujubae, laccae, Amaranthi polygami, Panici dactyli radicis, Pini Dévadáru, Plumbaginis zeylanicae et Terminaliae belericae seminum sedimentum oleosum ex liquore spirituoso bibat homo, urinalium vitiorum purgandorum causâ, ceu calculos purgans remedium.

Bignoniae suaveolentis lixivium, septies superfusum, recipiat et bibat ceu remedium morbos urinales tollens, compositum cum oleo Sesami orientalis.

Arundinem karkam, Saccharum officinarum, Saccharum cylindricum, Plectranthum scutellaroidem, Cucumim sativum, Cucumim utilatissimum et Citrum medicam lacte infusam ibi bibat, cum butyro clarificato commixtam.

Ex Bignoniae suaveolentis, nitri, Pini longifoliae et Sesami orientalis lixiviosa aqua homo mente praeditus pulverem Lauri cassiae, Elettariae cardamomi et Piperis longi bibat, cum saccharo commixtum, et lingat linctus singulatim.

Dehinc exponam methodum in urinali vitio salubrem.

In his morbis alvi purgatio inunctis sudabundisque salubris est. Deinde expurgato corpore praeditis salubres sunt superiores clysteres.

Cujus sanguis nimio feminarum amore irrigatur, ei coitus gaudium et dulcis puls curatio indicata est.

Galli adeps et oleum Sesami orientalis salubria sunt in superioribus clysteribus. Ejus praeceptum prius fusius edissertum est.

Mellis dimidiam pateram recipiat et pateram unam lactis butyrique; Carpopogonis prurientis et Tribuli lanuginosi fructum, cum Piperis longi pulveris dimidia parte commixtum, addat; hoc simpliciter congerat et rutabulo peragitet. Hujus pulverem, manus volam implentem, lingat et deinde lac post bibat. Hoc cum butyro clarificato adhibens homo, expurgato corpore praeditus, semper urinalia vitia devincere potest omnia, aliis remediis perdifficilia curatu. Devincere potest femina sanguinis vitia, infantibus carens foetum concipere potest et ab uteri vitio liberatur, hoc adhibens.

Pavoniam odoratam, nuclea fructuum Zizyphi jujubae, Glycyrrhizam glabram, Flacourtiam cataphractam, Asparagum racemosum, Andropogonem muricatum, Skirpum kysoor, semina Tribuli lanuginosi, Agrostem linearem,

Hedysarum gangeticum, Asclepiadem roseam, Convolvulum turpethum nigrum, Śrĭngálam, Vinnám, Sidam cordifoliam et duorum Solanorum classem, singulorum partes aequales, sapiens medicus simul praeparet cum quadruplice parte lactis et aequali parte sacchari. Dronae unius remanentiam depurgatam coquat cum butyri clarificati Ád'haka uno. Hoc butyrum paratum, in urceo deponendum, cum Prast'ha uno mellis commixtum, adhibens homo ab urinali vitio liberatur."

Caput LIX.

Nunc vero caput de remediatione urinalium vitiorum expadituri sumus.

„Aëre, bile, phlegmate, omnibus humoribus simul corruptis, faecibus, calculis, arenâ et urinali laesione valde afflictus octavus commemoratus est.

Scroto, pene et abdomine quasi dissecto, urgens exiguum exiguumque cum difficultate mingit homo in aëris vexatione.

Flavidum, calidum aut rubrum, scroto, pene et abdomine ignibus quasi combusto, in bilis vexatione mingit.

Unguinosum, album, non calidum, scroto, pene et abdomine gravi, horripilans in phlegmatis vexatione mingit.

Aestu, frigore et dolore penetratus multicolorem urinam identidem vexatus cum magna difficultate, omnibus humoribus simul corruptis, reddit.

In uriniferis, lanceâ sauciatis et laesis organis urinalis laesio oritur valde dolorosa. Inflato abdomini similia signa ejus observare medicus potest.

Faecum autem repulsu aër, corruptionem nactus, inflationem et valde dolentem urinae coacervationem efficit.

A calculis orta urinae vexatio antea relata est. Calculus et arena similia sunt in originis signis.

In arena autem differentiam audi ex me referente!

Phlegmate per bilem cocto et per aërem dilacerato, membra (quasi) fissa sunt. Arena hic morbus appellatus est. Cordis vexatio, tremor, dolor in abdomine, ignis (digestionis) perinfirmus, animi deliquium et urinae vexatio horrifica oritur in hoc morbo. Hac arena per urina ejectâ, dolor sedatur tamdiu, quamdiu alius globulus (arenae) denuo adit introitum urethrae. Hoc est signum urinalis vexationis ab arena ortae. —

Dehinc therapia horum octo morborum exponitur.

Homine calculum nacto et, ut dictum est, intuito, pro humore corrupto medicus adhibeat oleosam reliquamque curationem.

Flacourtiam cataphractam, Plectranthum scutellaroidem, Cáyap'hal, Hapusham, Flacourtiam sapidam, Pavoniam odoratam, Asparagum racemosum, Mimosam octandram, Capparim trifoliatam, Clitoriam ternatam, Hedysarum gangeticum etc. recipiat, et oleum Convolvuli turpethi albi concoquat, aut butyrum clarificatum. Id bibendum est huic aegroto. Aut etiam suffitionem adhibeat et clysterem, aëris difficultatum sedandarum causâ.

In Flacourtiae cataphractae sedimento oleum Sesami orientalis simul cum saccharo officinarum, lacte et arido zingiberi coquat. Id priorem in modum adhibendum ibi est, aëris morbos auferens.

In graminum classe (Tom. I. pag. 96.) et in classe a Nymphaea caerulea (Tom. I. pag. 94.), Kakoli (Tom. I. pag. 93.) et Ficu indica (Tom. I. pag. 94.) incipiente paratum butyrum potatum bilis difficultatem etiam celeriter delere potest. Det medicus clysterem, bilis difficultatum sedandarum causâ.

Ex illis confectum oleum in clysteribus triplicibus salubre est purgatorium cum saccharo officinarum, lacte et succo uvarum Vitis viniferae commixtum, et cum classe (medicaminum) ab Anetho sowa (Tom. I. pag. 92.), bdellio, Cypero rotundo (Tom. I. pag. 94.) et Cappari trifoliata (Tom. I, pag. 91.) incipiente paratum.

Oleum Sesami orientalis laudatur et aqua oryzae fermentatae in phlegmatis difficultate.

Pro humoris corrupti exortu conficiat illa etiam in urinae difficultate ab omnibus humoribus simul corruptis orta.

Fici oppositifoliae, Bassellae rubrae, Sacchari cylindrici et ferri pulverem ex aqua bibat. Liquor spirituosus et Sacchari crudi Saccharique cylindrici aqua potata difficultatem et morbum (urinae) delet.

Urinae difficultati a laesione ortae adhibeat statim vulnerum curationem.

In urinae difficultate hominis semper adhibenda est aërem tollens curatio, sudatio, lavatio, inunctio, clyster et pulverum usus.

Duarum reliquarum urinae difficultatum curandarum ratio in his duabus indicata est." —

Sic in *Susruta, Áyurvédae* doctrinam continente, in Ultimo Tractatu (*Uttaratantra*), somatica therapia peracta est.

Caput LX.

Nunc vero caput de remediatione Daemonum exposituri sumus.

„A Niśácharis (noctambulis daemonibus) custodiendus est semper vulneratus (ulcerosusque) aegrotus. Sic antea (Tom. II. pag. 50.) dictum est. Nunc vero fusius de eo edisseritur.

Secretarum futurarumque (non aggressarum adhuc) rerum cognitio, instabilitas, toleratio, aut actio daemoniaca in quo homine exsistit, is Grahas (a Grahis daemonibus captus) vocatur.

Impurum, recta via (officio) degressum, vulneratum, aut invulneratum, laedere volunt daemones, ob laedendi gaudium et cultum.

Innumerabiles Graharum turbae et Graharum reges manifestantur, atque hi multigeni daemones dividuntur octupliciter: Dévae (divini), Śatrugańae (hostium turbae), Gand'harvae (genii musicam tractantes), Yakshae, Pitres (manes), B'hujangae (serpentes), Rakshasi et Pisacharum gens. Haec octuplex daemonum turba etiam Grahaca vocata est.

Contentus, purus, exoptatis odoramentis et sertis ornatus, indefatigatus, fideliter et ornate (sanskrĭta) loquens, splendore praeditus, immobiles oculos habens, beneficia dans et Brahmae addictus qui est, is a Dévis (divinis daemonibus) cultus est.

Sudorus, Brahmańis (bis natis), Guris et Dévis maledicens, incurvos oculos habens, timoris expers, devio visu instructus, ciborum et potionum productionibus non contentus et corrupto animo praeditus a Dévaśatruis cultus est.

Laeto animo praeditus, insulas et sylvas medias colens, bonis moribus addictus, gratis cantibus, odoramentis et sertis ornatus saltans et cum pauco sonitu ridens homo a Gand'harbis daemonibus captus est.

Homo cuprinis oculis instructus, gratis, tenuibus et rubris vestibus indutus, corpulentus, celeri mente praeditus, parviloquens, patiens, splendidus, et qui dicit, — quid do cui? —, is a Yakshis daemonibus captus est.

Spectris in lectis bolos et aquam qui homo, sedato animo praeditus, projicit, perversis vestibus indutus, carnem adipiscendi cupidus, Sesami orientalis, sacchari crudi et jusculi appetens hisque deditus, a Pitrĭbus daemonibus captus est.

Humi qui aliquando se movet, serpentium instar, qui angulos oris linguâ semper lingit, somnolentus, saccharum crudum, mel, lac et jusculum adipiscendi cupidus dignoscendus est a B'hujanga captus.

Carnis, sanguinis et variorum liquoris spirituosi generum appetens, impudens, valde ultraque modum contumeliosus, nimis heroicus (atiśúra), ira-

cundus, magna vi praeditus, noctambulus et puritati inimicus a Rakshaso captus est.

Homo manum porrigens, macer, rudis, diu lamentans, male olens, valde impurus, nimis avidus, polyphagus, nivi ab hominibus desertae, aquae et nocti addictus, et qui valde circumvagatur lacrymans, a Piśáchis captus est.

Magnos oculos habens, festinanter incedens, suam spumam lambens, somnolentus, qui cadit et valde tremit, quique de montibus, elephantis, arboribus etc. delapsus et reunitus est, a senectute confectus est.

Dévae Grahaeque plenilunio, Aśurae diluculo crepusculoque, Gand'harvae plerumque die octavo mensis lunaris, Yakshae primo die lunae crescentis vel decrescentis, Pitres interlunio, Serpentes quinto die mensis lunaris, Rakshasi noctu, et Pisachae die quarto decimo mensis lunaris intrant (capiunt hominem).

Sicut umbra speculum etc., sicut frigus et calor animantes, sicut solis radius gemmam et sicut vitalitas corpus, sic intrant (non autem conspiciuntur) daemones hominem.

Castimonia horribilis, donatio, devotio, justitia, observantia religiosa, veritas et octo qualitates sempiternae, singulae totaeque, in his pro potestate sunt. Neque vero hi cum hominibus coëunt, nec alicubi in homines intrant. Qui „intrant" dicunt ex stultitia, ii a daemonum scientiae regione removendi sunt.

Circa hos daemones autem centies centena millia, mille, decem millia et centies millies centena millia servorum sunt.

Hi vero sanguinem, adipem et carnem comedentes, valde terribiles noctambulique hominem intrant.

Qui noctambuli turbam Deorum circumgressi sunt, ii ex veritatis (satva) unione cognoscendi sunt manifesti.

Divini daemones, qui Deorum instar puri praedicantur, ii adorantur aestimanturque etiam sicut Dii.

Dominorum indoles, perfectio, morum probitas et potestas in Suris etc. inest. Quae vero Nirriticae filiae sunt, earum stirps commemorata est.

Postquam daemones a veritatis (satva) statu progressi erant, eorum exsistentia catervis confecta est.

Laedendi gaudio affecti quidam etiam caelestem naturam nacti sunt. „Maligni daemones" sic hi nomine appellati sunt a sapientibus, quia a Grahis superatos medicus cognoscit calamitates.

Ex sacra scientia etiam scientia daemonum edicitur. Horum placationem quaerens medicus perintentus murmurationibus, religiosis observantiis et holocaustis curare ordiatur.

Rubra suaveolentiaque serta florea, semina et cum melle butyroque clarificato parati cibi omnes tanquam praeceptum omnium generatim indicatur.

Vestes, vinum et carnem, lac et sanguinem, quae a quibuscumque optata sint, iis praeberi jubeat medicus. Quibus vero diebus plerumque daemon malignus homines laedit, iisdem diebus illa danda sunt ad malignum daemonem placandum.

In divina aede, a divino daemone habitata, ignem cum sacrificaveris, nanciscatur daemon sacrificium, Poa cynosuroide, libo, popano, butyro oleoso. Anetho sowa et lacte nutritum. Asurae apto tempore sacrificium offerat in complanato terrae solo etc.; in quadrivio Rakshasae, aut in terribilibus imperviisque locis; in vacua domo Piśachae horrificum sacrificium faciat. Qui vero antea peractis sacris hymnis (mantra), in daemonum doctrina etc. demonstratis, et sacrificiis devinci non possunt, eos medicaminibus aggrediatur. Capri, ursi, hystricis et ululae pelles pilosque, Asam foetidam, urinam Moschi moschiferi et hujus vaporem adhibeat. Eo placatur celeriter daemon quamvis potens.

Pothon officinalem, Piper longum, radicem Ari campanulati, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Phyllanthum emblicam et Sinapim dichotomam, commixtam cum Alligatoris, Viverrae ichneumonis, felis et ursi bile, in nasalibus remediis, unguentis et adspersionibus applicet medicus, medicaminum naturam cognoscens.

Asini, equi, muli, ululae, cameli, canis, schacali, vulturum, cornicum et porci faeces cum Moschi moschiferi urina conterat. Cum hoc paratum oleum Sesami orientalis priorem in modum salubre est.

Mimosae sirishae semen, Allium sativum, aridum zingiber, Sinapim albam, Acorum calamum, Rubiam manjistam, Indigoferam tinctoriam et Piper longum cum Moschi moschiferi urina conterat. Turundae in umbra exsiccatae hae sunt, cum bile commixtae, oculorum collyrium.

Galedupae arboreae fructus, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis et radix Ari campanulati, cum Bignonia indica, Aegle marmelo et Curcuma longa parata, fiat turunda, priorem in modum oculorum collyrium. Sin autem hi illive daemones non absolvuntur, ex omnibus his substantiis collyrium oculorum indicatum est.

Sal fossile, Echiten antidysentericam, Asam foetidam, Asclepiadem acidam et Acorum calamum cum Moschi moschiferi urina conterat. Hoc contritum cum piscium bile superiorem in modum adhibeatur.

Vetus butyrum clarificatum, Allium sativum, Asa foetida, Sinapis alba, Acorus calamus, Juncus articulatus floribus albis, Ajalomí, Bútakeśí, Valeriana jatamansi, Bombax heptaphyllum, Ophioxylon serpens, Káńa, Asclepias geminata, Carpopogon pruriens, Asclepias acida, Śrĭngí, Datura metel, Ligusticum ajwaën, Aristolochia indica, species Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Cardiospermum haliacacabum, aurium collyrium, collyrium oculorum, Nyctanthes tristis et arsenicum flavum, Raksham

occidentia appellata, leonis, tigris, ursi, felis, pantherae, equi, bovis, Śváviti, hystricis, alligatoris, cameli et Viverrae ichneumonis faeces, cutis, pili, adeps, urina, sanguis, bilis, ungues etc. recipiantur. Ex hac classe medicus conficiat olea butyraque. In potionibus, inunctionibus et nasalibus remediis haec adhibenda sunt intelligenti medico. Expresso collyrio, etiam bolos paratos det. Applicet etiam in adspersione decoctum pulverem. In tegumento subtiliter contritum pulverem etiam in unguento adhibeat. Hoc unguentum etc. ex praescripto adhibitum omnes animi morbos invictos brevi tempore depellere valet.

Nec vero inconveniens remedium applicet divino daemoni; praeter Piśácham aliis contrarium ne adhibeat. Medicum enim et aegrotum illi magnipotentes irati certe occidere possunt.

Indicatum contraindicatumque praeceptum medicus semper obtineat; inde nanciscetur successum magnamque gloriam.“

Caput LXI.

Nunc vero caput de epilepsiae remediatione expositiuri sumus.

„Memoria, rerum internotio et sacrificatio relictae sunt. Inde epilepsia (i. e. memoriae privatio) hic morbus mortiferus est vocatus.

Post perversum etc. meditationum, rerum sensibus subjectarum actionumque usum, — ab excretionibus, cohibito sordidoque alimento gaudioque corruptis, oritur epilepsia virorum, excrementis impeditis affectorum, insalubria impuraque comedentium, ignorantiâ (rajas) obscuritateque (tamas) superatorum, mulieremque menstruantem ineuntium; pariterque ab amore, timore, tremore, ira, moerore etc., animo valde perculso.

Conscientiam afferentibus organis corruptos humores adeptis et ignorantiâ (rajas) obscuritateque (tamas) circumdatis, homo circumvago animo perturbatus, vibrans manus pedesque, detorquens linguam, supercilia et oculos, dentibus frendens atque evomens spumam, hiulcis oculis concidit ad terram. In parvo autem temporis intervallo conscientiam rursus ille adipiscitur.

Haec epilepsia sic dicta et visa quadruplex est: ab aëre, bile et phlegmate orta, et quarta ab omnibus humoribus simul corruptis orta.

Cordis tremor, inanitas, sudatio, contemplatio, animi deliquium, perturbatio, somnus et destructio in futura epilepsia oritur.

Tremens, suspirans et spumam evomens collidit dentes, perverse elo-

quitur verum, et violaceum me aggreditur epilepsia; illa mentis inops epilepsia mihi ab aëre orta sit.

Siti, aestu, sudore et animi deliquio vexata, agitans membra et perturbata epilepsia, quae perverse eloquitur verum, et flavum me aggreditur, illa mentis inops epilepsia mihi a bile orta dicitur.

Frigore, singultu et somno vexata, concidens ad terram et evomens spumam epilepsia, quae perverse eloquitur verum et album me aggreditur, illa mentis inops epilepsia mihi tum a phlegmate orta sit.

Dolor in corde, sitis, tristitia, querimonia, lamentatio et afflictio in tribus his epilepsiae generibus singulatim oriri potest.

Omnium symptomatum multitudo oritur in epilepsia ab irritatione omnium humorum corruptorum orta.

Ob adventum morbi sine causa, et ob abitum adventumque insufficiente causâ, epilepsiam alii dicunt non ab humoribus corruptis ortam esse. Ex praescriptorum sacrorum adhibitione autem, corruptorum humorum momento, adventu et universali forma epilepsia describitur a sapientibus. Deo irrigante sicut in terra semina quaedam autumno excrescunt, sic morborum origo (se habet). Stabiles quidam morbi, brevi tempore aucti, ostendunt morbosas mutationes universali forma naturaliter praeditas. Epilepsia igitur, morbus magnus, a corruptis humoribus orta est.

Epilepsiae adhibenda est methodus universa, quae in deliriis (cap. seq.) indicabitur.

Potio et unguentum, cum vetere butyro clarificato compositum, honoratum est.

Adhibitio medicamentorum circa daemones indicatorum praecipue locum habet.

Morungae guilandinae et Bignoniae indicae fermentum cum succo corticis Meliae azidaractae paratum aut in quadruplice parte vaccinae urinae oleum Sesami orientalis pro inunctione salubre est.

Cum alligatorum, ichneumonum, hystricum, ursorum et vaccarum bile paratum oleum Sesami orientalis in potionibus unguentisque honoratum est. Acribus portionibus ab utroque latere caput purget. Reverentiam Rudrae et ejus catervis semper praestet.

Dolichon biflorum, Hordeum hexastichon Zizyphum jujubam, Cannabis sativae summitates, Ruelliam longifoliam, Valerianam jatamansem, decem radices (Tom. I. pag. 95.) et Terminaliam chebulam diligenter coquat, tum hoc et butyrum liquidum cum Moschi moschiferi urina commixtum bibat. Id in epilepsia ab aëre orta salubre est.

A Kakoli (Tom. I. pag. 93.) incipiens remedium paratum cum prima classe (Tom. I. pag. 90.), et cum lacte, melle saccharoque compositum butyrum clarificatum in epilepsia a bile orta salubria sunt.

Butyrum clarificatum, cum medicaminum classibus a Pipere longo (Tom. I. pag. 92.), Acoro calamo (Tom. I. pag. 92.), Cypero rotundo (Tom. I. pag. 94.) et Cassiâ fistula (Tom. I. pag. 90.) incipientibus commixtum, et in urinae classibus coctum, salubre est epileptico ex phlegmatis causa.

Cum Suradruma, Acoro calamo, Costo arabico, Sinapi alba, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Asa foetida, Rubia manjista, duabus Curcumis, Mimosa pudica, tribus myrobalanis, Galedupae arboreae seminibus, Mimosa sirisha, Clitoria ternata et igne paratum sinapinum sic dictum butyrum, cum quadruplice parte urinae commixtum, vermes, lepram morbum, suspirium, phlegma, difficilem febrem, omnes malignos daemones, deliria et epilepsias depellere potest.

Ex decem radicibus, Pinu Dévadáru, Lauro cassia, Sanseviera zeylanica, Siphonantho indica, tribus myrobalanis, Cassia fistula, Potho officinali, Echite scholari, Achyranthe aspera, Salvadora persica, scilicet ex horum sedimentis, ex Gentiana cherayta, Caesalpinia bonducella, specie Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Plumbagine zeylanica, Convolvulo turpetho albo, Cysampelo hexandra, duabus Curcumis, Echite frutescente, Costo specioso, Echite antidysenterica, Jasmino arabico, Morunga hyperanthera, Indigofera anil et Erythrina fulgente, et ex vaccae lacte, lacte coagulato, urina et stercoreo liquore paratum butyrum, quincuplex vaccinum butyrum sic dictum, omnes epilepsias et daemones depellit. Quadruplices tabes, suspiria et deliria cohibet.

Ab aëre ortam epilepsiam clysteribus, a bile ortam alvi purgationibus, et a phlegmate ortam vomitionibus sapiens medicus curet.

In lacte cum Siphonantho indica decocto coquat Oryzae sativae et Amaranthi polygami jusculum. Per triduum expurgato apro hoc pabulum praeparet. Cum cognoverit autem, illud dulce factum esse, aprum interficiat et illud eximat. Tres partes illius pulveris cum una parte fermenti commisceat. In infusionis aqua danda est Siphonanthi indicae decoctio perfrigida. In purum vas ingerat primum hanc quantitatem, deinde liquorem spirituosum. Suaveolentes ortos succos medicus aegroto bibere det, venam progressam secet et prosperitatem conservet.“

Caput LXII.

Nunc vero caput de delirii remediatione exposituri sumus.

„Quia delirant exorti humores corrupti, superiorem viam (cerebrum) ingressi, idcirco hic mentis morbus delirium vocatur.

Singulatim ex quocunque humore ultra modum perturbato, et ex mentis morbo delirium quincuplex dicitur. A veneficio oritur sextum delirium. Convenienter hic remedium (indicatur).

Delirium nondum auctum, recens, deliram conscientiam adfert.

Cui mentis error, timor, sonitus in aure, membrorum vexatio, nimia vis, inappetentia cibi somnique, turbidum alimentum, aëre commotio et vertigo gradatim oritur, is mox delirium adit.

Horrido colore rudique voce praeditus, deinde inflatus, ex suspirio laborans, macer et tenuis, membris articulisque tremens est, erumpens declamat, canit saltabundus, vociferatur et circumerrat ob aëris irritationem.

Multa siti, sudore et aestu afflictus, multum comedens, insomnis, in umbra, nive, aëre et aquarum ripis libenter ambulans, acer, in nivis et aquae accervatione igneus est et die in coelo videt stellas ob bilem.

Vomitione, ignis torpore, tabe, cibi fastidio et tussi affectus, feminarum solitariarum cupidus, exigua mentis actione praeditus, somnolentus, pauciloquens, parum comedens et nocte caloris valde avidus est ob phlegmatis irritationem.

In delirio, ab omnibus humoribus simul corruptis orto, formas cum tribus corruptis humoribus mistas, ex aëre, phlegmate bileque confectas, cognoscat. Delirium omnibus his signis praeditum etiam incurabile est. Delirium ab omnibus humoribus simul corruptis ortum interdum curabile esse dicunt.

A furibus, regis ministris, hostibus et aliis, aut post divitiarum hominisque interritum, perterrito homini, et in animo valde laeso et dilectae feminae cupido, oriri potest vehementior mentis alienatio. Confuse hic loquitur, mens secuta est sui inscia, canit, deinde ridet lacrymaturque conturbatus.

Rubris oculis praeditus, robore, sensibus et splendore orbatus, pertristis, livido vultu instructus et sui inscius fieri potest in delirio a veneficio orto. Inunctum, sutabundumque hominem, delirio vexatum, medicus purget acribus portionibus ab utraque parte (deorsum sursumque), capitis purgaminibus et variis fricamentis cum sinapeos coleo commixtis. Illum pulverem naso cum adhibuerit medicus, nasale remedium adhibeat. Semper eum suffiri caninis vaccinisque carnibus valde foetidis jubeat. Ex sinapeos oleo nasale remedium et inunctio semper salubria sunt. Ostendat ei miracula; narret interitum cari hominis; timendarum formarum hominibus, serpentibus et domitis bestiis veneni expertibus terreat eum semper; funibus flagellisque eum percutiat. Cum coërcuerit bene dormientem, perterreat eum graminis igne; rastrisque dilaceret eum; articulorum autem percussionem evitet. In vetere specu semper eum tegumento operiri jubeat. Tertio quoque die aquam oryzae fermentatae det, aut farinam oryzae tostae ex aqua.

Aut omnes cum aqua commixtas alicas fermentatas, et gratum quod et calefaciens est, id aptum ei perdoctus medicus adhibeat.

Cum embelia ribe, tribus myrobalanis, Cypero rotundo, Rubia manjista, malo granato, Nymphaea caerulea, Convolvulo turpetho nigro, Élavaluka, Elettaria cardamomo, Sirio myrtifolio, Euphorbia tirucalli, Pinu Dévadáru, Andropogone shoenantho, Indigofera tinctoria, Costo arabico, Butea frondosa, Periploca indica, Piso sativo, Convolvulo turpetho albo, Danti, Acoro calamo, Flacourtia cataphracta, Mesua ferrea et Jasmini grandiflori floribus paratum lacteum butyrum indurationem glandularum internarum, tussim, febrem, suspirium, tabem et delirium avertit. Id etiam decoctum, Celte orientali impletum et cum quadruplice parte lactis commixtum, magnum bonum dicitur. Epilepsiam, catalepsiam, tabem, impotentiam virilem, debilitatem et sterilitatem hoc butyrum celeriter depellit, et morbos, qui in principio memorati sunt.

Cum Varhishťh'a, Costo arabico, Rubia manjista, Echite antidysenterica, Elettaria cardamomo, Curcuma longa, tribus myrobalanis, Asa foetida, Physalide flexuosa, Euphorbia tirucalli, Acoro calamo, Caro carvi, Kakoli, Médá, Glycyrrhiza glabra et Nelumbio specioso paratum, cum saccharo commixtum et cum quadruplice parte lactis coctum illud butyrum eidem salubre est. Infantibus, a daemone captis viris et corrupto exilique semine praeditis fructuosum est dictum butyrum, feminisque sterilibus celeriter graviditatem dat.

Rutam graveolentem, Cucumim madraspatanum, Embeliam ribem, speciem Piperis longi, Piperis nigri aridique zingiberis, Asam foetidam, liquorem spirituosum, Valerianam jatamansem, Hingtsham repentem, Allium sativum, Mimosam octandram, Menispermum cordifolium, Anethum sowam, Acorum calamum, Cardiospermum halicacabum, Nágavinnám, Panicum dactylon, Terminaliam citrinam et terram fragrantem, singulorum pares portiones, cum elephanti urina conteri jubeat. Ex hoc paratas, in umbra exsiccatas, turundas adhibeat medicus praeceptorum gnarus in fricamento, collyrio, unguento, nasali remedio, suffimento et linimento.

In pectore, angulo oculi externo et fronte sanguinem mittat medicus. Epilepsiae therapiam, et circa daemones demonstratam, etiam instituat.

Sedato humore, purgatum aegrotum oleosis clysteribus curet.

Moeroris aculeum, delirii causam quintam, medicus removeat.

In deliriis omnibus efficiat animi placationem.

Mitem priorem, in ebrietate indicatam etiam therapiam sapiens adhibeat.

In delirio a veneficio orto mitem priorem, venenum depellentem therapiam instituat.“

Caput LXIII.

Nunc vero caput, de gustuum divisione considerationem continens, exposituri sumus.

„Corruptorum humorum proventus quindecim modis relatus est. Eorum origo ex sexaginta tribus gustuum diversitatibus indicatur.

Hi gustus in mites et acres distinguuntur sexaginta tribus modis. Gustuum autem diversitates sexaginta tres medicus satis cum respexerit, negotium peragat. Ex singulo gustu series secundum partes prolata est. Corruptos humores ibi sapiens etiam sexaginta tres exhibeat.

Ex praescripto in exsistentium gustuum duplicationibus dulcis gustus quinque combinationes init; acidus quatuor; tres adit gustus salsus; pungens duas; amarus adstringentem gustum init.“

Hae duplicationes quindecim sunt hoc modo:

Dulcis gustus cum acido gustu, dulcis cum salso, dulcis cum amaro, dulcis cum pungente et dulcis cum adstringente. Hi sunt quinque gustus dulcem gustum secuti.

Acidus gustus cum salso gustu, acidus cum pungente, acidus cum amaro et acidus cum adstringente. Hi sunt quatuor gustus acidum gustum secuti.

Salsus gustus cum pungente gustu, salsus cum amaro et salsus cum adstringente. Hi sunt tres gustus salsum gustum secuti.

Pungens gustus cum amaro gustu et pungens cum adstringente. Hi sunt duo gustus pungentem gustum secuti.

Amarus gustus cum adstringente gustu. Hic est unus gustus amarum gustum secutus.

Hae quindecim duplicativae combinationes indicatae sunt; nunc triplicationem dicturi sumus.

Ab initio adhibitus dulcis gustus decem combinationes adit; sex acidus; salsus ideo tres; unam gustus pungens:

Dulcis gustus cum acido et salso gustu, dulcis cum acido et pungente, dulcis cum acido et amaro, dulcis cum acido et adstringente; dulcis cum salso et pungente, dulcis cum salso et amaro, dulcis cum salso et adstringente; dulcis cum pungente et amaro, dulcis cum pungente et adstringente; dulcis cum amaro et adstringente. Sic in harum triplicativarum combinationum principio dulcis gustus adhibetur.

Acidus gustus cum salso et pungente gustu, acidus cum salso et amaro, acidus cum salso et adstringente; acidus cum pungente et adstringente, acidus cum pungente et amaro; acidus cum amaro et adstringente. Sic in harum sex combinationum principio acidus gustus adhibetur.

Salsus gustus cum pungente et amaro gustu, salsus cum pungente et adstringente; salsus cum amaro et adstringente. Sic in harum trium combinationum principio salsus gustus adhibetur.

Pungens gustus cum amaro et adstringente. Sic in hujus unius combinationis principio pungens gustus adhibetur.

Sic hac viginti triplicativae combinationes indicatae sunt; nunc quadruplicationes dicturi sumus.

Dulcis gustus decem quadruplicationes adit; quatuor acidus init; salsus autem unam.

Dulcis gustus cum acido, salso et pungente gustu, dulcis cum acido, salso et amaro, dulcis cum acido salso et adstringente, dulcis cum acido, pungente et amaro, dulcis cum acido, pungente et adstringente, dulcis cum acido, amaro et adstringente; dulcis cum salso, amaro et pungente, dulcis cum salso, pungente et amaro, dulcis cum salso, pungente et adstringente, dulcis cum salso, amaro et adstringente. Sic in harum decem combinationum principio dulcis gustus adhibetur.

Acidus gustus cum salso, pungente et amaro, acidus cum salso, pungente et adstringente, acidus cum salso, amaro et adstringente; acidus cum pungente, amaro et adstringente. Sic in harum quatuor combinationum principio acidus gustus adhibetur.

Salsus gustus cum pungente, amaro et adstringente gustu. Sic in hujus unius combinationis principio salsus gustus adhibetur.

Sic hac quindecim quadruplicativae combinationes relatae sunt; nunc quincuplices combinationes indicaturi sumus.

Quincuplicationes quinque dulcis gustus, unam acidus adit:

Dulcis gustus cum acido, salso, pungente et amaro gustu, dulcis cum acido, salso, pungente et adstringente, dulcis cum acido, salso, amaro et adstringente, dulcis cum acido, pungente, amaro et adstringente; dulcis cum salso, pungente, amaro et adstringente. Sic in harum quinque quincuplicium combinationum principio dulcis gustus adhibetur.

Acidus gustus cum salso, pungente, amaro et adstringente gustu. Sic in hujus unius combinationis principio acidus gustus adhibetur.

Sic hac sex quincuplices combinationes indicatae sunt; nunc sextuplicativam unam combinationem dicturi sumus.

Una autem sextuplex combinatio exsistit:

Dulcis gustus cum acido, salso, pungente, amaro et adstringente gustu. Sic haec una sextuplex combinatio.

Singulatim sex gustus (sunt demonstrati): dulcis, acidus, salsus, pungens, amarus et adstringens.

Est hic ślokas:

„Hi sexaginta tres gustus demonstrati sunt a gustuum gnaris. In humorum autem corruptorum diversitate etiam sexaginta tres combinationes sunt peritis exhibendae."

Caput XLIV.

Nunc vero caput de sani hominis vitae ratione expositurі sumus.

„Aequalibus humoribus, aequali igne (calore organico — digestio), aequalibus corporis elementis (Tom. I. pag. 31.), secretionibus et functionibus, claro animo, sensibus et mente praeditus homo salvus nominatur. In Principiorum medicorum libro (Sútrast'hána) salvus talis definitus est. Hujus praeservatio (prophyllaxis) therapiae origo est. Hominis vitae ratio quae vocatur, praeservatio breviter appellatur. In eo (salvo) rationes breviter dictae sunt; nunc fusior ejus expositio.

Quovis anni tempore quivis humores hominum irritantur, in his illisve dandi sunt ab intelligenti medico hi illive gustus (sapores). Ex corporum madore pluviis anni temporibus in torpido hominum igne (calore organico) irritationem et voluptatem adeunt aër et ceteri humores corrupti. Idcirco madoris purgandi causâ, et pro corruptorum humorum cohibitione, ex adstringente, amaro et pungente gustu tum idonia substantia est.

Neque valde mite, nec valde asperum, calidum et calefaciens alimentum dandum est domino, nec id, quod frigidum dictum est ab initio.

Calores cohibentem aquam bibat, cum melle commixtam, die nubibus ventisque pleno, perfrigidisque pluviis impleto.

Ob juventam aestum adeunt plantae annuae; eadem de causa mente praeditus etiam ne contentionem aggrediatur, ne nimiam aquae potationem, frigus, coitum et solis ardorem. Terrae vaporum evitandorum causâ dormiat in aëre. Frigidam cum igne instructam, ventorum expertem et Guruum vestimentis ornatam domum adeat homo a Nagis foeminisque laudatus et a Guruis decoratus. Diurnum somnum et indigestionem studiose ibi evitet.

Autumno studiose adhibendi sunt adstringentes, dulces et amari gustus. Lac, saccharum, spirituosus liquor, mel, Oryza sativa, Phaseolus mungo etc., caro et aqua ob pelluciditatem omnis tum salubria sunt, et lacus, et perparva sylva, et in Nymphaea nelumbone, Nymphaea caerulea Oryzaque sativa vespere lunae radii, Sirium myrtifolium et suffitio. Amari butyri liquidi potio-

nibus, sanguinis missionibus et alvi purgationibus usus pluviis anni temporibus collectam bilem auferre potest. Ne bibat acre, acidum et calidum lixivium; somnum diurnum, solis ardorem, noctnrnam vigilantiam et coitum evitet.

Cum dulci frigida aqua commixtum vinum, puri crystalli instar clarum, autumnalis lunae radiis purgatum et Agastyae ortu expers veneni, et ob pelluciditatem aqna omnis etiam tum salubris est.

Cum Sirio myrtifolio commixtam camphoram, vestem puram levemque, autumnale sertum floreum et sicerae potionem recte colat.

Bilis sedamen omne medicus adhibeat. —

Hiems frigida, aspera, languido sole praedita et ventis turbida est. Tum vero frigus aggrediendo aër ibi irritatur. In extis situs, frigide dentes constringens et congestus aër succum (chylum) exsiccat celeriter; ideo oleosum tum salubre est. Hieme alimentum salsis, lixiviis, amaris, acidis et pungentibus substantiis impletum, butyro clarificato oleoque Sesami orientalis conditum, non frigidum, salubre indicatur. Acres etiam potiones bibat homo, Aquilariâ agallocho ornatus. Oleo Sesami orientalis inunctus, in labro suaviter calefacto, carbonum ductibus instructo et amplo lavet, et in lecto sericis tegumentis obducto dormiat opertus, in abdomine circa uterum feminas amplexus, Aquilariae agallochi suffimentis refertas, subflavis amplisque lumbis et mammis praeditas. Cum voluptate exerceat coitum exhilaratus rex. Dulcem, amarum, pungentem, acidum et salsum etiam cibum et potum, Sesamum orientale, Phaseolum radiatum, olera, lac coagulatum, sacchari liquores spirituosos, oryzam, odoramenta recentia, vehementium bubalorum carnes et carnes animalium carnivororum in cavis jacentium, aquatilium natantium et quadrupedum, vina clara, et roborantia adhibeat. Ad libidinem haec adhibeat homo prosperitatem desiderans in hiemis adventu. Hoc praeceptum relatum etiam adhibendum est hieme posteriore.

Phlegma frigidorum animantium hieme ob frigus collectum, et vere irritatum ob calorem, multos efficit morbos. Tum amara, dulcia, oleosa, salsa et gravia evitet, vomitiones autem et ceteras curationes adhibeat. Cibum ex Oryza praecoce, Hordeum hexastichon, Calamum fasciculatum, Phaseolum mungonem, Oryzam montanam et Paspalum frumentaceum ex Perdicis chinensis juribus et pisinis jusculis recte medicus praebeat.

Ex Trichosanthe dioeca, Melia azidaracta, Solano melongena et Mimosa catechu in hiemis exitu adhibeat dulcem siceram et spirituosum liquorem spiritum destillatum ex syrupo, spiritnosum liquorem ex Bassia latifolia et spiritum destillatum ex saccharo.

Fatigationem, collyrium, suffitionem acremque offam ex grata aqua quovis modo adhibeat in florum aventu.

Acer, asper, pungens, lixivius, adstringens, calidus, non fluidus, Hordeo

hexasticho, Phaseolo mungone et melle impletus cibus vere saluber est. Fatigatio ibi a pugna, itineribus, petris et malaciis effecta salubris est. Suffitionem, lavationem, feminas et sylvas frequentet, auferatque etiam hieme collectum phlegma capitis purgationibus, vomitibus, clysteribus evacuantibus, ecligmatibus etc.

Evitet dulcem oleosamque substantiam, diurnum somnum et graves substantias, fatigationem, calorem, contentionem, coitum nimiamque siccitatem; succos ignis indole distinctos aestivo tempore evitet.

Lacus, rivos, stagna et sylvas amoenas, Sirium myrtifolium eximium, serta florea ex Nymphaea nelumbone et Nymphaea caerulea, flabella, venti receptacula et frigidas domos aestivo tempore adhibeat, habitationesque perleves. Saccharum, syrupum, unguentumque suaveolens, refrigerantes potiones et cibos hordeaceos saccharo conditos adhibeat. Cibus frigidus, butyro conditus, et dulcis substantia ex elixo lacte et ex sacchari syrupo nocte salubria sunt. In lecto recentibus floribus consperso, in palatio collocato, dormiat, lunae crescentis radiis ventisque gratis contactus.

In aestatis fine semper salubres sunt tres sapores graves, lac, jus carnis, calor, olea, butyra clarificata et opus dulciarium paululum fluidum. Aestivo tempore collectum irritatumque aërem praecepto aërem depellente depellere potest medicus praeceptorum gnarus. Aquam fluvialem asperam calidamque, aquae agitationem, solis ardorem, contentionem, diurnum somnum et coitum ibi evitet, et Hordeum hexastichon, Oryzam praecocem, Triticum aestivum et Oryzam sativam veterem. In medio palatio ventorum experte colat noctem mitem superiorem.

Venenatis animalibus impletam, faecibus, urina, saliva, sputis etc. perfusam aquam et aërem veneno aequalem, ventoque venenato et pluviis corruptum in omnibus adhibitionibus hoc tempore evitet. Clysteribus evacuantibus aliis aliisque aërem tollentibus sedet irritatum aërem (organicum), aut anni tempori consentaneum praeceptum adhibeat. Qui homo quovis anni tempore hoc praeceptum observat, is terribiles anni temporibus effectos morbos nunquam nanciscitur.

Dehinc duodecim ciborum praebitiones indicaturi sumus.

Frigidus, calidus, oleosus, asper, fluidus, siccus, semel aut bis die dandus, cum medicaminibus compositus, materiae expers, corruptos humores sedans cibus et vitae ratio (proba) adhibeatur.

Siti, calore, delirio et aestu vexatos, ex haemorrhagia biliosa et veneno laborantes, animi deliquio afflictos et in feminis emaciatos frigidis cibis curet.

Phlegmate et aëre morboso plenos, alvum expurgatos, oleum bibentes et humido corpore praeditos homines calidis cibis curet.

Aëre affectos, aspero corpore praeditos, laboribus afflictos laboriososque homines oleosis cibis curet.

Adipe circumdatos autem, corpulentos, ex urethritide gonorrhoica laborantes et corpore phlegmati obnoxio praeditos asperis cibis curet.

Sicco corpore praeditos, siti afflictos et infirmos fluidis cibis curet.

Humido corpore praeditos, vulneratos (et ulceratos), et urethritide gonorrhoica affectum siccis cibis curet.

Semel die dandus est cibus ad infirmum ignem (digestionem) augendum.

Homini aequalis ignis participi dandus est bis die cibus.

Medicamina fastidienti dandus est cibus cum medicaminibus compositus.

Homini torpido igne (digestione) affecto et morboso cibus materiae expers laudatur.

Convenienter datus cibus corruptos humores sedans relatus est.

Porro sanorum vitae rationem omnem et ciborum adhibitiones, duodecim res indicant medici.

Dehinc decem medicaminum (dandorum) tempora indicaturi sumus.

A cibo remotum medicamen, cibum antecedens, cibum subsequens, in media coena adhibitum, intervallatum, cum cibo commixtum, praeiens et sequens, iterabile, in offa sumendum; — sic sunt decem tempora medicaminum (sumendorum).

A cibo remotum medicamen omne adhibetur. Majore vi praeditum fit medicamentum a cibo remotum. Depellere potest sic morbum celeriter sine dubio. Id infantes, senes, juniores tenerique bibendo, languorem summum viriumque interitum devincunt.

Antecedens medicamen appellatur, quod ante cibum adhibetur. Celeriter coctionem (digestionem) adit et vim non perdere valet medicamen cibo opertum, neque rursus ex ore exit. Medicamen ante cibum adhibitum vim tradit. Det medicus id senibus, infantibus, timidis, feminis eximio corpore praeditis.

Cibum subsequens medicamen appellatur, quod in coenae fine potatur. Hoc potatum, cibo antea adhibito, in susperiore corpore depellere potest morbos multigeneres, et vim dat.

In media coena adhibitum medicamen appellatur, quod in media coena potatur. In media coena autem potatum medicamen depellit ob suam dimanationis expertem naturam morbos, qui medium corpus opprimendo exoriuntur.

Intervallatum medicamen appellatur, quod in intervallo potatur, inter

priorem scilicet et subsequentem coenam. Gratum, mentis vim faciens valdeque calefaciens (digerens) et idoneum est hoc in intervallo sumtum medicamen.

Cum cibo commixtum medicamen appellatur, si cibus cum medicaminibus paratur. Cum cibo commixtum medicamen semper idoneum est feminis infirmisque viris, infantibus senibusque medicamina fastidientibus.

Praeiens et sequens medicamentum appellatur, quod in coenae principio et etiam fine potatur. Corrupto humore dupliciter aggresso, comitabile medicamen cognominatum est, quod in principio et fine coenae adhibetur.

Iterabile medicamentum est, quod aut cum cibo aut sine cibo iterum iterumque adhibetur. Suspirio, aut tussi, singultu et vomitu iterum iterumque progresso, hoc adhibendum esse dicunt.

In offis sumendum medicamen appellatur, quod bolis immixtum est. In offis intermediis concedat medicus vomitoria suffimenta; in suspirio etc. illos celebratis evidentibusque qualitatibus praeditos linctus.

Sic haec decem medicaminum (dandorum) tempora indicata sunt.

Corpore faecum et urinae experte, claro, perlevi, expurgato et emeticis evacuato, corde valde puro, aëre abeunte, cibo fido, sternutatione adveniente et ventre flaccido, dandum est a medico alimentum. Tempus autem hoc commemoratum est.“

Caput LXV.

Nunc vero caput de Tantrae praeceptionibus expositurі sumus.

„Triginta duo Tantrae (sacrae doctrinae) adhibitiones sunt, hoc modo: transgressio, conjunctio, versus sententia, originis sententia, demonstratio, descriptio, instructio, informatio, conclusio, consideratio, exceptio, verbi relictio, ex sensu profectio, contrarietas, connexio, singularitas, varietas, assertio, possitiva conclusio, consensio, praeceptio, futurorum inspectio, praeteritorum respectus, dubitatio, expositio, conscientia, effatum, perspectio, jussus, alternatio, collectio, institutio.

Quae adhibitio harum Tantricarum praeceptionum indicatur? Sententiarum usus et rerum usus.

Sunt hic ślokae:

Sententiarum a perperam dicentibus adhibitarum contradictio et propriae sententiae perfectio efficitur ex Tantrae praeceptionibus.

Quae res manifestae non dictae sunt, quae invisibiles et inclarae,

et quae parce dictae sunt alicubi, earum perfectio in Tantra est. Sicut enim sol sylvam Nymphaeae nelumbonis, et sicut lampas domum, sic Tantrae praeceptiones intelligentiam illustrant. —

Si quis materiam aliquam transgreditur, ut succum aut corruptum humorem, id transgressio appellatur.

Quocum sententia conjungitur, id conjunctio est, hoc modo; „Oleum ex Menispermo glabro, Melia azidaracta, Valeriana jatamansi, Terminalia citrina, Wrightea antidysenterica, Pipere longo et Pavonia odorata paratum et cum Pinu Dévadáru commixtum semper pro salute bibat aegrotus ex collo genaque laborans.“

„„„Prast'ham (olei) bibat.““ Primum in sententia tripede: „paratum, adhibitum“; remotorum pedum in unum radactio conjunctio est.

Quae sententia relata est in linea aut versu, ea versus sententia appellatur. Non mensae sunt versuum sententiae, hoc modo: „In oleamentis, sudoriferis colyriisque demonstratis duarum triumque sententiarum exsistentia conspicitur.“ Ibi quae sententia ex priore alteraque conjunctione confecta est, ea est sumenda, exempli causâ: „Védae originem expositurì sumus;“ sic in hoc monosticho versu meus dubitat. Cujusnam Védae originem dicere volunt? Rĭgvédam, an alios Védas? Ibi priorem alteramque conjunctionem respiciendo „scire“ (vid) in consideratione, et „invenire“ (vid) in inventione, versatur. Harum duarum radicum (D'hátu) variis sententiis praeditarum usus sequens adhibitio est: Áyurvédae originem dicere volunt. Sic est versus sententia.

Quid aliud dictum, aliam sententiam efficit, id originis sententia est. „Sicut terrae gleba aquis humectatur, sic Phaseolo radiato, lacte et ceteris vulnus (ulcus) humectatur.“

Breviloquentia est demonstratio, hoc modo. „Aculeus.“

Extensa narratio est descriptio, hoc modo: „Corporalis adventus.“

Sic instructio hoc modo: „Ne vigilet nocte, et diurnum somnum evitet.“

Eadem ratione informatio se habet; exempli causâ: „Demonstratur dulcedine phlegma auctum.“

Ex praeterito facto argumentatio conclusio est, hoc modo: „Dévadattae sagitta eo extracta est; ideirco et Yakshyadattae sagittam etiam extrahet.“

Ex facto nondum aggresso (futuro) argumentatio est consideratio; exempli causâ: „Quomodo hac de causa aër sursum exsurgit, sic eadem de causa aquae vortex oriri potest.“

Accepta evulsio est exceptio, hoc modo: „Non lavandi sunt veneno affecti, cum exceptione veneni a vermibus orti.“

Si quo pede (verbo) non dicto tamen sententia impetratur, id verbi

relictio est; exempli causâ: „Capitis, manuum, pedum, laterum, dorsi, abdominis et pectoris indicatione comprehensio hominis etiam subauditur; homo sic etiam indicatus est."

Si quid non dictum ex sensu proficiscitur, id ex sensu profectio appellatur, hoc modo; „Oryza cocta comedenda est." Sic in hoc dicto ex sensu profiscitur: „Non ille sitit aquam oryzae fermentatae."

Ubi aliquid relatum oppositionem habet, id contrarietas est, hoc modo: „Macri, exili respiratione praediti et tumidi difficiles curatu sunt." Sic in hoc effatu oppositum capitur: „Firmi etc. faciles curatu sunt."

Per introductionis intervallum effecta comprehensio est connexio. In introductionem quae ingressa est sententia saepius dicta, ea comprehenditur ceu connexio, hoc modo: „Quinque magnorum elementorum et animantium complexio homo est." In hoc curatio est; hic dignitas est; in Vêdae origine id relatum est; in elementorum doctrina id rursus dictum est, ubi relatum est: „Quinque magnorum elementorum et animantium complexio homo est." Is sic activus homo in therapia propositus est.

Ubique quid ex disjunctione dicitur, id singularitas est, hoc modo: „Convolvulus turpethum album purgat; Vangueria spinosa vomitum facit."

Si quid alicubi hoc modo, alicubi alio modo se habet, id varietas est, hoc modo: „Quidam praeceptores Vêdantici (Áchárya) dicunt, substantiam (medicaminum) esse praestantissimum, quidam gustum, quidam efficaciam, quidam coctionem (digestionem)."

Anteposita quaestio assertio est, hoc modo: „Ab aëre orti quatuor urinales affectiones incurabiles sunt."

Illius summum est positiva conclusio, hoc modo: „Aër corpus vexando, deinde deorsum descendendo, urinam, adipe, tela cellulosa et medulla penetratam, procreat. Sic incurabiles sunt morbi ab aëre orti, ut dictum est. Universum corpus vexando aër, cum tela cellulosa, medulla et adipe commixtus, infra irritatur; hac de causa autem incurabiles sunt morbi ab aëre orti."

Eximie cogitatum et non refutatum est consensio, hoc modo: „Alius dicat septem gustus."

Ex introductionis ordine expositum praeceptio est, hoc modo: „Extremitatum inferiorum membra vitalia undecim (Tom. II. pag. 25.) ex introductionis ordine exposita sunt."

Indicabit futurorum inspectionem. Hoc modo in aliquo Ślokae loco dicere potest: „In curationibus indicabo."

Quid antea dictum est, id praeteritorum respectus est. Hoc modo in aliquo Ślokae loco dicere potest: „Quod in curationibus jam expositum est."

Ambarum conditionum conspectus dubitatio est, hoc modo: „Plantae

pedis cordisque percussio vitam rapit. Manuum pedumque vulneratio vitam non rapit."

Hic nimia descriptio expositio est, hoc modo: „Viginti quinque rationibus praeditus homo hic (in Áyurvéda) exponitur."

In aliis Áyurvédae Tantris elementorum etc. natura a cogitatione coepta est. Aliis doctrinis (śástra) effecta et universalis est conscientia, hoc modo: „Coitus, mellis et butyri comprehensio." In mundo praestantissimum est conclusio, hoc modo: „Prae caloris timore frigus aggreditur (homo.)"

Certa oratio effatum est, hoc modo: „Aetas exsistit in eo; aut eo aetatem adipiscitur." Sic Áyurvédas.

Ubi viso fine sensus perficitur, id perspectio est, hoc modo: „Ignis cum aëre concomitatus in stomacho augmentum adit; sic ulcus (et vulnus) aëre, bile et phlegmate corruptum."

„Hoc faciendum est." Hic est jussus. „Idoneum ad comedendum etiam porrigendum est."

„Hoc illudque," collectio est, hoc modo: „In carnis classe Antilopa nigra, anser, Perdix chinensis, Tetrao cinerea et Cuculus melanoleucos praestantissimum est."

„Vel hoc," alternatio est, hoc modo: „Cum jusculo oryza cocta, vel cum butyro aqua oryzae fermentatae."

Quid demonstratum est a sapiente, id est institutio. Sic indicatus in ciborum potionumque scientia quadruplex cibus demonstratur: „Deglutiendum, comedendum, lingendum et bibendum est." In quadruplice praecepto varia indicata est hic institutio. Cibi et potus quidem distincti sunt in duarum rerum prehensione effecta; sed prehensio quatuor rerum exsistit. Porro cibo esca (densa) inclusa est ex ciborum lege; potui autem linctus inclusus est ex fluidorum lege. Quadruplex igitur alimentum plerumque duplex absolvitur. —

Triginta duo haec praecepta in Tantrae disquisitione essentiali a me generatim sunt tradita, cum definitionum aptis explicationibus concomitata.

Qui sapiens illa praecepta pervalida (tigres facti) cognoscit, is venerandus medicus optimus est ex D'hanvantaris opinione."

Caput LXVI.

Nunc vero caput de humorum corruptorum divisionibus efficiendis expositur sumus.

„Octo membra Áyurvédae (Tom. I. pag. 1. 2.) scientem, coeli ministrum, magnanimum, dubium sententiae sacrae doctrinae (śástra) rescindentem, subtilem et profundo mari similem (D'hanvantarem) filius Visvamitrae fortunatus Suśrutas interrogat: inter sexaginta duas humorum corruptorum divisiones, quae antea expositae sunt, quot sunt simplices cognoscendae, quot duplices, quot triplices? Hujus interrogationem cum audiverit (D'hanvantaris), dubium rescindens, magnis castimoniis deditus, laeto animo praeditus, regum tigris (praestantissimus), Suśrutae interroganti respondit accurate: Tres humores, corporis elementa, faeces et urina corpus continent; haec enim illaesa sunt succis salubribus.

Homo sedecim segmentis praeditus; vitalitas undecim segmentis praedita; morborum mille centum et viginti; centum septuaginta octo et plures substantiae sunt. Fusius hoc jam expositum est. Tres qualitates (guńa) divisos humores corruptos habent. Sexaginta duobus modis eos indicant maximam partem. Sic judicium est. Tres singuli humores corrupti et novem duplicati devotis; tredecim et ultra unus et duo triplicati media aetate praeditis oriuntur. Quinquaginta oriuntur exitum aggressis, macris, mediocribus, valde macris, macris senibus et aliis duodecim. Sic expositi sunt tres humores sexaginta duobus modis. A commixtis corporis elementis et secretionibus humores corrupti rursus proficiscuntur innumerabiles. Idcirco studium medicus cum coëcuerit humorum corruptorum divisionibus efficiendis, et morbum cognoverit, curet gustuum divisionibus, ut demonstratum est. Medicus actor, negotium, gustus, humores corrupti, causa, effectus, sanitas, deinde alio modo morbus (consideratur).

Sexaginta sex capitibus hic Ultimus tractatus (Uttaratantra), ordinatis materiis, pedibus et methodo instructus, sic omnino auctus, manifestarum et reconditarum rerum cognitionem afferens hominibus, mente perturbata et stupida non praeditis, ex praescripto et quaestione demonstratus est.

Cum Ultimo tractatu autem opus totum Bráhmicum ex praescripto indicato cum perlegerit medicus, non orbatur fructu intelligentiae promisso. Hic sermo Brâhmicus perquam verax est.

Sic in Suśruta, Áyurvédae doctrinam continente, Ultimus tractatus (Uttaratantra) peractus est. —

Suśrutae Áyurvédae finis.

INDEX

Sanskrĭto-latinus plantarum arborumque in Suśrutae Áyurvéda obviarum, ordine Sanskrĭto-alphabetico.

Ubi Sanskrĭta plantarum arborumque nomina apud alios auctores alias habent interpretationes, ibi primam Sanskrĭtas voces in hoc indice proxime subsequentem interpretationem recepi.

Ansumat, Hedysarum gangeticum.
Akoťa, Areca faufel, catechu.
Aksha, Terminalia belerica, Elaeocarpus ganitrus.
Akshaka, Dalbergia oujeiniensis.
Akshoťa, Croton moluccanum, Aleurites triloba.
Agarí, Andropogon serratus.
Agasti, Aeschynomene grandiflora.
Aguru, Aquilaria ovata, agallochum.
Agni, Plumbago zeylanica, Semicarpus anacardium.
Ankoťha, Alangium hexapetalum.
Ajakarńa, Terminalia alata tomentosa.
Ajaloman, Dolichos pruriens.
Ajaśrĭngí, Odina pinnata.
Ajájí, Cuminum cyminum.
Ajántrí, Convolvulus argenteus.
Aťarusha, Justicia adhenatoda, genderussa.
Atasa, Linum usitatissimum.
Atiguhá, Hemionitis cordifolia.
Atichch'hatrá, Pimpinella anisum, Barleria longifolia.
Atibalá, Sida cordifolia, rhombifolia.
Atimukta, Dalbergia oujeiniensis, Goertnera racemosa, Banisteria bengalensis.
Ativishá, Betula alba.
Anantá, Panicum dactylon, Agrostis linearis, Hedysarum alhagi, Echites frutescens, Asclepias pseudosarsa, Terminalia citrina, Phyllanthus emblica, Menispermum glabrum, Piper longum.
Anala, Plumbago zeylanica, rosea.
Aníchidarśin, Panicum mileaceum.
Antiká, Echites scholaris.
Antrí, Convolvulus pes caprae.
Apámárga, Achyranthes aspera.
Abda, Cyperus rotundus.
Ab'hayá, Terminalia citrina, Andropogon muricatus.
Ab'híru, Asparagus racemosus.
Amara, Euphorbia tirucalli, Heliotropium indicum.
Amalá, Phyllanthus emblica.
Amrĭtá, Menispermum cordifolium, Menispermum glabrum, Phyllanthus emblica, Terminalia citrina, Ocymum sanctum.
Amrĭtavallí, Menispermum glabrum, cordifolium.
Ambashťha, Oxalis corniculata.
Ambashťhá, Jasminum auriculatum, Cissampelos hexandra, Oxalis monadelpha, corniculata.
Amb'hoja, Nelumbium speciosum.
Amra, Mangifera indica.
Amráta, Spondias mangifera.
Amlí, Oxalis monadelpha.
Amlavétasa, Rumex vesicarius.
Amlikà, Tamarindus indica, Oxalis monadelpha.
Aragbad'ha, Cassia fistula.

Arańi, Premna spinosa.
Aralu, Ailanthus excelsa, Bignonia indica.
Aravinda, Nymphaea nelumbo.
Arisht́a, Sapindus saponaria, Melia azidaracta.
Arushkara, Semicarpus anacardium.
Arka, Asclepias gigantea.
Arkamúlá, Aristolochia indica.
Arjaka, Ocymum sanctum, gratissimum.
Arjuna, Terminalia alata, glabra.
Artagala, Barleria caerulea.
Ardd'hachandrá, Convolvulus turpethum nigrum.
Alarka, Solanum trilobatum.
Alábú, Cucurbita lagenaris.
Avalguja, Serratula anthelminthica.
Aśana, Terminalia alata tomentosa.
Aśoka, Jonesia Aśoka.
Aśmab'hid, Plectranthus scutellaroides.
Aśmab'héda, idem.
Aśvakarńa, Shorea robusta.
Aśvagand'há, Physalis flexuosa.
Aśvatt'ha, Ficus religiosa.
Aśvabála, Saccharum spontaneum.
Aśvamára, Nerium odorum.
Asana, Terminalia alata tomentosa.
Ahinsrá, Momordica myxa.

Átarusha, Justicia adhenatoda.
Ád'hakí, Cytisus cajan.
Átmaguptá, Carpopogon pruriens.
Ámalaka, Phyllanthus emblica.
Ámra, Mangifera indica.
Ámráta, Spondias mangifera.
Áragbad'ha, Cassia fistula.
Árévata, Cassia fistula.
Árdraka, Amomum zingiber.
Ávégí, Convolvulus argenteus.
Áśana, Terminalia alata tomentosa.

Ikshu, Saccharum officinarum.
Ikshugand'há, Barleria longifolia, Saccharum spontaneum, Capparis spinosa, Tribulus lanuginosus, Convolvulus paniculatus.
Ikshuraka, Saccharum cylindricum, Barleria longifolia.
Ikshvàku, Cucumis colocynthis.
Inguda, Terminalia catappa.
Indivara, Nymphaea caerulea.
Indívara, Nymphaea caerulea.
Indra, Echites antidysenterica.
Indrayava, Nerium antidysentericum.
Indravárunìká, Cucumis colocynthis.
Indravrĭksha, Pinus Dévadáru.
Isht́a, Ricinus communis.

Ísvara, Aristolochia indica.

Ugra, Morunga hyperanthera.
Uchchatá, Allium sativum.
Ud́umbara, Ficus glomerata.
Uttamá, Jasminum auriculatum.
Utpala, Nymphaea caerulea, Costus arabicus, Costus speciosus.
Utpalaśárivá, Echites frutescens.
Udakíryya, Galedupa arborea.
Udumbara, Ficus carica, glomerata.
Uddála, Cordia myxa, latifolia, Paspalum frumentaceum.
Unmatta, Datura metel, fastuosa, Pterospermum acerifolium.
Upakunchiká, Elettaria cardamomum, Nigella indica.
Upakulyá, Piper longum.
Upotí, Basella rubra, lucida.
Upodiká, idem.
Umá, Linum usitatissimum, Curcuma.
Uruvuka, Palma christi, Ricinus communis.
Uśíra, Andropogon muricatus.
Ushańa, Piper longum, nigrum.

Úruhá, Panicum dactylon.

Rĭkshagand'há, Convolvulus argenteus, paniculatus.
Rĭkshagandhiká, idem.
Rĭshab'hí, Carpopogon pruriens.

Éranda, Ricinus communis, Palma christi.
Érváru, Cucumis utilatissimus.
Élá, Elettaria cardamomum, Alpinia cardamomum.
Érávata, Artocarpus lacucha.

Osht'ha, Bryonia grandis, Momordica monadelpha.

Kakub'ha, Pentaptera arjuna.
Kaksha, Terminalia belerica.
Kangu, Panicum italicum.
Kachch'urà, Dolichos carpopogon.
Kataka, Strychnos potatorum.
Katab'hí, Cardiospermum halicacabum.
Katú, Michelia champaca.
Katuka, Echites antidysenterica, Wrightea antidysenterica, Colotropis gigantea.
Katutumbí, Cucumis colocynthis.
Katurohińí, Wrightea antidysenterica.
Katp'halá, Gmelina arborea.
Katvanga, Bignonia indica.
Kat'hinjara, Ocymum sanctum.
Kańá, Piper longum.
Kańtakáriká, Solanum jacquini.
Kańtakárí, Flacourtia sapida, Solanum jacquini, Bombax heptaphyllum.
Kańtakí, Mimosa catechú.
Kańt'ha, Vangueria spinosa.
Kańdála, idem.
Kataka, Strychnos potatorum.
Kadamba, Nauclea cadamba, Sinapis dichotoma, Andropogon serratus.
Kadala, Musa paradisiaca, sapientium.
Kadalí, Musa paradisiaca.
Kanaka, Datura metel, Mesua ferrea, Butea frondosa, Bauhinia variegata, Michelia champaca.
Kanda, Arum campanulatum.
Kanyá, Aloës perfoliata.
Kapitt'ha, Cratoeva valanga, Feronia elephantium.
Kapivallí, Pothos officinalis, Feronia elephantium.
Kapítana, Spondias Mangifera, Hibiscus populneoides, Mimosa sirisha, Ficus religiosa, Areca faufel, catechu, Cratoeva marmelos.
Kamalottara, Carthamus tinctorius.
Kampila, Convolvulus turpethum album.
Karańja, Galedupa arborea.
Karańjaka, Verbesina scandens, Galedupa arborea.
Karamardda, Carissa carondas.
Karaví, Asa foetida.
Karavíra, Nerium odorum.
Karaháta, Vangueria spinosa.
Karipippalí, Pothos officinalis.
Karíra, Capparis aphylla.
Karéńu, Webera corymbosa.
Kakartá, Momordica myxa.
Karkand'hú, Zizyphus jujuba.
Karkaru, Cucurbita pepo.
Karkáruka, Convolvulus paniculatus.
Karkótaka, Aegle marmelos.
Karchúra, Curcuma reclinata.
Karchúraka, Curcuma zerumbet.
Karńiká, Premna spinosa.
Karbudára, Bauhinia variegata, Barleria caerulea.
Karbúra, Curcuma zerumbet, reclinata.
Karvúrá, idem.
Kala, Zizyphus jujuba.
Kalama, Oryza alba.
Kalambi, Convolvulus repens.

Kalaśi, Hedysarum lagopodioides, Hemionites cordifolia.
Kalka, Terminalia belerica.
Kalyánini, Phrynium dichotomum.
Kavacha, Hibiscus populneoides.
Kavará, Mimosa octandra.
Kaśéru, Scirpus kysoor.
Kahlára, Nymphaea lotus.
Káka, Ardisia solanacea.
Kákachiñchá, Abrus precatorius.
Kákajambu, Calyptranthes cariophyllifolia, Ardisia solanacea.
Kákajang'há, Leea hirta, aequata.
Kákanásá, idem.
Kákamáchi, Solanum indicum.
Kákádani, Abrus precatorius.
Kánchana, Bauhinia variegata, Michelia champaca, Mesua ferrea, Ficus glomerata, Datura metel.
Kánchani, Curcuma longa.
Káńd́ékshu, Barleria longifolia, Saccharum spontaneum.
Kádamba, Nauclea cadamba.
Kámbojí, Glycine debilis.
Káraví, Nigella indica, Anethum sowa, Celosia cristata, Asa foetida.
Káravélla, Cleome pentaphylla, Momordica charantia.
Kárikára, Vangueria spinosa.
Kárpása, Gossypium herbaceum.
Kàlá, Convolvulus turpethum nigrum, Indigofera tinctoria, Nigella indica, Rubia manjista.
Kálaméśiká, Rubia manjista.
Kálaméshí, Rubia manjista, Serratula anthelminthica.
Kálindaka, Cucurbita citrullus.
Káliyaka, Curcuma zanthorhiza.
Kaléyaka, idem.
Kávyá, Terminalia citrina.
Kaśá, Saccharum spontaneum.
Káśmarí, Gmelina arborea.
Káśmaryya, idem.
Káśmírajanma, Crocus sativus.
Káshťhà, Curcuma zanthorhiza.
Kásamarda, Cassia esculenta.
Kinśuka, Butea frondosa.
Kiñichí, Achyranthes aspera.
Kitava, Datura metel.
Kirátatikta, Gentiana cherayta.
Kunkuma, Crocus sativus.
Kuchandana, Pterocarpus santalinus.
Kuťaja, Echites antidysenterica.
Kuťannaťa, Bignonia indica, Cyperus rotundus.
Kuťhéraka, Ocymum gratissimum, sanctum.
Kuńd́ali, Volkameria inermis, Menispermum glabrum.
Kuťha, Poa cynosuroides.
Kundu, Boswellia glabra.
Kunduruka, Boswellia thurifera.
Kubjaka, Trapa bispinosa.
Kumárí, Aloës perfoliata, Clitoria ternata.
Kumuda, Nymphaea esculenta, rubra.
Kumudini, Menyanthes cristata.
Kumudvatí, Menyanthes cristata.
Kumb'híka, Rottleria tinctoria.
Kurańťaka, Barleria prionitis.
Kuruńťaka, idem.
Kuruvinda, Cyperus rotundus.
Kulatťha, Dolichos biflorus.
Kulayoga, Alpinia galanga.
Kuvérákshí, Bignonia suaveolens.
Kuśa, Poa cynosuroides.
Kushťha, Costus arabicus, speciosus.
Kushmáńd́a, Cucurbita pepo.
Kusumb'ha, Carthamus tinctorius.
Kustumburu, Coriandrum sativum.
Krĭtamála, Cassia fistula.
Krĭmig'hna, Erycibe paniculata.

Kr̆shńa, Piper nigrum, Carissa Carondas.
Kr̆shńá, Piper longum, Nigella indica.
Kr̆shńad'hattúra, Datura fastuosa.
Kr̆shńakámbojí, Phyllanthus multiflorus.
Kr̆shńapushpa, Datura fastuosa.
Kr̆hsńasára, Dalbergia sisu.
Kéchuka, Arum colocasia.
Kémuka, Costus speciosus.
Késara, Mesua ferrea.
Késiní, Andropogon aciculatus.
Kairáta, Justicia paniculata, Gentiana cherayta.
Kola, Plumbago zeylanica, Zizyphus jujuba.
Kolí, Piper longum, Piper chavya.
Kolaka, Piper nigrum, Piper longum, Cordia myxa.
Kolavallí, Pothos officinalis.
Kovidára, Bauhinia variegata.
Kośátakí, Trichosanthes dioeca.
Koshátakí, Trichosanthes dioeca, Luffa acutangula, pentangula, Achyranthes aspera.
Kaushiká, Convolvulus turpethum nigrum.
Kramuka, Areca catechu, faufel, Symplocos racemosa, Cyperus pertenuis, Morus indica.
Krúrad'húrttaraka, Datura fastuosa.
Kroshŕí, Convolvulus paniculatus.
Kshava, Sinapis dichotoma.
Kshariká, Solanum diffusum.
Kshírí, Mimosa kauki, Asclepias gigantea, Euphorbia.
Kshíravidárí, Convolvulus paniculatus.
Kshíravr̆iksha, Ficus glomerata.
Kshíraśukla, Convolvulus paniculatus, Trapa bispinosa.
Kshíriká, Mimusops kauki, Convolvulus paniculatus.
Kshudrá, Solanum melongena, Solanum jacquini, Oxalis monadelpha.
Kshuraka, Tribulus lanuginosus, Barleria longifolia.
Kshétraparpatí, Oldenlandia biflora.

K'hadira, Mimosa ferruginea, catechu.
K'hanakańíap'hala, Datura metel.
K'hará, Andropogon serratus.
K'haramanjarí, Achyranthes aspera.
K'harapushpa. Ocymum gratissimum.
K'harágarí, Andropogon serratus.
K'harjjúra, Elate sylvestris, Phoenix sylvestris.

Gajapippalí, Pothos officinalis.
Gańiká, Jasminum auriculatum, Premna spinosa.
Gand'ha, Morunga hyperanthera.
Gand'há, Michelia champaca.
Gand'hamúlà, Curcuma zerumbet, reclinata.
Gand'harbbahasta, Ricinus communis.
Gand'hasára, Śantalum album.
Garí, Andropogon serratus.
Garàgarí, Andropogon serratus.
Gavákshí, Cucumis madraspatanus, Clitoria ternata.
Gavéd'hu, Coix barbata.
Gángéruki, Hedysarum lagopodioides.
Girikarńí, Clitoria ternata, Hedysarum alhagi.
Gudúchí, Menispermum cordifolium, glabrum.
Gundra, Saccharum sara.
Gundrá, Cyperus pertenuis, rotundus.
Guváka, Areca catechu, faufel.
Guhá, Hedysarum lagopodioides.
Gr̆id'hranak'hí, Zizyphus jujuba, napeca.

Grĭshti, Lycopodium imbricatum, Zizyphus jujuba.
Gokshura, Ruellia longifolia, Tribulus longifolia.
Godaniká, Phrynium dichotomum.
God'húma, Triticum aestivum.
Gopag'hońtá, Zizyphus napeca.
Gaura, Sinapis alba, Grislea tomentosa.
Gaurí, Convolvulus turpethum album.
Gaurasarshapa, Sinapis alba.
Grant'hip'hala, Vangueria spinosa.
Gráhí, Feronia elephantium.

G'hańtapátalí, Bignonia indica.
G'hata, Phrynium dichotomum.
G'hońtà, Zizyphus jujuba, Areca catechu, faufel.

Chakramardda, Cassia tora.
Chańda, Tamarindus indica.
Chańdá, Andropogon aciculatus.
Chaturangula, Cassia fistula.
Chandana, Sirium myrtifolium.
Chandraválá, Alpinium cardamomum.
Chapala, Piper longum.
Chavya, Piper chavya.
Chitraka, Plumbago zeylanica, Ricinus communis.
Chiravilva, Galedupa arborea.
Chilichima, Clupea cultrata.
Chírí, Nerium antidysentericum.
Chukriká, Rumex vesicarius, Oxalis monadelpha.
Chuchú, Marsilia dentata.
Chúta, Mangifera indica.
Chorapushpí, Andropogon aciculatus.
Ch'hagala, Convolvulus pes caprae, argenteus.
Ch'hagaláng'hrí, Convolvulus pes caprae.
Ch'hatra, Anethum sowa.
Ch'hada, Xanthocymus pictorius.
Ch'hardana, Vangueria spinosa.
Ch'hinnaruhá, Menispermum glabrum.

Jatámánsi, Valeriani jatamansi.
Jatilá, Valeriana jatamansi.
Jambíru, Citrus acida.
Jambu, Eugenia jambu.
Jayantí, Aeschynomene sesban.
Jala, Andropogon shoenanthus.
Jalakańtaka, Trapa bispinosa.
Jángula, Luffa acutangula.
Játi, Myristica moschata, Phyllanthus emblica, Jasminum grandiflorum.
Játuka, Asa foetida.
Jámbava, Eugenia jambu.
Jing'hi, Rubia manjista.
Jíra, Cuminum cyminum.
Jívaka, Bryonia grandis, Pentaptera tomentosa.
Jívantí, Celtis orientalis, Menispermum glabrum.
Jyotishmatí, Cardiospermum halicacabum.

Tanka, Feronia elephantium.
Tuntuka, Bignonia indica.

Tagara, Tabernoemontana coronaria.
Tańdula, Amaranthus polygamus.
Tamála, Xanthocymus pictorius.
Taruńa, Achyranthes aspera.
Taruńí, Aloë perfoliata.
Taskara, Medicago esculenta, Vangueria spinosa.
Támbúla, Piper betel, Areca faufel, catechu.
Tárkshya, Shorea robusta.
Tála, Borassus flabelliformis.
Tálí, Corypha taliera, Flacourtia cataphracta, Curculigo orchioides.
Tálapatrí, Salvinia cuculata.
Tálamúlí, Curculigo orchioides.

Tálíśa, Flacourtia cataphracta.
Tikta, Mollugo pentaphylla, Echites antidysenterica, Capparis trifoliata.
Tiktá, Colotropis gigantea.
Tiniśa, Dalbergia ongeiniensis.
Tintiḍíka, Tamarindus indica.
Tila, Sesamum orientale.
Tilaparńí, Pterocarpus santalinus.
Tilva, Symplocos racemosa.
Tíkshńakańṭaka, Datura metel.
Tíkshnamúla, Alpinia galanga.
Tunga, Rottleria tinctoria.
Tundikérí, Momordica monadelpha.
Tumbi, Cucurbita lagenaris.
Tubarí, Cytisus cajan.
Túryya, Vangueria spinosa.
Trĭńśúnya, Jasminum arabicum.
Téjovatí, Pothos officinalis, Piper chavya.
Triká, Ruellia longifolia.
Trikańṭa, idem.
Tripuṭa, Convolvulus turpethum album, Cicer arietinum.
Trivrĭtá, Convolvulus turpethum album.
Tvakakshírá, Bambusa arundinacea.
Tvaksára, Bambusa arundinacea.
Tvacha, Laurus cassia.
Tvachápatra, idem.

Dadrug'hna, Cassia alata, tora.
Dantaśaṭ'ha, Citrus acida.
Darb'ha, Saccharum cylindricum, spontaneum, Poa cynosuroides.
Dáḍima, Punica granatum.
Dáru, Pinus Dévadáru.
Dáruharidrá, Curcuma zanthorhizon.
Dárvví, idem.
Dípya, Ligusticum ajwaën, Celosia cristata.
Dírg'hamúlá, Hedysarum gangeticum, Echites frutescens.
Dushparśa, Hedysarum alhagi.
Durálab'há, idem.
Durvvá, Panicum dactylon.
Dúrvvá, Agrostis linearis.
Dévatáḍa, Andropogon serratus.
Dévadáru, Pinus Dévadáru.
Dravantí, Antherum tuberosum.
Dráviḍaka, Curcuma zerumbet.

D'hanyáka, Coriandrum sativum.
D'hanvana, Pentaptera arjuna.
D'hanví, idem.
D'hamana, Arundo karka, tibialis.
D'hamúla, Alpinia galanga.
D'harmapattana, Piper nigrum.
D'hava, Grislea tomentosa.
D'hátakí, idem.
D'hatrí, Phyllanthus emblica.
D'hámárgava, Achyranthes aspera.
D'hustúra, Datura fastuosa.
D'hyáma, Artemisia.

Naktamála, Galedupa arborea.
Naḍa, Arundo karka, tibialis.
Nandivrĭksha, Nerium coronarium.
Nala, Arundo karka, Nelumbium speciosum.
Nalada, Andropogon muricatus.
Nalina, Nymphaea nelumbo, Nelumbium speciosum.
Navamáliká, Jasminum arborescens, zambac.
Nákulí, Piper chavya.
Nága, Rottleria tinctoria, Mesua ferrea, Cyperus pertenuis.
Nágapushpa, Michelia champaca, Rottleria tinctoria, Mesua ferrea.
Nágabala, Hedysarum lagopodioides.
Nágara, Piper, Cyperus pertenuis.
Nágaranga, Citrus aurantium.
Nádéya, Calamus fasciculatus.
Náranga, Citrus aurantium.

Nárikéra, Cocos nucifera.
Nálikà, Hibiscus cannabinus.
Nálikéra, Cocos nucifera.
Nikochana, Alangium hexapetalum.
Nichula, Baringtonia acutangula.
Nimba, Melia azidaracta.
Nirgunt'hí, Vitex negundo.
Nirvvishá, Curcuma zedoaria.
Nisá, Curcuma longa, zanthoriza.
Nishkuta, Alpinia cardamomum.
Nishpáva, Phaseolus radiatus.
Nípa, Ixora bandhuca, Nauclea cadamba.
Níraja, Costus speciosus.
Nílí, Indigofera anil, tinctoria.
Níliká, Nyctanthes tristis.
Nílini, Indigofera anil.
Nílotpala, Nymphaea caerulea.
Naipálí, Nyctanthes tristis, Indigofera tinctoria.
Nyagrod'ha, Ficus indica, Mimosa albida.

Panchángula, Ricinus communis.
Patolí, Trichosanthes dioeca, Luffa acutangula.
Patoliká, idem.
Pattanga, Pterocarpus santalinus.
Pattúra, Achyranthes triandra.
Patranga, Pterocarpus santalinus.
Pat'hya, Terminalia chebula.
Padma, Nelumbium speciosum.
Padmá, Hibiscus mutabilis, Siphonanthus indica.
Padmapatra, Costus speciosus.
Padmí, Nelumbium speciosum.
Panasa, Artocarpus integrifolia.
Paripéla, Cyperus rotundus.
Parusha, Xylocarpus granatum.
Parní, Pistia stratiotes, Butea frondosa.
Parpata, Oldenlandia biflora, Gardenia latifolia.
Palándu, Allium cepa.
Palása, Butea frondosa, Curcuma reclinata.
Pavitra, Poa cynosuroides.
Pátalá, Bignonia suaveolens.
Pát'hí, Plumbago zeylanica.
Pándu, Glycine debilis.
Páravata, Diospyros glutinosa.
Párávatapadí, Cardiospermum halicacabum.
Párijáta, Erythrina fulgens.
Párib'hadra, idem.
Pálind'hí, Convolvulus turpethum nigrum, album.
Pásháńab'hédí, Plectranthus scutellaroides.
Pichuka, Vangueria spinosa.
Pichumanda, Melia azidaracta.
Pichumardda, idem.
Pindítaka, Vangueria spinosa, Tabernoemontana coronaria.
Pinyáka, Asa foetida.
Pippalí, Piper longum.
Piyála, Chironjia sapida, Buchanania latifolia.
Pítá, Curcuma longa, Betula.
Pítana, Spondias mangifera.
Pilu, Salvadora persica.
Puńdaríka, Nymphaea alba.
Putrajíva, Nagelia putranjiva.
Putranjívaka, idem.
Putrasréni, Salvinia cucullata.
Punnága, Rottleria tinctoria, Nymphaea alba.
Pushkara, Costus speciosus, Nelumbium speciosum, Nymphaea nelumbo.
Pushpap'hala, Cucurbita pepo, Feronia elephantium.
Púga, Areca faufel, catechu.

Pútika, Caesalpinia bonducella.
Pútikaraja, idem.
Pútika, idem.
Pri̊t'hakparńí, Hemionites cordifolia.
Pri̊t'hvíká, Alpinia cardamomum, Nigella indica.
Pri̊sniparńí, Hedysarum lagopodioides, Hemionites cordifolia.
Pési, Valeriana jatamansi.
Potagala, Arundo karka, tibialis, Saccharum spontaneum.
Potiká, Basella rubra, lucida.
Pauńdra, Saccharum officinarum.
Prakíryya, Caesalpinia bonducella.
Pragraha, Cassia fistula.
Pratápasa, Asclepias gigantea floribus albis.
Pratyakpushpí, Achyranthes aspera.
Prapunnáda, Cassia tora.
Prapauńdaríka, Nymphaea alba.
Prasárańí, Paederia foetida.
Práchíná, Cissampelos hexandra.
Práchínámalaka, Flacourtia cataphracta.
Priyaka, Nauclea cadamba, Pentaptera tomentosa.
Priyangu, Panicum italicum, Piper longum.
Priyála, Buchanania latifolia.
Plava, Ficus infectoria, Cyperus rotundus.

P'hańjiká, Hedysarum alhagi, Siphonanthus indica.
P'hańijj'haka, Ocymum basilicum.
P'hala, Echites antidysenterica.
P'haliní, Echites dichotoma, Celosia cristata, Priyangu.
P'halgu, Ficus opositifolia.

Badara, Zizyphus jujuba, scandens.
Band'huka, Ixora bandhuca.
Band'hujíva, Pentapetes phoenicea.
Band'húka, idem, Ixora bandhuca, Pentaptera tomentosa.
Balá, Pavonia odorata, Sida cordifolia.
Bahuputrí, Asparagus racemosus.
Bahup'hala, Nauclea cadamba.
Bahulá, Alpinia cardamomum, Indigofera tinctoria.
Bála, Andropogon shoenanthus.
Brahmí, Siphonanthus indica.
Báhmí, Ruta graveolens, Asclepias acida, Siphonanthus indica.

B'hangá, Cannabis sativa, Crotolaria juncea.
B'hańtákí, Solanum melongena.
B'hańdí, Rubia manjista.
B'hańdirí, idem.
B'hadradáru, Pinus Devadàru.
B'hadraśrí, Santalum album.
B'haya, Trapa bispinosa.
B'hallátaka, Semicarpus anacardium.
B'havya, Averrhoea carambola.
B'hándí, Hibiscus populneoides.
B'hárgaví, Panicum dactylon, Agrostis linearis.
B'hárgí, Siphonanthus indica.
B'hútag'hní, Ballota disticha.
B'hútika, Gentiana cherayta, Andropogon shoenanthus, Ligusticum ajwaën.
B'húnimba, Gentiana cherayta.
B'húruńdí, Heliotropium indicum.
B'hustri̊ńa, Andropogon shoenanthus.
B'hri̊nga, Eclipta prostrata, Verbesina prostrata.
B'hri̊ngarajas, idem.
B'hri̊ngarája, idem.
B'hékaparńí, Hydrocotyle asiatica.

Mangalya, Cicer lens, Ficus religiosa, Aegle marmelos.

Manjisht'há, Rubia manjista.
Mańdúká, idem.
Mańdúkaparńí, Hydrocotyle asiatica, Rubia manjista, Siphonanthus indica.
Madana, Vangueria spinosa, Datura metel, Phaseolus radiatus, Mimosa catechu.
Madajantí, Jasminum arabicum.
Mad'huka, Glycyrrhiza glabra.
Mad'huparńiká, Lycopodium imbricatum, Gmelina arborea, Asclepias acida, Menispermum glabrum.
Mad'huparńí, Menispermum glabrum, Gmelina arborea, Indigofera tinctoria.
Mad'hurasa, Saccharum officinarum, Sanseviera zeylanica.
Mad'huśigru, Hyperanthera morunga.
Mad'húka, Bassia latifolia.
Mad'húlí, Sanseviera zeylanica, Mangifera indica.
Mad'húlaka, Sanseviera zeylanica.
Mandárí, Erythrina fulgens, Asclepias gigantea.
Mayúra, Celosia cristata.
Mayúraka, Achyranthes aspera, Celosia cristata.
Marícha, Piper nigrum.
Maruvaka, Vangueria spinosa, Artemisia vulgaris.
Malapú, Ficus oppositifolia.
Malliká, Jasminum zambac, arabicum.
Masúra, Ervum hirsutum, Cicer lens.
Masúravidalá, Convolvulus turpethum nigrum, Echites frutescens.
Mahatí, Solanum melongena.
Mahánimba, Melia sempervirens.
Mahámédа, Erythrina indica.
Mahávrĭksha Euphorbia antiquorum.
Maháśyámá, Echites frutescens.
Maháśvétá, Convolvulus paniculatus albus.
Mahásahá, Wrightea antidysenterica, Glycine debilis, Gomphraena globosa.
Mahí, Hingtsha repens.
Mánsí, Valeriana jatamansi.
Mágad'hí, Jasminum auriculatum, Piper longum.
Mád'hya, Jasminum multiflorum, pubescens.
Mánaka, Arum indicum.
Mátula, Datura metel.
Mátulungaka, Citrus medica.
Málaka, Melia azidarata, Hibiscus mutabilis.
Málatí, Jasminum grandiflorum, Bignonia suaveolens, Echites caryophyllata.
Málátrĭńaka, Andropogon shoenanthus.
Másha, Phaseolus radiatus.
Máshaparńí, Glycine debilis.
Mishi, Valeriana jatamansi, Anethum pammorium.
Misi, Anethum pammorium, Anethum sowa, Valeriana jatamansi, Ligusticum ajwaën, Pimpinella anisum.
Mukundaka, Allium cepa.
Muchukunda, Pterospermum salicifolium.
Muńja, Saccharum munja.
Mudya, Phaseolus mungo.
Mudgaparńí, Phaseolus trilobus.
Mushkaka, Bignonia indica.
Musta, Cyperus rotundus.
Mustaka, Cyperus juncifolius, rotundus.
Múrvvá, Sanseviera zeylanica.
Múlaka, Raphanus sativus.
Múshiká, Salvinia cucullata.
Múshikaparńí, idem.
Mrĭgádaní, Cucumis colocynthis.
Mrĭńála, Andropogon muricatus.
Méshasrĭngí, Asclepias geminata.
Mocha, Morunga hyperanthera.

Mochaka, idem.
Modayanti, Jasminum arabicum.
Moratá, Sanseviera zeylanica.
Mohana, Datura metel.

Yamání, Ligusticum ajwaën.
Yava, Hordeum hexastichon.
Yavání, Ligusticum ajwaën.
Yavása, Hedysarum alhagi.
Yashti, Siphonanthus indica.
Yávaka, Dolichos biflorus.
Yút'hiká, Jasminum auriculatum.
Yojanavallí, Rubia manjista.

Raktá, Abrus precatorius.
Raktaka, Ixora bandhuca, Pentapetes phoenicea, Gomphraena globosa.
Raktakanda, Dioscorea purpurea.
Raktachandana, Pterocarpus santalinus.
Raktapińd'a, Hibiscus rosa sinensis.
Raktaśáli, Oryza sativa.
Raktotpala, Nymphaea rubra.
Raktálu, Dioscorea purpurea.
Rajani, Indigofera tinctoria, Curcuma longa.
Rańjana, Pterocarpus santalinus.
Ŕamyaka, Trichosanthes dioeca.
Rasála, Saccharum officinarum.
Rasona, Allium sativum.
Rájavrĭksha, Buchanania latifolia, Cassia fistula, Euphorbia.
Rájiká, Sinapis chinensis, racemosa.
Rámá, Solanum hirsutum.
Rámaťha, Asa foetida.
Ráshtriká, Solanum jacquini.
Rásná, Mimosa sirisha.
Rúpiká, Asclepias gigantea.
Rúshaka, Justicia gandenissa.
Raivata, Cassia fistula.
Rochaní, Convolvulus turpethum album.
Rod'hra, Symplocos racemosa.
Rohita, Carthamus tinctorius.
Rohitaka, Andersonia rohitaca.
Rohińi, Asclepias acida, Terminalia chebula.

Lakucha, Artocarpus lacucha.
Lakshmí, Panicum italicum.
Latá, Cardiospermum halicacabum, Trigonella corniculata, Gaertnera racemosa, Panicum dactylon.
Lavaní, Annona reticulata.
Laśuna, Allium sativum.
Lángalí, Commelina salicifolia, Jussieua repens, Nama zeylanica.
Lod'hra, Symplocos racemosa.
Loliká, Rumex vesicarius.
Lohita, Andersonia rohitaka, Ervum hirsutum, Lycopodium imbricatum.

Vanśa, Bambusa arundinacea.
Vaka, Aeschynomene grandiflora.
Vakula, Mimusops elengi.
Vanga, Solanum melongena.
Vangana, idem.
Vachá, Acorus calamus.
Vajrá, Siphonanthus indica.
Vajrakańtaka, Euphorbia antiquorum.
Vańjula, Calamus rotang, Dalbergia ougeiniensis, Jonesia asoca, Hibiscus mutabilis.
Vaťa, Ficus indica.
Vatsaka, Wrightea antidysenterica.
Vatsádaní, Menispermum glabrum.
Vanamudga, Phaseolus lobatus.
Varí, Asparagus racemosus.
Varuna, Capparis trifoliata.
Vardd'hamána, Ricinus communis.
Valli, Ligusticum ajwaën.
Vasuka, Aeschynomene grandiflora, Asclepias gigantea.
Vahni, Plumbago zeylanica.

Vákuchí, Serratula anthelminthica.
Vájigand'ha, Physalis flexnosa.
Vájidanta, Justicia, adhenatoda.
Váťyá, Sida cordifolia.
Váyasí, Solanum indicum, Ficus oppositifolia.
Váráhí, Convolvulus paniculatus.
Várida, Andropogon shoenanthus.
Varttá, Solanum melongena.
Varttáku, idem.
Vása, Justicia ganderussa.
Vásaka, idem.
Vásika, Justicia adhenatoda.
Vástúka, Chenopodium album.
Vikankaťa, Ruellia longifolia.
Vikashá, Rubia manjista.
Vikasá, idem.
Vid'anga, Embelia ribes.
Vidara, Flacourtia cataphracta, Cactus indicus.
Vidárí, Convolvulus paniculatus.
Vidáriká, Hedysarum alhagi.
Vidárigand'há, Hedysarum gangeticum.
Vidula, Calamus fasciculatus, rotang.
Vib'hítaka, Terminalia belerica.
Vimbhiká, Momordica monadelpha.
Vilva, Aegle marmelos.
Visalyá, Menispermum cordifolium, Convolvulus turpethum.
Viśálá, Cucumis colocynthis.
Viśvadévá, Hedysarum lagopodioides.
Vishapushpa, Vangueria spinosa, Nymphaea caerulea.
Visháńiká, Asclepias geminata.
Víjaka, Citrus medica.
Víratara, Andropogon muricatus.
Vírataru, Pentaptera arjuna, Barleria longifolia.
Vrĭkshaka, Wrightea antidysenterica.
Vrĭksliádaní, Hedysarum gangeticum.
Vrĭśchikálí, Tragia involucrata.
Vrĭsha, Justicia ganderussa.
Vrĭhati, Solanum jacquini, melongena.
Véní, Andropogon serratus.
Vénu, Bambusa arundinacea.
Vétasa, Calamus rotang.
Vétra, idem.
Vaijayantí, Aeschynomene sesban.
Vaidéhí, Piper longum.
Vaidyamátrĭ, Justicia ganderussa.
Vyád'háta, Cassia fistula.
Vríhib'héda, Panicum miliaceum.

Śakra, Wrightea antidysenterica, Pentaptera arjuna.
Śank'hiní, Andropogon aciculatus, Cysampelos hexandra.
Śaťí, Curcuma zerumbet.
Śańa, Cannabis sativa, Crotolaria juncea.
Śatapatra, Nelumbium speciosum, Nymphaea nelumbo.
Śatapushpá, Anethum sowa.
Śatavíryyá, Panicum dactylon floribus albis.
Śatavéd'hí, Rumex vesicarius, Oxalis monadelpha.
Śatávarí, Asparagus racemosus.
Śatáhvá, Anethum sowa.
Śamí, Mimosa suma, Serratula anthelminthica.
Śara, Saccharum sara.
Śaláká, Vangueria spinosa.
Śalya, idem.
Śalyaka, idem.
Śallakí, Boswellia thurifera.
Śáka, Tectona grandis, Mimosa sirisha.
Śák'ha, Galedupa arborea.
Śák'hoťa, Trophis aspera.
Śárivá, Periploca indica.
Śálaparńí, Hedysarum gangeticum.
Śáléya, Anethum sowa.

Śálmali, Bombax heptaphyllum.
Śinśapá, Dalbergia sisu.
Śigru, Morunga guilandina, hyperanthera.
Śirísha, Mimosa sirisha.
Śivaśék'hara, Aeschynomene grandiflora.
Śíta, Calamus fasciculatus, Cordia myxa, Marsilia quadrifolia.
Śítab'híru, Jasminum zambac.
Śuka, Bignonia indica.
Śukanásá, idem, Aeschynomene sesban.
Śunga, Spondias mangifera, Ficus indica.
Śrĭngavéra, Zingiber officinale.
Śrĭngáťa, Trapa bispinosa, Ruellia longifolia.
Śrĭngáťaka, idem.
Śop'háli Nyctanthes arbor tristis.
Śélu, Cordia myxa.
Śaivála, Vallisneria octandra.
Śob'háñjana, Hyperanthera morunga.
Śauńdi, Piper longum, Piper chavya.
Śyámá, Convolvulus turpethum nigrum, Serratula anthelminthica, Indigofera tinctoria, Echites frutescens.
Śyámala, Piper nigrum.
Śyámáka, Panicum frumentaceum, colonum.
Śyońáka, Bignonia indica.
Śrávańá, Colotropis gigantea.
Śri, Pinus longifolia.
Śrihastiní, Heliotropium indicum.
Śripárńí, Gmelina arborea, Pistia stratiotes.
Śréyasí, Pothos officinalis, Cissampelos hexandra, Terminalia citrina.
Śléshmáta, Cordia myxa.
Śvadanshírá, Flacourtia cataphracta.
Śvétá, Andropogon aciculatus, Clitoria ternata.
Śvétárka, Asclepias gigantea.

Shangrant'ha, Acorus calamus, Caesalpinia bonducella.

Saťi, Curcuma zerumbet, amada.
Sadápushpa, Asclepias gigantea.
Sana, Pentaptera tomentosa.
Saptaparna, Echites scholaris.
Saptalá, Jasminum zambac floribus multiplicatis.
Sarjjaka, Shorea robusta, Pentaptera arjuna.
Sarvvánub'húti, Convolvulus turpethum album.
Sarshapa, Sinapis dichotoma.
Sallakí, Boswellia thurifera.
Sahachara, Barleria flava.
Sahasravíryyá, Agrostis linearis, Panicum dactylon.
Saháchara, Barleria flava, brionitis.
Sárivá, Echites frutescens.
Sávara, Symplocos racemosa.
Sinhí, Justicia adhenatoda, Solanum melongena.
Sinhásya, Justicia adhenatoda.
Sitapushpa, Saccharum spontaneum, Cyperus rotundus.
Sitasúka, Hordeum hexastichon.
Sidd'hárťha, Sinapis alba.
Sinduka, Vitex negundo.
Sinduvára, idem.
Sind'hu, idem.
Sind'huvára, idem.
Sukumárá, Jasminum grandiflorum.
Sugand'há, Curcuma zerumbet, Ocymum sanctum.
Sugand'hika, Nymphaea lotus.
Sud'há, Euphorbia antiquorum, Aletris hyacinthoides.
Sunishańńaka, Marsilia quadrifolia.
Sumana, Triticum aestivum, Datura metel.

Sumaná, Jasminum grandiflorum.
Sumanas, Caesalpinia bonducella, Triticum aestivum.
Suradáru, Pinus Dévadáru.
Surab'hi, Michelia champaca.
Suráhva, Pinus Dévadáru.
Suvarńa, Cassia fistula.
Suvarńaka, idem.
Suvahá, Convolvulus turpethum album, Nyctanthes tristis, Mimosa octandra, Cissus pedata, Boswellia thurifera.
Sushaví, Momordica charantia.
Sushéńiká, Convolvulus turpethum album.
Súkshma, Strychnos potatorum.
Súrańa, Arum campanulatum.
Súryyavallí, Cleome pentaphylla.
Sélu, Cordia myxa.
Sairíya, Barleria cristata.
Sairíyaka, idem.
Soma, Asclepias acida.
Somaráji, Serratula anthelmintica.
Somavallí, Asclepias acida.
Somavríksha, Serratula anthelminthica.
Saugand'hika, Nymphaea lotus.
St'hirá, Hedysarum gangeticum.
St'húlakanda, Arum colocasia, indicum.
Snuh, Euphorbia antiquorum.
Snuhi, idem.
Sprǐkká, Trigonella corniculata.
Sransí, Salvadora persica.
Svayanguptá, Carpopogon pruriens.
Svádukańt́aka, Flacourtia sapida, Tribulus lanuginosus.

Hansapáda, Clitoria ternata.
Hat́'ha, Pistia stratiotes.
Hayamáraka, Nerium odorum.
Haritakí, Terminalia chebula.
Haridrá, Curcuma longa.
Harimant'haka, Cicer arietinum.
Hastikarńa, Butea frondosa.
Hinsrá, Valeriana jatamansi, Abrus precatorius, Coix barbata.
Hingu, Asa foetida.
Hémakhírí, Asclepias acida.
Hémanga, Michelia champaca.
Haimavatí, Acorus calamus albus, Terminalia chebula.
Hrívéra, Andropogon shoenanthus.

Corrigenda.

Pag.	11	lin.	24	pro	homnis lege hominis
„	22	„	28	„	landatur lege laudatur
„	23	„	24	„	indicaturi lege expedituri
„	26	„	1	„	dessiderant lege desiderant
„	37	„	1	„	lipuidi lege liquidi
„	39	„	27	„	orientale lege orientalis
„	41	„	1	„	aqualem lege aequalem
„	42	„	11	„	destilliatio lege destillatio
„	50	„	37	„	pinquibus lege pinguibus
„	52	„	21	„	nembris lege membris
„	54	„	2	„	Skándásmárae lege Skandápasmárae.
„	63	„	23	„	crudidatis lege cruditatis
„	76	„	1	„	eximinae lege eximiae
„	77	„	9	„	collyrum lege collyrium
„	93	„	29	„	raucem lege raucam
„	117	„	9	„	Laurae lege Lauri
„	119	„	27	„	nubils lege nubilo
„	140	„	7	„	inquine lege inguine
„	140	„	32	„	somnolenta lege somnolentia
„	140	„	38	„	sutatoria lege sudatoria
„	142	„	12	„	purgator iis lege purgatoriis
„	145	„	13	„	affecto lege profecto
„	146	„	29	„	me, lle lege melle
„	146	„	33	„	praieceptum lege praeceptum
„	150	„	31	„	urina lege urinam
„	155	„	10	„	Nec lege Ne
„	158	„	31	„	coleo lege oleo
„	158	„	36	„	fumibus lege funibus
„	158	„	37	„	coërcurit lege coërcuerit
„	162	„	5	„	XLIV lege LXIV
„	162	„	19	„	idonia lege idonea.



COMMENTARII

ET

ANNOTATIONES

IN

SUŚRUTAE ÁYURVÉDAM.

A

Francisco Hessler,

Philos. et Medic. Doctore, Medico aulico constituto et Academiae Literarum et Scientiarum Regiae Bavaricae, quae Monachii est, Socio.



Fasciculus prior,

continens Suśrutae aetatem et medicinae systema.

ERLANGAE apud FERDINANDUM ENKE.

MDCCCLII.

PRAEFATIO.

Cum interpretari inciperem Susrutae Áyurvédam, multis mihi cum rebus non satis adhuc explicatis esse contendendum, mox luce clarius est factum. Quantas enim in difficultates delabitur primus antiquissimi Sanscriti archetypi interpres, non incredibile est illis, qui aliquando studium operamque in tali re collocaverint. Res enim ibi a nostra consuetudine memoriaque remotissimae nobis quodammodo quasi volant obviae. Nam nostra omnis medicina a graecis aut directe ad nos est delata, aut saltem graecis ex fontibus emanavit; hic vero Áyurvédas omnino separatam et ex notis doctrinis non

pendentem habet originem, id quod primo interpreti multum affert difficultatis laborisque.

Quae res cum ita se habent, Viri Celeberrimi, delictis meis veniam non impudenter peditam dabitis!

Commentarios et annotationes in Sus'rutae Áyurvédam tribus fasciculis editurus sum, quorum hic prior agit de Sus'rutae aetate ac systemate, qui etiam prout separatum opusculum adhiberi potest; fasciculus secundus continebit notas ad totum Áyurvédam; fasciculus tertius ordine alphabetico omnes Áyurvédae materias indicabit.

Scr. Wemdingae, idibus Juliis, MDCCCLII.

Dr. F. Hessler.



I. Agam primo de Suśrutae aetate.

Suśrutam, filium Viśvámitrae regis, jam heroicis Hindorum temporibus vixisse inter omnes constat. Quum vero tempus heroicum non certis terminis circumscriptum est, immo vero ad perlongum intervallum duravit, quonam tempore Suśrutas vixerit accuratius perscribere nequeo. Incipit enim illud aevum inde ab infinito temporis spatio et usque ad annum circiter millesimum ante Christum natum procedit. Sin forte Suśrutae nomen ultimo etiam heroico saeculo nobis occurreret, ejus antiquitas saltem accederet ad heroes posteriores.

Suśrutas permultis Áyurvédae locis filius Viśvámitrae vocatur; Viśvámitram autem antiquissimo heroum aevo vixisse, multae vetustissimae Hindorum fabulae testantur.

In Rigvédae indice (Anukramani) jam Viśvámitrae mentio facta est, ubi hic ceu auctor omnium hymnorum, qui in libro tertio Rigvédae inveniuntur, memoratur. Praecipue vero Gáyatrí, celebratus ille hymnus, Viśvámitrae revelatus est.

Jam vero Suśrutas ubique D'hanvantaris discipulus appellatur; D'hanvantarem vero tempore mythico pernotum fuisse, omnes in eo conveniunt, propterea quod in antiquissimis literarum Sanscritarum monumentis de illo jam mentio incidit. Ex his igitur testimoniis certis gravibusque Suśrutae antiquitas, quae saepius est dubitata, sane intelligi potest. Quibus

ex rebus ad minimum sequitur, Suśrutae nomen apud Hindos floruisse multis jam saeculis ante nostram aeram; quae conclusio certe potest probari.

Praeterea nos haud fugit, Áyurvédam esse partem At'harvavédae integram (Upangam), id quod pervetustam Áyurvédae aetatem certe prodit. Quamquam vero viri quidam, iique perdocti, seriorem At'harvavédae originem volunt, illud tamen non est infitiandum, jam quatuor Védas in Maháb'hárata, poëmate epico antiquissimo, relatos inveniri, ut ex Nala, Maháb'háratae episodio lib. VI. ślok. 9; ex Indralok. lib. IV. ślok. 9; ex Arjunae intinere lib. II. ślok. 18 satis apparet.

Si qui vero mihi occurrunt, quatuor Védis absolutis, non statim Védangam et Upangam in lucem prodiisse, sed haec Védarum membra seriori aevo esse adscribenda, iis respondeo, mihi ad illos refellendos satis esse unicum Maháb'háratae (in Nala, lib. XII. ślok. 17,) locum, ubi relatum legimus: „quatuor singulatím Védae simul cum Angis et Upangis etc.", ex quo certe potest intelligi, tunc temporis jam exstitisse At'harvavédae Upangam. Hunc autem Suśrutae Áyurvédam re vera esse Át'harvavédae Upangam, clare elucet ex nostro opere, cap. I., ubi legimus: „Hic revera Áyurvédas est, quod Upangam At'harvavédae etc." Quid distinctius, quid evidentius Áyurvédae simul et Suśrutae vetustatem comprobet? Sed haec et his similia testimonia, quae non sunt poëticae fabulae, si qui non probent, nullam historiae tribuendam esse fidem prae se ferunt.

Quod spectat ad Áyurvédae formam, ea omnino talis est, quae nullum relinquat dubium, quin ille ad sacras Hindorum scripturas sit receptus. In ultimo enim tractatu (Uttaratantra), cap. LXVI. hic Áyurvédas prorsum opus Brâhmicum, et ejus sermo Bráhmicus vocatur, ex quo plane sacra operis origo efficitur. Praeterea totum opus ad Védas pertinet; medicina ibi nondum est segregata a theologia, et omnis ars medendi iisdem sapientibus est mandata, qui divinae religionis rationem colebant. Etsi medicina tantummodo medicis ibi facienda est, at ipsi tamen medici a sacerdotibus electi, inaugurati et in muneris functione custoditi conspiciuntur.

Śivae Dei cultus et nomen, Budd'has et Jinas eorumque disciplinae, in toto Áyurvéda nullibi inveniuntur, id quod maximum adfert argumentum,

cur hoc mere Brahmanicum opus inter priscos Hindorum libros sit numerandum.

Externa atque adeo species, et quasi facies nostri operis, Védis est persimilis, cum ligatum scribendi genus et prosaïcum se invicem excipiunt.

Quod spectat vero ad materiam, in qua totus Áyurvédas versatur, et quam tractat, ea universa est divina et Védantica. Quos enim medicos religiosissime citat Suśrutas, omnes sunt Védantici. Nam commemorat Śaunakam, Kritaviryam, Párásaryam, Márkańdéyam, Sub'hútam et Gautamam, quorum vero scripta, si quae forte reliquissent, usque ad nostram aetatem non remanserunt.

De Atréya et Charaka, auctoribus medicis perantiquis, noster nullibi mentionem facit. Cur autem hos praeclaros non commendasset, si ipsos aeque atque illos cognovisset? nimirum quod hi non fuere recepti in sacrorum scriptorum canonem. Si solummodo de una hac re cogitationem susciperem, non possem, quin Suśrutam Charakâ et Atréyâ priorem censerem. Nunc vero Charakas D'hanvantarem, i. e. hunc Suśrutae Áyurvédam memorat, ex quo sane intelligi facile potest, Suśrutam Charakâ esse vetustiorem.

Quantam vero auctoritatem vetustatis Suśrutae Áyurvédas apud priscos Hindos habeat, cernitur praesertim etiam ex eo, quod scriptores medici Hindorum maximam partem illius ordinem materiarumque seriem conservant.

Cum Suśrutae antiquitatem argumentis et rationibus, paucis quidem, sed certis gravibusque, satis, ut opinor, confirmaverim, restat igitur, ut refutem illos, qui forte credant, hunc Áyurvédam esse nihil aliud, nisi thesaurum medicarum scientiarum a multis auctoribus antiquissimis congestarum.

Totus Áyurvédas sistit medicinae systema absolutum, cujus singulae partes valde inter se consentiunt. Posteriores enim loci saepius se referunt ad anteriores, ita, ut totum opus quasi bene fusum exiisse videatur. Nullibi offendimus interpolationem, aliquid demendo, mutando, aut curando; sed opus habemus archetypum, non aliunde expressum, tanquam doctrinam divinitus traditam. —

Jam vero in Áyurvédae limine ipso quisque non mediocris aestimator et judex antiquitatum certe potest videre, quam simplex sit et unum scribendi genus. Unus quasi sonus est totius operis et idem stylus, qui antiquitatis effigiem unicuique non temere contradicenti significat. Haec simplex autem, antiqua genuinaque scribendi ratio locum habere non posset, si multi auctores hoc opus effecissent. —

Ex omnibus hucusque allatis argumentis valde fit probabile, Suśrutae Áyurvédam mille annis ante nostram aeram jam exstitisse; et ad suspicandum adducimur, hoc At'harvavédae Upangam a Vyása ipso in Védarum seriem canonemque esse redactum, ut omnes sacrae scripturae inter se aptae colligataeque videantur.

II. De Suśrutae systemate.

Totus Áyurvédas in sex partes est distributus a Suśruta, quarum prima est de Sútrast'hána (Principiorum medicorum doctrina), secunda de Nidánast'hána (Pathologia), tertia de Śárírast'hána (Somatologia), quarta de Chikitsitast'hána (Therapia), quinta de Kalpast'hána (Antidotorum doctrina) et sexta de Uttaratantra (Ultimo tractatu).

Quoniam autem materiae horum sex librorum sunt valde permixtae, ita, ut saepissime id, quod ad unum librum spectat, in alio occurrat, mihi quidem videtur esse aptius ad id, quod hic quaeri solet, si aliam materiarum seriem sequar, et totum hoc ex inordinato in ordinem adducam.

Omnis ars medica in Áyurvéda omnino quatuor ex rebus constat, ut mihi quidem videtur: ex Aetiologia, Nosologia, Therapia, et ex disciplinis auxiliaribus.

A. De Aetiologia.

Morborum causae remotissimae sunt quinque naturae elementa, aether, aër, ignis, aqua, et terra. Brahma ipse in his operatur, et per haec omnes creaturas procreat et sustentat. Ultra haec igitur non exsistit in medicina consideratio, ut D'hanvantaris autumat. Quae naturae elementa si inaequaliter aut perverse suam vim in creaturas conferunt, eas aut vitiant, aut corrumpunt, aut perdunt; unde aut morbus, aut mors exoritur. Elementa naturae vero proxime agunt in hominis organismo per anni tempora, per alimenta, per coeli statum et regiones. Anni tempora haec sunt: pluvium tempus, autumnus, anterior hiems, ver, aestas et posterior hiems. Haec sex anni tempora fiunt causae corruptorum humorum, congestionum, irritationum et sedationum.

Temporibus pluviis plantae annuae recentes et minus validae sunt; aquae non pellucidae terrâ et limo abundant. Hae ab hominibus humectato corpore, frigido aëre et condensato igne praeditis assumtae noxiae fiunt. Porro tempore pluvio, anteriore hieme et aestate accumulatorum corruptorum humorum; autumno, vere et posteriore hieme irritatorum remotio efficienda est.

Frigus, calor, aër et pluvia plane perversa plantas annuas et aquas corrumpunt. Ex harum assumtione variorum morborum apparentia vel epidemia oriri potest.

Alimenta sunt permultorum morborum radices. Quae cum sint corrupta, mox corrumpuntur corporis humores (aër organicus, bilis et phlegma), corporis elementa (chylus, sanguis, caro, tela cellulosa, ossa, medulla et semen virile), ejus organa sentiendi, percipiendi et agendi, functiones (corporis et animi) et excretiones (urina, faeces, sudor, semen virile et menstruum).

Coeli status et regiones multos climaticos sic dictos producunt morbos. —

Morborum causae remotae sunt trium humorum, aëris scilicet organici, bilis et phlegmatis, corruptiones, quae quomodo in singulis appareant morbis, in his dilucide planeque explicantur. Humoribus autem singulis, duobus tribusve corruptis, statim sensimve corporis elementa (D'hátu), chylus, sanguis, caro, tela cellulosa, ossa, medulla et semen virile morbo corripiuntur. Ex quo sequitur, corruptiones horum corporis elementorum esse proximas morborum causas. Nam haec corporis elementa, si in statum morbosum incidunt, magnam morborum turbam efficiunt.

Chylus nimis auctus cordis madorem et irrigationem adducit; sanguis nimis auctus membra et oculos sanguine suffusa et vasorum impletionem efficit; caro nimis aucta in podice, facie, labiis, genitalibus, brachiis et cruribus incrementum et ponderosam corporis universi staturam producit; tela cellulosa nimis aucta adipalem membrorum constitutionem, abdominis laterumque incrementum, catarrhum, anhelitum etc., malumque odorem generat; os nimis auctum nimiam ossificationem et nimium dentium incrementum; medulla nimis aucta omnium membrorum et oculorum gravitatem; semen virile nimis auctum seminis calculos nimiamque ejus emissionem.

In omni autem morbo vel pars organica quaedam, vel aliqua functio organica patitur. Morbis partium corporis aut functionum exortis, sensim sensimque excretiones (faeces, urina, sudor, menstruum et lac) morbosae fiunt. Faeces nimis auctae tumorem in abdomine et colicam; urina nimis aucta identidem urinae profluvium, abdominis inferioris dolorem et inflammationem; sudor nimis auctus cutis malum odorem et pruritum; menstrua nimis aucta membrorum frictum, nimium sudoris profluvium, infirmitatem; lac nimis auctum uberum incrementum, identidem lactis profluvium et dolorem efficit.

Praeterea res noxiae permultae aliae exsistunt; in unoquoque morbo autem aliae possunt fieri. Alimenta rursus sive inconvenienter parata, sive corrupta, aquae, loci, aëres, ventorum tractus, animi affectus sive excitantes, sive deprimentes, perversa et improba vitae ratio, laesiones etc. — sunt nocivae morborum conditiones. Vestimenta domiciliaque non recte confecta constructaque et immunda morborum multorum causae fieri possunt.

B. De Nosologia.

Nosologia in Áyurvéda latissime patet; amplectitur enim ea totam Nosographiam sive generalem, sive specialem.

Ex sanitatis definitione morbus quid sit optime intelligitur. In Suśruta autem hanc circumscriptam explicationem de sanitate invenimus: „Aequalibus humoribus, aequali calore, aequalibus corporis elementis, excretionibus et functionibus, claro spiritu, claris sensibus et clara mente praeditus homo sanus appellatur.“ Ex quo simul cognosci potest, quis sit morbo inflictus.

Morbi in Áyurvéda aut naturales, aut supranaturales, sive daemoniaci sunt.

Morbi naturales quadruplices expositi sunt: adventicii, somatici, psychici, a propria natura profecti.

Morbi adventicii ii omnes sunt, qui laesionibus, sive per homines et animalia, sive per res noxias extrinsecus illatas, effecti sunt.

Morbi somatici proprie sic dicti ii omnes sunt, qui, a generatione, partu, naturae elementis, anni temporibus, coeli statu et regionibus, a cibo et potu orti, aëris organici, bilis et phlegmatis sanguinisque statu morboso effecti sunt.

Psychici vero morbi sunt ira, moeror, metus, gaudium nimium, afflictatio, invidia, exsecratio, humilitas, hostilitas, amor, cupiditas et ceteri, qui desiderio, odio dissidioque fiunt.

A propria natura profecti morbi sunt sternutamentum, sitis, decrepitudo, mors, somnolentia etc.

Quod spectat ad morborum originem, ii aut primitivi, aut alium morbum indicantes, aut accessorii sunt relati.

Primitivus morbus vocatur, qui, primitus ortus, neque priorem morbi formam habet, nec consequens est.

Alium morbum indicans morbus est, qui futurum morbum indicat; hic etiam prior morbi forma appellatur.

Accessorius morbus est, qui posteriore tempore ortus, prius ortum morbum accedit. Ille, ab hoc ortus, etiam consequens vocatur. —

Morborum diagnoseos subsidia sex sunt: interrogatio et quinque sensus.

Omnes morbi cum dolore conjuncti sunt; dolor autem triplex est: a propria natura ortus; ab externa natura ortus; et a daemonibus ortus.

Haec est omnium morborum generalis distributio quoad eorum essentiam; quoad praxin autem morbi divisi sunt in externos et internos.

Morbi externi ii sunt, qui externam habent sedem, ut vulnera, ulcera, tumores, fracturae ossium, herniae etc.; internorum morborum sedes est in internis partibus corporis, aut in earum parenchymatibus, aut in earum functionibus, aut in humoribus organicis.

Nullus autem morbus, si fiat vehementior, exsistit sine febre; sicut invicem sine ulla alia morbosa affectione febris oriri nequit.

Singulos morbos describere declinat a meo proposito.

C. De Therapia.

Haec duplex est; aut ad externos, aut ad internos spectat morbos.

a. De Chirurgia, *sive de curatione morborum externorum.*

Chirurgia operatur aut instrumentis, aut manu, quae est instrumentorum praestantissimum, aut unguentis, emplastris, ligaturis etc.

Inter omnes ad medendi artem pertinentes disciplinas in Áyurvéda maxime exculta apparet Chirurgia, quae quidem ibi ad summum perfectionis gradum perducta esse videtur. Hanc sive artem, sive scientiam experientia fundatam, inter antiquos nusquam alibi altiorem dignitatis gradum adscendisse manifestum est. Admirabiliter enim excercitati fuerunt antiquissimi Hindi in gravissimis periculosissimisque operationibus chirurgicis, quippe

quia lithotomiam, gastrotomiam, gastroraphiam, herniotomiam, gastrohysterotomiam, rhinoplasticam operationem, ani fistularum dissectionem etc. conficiebant sine subtiliori, quae nostratibus praesto est, anatomiae scientia. Maxima vero apud illos varietas instrumentorum chirurgicorum nos in admirationem traducere debet, cum ex his simul apparet, quotuplex fuerit eorum in Chirurgia usus. Instrumenta chirurgica autem ab Hindis priscis abhibita fuerunt scalpelli, acus, forcipes, serrae, tubuli, specula, forfices, fistulae, specilla etc., quorum multiplex forma singulis operationibus conveniebat.

Praeter haec instrumenta in usu jam fuerunt cauteria actualia et potentialia, moxa (combustibile erioxylon), cucurbitulae, hirudines, venaesectiones etc., quae ceu remedia etiam internis morbis adhibebantur.

Omnis autem instrumentorum operatio et usus in dissectione, indagatione, vinctura, exploratione, versatione, labefactatione, circumversione, perforatione, exstirpatione, viarum purificatione, evulsione, extractione, inclinatione, fractione, commotione, suctu, laceratione, rectitudinis effectione, ablutione, inflatione et tersu versabatur. —

Quanquam vero chirurgicas operationes latius exponere hujus opusculi lex vetat, attamen, si unam breviter summatimque nunc describo, consilium meum non mutari videtur. Quanta enim sit veterum Hindorum operandi peritia atque audacia, sola Lithotomia testetur.

„Aegrotum, calculo vexatum, pugno medicus premat inde ab umbilico deorsum, donec calculus deorsum delapsus est. Deinde oleo inunctos, unguibus purgatos digitos, scilicet sinistrum indicem et medium digitum, ano inserat, secundum suturam intret, studio et vi intervallum ani penisque adducat, indolorem, incontentam et non inaequalem vesicam aggrediatur valdeque sursum premat duobus digitis, ut nodi instar editus fiat calculus. Hoc loco incidat, et calculum extrahat. Ne findatur, neve conteratur calculus medicus operam det. Pulvis enim remanens quamvis exiguus incrementum denuo capit. Idcirco integrum calculum forcipe medicus excipiat.“

Haec epigastrica cystotomia maribus adhibebatur; feminis autem urethrovesicalis calculi sectio. —

Ars obstetricia, quae veteribus Hindis pars Chirurgiae est, in hoc Áyurvéda maxime excellit. Agitur enim ibi diligentissime de gravidarum et parturientium symptomatibus et curis.

Octo partus praeternaturales enumerantur, hoc modo: „Fructus vel cum duobus femoribus orificium uteri aggreditur; vel unum femur inflectens cum altero; vel femur et truncum inflectens cum clunis regione tortuose advenit; vel cum pectore, aut cum latere, aut cum dorso portam uteri tegens consistit; vel in medium latus caput convertens cum uno brachio; vel caput inflectens cum duobus brachiis; vel in medio inflexus cum manibus, pedibus et capite; vel cum uno femore orificium uteri aggreditur, cum altero anum.“ —

Operationes autem unicuique partui praeternaturali correspondentes accurate indicatae sunt.

Jam vero unum obstetriciae operationis exemplum, perforationem scilicet excerebrationemque, profero, quo priscorum Hindorum dexteritas habilitasque in arte obstetricia cernatur.

„Ibi enim in vaginae, hepatis, lienis, intestinorum cavaminis et uteri medietate opus faciendum est contactu. Diruptio, abruptio, loci inversio, avulsio, fissio, scissio, compressio, porrectio, et laceratio unâ manu embryonem vel parturientem laedente efficiuntur. Idcirco protomedicum consulendo et summam operam dando rem peragat. — Si embryo educi non potest, medicus cultrum hoc modo adhibeat: animo praeditum embryonem ne ullo modo secet cultro; nam si embryo secetur, genitricem simul et embryonem interficere potest medicus. Ibi uxorem consolatus, cultro falcato aut scalpello digitis prehenso caput embryonis dissecet, capitis ossa adducat, hamo embryonem capiat in pectore axillave, educat in fisso capite, bulbo oculi aut gena; si humerus propinquus est, in humeri regione brachium abscindat, follis instar expansum aut aëre impletum abdomen dissecet, ejiciat intestina, embryonem laxum factum adducat, aut lumbalia ossa embryonis, lumbis implicati. Quodvis membrum autem hujus embryonis amplectatur medicus et omnino extrahat abscissum, conservetque uxorem intente.“ —

b. De curatione internorum morborum.

Curationis internorum morborum descriptio maximum Áyurvédae spatium implet, quia fusius de his, quam de externis morbis, ibi disseritur.

In curandis internis hominum morbis ante omnia respiciendus est morbus ipse, anni tempus, ignis organicus, aetas, corpus, robur, mens, proprietas, natura, remedium et terrae regiones.

Morborum genera supra exposita sunt; qui rursus aut sanabiles, aut dubii, aut insanabiles apparent.

Anni tempora et ignis organicus in morborum causis jam relata sunt. Etiam in morbis curandis eorum maxima ratio est habenda.

Aetas in curatione diligenter respicienda est. Aetas autem triplex est, puerilis, media et senilis.

In puero crescit phlegma; in homine mediae aetatis bilis; in sene maxime increscit aër. „Hoc respiciat medicus et tum curet!"

Corpus hominis aut corpulentum, aut macrum, aut mediocre est, quod maximum in curationibus influxum excercet.

Aliter robustus, aliter imbecillis curandus est, id quod per se intelligitur.

Mente praeditus perfert omnia, se per semetipsum refraenans; stultus autem vix sanari potest, puia medici praecepta non diligenter curat.

Proprietas corporis, id est, idiosyncrasia, inusitatum alimentorum et medicaminum sumtorum effectum in corpore procreat.

Hominum naturam, id est, dispositionem et temperationem diligentissime in omni therapia esse observandam clare demonstratur.

Terrae regiones et coeli statum multum in curationibus valere, pluribus locis in Áyurvéda fusius explicatur. —

Singulorum morborum curationes hic enumerare longum est et non pertinet ad meum consilium; attamen, ut quodammodo medendi ratio apud Suśrutam cognoscatur, unum duntaxat exemplum profero ita, ut verbum verbo reddam:

„De cordis morbo curando."

„Impetu, percussione, calidis asperisque cibis ultra modum adhibitis, retentis, nimis comesis, indigestis succulentisque alimentis cum corruperint chylum, humores vitiosi, cor aggressi, efficiunt in corde vexationem, quam cordis morbum vocant. Hic morbus quadruplex oritur a corruptis humoribus; quintus autem a vermibus.

Separatim signum (morbi) exponam, curationemque proxime post.

Intenditur in morbo ab aëre orto cor, pariterque vexatur, agitatur, laceratur, dirumpitur et commovetur. Sitis, calor, aestus, inflammatio, cordis defatigatio oritur in bilioso morbo.

Fumi via, animi deliquium, sudor, siccitas oris, gravitas, phlegmatis profluvium, cibi fastidium, stupor, ignis lenitas, dulcitas oris oritur, si phlegmate vexatum est cor.

Tormen, exsputio, vexatio, dolor, singultus, caligo, cibi fastidium, livor oculorum et tabes oriri potest in hoc morbo a vermibus orto.

Vertigo, defatigatio, lassitudo et tabes cognoscenda sunt phaenomena aegrotorum in morbo hoc a vermibus orto, quae etiam a vermibus simul et phlegmate laborantium phaenomena aestimata sunt.

Corde aëribus affecto, vomere faciat inunctum aegrotum medicus decoctione decem radicum (Ruelliae longifoliae, Solani melongenae, Hemionitae cordifoliae, Convolvuli paniculati, Micheliae champacae, — Aegles marmeli, Premnae spinosae, Bignoniae indicae, Bignoniae suaveolentis et Gmelinae arboreae) cum oleo saleque fossili commixtâ.

Piperis longi, Elettariae cardamomi, Acori calami, Asae foetidae et Hordei hexastichi cinerem, sal fossile, natron, zingiber aridum et Carum carvi, contritum cum tribus myrobalanis, aquâ oryzae fermentatae, Dolicho bifloro, lacte coagulato, vino, spiritu destillato etc. medicus bibere det.

Aegrotanti, purificato per oleum aut aliam substantiam, porrigat veteris oryzae cibum ex juribus carnis cum butyro clarificato commixtis. Oleum Sesami orientalis cum substantiis aërem delentibus paratum det ex praescripto in clystere. Gmelinae arboreae, Glycyrrhizae glabrae, mellis, Calami fasciculati et sachari candidi aquis vomitum faciat.

Bile affecto corde, adhibeat butyrum clarificatum cum dulcibus decoctum infusionesque jam demonstratas, bilem febremque depellentes.

Homini saturato juribus carnis praecipuis cum butyro commixtis medi-

cus oleum Sesami orientalis cum Glycyrrhiza glabra paratum et cum melle commixtum pro clystere applicet.

Corde phlegmatis indole affecto, aegrotanti, qui antea infusionibus Acori calami et Meliae azidaractae vomuit, bibere det pulverem medicus jam indicatum in hoc morbo ab aëribus orto; eique Echiten antidysentericam etc., Cyperum rotundum etc., aut tres myrobalanos, cibum praebeat. Aut bibat etiam homo butyrum liquidum cum Convolvuli turpethi albi et Convolvuli turpethi nigri sedimento oleoso commixtum, purgatorium medicamentum. Ex Pavoniae odoratae oleis clysterem applicet medicus, clysterum peritus.

Ex cordis morbo, a vermibus orto, laborantem, inunctum, cibet oryzâ in carnibus cocta. Lacte coagulato hominem, carne saturatum, postea per triduum expurget. Ex suaveolentibus, salitis, cum Cumino saccharoque commixtis et Embelia ribe impletis medicamentis oryzam fermentatam bibere det proxime post. In corde siti hominum vermes etiam deorsum cadunt. Deinceps hordeaceum cibum cum Embelia ribe commixtum ei praebeat."

De curandi subsidiis, sive de materiis medicis latiori sensu.

In Áyurvéda paene immensus est materiarum medicarum numerus. Idcirco mihi quidem eas brevi ordinatoque in conspectu generali ponere non alienum a meo proposito esse videtur.

Quod attinet ad substantiam, remedia sunt aut vegetabilia, quae sunt septingenta et sexaginta numero. Horum efficacissima in triginta septem classes artificiose sunt digesta; et uniuscujusque classis vis ad curandos morbos explicata est.

Ex regno vegetabili adhibentur radices, cordices, ligna, folia, flores, fructus, germina etc.

Parcius antiquissimi Hindi utebantur remediis mineralibus et metallicis, quorum numerus in Áyurvéda exiguus indicatus est. Ob vim vero et efficaciam praecipue stannum, plumbum, cuprum, argentum, lapis magnes, aurum et ferrum memorantur, et classis eximia vocantur. Kali causticum morbis externis internisque frequenter adhibetur.

Ex regno animali lac, adeps, caro, butyrum, ova, urina etc. referuntur.

Formae respectu remedia in Suśruta sunt: species, infusa, decocta, extracta, olea, electuaria, boli, pilulae, elixiria, tincturae, spirituosa, unguenta, emplastra, linimenta etc.

Quod applicandi locum spectat, remedia sensu latiori sunt vel interna, vel externa. Externa sunt ferrum candens, moxa, cali causticum, instrumenta chirurgica, hirudines, cucurbitulae, suffimenta, clysteres, adspersiones, turundae, frictiones, injectiones, gargarismata, fomenta, cataplasmata. Interna autem sunt infusa, decocta, extracta, pilulae, boli etc.

Quod spectat ad medicaminum effectum sive efficaciam, ea sunt purgantia, emetica, sudorifera, diuretica, antiphlogistica, excitantia, sedativa, roborantia, aphrodisiaca, nervina, tonica, emollientia, exsiccantia, humefactantia, maturantia etc.

Quoad gustum sive medicamentorum saporem, ea sunt vel dulcia, vel acida, vel amara, vel adstringentia, vel ex his composita.

Magica sive Mystica sic dicta remedia silentio praeterire non possum, praesertim cum magna Áyurvédae pars ex illis constat.

Materiae autem medicae vel singulae sive simplices, vel compositae sive commixtae ad sanandum adhibentur. Cum vero componuntur, aut miscentur, pharmaceuticas formulas sistunt, quae saepius permultas substantias complectuntur, e. g.: „Ex Phrynio dichotomo, Melia azidaracta, Dolicho bifloro, Asclepiade gigantea, Trichosantho diocca, Menispermo cordifolio, Euphorbia tirucalli, Echite frutescente, Solano Jaquini, Cysampelo hexandra, Sanseviera zeylanica, Cassia fistula et Wrigthea antidysenterica decoctio conficienda et haec cum Pavonia odorata, liquore spirituoso, Sinapi dichotoma, sale fossili, Euphorbia tirucalli, Costo arabico, Elettaria cardamomo, Pipere longo, Aegle marmelo, arido Zingiberi, Melia champaca, oleo Sesami orientalis, melle, lixivio, urina et aqua commiscenda est; tum roborans hic clyster adhibendus est etc.“

Hoc loco non transcundi sunt sacri hymni (mantra), sanctae caeremoniae, incantationes etc.

Brevi in conspectu hic pono praestantissimos morbos, in Suśrutae Áyurvéda tractatos.

a. Morbi externi:

Copiosius agitur Suśrutas de vulneribus, ulceribus, abscessibus, phlegmonis externis, fistulis, praecipue in ano, tumoribus in universum, fungis, sarcomatibus, intumescentiis, praecipue scroti et testiculorum, nodis haemorrhoidalibus, herniis, hydropsiis, sagittarum perforationibus, fracturis ossium, de lithiasi, lepra, elephantiasi, syphilide, herpete etc.

b. Morbi interni:

Agitur inprimis de inflammationibus, rheumatismis, haemorrhagiis, de arthritide, de haemorrhoidibus, de urinalibus morbis, de diabete mellito, de mamillaribus morbis, de oris, oculorum, aurium, nasi et capitis morbis, de catarrhis, de febribus, de dysenteria, de phthisibus, de glandularum internarum morbis, de ictero, de diarrhoeis, de singultu, de tussi, de raucitate vocis, de helminthiasi, de ileo, de ischuria et stranguria, de epilepsia, de delirio, de delirio potatorum, de exanthematibus etc.

Porro fusius agitur de daemoniacis morbis eorumque curationibus. —

D. De disciplinis auxiliaribus.

Disciplinae, quae artem medicam auxiliantur in Áyurvéda hae sunt: Philosophia naturae, Anatomia, Physiologia, Historia naturalis et Diaetetica, quae, per totum opus dispersae, nobis occurrunt.

a. De Philosophia naturae.

Nostris philosophia universi est ea, quae omnia e notione vel idea naturae eruere conatur; aliter vero haec doctrina ab antiquissimis Hindis definitur, quibus illa nihil aliud est, nisi emanatio evolutiove omnium rerum sive entium a summo Deo Brahma.

A Brahma, infinito, invisibili immensoque Domino (Iśvara), in quo sunt mixtae et quasi concretae omnes spirituales substantiae et materiales, oritur primitus Magnus naturae Princeps (Mahán.) Ab hoc oritur Ahankára (sui ipsius factor), qui est triplex: transformans, illuminans et quinque elementorum principia procreans. Itaque Brahma, Mahán, Ahankára et quinque elementorum principia sunt octo primitivae universi evolutiones. Una est materialis natura, inscia. tribus qualitatibus (guna) praedita; sed spiritus est conscius nullisque physicis qualitatibus praeditus, universum penetrans vivificansque.

A quinque naturae elementis tota rerum turba generatur creatarum. Ex terrae enim, aquae, luminis, aëris et aetheris coitione evolutio omnium substantiarum manifesta est in Áyurvéda. Brahma per haec quinque naturae elementa totum mundum penetrat et sustentat. Sin vero in substantiis materiisque unum aut alterum elementum praevalet, tum haec substantia sive materia esse terrena, haec aquosa, haec luminosa (ignea), haec aërea, haec aetherea dicitur, ex quo simul intelligi colligique potest, his elementis correspondere creaturarum genera.

Elementa naturae etiam quinque sensus hominum attingunt ita, ut aether auditui, aër tactui, lumen visui, aqua gustatui, terra olfactui correspondeat. Sapores quoque, vires et qualitates substantiarum non minus, quam temperamenta in hominum corporibus ab illis pendent. Sic etiam morbi ex elementis naturae, pervense aut inaequaliter corpora hominum afficientibus, saepissime oriuntur; eâque de re haec elementa tanquam causae morborum remotissimae sunt putandae, ultra quas nullae remotiores inveniuntur. Idcirco etiam D'hanvantaris suis discipulis praescripsit, ne medicinae investigationem ultra quinque naturae elementa extenderent.

Porro ex naturae elementis quadruplex animantium turba generatur: a calore orta, ovipara, a germinibus orta et vivipara.

Natura inde a mundo condito aedificatoque omni ex parte fuit perfecta atque absoluta, quam naturae indolem satvam vocant. Sed decursu temporum sensim sensimque creaturae omnes in pejorem conditionem, quam appellant rajas, mutantur, usque ad universam entium corruptionem — tamas, — quae mundi exitium — pralaya — antecedit. —

---

b. *De Anatomia.*

Anatomiam non pariter cum ceteris ad medicinam spectantibus doctrinis a veteribus Hindis esse excultam primo jam intuitu plane apparet in Áyurvéda. Nam verecundia mortuorum, quam habebant, totam cadaveris sectionem non patiebatur Quam vero exiguam religio illis permittebat licentiam secandi corporis ex hoc uno exemplo satis cerni potest:

„Medicus cadaver integro corpore instructum, veneno non laesum, non vexatum longis morbis, non centies madefactum pluviis, ab intestinorum faecibus liberatum, in rivo se movente adligatum, in cavea collocatum, Sacchari munjae cortice, Poa cynosuroide, Cannabi sativa aliisve rebus non circumdatum, in loco lucido maceret, omninoque maceratum extrahat. Tum cada-

ver post septem noctes (et dies) cortice Andropogonis muricati, Andropogonis shoenanthi et Bambusae arundinaceae, Artocarpo lacucha aliisve lente fricandum est. Cutem et cetera omnia externarum internarumque partium et organorum genera dicta oculo conspicere potest."

Corpus humanum ex membris sex constat, quae sunt quatuor extremitates, medium (truncus) et caput.

Porro percipiendi organa haec sunt: caput, venter, dorsum, umbilicus, frons, abdomen, mentum et collum sunt singula organa; aures, oculi, nares, supercilia, tempora, humeri, mammae, testiculi, latera, nates, genua, brachia, femora etc. sunt bina organa; viginti digiti; et sensuum organa.

Haec est generalis totius corporis divisio, quae quam sit manca et imperfacta, quis non videt? —

Corporis partium enumeratio specialis.

Membranae, segmenta, corporis elementa, humores, secretiones, hepar, splen, pulmo, ren, cor, sedes, intestina, praecordia, sensuum organa, magna vasa, retia, capitula, ligamenta, suturae, commissurae ossium, membranae capsulares, ossa, articuli, tendines, musculi, membra vitalia sic dicta, vasa minora, nervi et organa conjunctiones efficientia.

Ubique perbreves et acutulas partium enumerationes ac descriptiones invenimus; nullibi vero perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus anatomiam hic offendimus. —

Septem membranae ibi sunt relatae; septem segmenta; septem corporis elementa; septem sedes (organorum); septingenta vasa; quingenti musculi; nongentae tendines; trecenta ossa; ducenti et decem articuli; centum et septem membra vitalia; viginti quatuor nervi; tres humores organici; tres excretiones; novem organa sensuum.

Ex his partibus edisseruntur fusius membranae, sensuum organa, segmenta, corporis elementa, excretiones, vasa, nervi, humores organici, hepar, splen, pulmo, ren, cor, intestina et praecordia; cetera autem organa et partes duntaxat enumerantur.

Vasa non solum sanguinem, sed etiam aërem, bilem et phlegma universo in corpore circumferunt. Fabulose vero multa de vasorum origine, distributione et itinere relata ibi legimus, ex quo antiquissima Suśrutae aetas probabilis utique fieri potest.

Aptus ad id, quod modo retuli, est hic unus Áyurvédae locus: „Septingenta vasa sunt, quibus hoc corpus, sicut hortus aquae ductibus et sicut campus canalibus, irrigatur et adjuvatur inflexione, processu etc. Ut in arboribus folia et acus se praetendunt, sic vasa procedunt sursum, deorsum et oblique. Quot vero vasa in animantium corpore exoriuntur, in umbilico omnia connexa se undique praetendunt. In umbilico collatae sunt viventium vitalitates; vasis tectus est umbilicus, sicut disci umbilicus Valisneriis octandris.“ —

At nihil tam monstrose cogitari potest, quam id, quod Suśrutas de nervorum origine, distributione, itinere et natura refert: „Horum vero ex umbilico ortorum nervorum decem sunt adscendentes, decem descendentes et quatuor oblique procedentes.

Adscendentes nervi, sonum, contactum, formam, gustatum, odorem, inspirationem, exspirationem, oscitationem, emunctionem, risum, narrationem, lacrymationem et ceteras hujus generis actiones adducentes, corpus sustentant vivificantque. Nervi vero, cor aggressi, triplicati fiunt, et triginta oriuntur. Horum vero bini aërem, bilem, phlegma, chylum et sanguinem sustinent et decem numero sunt. Sonum, formam, gustum et odorem homo octo nervis percipit; duobus nervis loquitur; duobus vocem efficit; duobus dormit; duobus expergiscitur; duo in lacrymarum ductu sunt; duo, in mammis congressi, lac maternum ferunt, iisdemque semen virile mammis adducitur.“ Sed satis de hoc!

c. *Nunc vero de Physiologia.*

Ex seminis virilis et menstrui mutua penetratione embryo oritur. Semen virile est placidum, menstruum vero igneum. Ex seminis virilis majori parte mas; ex menstrui majori parte femina; ex aequali utrorum parte androgynus generatur.

Primo mense embryo germen sistit; secundo is globuli vel ovi habet formam; tertio manuum, pedum et capitis partes fieri incipiunt; quarto omnium membrorum et percipiendi organorum partes fiunt evidentiores, et mentis elementum apparet; quinto distinctior fit mens; sexto et septimo omnium membrorum et percipiendi organorum partes perfectius in utero formantur; octavo foetus fit instabilis et vitalitas in illo potest durare; nono, decimo et undecimo aut duodecimo mense foetus nascitur; sin vero aliter, deformis fit.

Qui vero ad Śaunakae auctoritatem se conferunt, embryonis caput prius exoriri contendunt, propter sensuum originem a capite. Kr̆taviryâ autem judice, cor prius exoritur, propter animi mentisque in corde sedem. Parasaryas proprius ad veritatem accedere autumat, si umbilicum primam embryonis partem ostendat, propterea, quod totum hominis corpus ex umbilico excrescat. Márkandéyas propter motus originem a pedibus et manibus, has extremitates prius enasci credit. Sub'hútis et Gautamas truncum oriri primitus defendunt, quoniam omnia corporis membra in illo sint illigata. D'hanvantaris autem omnes has sententias non probat. Omnia enim membra et percipiendi organa simul exoriri, haec vero ob embryonis subtilitatem non posse animadverti, dicit. —

Quod spectat ad embryonis substantiam sive materiam, illa primitus nihil aliud est, nisi rudis indigestaque massula, in qua vero semina omnium futuri hominis partium, sive corporalium, sive spiritualium, continentur. In hac massa adhuc indivisa primum oritur quoddam sanguinis punctum, quod se extendit in vasa sanguinem ferentia, quae sursum, deorsum et oblique procedunt; quibus universum corpus sustentatur.

Ex sanguine procreatur caro; ex carne tela cellulosa cum adipe; ex tela cellulosa ossa; ex ossibus medulla; et ex medulla semen virile.

III.

Post partum sanguis producitur ex chylo, qui est succus ex alimentis inde a stomacho usque ad intestinum rectum resorptus. Chylus primitus est aquosus; deinde vero hepar et lien assecutus ruborem adipiscitur, et sanguis fit.

Omnes corporis humani partes, functiones et humores vitalitate vivificantur et sustentantur, quae vero vis non probe definiri, sed ex suo effectu sane concludi potest.

Sanguis quinque naturae elementa continet et omnium corporis elementorum radix esse dicitur, cum caro, tela cellulosa, ossa, medulla, semen virile et menstruum, quae sunt corporis elementa, ex illo proveniunt. Sanguis enim, ex chylo natus, carnis est nutrimentum; caro corporis et telae cellulosae nutrimentum efficit; tela cellulosa inunctionem, sudorem, firmitatem et nutrimentum ossium; ossa corporis sustentationem et medullae nutrimentum; medulla voluptatem, inunctionem, vim, seminis virilis nutrimentum et ossium impletionem; semen virile firmitatem, motionem, voluptatem, corporis robur, gaudium et generationem efficit.

Quae vero excretiones procedunt ex sanguine hae sunt: sudor, urina, lacryma, lac, menstruum, saliva.

Sanguis incorruptus, non decolor et in naturali statu versatus coccinellae similis est; aëre corruptus sanguis autem spumosus, nigricans, caeruleus, tenuis, velociter iens aut immobilis est; bile corruptus fuscus, flavidus, subviridis, crudae carnis odore ingrato praeditus est; phlegmate corruptus unguinosus, frigidus, durus, ductilis etc. est.

Aër quasi vapor quidam in corpore habendus est, et organicus appellatur. Aër autem organicus in hominis corpore quinque habet sedes; collocatus enim est aut in pulmonibus, ubi spiritu ductus alit et sustentat animantes, aut in capite, aut in stomacho, aut in abdomine inferiori, aut in corpore universo. Itaque appellatur aut respirabilis, aut cephalicus, aut digestivus, aut abdominalis, aut diffusus.

Quod spectat ad digestionem, canalis abdominalis, qui incipit ab oesophago et desinit in anum, quasdam in regiones est divisus, quae sedes appellantur.

Cruditatis sedes in superiori abdominis regione est, ubi alimenta nondum sunt digesta; coctionis autem sedes in inferiori abdomine sita

est, ubi alimenta omnino sunt digesta. Inter cruditatis et coctionis sedem bilis collocata, invisibili actione quadrupliciter alimenta concoquit, et separat chylum, faeces et urinam. Cruditatis sedes supra bilis sedem est; ibi alimentum phlegmate humectatur et chymus generatur. Phlegma ibi situm universas corporis regiones per aquae operationem penetrat et inungit. —

Nervi omnes ab umbilico originem trahentes, quinque naturae elementis subjecti et ab his effecti, quinque sensus sustentant, et calore vitali omnes corporis partes, functiones et humores incitant.

Canales multi sunt in humano corpore, qui respirationem, cibum, aquam, chylum, sanguinem, carnem, telam cellulosam, urinam, faeces, semen virile et menstrua, nervorum et vitalitatis ope, promovent. —

---

d. De Historia naturali.

Haec disciplina eximie fuit exculta jam apud vetustissimos Hindos, quod colligi potest ex ipso Áyurvéda; sed regnum vegetabile magis, quam regnum animale et fossilium regnum, iis fuit notum. Ex regno vegetabili solum circiter septingentae et sexaginta substantiae medicae in Suśruta sunt indicatae.

Venena metallica et vegetabilia pauca; sed animalia tam multa memorat noster, ut vix numerari possint.

Integer liber (Kalpasťhána) de venenis et antidotis fusius agit. —

Systema historiae naturalis autem proprie sic dictum nullibi in Suśruta invenimus, cum res omnes ad hanc disciplinam pertinentes permixtae, et nondum in ordinem reductae sunt.

---

e. De Diaetetica.

Primum indicantur cibi omnino saluberrimi, inter quos numerantur: Oryza sativa, Allium cepa, mel, caro multorum animalium, sal, butyrum etc. In universum alimenta sunt sive salubria, sive insalubria, aut secundum

eorum generis naturam, aut secundum compositionem, aut secundum praeparationem, quae omnia hac ratione Suśrutas dijudicat atque explanat. Secundum hanc legem alimenta in plures classes sunt digesta. Prima classis est de oryzae generibus; secunda de frumentis; tertia de carnis generibus; quarta de arborum etc. fructibus; quinta de oleribus; sexta de floribus; septima de radicibus, bulbis etc.; octava de salibus; nona et decima de cibis facticiis; undecima de potionibus, inter quas aqua, lac et spirituosa uberius et fusius sunt enumerata et descripta. —

Aqua atmosphaerica, fluvialis, stagnatilis, cisternina, diffusa, alkalinosa, putealis, scaturiens, fontana, agrestis, marina, destillata, frigida etc. est memorata.

Lac vaccinum, camelinum, ovillum, bubalinum, equinum, maternum et elephantinum maxime laudatur, praesertim cum variarum plantarum succis sit commixtum.

Inter spirituosa numeratur praecipue vinum; spiritus destillatus et spirituosus liquor. —

Vitae ratio latissime patet in Áyurvéda, et praeter alimenta etiam vestimenta domiciliaque amplectitur, quibus de rebus hic fusius disserere longum est. —

Nunc autem revera sentio, quam spatiosum ingressus essem campum, si omnia momenta de Suśrutae aetate ac systemate latius tractare voluissem. Sed totum hoc in concinnum ordinem redegisse, ita, ut, quae ad auctoris aetatem systemaque pertineant, melius intelligantur, ad finem meum satis esse videtur.

Hac ratione enim lectoribus, argumenta componere volentibus, longae inquisitionis labor certe abest.

Ex veteribus autem, qui vel graece, vel latine, vel arabice medicinam tractaverunt et ad nostra tempora pervenerunt, sane non video, quisnam Suśrutae, medico antiquissimo, praeferri poterit, cum eorum nemo, ut mihi quidem videtur, omnes hujus sive artis sive scientiae partes accuratius meliorique cum artificio doceat. Propterea etiam Suśrutas divino celebrabatur honore, et in Deorum numerum transferebatur. —



COMMENTARII

ET

ANNOTATIONES

IN

SUŚRUTAE ÁYURVÉDAM.

A

Francisco Hessler,
Philos. et medic. Doctore, Medico publice constituto et Academiae Literarum et Scientiarum Regiae Boicae, quae Monachii est, Socio.

Fasciculus secundus,
continens Notas ad totum Suśrutae Áyurvédam.

ERLANGAE apud FERDINANDUM ENKE.
MDCCCLV.

PRAEFATIO.

Annotationes in totum Suśrutae Áyurvédam hic alter fasciculus continet. Quas si quis tenues existimare velit, tantum abest, ut succenseam illi, ut vel ipse mihi in rebus philologicis parum tribuam. Nam omne fere meum tempus Medicinae faciendae forensique ac Chirurgiae operativae et parturientium auxilio mihi transmittendum est; hi vero labores lucubrationes ad animum reficiendum sunt aestimandi. In his igitur brevis esse laboravi. Sin vero omnia, in quibus Suśrutas cum serioribus auctoribus dissentiat, perlustrare voluissem, meus hic labor certe finem et modum transiisset. Quibus vero in rebus scriptor aut obscurus fit, aut ejus voluntas cum scripto dissentire videtur, eas enodare tantummodo sum cona-

tus, reliqua benevoli lectoris studio ac judicio permittens. Quae igitur semel a me in his annotationibus sunt explicata, ea, ubicunque in Áyurvéda sint obvia, non identidem repetere solebam. Pari modo judiciis, sententiis opinionibusque Suśrutae assentire, aut ea refellere perraro sum ausus, cum id mei opusculi hujusce lex, qua sum adstrictus, vetaret, quippe qui Suśrutam ex se ipso solummodo explicare statuerem. — Philologis quidem, proprie sic dictis, forsan minus in his satisfeci, propterea, quod medicam duntaxat disserendi rationem adhibui, criticam autem neglexi. Omnino vero hoc opus mere medicum philologis pari modo inapertum est ad intelligendum, ut medicis criticus illorum apparatus inutilis apparet! Laborem igitur hunc esse medicis fructuosissimum magis interest mea, quam philologorum expectationem explere; dummodo medicis, quae meis de Commentariis antehac promiseram, praestitisse videar, susceptus hic labor certe non inutilis erit iis, qui historiam medicam ad se pertinere putent et majorem fructum ex Áyurvéda percipere velint! — Sicut autem magnum fructum ex Áyurvéda percipit historia medica, id quod fere nemo dubitare poterit; sic ipsa etiam medicina facienda rursus magnam utilitatem ex illa historia quaerere potest. Si quis enim medicam artem inde a primis initiis usque ad hodiernum diem non habet perspectam, utpnta si historiae medicae imperitus est, semper iste erit coactus, ut in verba suorum magistrorum juret, servilique munere fungatur, quippe qui proprium nullum habeat judicium, sed embryonis instar quasi in suae scholae

utero vivat, vera scientiarum liberaliumque artium vita privatus. Quicunque enim suae artis historiam cognitam non habeat, tristi infanti exposito, qui nec suum parentem, nec suam patriam novit, persimilis esse videtur. — Sed satis de hoc, quum nostris temporibus intelligentiores sane, quantam utilitatem habeat historia, haud fugere possit!

Suśrutam, Viśvámitrae filium, heroicis Indorum temporibus floruisse, atque inter medicos antiquissimos esse numerandum, ad hoc probandum in priori horum Commentariorum fasciculo firma graviaque argumenta me attulisse crediderim; attamen sunt, qui Suśrutam recentioribus saeculis adjudicent, nullis allatis argumentis. — Qui perspectos habent antiquos medicos, hac de re solummodo valent judicare. Examinent accuratius Áyurvédam; comparent diligenter e. g. Hippocratem cum Suśruta, et videant, horum uter sit antiquior? Hoc modo jam argumenta invenient, ex quibus vetustiorem Suśrutae aetatem colligere possint; etsi ex solo Áyurvéda etiam complura haurire possent, quae nostri auctoris aetatem perantiquam proderent. Multa de hoc genere posthac in hisce annotationibus indicabo, praesertim vero ea, ad primitivum Indorum gentis domicilium pertinentia, quae Suśrutae vetustatem maxime comprobare possunt.

Quidnam vero sentient illi, Suśrutae antiquitatem respuentes, si herbas medicas in Hippocrate offendant, solummodo Indicam trahentes originem? — in Áyurvéda autem nullas, quae ex Graecia sola proficiscantur? At Graecos jam

ante Hippocratem materiam medicam ex India in Graeciam importasse, Indos autem multo post in Graeciam esse profectos ilincque propriam suam materiam medicam reportasse, forsan credunt!!

In Hippocraticis operibus nobis fiunt saepius obviae herbae mere Indicae sequentes:

Sesamum orientale (Sesamum Indicum Lin.), Σήσαμον, Hipp. de salubri victus ratione; de morbis II; de victus ratione in acutis; de morbis mul. I.

Hyperanthera morunga (Morunga zeylanica et Guilandina Morunga, Hipp. de natura mul.

Cardamomus, Καρδάμωμος, Hipp. de morb. mul.; — de natura mul.; — de superfoetat. —

Andropogon schoenanthus, Σχοῖνος εὔοσμος — Hipp. de morb. mul.; — de natura mul. —

Laurus Cinnamomum, Κιννάμωμον, Hipp. de superfoet.; — de natura mul.; de morb. mul. —

Amomon, Ἄμωμον, Hipp. de natur. mul. —

Valeria Jatamansi Roxb., Νάρδος (?), Hipp. de morb. mul. —

Boswellia thurifera, Λίβανος, Hipp. de morb. mul. I.; de morbis II.; — de ulceribus; — de intern. affectionibus. —

Hae pluresque aliae Indica e terra solum enascentes plantae in Hippocrate inveniuntur; nullae vero in Suśruta, e Graeca terra tantummodo exorientes. Sed transeamus de Suśrutae aetate ad universam Indorum veterum medicinam.

Theophrastus Eresius, qui persecutus est stirpium naturas omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, causasque atque rationes, nos facit certiores, odorata, quorum in unguentis usus, ex India advehi, ac inde mitti ad mare (Histor. plant. lib. IX. cap. VII.), et apud Indos etiam alia plura medicamentorum genera provenire (Hist. plant. lib. IX. cap. XV.). Memorat Nearchus (apud Arrianum), Alexandrum Indos, quotquot medicinae peritissimi erant, apud se habuisse, et per praeconem in castris edictum fuisse, ut, quisquis a serpente ictus esset, ad regis tabernaculum veniret. Hi ipsi medici (auctore Arriano, Hist. Indic. cap. XV.) reliquis quoque morbis medebantur.

Alexandri magni tempore si Indorum medici fuere tam periti, ante hoc tempus medicinam ab illis non solum inceptam, sed etiam ad quendam perfectionis gradum perductam fuisse, non est infitiandum.

Strabo (lib. XV. cap. I.) memoriae prodidit, antiquos Indos ad medendi artem tantummodo se applicavisse (μὴ ἀκριβοῦν δὲ τὰς ἐπιστήμας, πλὴν ἰατρικῆς); ex quo saltem sequitur, illos in hac arte non mediocrem operam curamque consumsisse, et medicinam Indicam non esse rem tam novam, qualem nonnulli de grege philologorum illam esse velint. — At quid dicam de medicina? ne ullum quidem literaturae genus ab antiquis Indis esse coeptum absolutumque alii, iique minime indocti, asserunt. Tot enim praeclara testimonia et monumenta Graecorum Romanorumque de veterum Indorum sapientia ipsi

non respicere videntur; imo vero illa documenta fabulosa esse prae se fernnt. — Sed ipsa fabula interdum perspicuam omnibus veritatem continet, nulliusque indiget argumentationis. Talis etiam est praeclara illa fabula de Liberi et Herculis itineribus in Indiam factis, quae, cum ullam habeat vim mythhistoricam, sane potest probare vetustissimam Indiae culturam, quae illos Heroës, ut magnes lapis ferrum, allicere et trahere potuerit. — Sed haec fabula etiam accipi potest aliam in sententiam. Graecos enim, Ramae herois, et Krishnae itineribus ac rebus gestis in India perceptis, Herculi et Baccho haec praeclara facinora assignavisse, et sic alienas prioresque fabulas suis adjunxisse, verisimile est. —

Et ipse mythus de D'hanvantare, divino medico, Indorum medicina quo tempore jam floruerit, nobis indicare vult. At vero, Suśrutam esse D'hanvantaris discipulum, Áyurvédas ait; ex quo, quae sit hujus aetas, facile intelligi potest.

Inprimis vero illi Graecorum Romanorumque loci de Indorum medicina admirationem quandam movere debent, qui cum quibusdam Áyurvédae locis consentiunt. E. g. Strabo (lib. XV. cap. I.) commemorat: *δύνασθαι δὲ καὶ πολυγόνους ποιεῖν, καὶ ἀῤῥενογόνους, καὶ θηλυγόνους διὰ φαρμακευτικῆς.* Qua de re in Áyurvédae Sútrast'hána cap. I. et in Śárírast'hána cap. II. pag. 7 et 8 agitur. Strabo (loco citato) amplius narrat: *πρὸς δὲ τοῖς τέτταρσι στοιχείοις πέμπτη τίς ἐστι φύσις, ἐξ ἧς ὁ οὐρανὸς καὶ τὰ ἄστρα.* Quintum hoc elementum aetherem esse, multis ex Áyurvédae locis com-

pertum habemus. — Multo magis vero illa sententia nobis est notanda, quam Strabo de concursu seminis et animae, ex Indorum opinionibus, citat (lib. XV. cap. I.): καὶ περὶ σπέρματος δὲ καὶ ψυχῆς ὅμοια λέγεται. Nonne in memoriam nobis illum reducit Suśrutae locum (Śárírast'hán. cap. I.): „Eae ipsae animae — in sanguinis (menstrui) et seminis virilis concursu manifestantur.“ — Si verum est illud Strabonis: περὶ πολλῶν δὲ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν (Ἰνδούς), et Plin. secund. (Nat. hist. lib. VI. cap. XVII.): „Indi enim prope gentium soli nunquam emigravere finibus suis;“ non est dubitandum, quin Indi, quibus in rebus cum Graecis Romanisque consentiant, priores sint. — Quem vero Indi apud Graecos obtinent primatum, hunc illis denegare nos conemur? Sed praetereamus hanc infructuosam inquisitionem de Indorum eorumque scientiarum antiquitate, quae hominibus literatis et historicis jam diu nullam relinquit dubitationem. —

Restat, ut illis respondeam, qui Áyurvédam cum Hippocrate aliisque veterum recentiorumque libris de medicina scriptis comparatum velint, occasionemque ad hanc comparationem mihi oblatam esse putent. Quod vero, quoniam haud commode nunc potuit effici, dilatum in aliud volumen sejungendum exsequi aggrediar. —

Mythologicarum rerum rationem in meis annotationibus nullam habitam tacitus praeterire non possum. Putavi enim, alios huic rei satisfecisse, eamque magis divulgasse, quam quae meis egeret explicationibus. —

S a n s k r i t a vocabula, ubicunque id res postulare videbatur, his commentariis inserui, et Tabulam literarum synopticam, illis recte pronuntiandis inservientem, adjeci. —

Scr. W e m d i n g a e, tertio Calendas Maji, MDCCCLV.

Dr. F. Hessler.

Annotationes

ad

Tomum primum.

I. Ad Sútrast'hánam (p. 1—165.).

Sútrast'hána (e sútra, filum, et st'hána, locus, statio, liber, — id quod germanice Leitfaden) generalem artis medicae doctrinam amplectitur. Singulos igitur morbos eorumque curationes hoc libro minus auctor considerat. —

Ad Cap. I.

Susrutas (nomen proprium e su, bene et partic. perf. pass. verbi śru, audire, i. e. bene auditus; alibi, qui sacra studia bene absolvit), auctor Áyurvédae (e Áyur, vitae duratio, aetas, et véda, sacra doctrina, scientia) est. Alter Suśrutas non alibi invenitur, qua de re cum aliis confundi nequit. Ubique filius Viśvámitrae appellatur. Itaque ejus auctoritas ac vetustas in dubium vocari non potest. Sin vero Suśrutae aetatem seriori tempori adjudicaremus, simul nomen memoriamque Viśvámitrae funditus e Védis tollere ac delere rogeremur, propterea, quod

in Rigvédae indice jam Viśvámitrae nomini occurrimus, ubi ille ceu auctor sacrorum hymnorum laudatur (cfr. fasc. I. pag 1.).

Praeterea Áyurvédas, Suśrutae opus, etiam „Suśrutas" inscribitur, et sic nomen pro opere, ut alibi saepius, ponitur (cfr. Tom. I. p. 165 in fin. etc.) —

Suśrutas Ramae heroi aequalis fuisse dicitur. Sed tam remotam antiquitatem Suśrutae arrogare in animo non est; fortasse enim vetustiores Indi, ut medicinae primordia augustiora facerent, illique summos in medicina honores tribuerent, eum fabulae heroëm finxerunt. Possibile etiam est, ut ejus hoc opus, antiquitus ore propagatum, serius mandatum sit literis, sicut olim mos fuit. Attamen Suśrutae aetatem perantiquam esse jam probavi, et saepius confirmare conabor.

Áyurvédas, Suśrutae hoc opus, Upanga, i. e. membrum, sive appendix At'harvavédae est (cfr. Tom. I. p. 1.), et suam trahit originem ab ipso Brahma summo Deo, qui ante homines creatos hanc doctrinam, tanquam divinam revelationem, coelestibus medicis, Aśvinibus duobus, et Indrae et D'hanvantari tradidit. Hic primordialis Áyurvédas autem immodice fuit extensus (ut fabula docet); continebat enim centum millia ślokarum (distichorum) et millia capitum; talis igitur fuit, qualem non homines, sed Dii memoria comprehendere valerent (cfr. Tom. I. cap. I.).

Quum vero Brahma brevem hominum creatorum vitam exiguamque eorum intelligentiam vidisset, Áyurvédam in octo partes breviores redegit, quo facilius memoriae infigeretur. Quas octo partes vero (Śalya, Śalakya etc. cfr. Tom. I. p. 1.) D'hanvantaris in centum viginti capita (ad'hyáya), haec rursus in sex libros (st'hána), distribuit. Haec est praesens et ultima Áyurvédae forma, in quam Suśrutas, Viśvámitrae filius, D'hanvantaris discipulus, hoc opus reduxit. —

D'hanvantaris, Coelicolarum medicus, qui medendi artem de coelo in terram traduxit, mythicam habet originem, ex quo intelligi potest, quantum honorem pristini Indi medicinae tribuerint. — Quae vero sit D'hanvantaris Sákárá, i. e. adparitio, cfr. Reinhold. Dietz in Analect. medic. fasc. I. p. 132; et Suśrut. Tom. I. p. 1. —

Indras (Balae occisor), mediae regionis coeli Deus, D'hanvantarem, etiam Divodásam, i. e. Deorum ministrum vocatum, in terram descendere jussit ad edocendos homines. Ibi Brahmae jussu Káśi urbis (hodie Benares) regnum occupabat, et Káśirajas, i. e. Káśi rex appellabatur. D'hanvantaris noster igitur, quem jam Manus (III. 85.) memorat, confundi nequit cum altero D'hanvantare, qui multo post inter novem margaritas sic dictas in Vikramadityae regis aula florebat. Nomen Káśirajas et Divodasas illum satis ab hoc distinguit. — D'hanvantaris Divodasas solitaria in sylva Áyurvédam multos suos

discipulos edocuit, quorum vero praeclarissimus Suśrutas praesentem Áyurvédam in hanc formam redegit. En, hic ille est Áyurvédas!

Sed satis de Indicae medicinae aetate atque origine dixi; nunc vero cetera hujus capitis, quae ad physiologiam pertinent, quam paucissimis absolvam. — (Ante omnia vero notandum est, illa substantiva — p. 1. l 8. et 9.: „liberalitate, vilosis stragulis, excellentia etc." — etiam nomina propria significare posse: „Aupad'hénava, Vaitarana, Aurab'hra, Paushkálavata, Karavírya, Gopura et Rakshita").

„In hac doctrina (śástra) quinque magnorum elementorum et animarum complexio homo appellatur (p. 3.)." Praeter aërem, ignem, aquam et terram, quintum etiam Indi receperunt elementum, aetherem (ákàśa), tanquam matrem reliquorum elementorum. Unumquidque horum elementorum ad unum quinque sensuum pertinet, aether ad auditum, aër ad tactum, lumen (ignis) ad visum, aqua ad gustatum, terra ad odoratum (cfr. Tom II. p. 2.). Haec quinque elementa (mahább'hútáńi) emanationes sunt e quinque principiis naturae (tanmátráńi) a Brahma ductis. Quinque sensuum organa (Budd'híndriyáni), auris, cutis, oculus, lingua et nasus, quinque sensuum receptatores sunt. — Quinque sensuum principia, quinque sensus, et quinque sensuum organa in homine sunt collecta, et homo igitur horum omnium complexio est. Pari modo etiam animae corporibus indutae (saririn) ex quinque sensibus pendent; homo autem omnes spirituales indoles conjungit. —

„In hoc (homine) est actio" etc. (ibid.). Pertinet hic locus ad quinque agendi organa (karméndriyáni), vocem, manus, pedes, organa digestiva, secretoria et genitalia, quae sempiterno se gaudent motu, de quibus fusius agit Indica philosophia naturalis. —

„Is est stabilitas" (ibid.). Genus humanum nunquam peribit. — Actiones corporis et animi semper se movent; genus autem humanum permanet. Vocabulum „ad'hist'hána" hanc sententiam habere, hoc praesertim in loco, colligi potest ex sequenti loco: „mundus enim duplex est, stabilis (st'hávara) et mobilis." Alibi „ad'hist'hána" quoque dignitatem, potestatem, dominationem, sedem stabilem etc. significat. — „ob ejus vero substantialitatem quintupliciter" etc. (ibid.). Quintuplex vita derivatur a quinque naturae elementis. —

„In mundo quadruplex animantium turba est: A calore orta, ovipara, a germinibus orta, vivipara" (ibid). Quam penitus cognitam animalium originem antiquos Indos jam habuisse, haec sane docet divisio, quae a recentioribus non longe abhorret. Aliter hic est de vegetabilium divisione, quae quam sit manca et incompleta, plane apparet. Uberiorem quidem habuerunt rei herbariae cognitionem, sed innumeras herbas plantasque et arbores in ordinem redigere conati non sunt.

„Morbi quadruplices sunt" (ibid.). De morborum divisione cfr. Fasc. I. pag. 8 et 9.

„Animantium radix victus (alimentum) est" (ibid.). Alimenta priscorum Indorum non solum ex vegetabilibus, ut antehac falso memoriae erat proditum, sed etiam ex animalibus constituisse, hic locus docet (cfr. Tom. I. pag. 135. sqq. —

„Hic victus in sex gustus redactus est" (ibid.). Alimentorum non solum substantias, sed etiam sapores distinguebant ad constituendam eorum efficaciam. Sapores sunt: dulcis, amarus, adstringens, pungens acris, acidus et salinus sapor; quorum natura et vis exposita est in Sútrast'hána cap. XLII. Tom. I. p. 103. sqq. — Multipliciter miscentur sapores, ita, ut eorum quindecim duplicationes, viginti triplicationes, quindecim quadruplicationes, sex quincuplices combinationes appareant (cfr. Tom. III. p. 160. sqq.), prout sedes et genus morbi postulet. —

„In accumulatione, ira et sedatione origo (morborum corporalium) declarata est." (pag. 4.). Omnis morbus oritur vel ab accumulatione (chaya), i. e. a congestis morbosis materiis in singulis organis; vel ab irritatione (kopa) in singulis organis et eorum functionibus; vel in cessatione (sedatione — śama) functionum organicarum. — Brevissime quidem, sed perfectissime universam morborum Aetiologiam hoc loco esse constrictam, quis non videt? —

Ad Cap. II.

Quamquam antiquissimorum Indorum medendi ars habebatur religionis pars, et medici religiose inaugurabantur, attamen non soli Brahmanae, sed etiam homines inferioris ordinis (kshattriya, Vaiśya, Sudra), mysteriis medicinae initiari licebat, in quibus animi corporisque indoles egregia quaedam et praeclara, et ad hanc artem exercendam apta erat conspicua. Quisque autem e superiori ordine quemque ex inferiori inaugurare potuit. — Legitimum inaugurandi ritum, et discipuli magistrique officia omni ex parte noster tractat, initiandi tempus indicat, et infaustis nefastisque diebus neminem esse inaugurandum declarat. —

Ad Cap. III.

Singulorum totius operis capitum summaria, quae indicis vice me adjecturum esse pollicitus eram, nunc praetermitto, propterea, quod singula capita titulis, ex archetypo ad verbum translatis, instructa sunt. —

„Sic haec sacra, octo membra (anga) complectens doctrina a Deo manifestata est“ (p. 6.). Haec sacra doctrina Áyurvèdas est, qui, a Brahma divinis medicis revelatus et pro hominibus in octo membra reductus (cfr. cap. I. p. 1 et 2.), a Suśruta, D'hanvantaris discipulo, in sex libros, centum viginti capita continentes, redactus est. —

„Qui universae doctrinae gnarus, operationum vero imperitus est, is“ etc. (ibid.). Quantos progressus Indi veteres in medendi arte jam fecerint, ex eo intelligi potest, quod praeceptiones, quae darent certam viam rationemque sanandi, necessarias credebant, easque semper cum curandi usu conjungendas censebant, quo demum fieret, ut medicina nomen scientiae simul et artis sibi vindicaret. —

Memoratu dignus ille locus est: „qui porro in operationibus (karma, i. e. in praxi) bene versatus, ob effraenationem (d'hárshṭyát — arrogantiam) autem doctrina (śástra — theoria) orbatus est“ (i. e. theoreticam doctrinam respuit) etc. (ibid.); — sane hic locus argumento esse potest, quosdam omnibus temporibus existere medicos, qui suam ignorantiam literarum scientiarumque medicarum arroganter praetendant, semperque insolentius intolerantiusque de medicina facienda, quasi solummodo ad se pertinente, glorientur. Sic olim et nunc! Neque minus vero invehitur noster in illos, qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his in lucem proferre et ad communem fructum afferre. Quorum nonnulli usque ad hodiernum diem medicae arti infructuose student. —

„In pugna est occidendi actio“ etc. (ibid.). Haec sententia, ob erratum typographicum (nirvod'hum pro nirvád'hum) falso a me translata, interpretanda est sic: „sicut birotum essedum in pugna negotium suum exsequi valet.“ Sensus est: qui in theoria simul et in praxi bene versatus est, ille currum, altera rotà non carentem, dominat. —

„Nunc care, quando hoc illudque perlegendum sit“ etc. (pag. 7.) De magistri discipulique officiis atque muneribus in docendo et discendo apte agitur. —

Ad Cap. IV.

„Perlecta autem doctrina, neque vero percepta ea circa sententiam“ etc. (p. 7.). De ratione ineunda artis medicae addiscendae, i. e. de methodo optima hujus doctrinae percipiendae praeclare noster disserit. —

„Ob potestatem materiarum“ etc. (ibid.). Ob influxum materiarum, ad alias doctrinas pertinentium, in nostram doctrinam, illas quoque esse perdiscendas Suśrutas docet, omnesque artes quoddam commune vinculum habere et quasi cognatione quadam inter se contineri et alibi saepius monstrat. —

Ad Cap. V.

Totum hoc caput (ad'hyàya) de universis chirurgicis operationibus summatim agit ita, ut habeat expositionem in omne tempus valentem. Nam, ut mysticas quasdam observantias, quae antiquitati sint concedendae, hic omittamus, non solum de rebus ante operationes chirurgicas praeparandis, sed etiam de operandi rationibus bene praecipitur. — Jam vero ibi de moxa (usht'ha pichu = combustum erioxylon) et cauterii potentialis (kshára) actualisque (agni = ignis) usu in chirurgia sermo est. —

„Krityarum occidendarum" etc. (p. 9.). Talibus carminum incantamentis (mantra) saepius in Áyurvéda occurrimus, quae valeant non solum contra serpentium morsus (vid. Tom. II. p. 228) verum etiam contra alios morbos (vid. Tom. I. pag. 107. — Tom II. pag. 43. 106. 111. 155. 162. 236.) et malignos daemones (vid. Tom. III. p. 52, 53. 55. 56. 57. 58. 59.) singulis morbis et corporis partibus infestos. Sed solummodo probos homines defendi a benevolis numinibus contra malignos daemones sacris incantamentis adhibitis, multis ex Áyurvédae locis apparet. — (Omnino nunquam improbum hominem esse curandum Suśrutas praescribit (cfr. Sútrast'hán, cap. II. p. 6.). — Naturae quinque elementa (maháb'-hútáni), aetherem (ákáśa), ignem (agni), aërem (váyu), aquam (ápas) et terram (vasund'hará), hic invocari ceu numina benevola, sicut in Védis, memoria dignum est. Divinitatem antiquissimi Indi praeterea tribuerunt Soli et Lunae, reliquisque sideribus. Quem ad naturae cultum Indi a fera agrestique vita primitus sunt deducti. In posterum colebant Brahmam omnipotentem, Vishnum et Indram, qui apud illos erant numina, omnem mundi motum vitamque regentia. De Śiva autem, omnia delente Deo, hic nondum est sermo. Itaque ex hujus hymni cum Védis apte cohaerentis proprietate antiquitas Áyurvédae colligi potest. —

Ad Cap. VI.

Ob maximum anni temporum influxum in curationes, quae singulis morbis sint admovendae, noster certa uniuscujusque annui, menstrui, diurni nocturnique spatii signa naturalia dilucide planeque ostendit. Tempus (kála) est ipse Brahma (Svayamb'hú = ex se ipso factus), quod neque originem, nec interitum habet, omnium autem interitus atque obitus conficit. — Quam vero vetustissimi Indi temporum rationem inierint, quam longe a Graecorum anni computatione absit, quis non videt? Attamen sunt, qui magnam differentiam in amborum principiis et naturalibus et mathematicis esse negent. — Anni tempora coelique varietates magnam partem in exortis

morbis (sporadicis) habere, breviter jam in priori Fasciculo commemoratum est. Nunc vero praecipue animus lectoris animadvertendus est ad illam Suśrutae sententiam: „frigus, calor, aër et pluvia plane perversa plantas annuas et aquas corrumpunt. Ex harum assumtione variorum morborum apparentia, vel epidemia oriri potest“ (pag 12.); ex qua sequitur, epidemiam (maraka) non proxime ab anni temporibus eorumque corruptionibus, sed demum ex aquarum plantarumque illis corruptarum usu exoriri. — Maligni daemones, ut noster censet, etiam epidemiam valent efficere, absentibus nocivis aliis viribus; — quam vero opinionem omnibus temporibus de hac re habebunt superstitiosi. —

Ad Cap. VII. et VIII.

Ibi noster universum apparatum chirurgicum generatim speciatimque persequitur.

Chirurgiam inter reliquas medicinae partes apud priscos Indos maxime excultam fuisse, satis elucet ex eorum multis chirurgicis instrumentis, ligamentis, ceterisque rebus auxiliaribus. Eorum apparatus chirurgicus, brevi in conspectu positus, sex constat ex partibus: 1) ex instrumentis aptis ad explorandum (éshani); — 2) aptis ad secandum (śastra); — 3) ex machinis (yantra); — 4) ex rebus auxiliaribus (upayantra); 5) ex ligamentis (band'ha); et 6) ex pharmaceuticis praeparatibus (unguentis, emplastris etc.); quae quot et qualia sint, partim ex duobus his capitibus, partim ex dispersis totius Áyurvédae locis cernitur. Praeterea noster perscribit et instrumentorum, scalpellorum machinarumque materias, ex quibus sint fabricanda, et fabricandorum formas, et acuendorum asservandorumque negotium. Quod vero ad eorum formas spectat, ad plenam veritatem a nobis pingi non possunt, etsi ad similitudines quorundam corporum, e naturae regno śumtorum, a Suśruta accuratissime sunt descripta. Sane illi facerent imperite, ne dicam temere, qui ex isto periculo veritatem exigere, verasque illorum instrumentorum effigies exprimere conarentur, propterea, quod et notata naturae corpora, quibus similiter sint fabricanda instrumenta etc., non certa indubiaque esse solent. —

Omnino vero etiam nobis obviam venit in Áyurvéda apparatus chirurgicus tam luxuriosus, quam nostris temporibus. —

Ad Cap. IX.

Qui discipulus omnia chirurgiae praecepta bene perceperat, ad hanc doctrinam adjungere debebat exercitationem, quippe cum nulla ars sine aliquo

usu percipi possit. Quae vero exercitatio non tam in mortuis hominibus, quam in animalium cadaveribus ceterisque rebus erat instituenda. —

„Itaque medicus — in quacunque re fas est (d'harmya), ibi exercitationem (yogyá) instituat“ (p. 18.). Hic locus indicare videtur, humana cadavera secare nefas fuisse. Nullibi quidem noster humanorum cadaverum sectionem interdicit prorsus, atque adeo ad partes cognoscendas eam adhiberi jubet; sed tamen sectionis ratio longe aliter apud veteres Indos, quam apud nos, instituebatur (cfr. Tom. II. pag. 24.). Praeterea Indos versatos esse in Anatomia non propter fructum, quem illa ferret morborum curationibus, sed propter utilitatem, quam Chirurgia ex illa caperet, totum hoc caput, exemplis magis, quam argumentis, docet. —

Ad Cap. X.

„Medico — acum immittere licet“ (p. 19.). Quae vis voci viśik'há hoc loco sit subjecta, non clare apparet. Hoc vocabulum acum significare, et cum verbo causativo anupravésht́ (intrare facere, immittere) constructum, loquendi formulam „acum immittere“ efficere, mihi quidem videtur; etsi reliquum caput hanc sententiam non longius prosequitur. Forsan synecdochice intelligitur totum ex parte, et acus (viśik'há) omnia instrumenta chirurgica ad secandum apta hic significat. Reliquae significationes hujus vocabuli hic locum habere non possunt. Ceterum de acus ictibus in Uttaratantra cap. L. Tom. III. p. 126, sermo est, ubi vero súchí (acus) legitur. —

Medicus cum satis ad doctrinam adjunxerit usum exercitationemque, tum demum morbis adhibeat curationem. Sed decore in publicum prodeat, ita, ut ex ejus externa atque adeo specie, habitu, amictu, statu decentiorique motu vir in omni parte humanitatis perfectus agnoscatur. —

Apte Suśrutas omnia diagnoseos subsidia hoc loco perlustrat, quae et nostris temporibus meliori artificio docuisse nemo apparet. Bene perspecti morbi quamquam faciliores sunt curatu, attamen personarum ordinumque ratio accuratissime est habenda. —

Ad Cap. XI.

Hic sunt antiquissima verae Chirurgiae vestigia. Lixivii caustici (kshára) parandi ratio apud vetustissimos Indos non valde a nostra differt. Plantae enim (accurate descriptae) comburuntur; tum cinis ex illis aquà coquitur; dein hoc decoctum colatur per linteum. Testis choncharum (i. e. calcariis substantiis) combustis, earumque cineribus cum illo decocto rursus

concoctis, lixivium causticum conficitur. Quae praeterea ad hujus lixivii parationem assumi jubet Suśrutas, nullius sunt momenti. Lixivium hoc causticum tres condensationis habet gradus. Si tenue est, mite; si magis est condensatum, mediocre; si valde condensatum et ex acrioribus vegetabilibus substantiis paratum est, acre vocatur. Mite et mediocre lixivium causticum etiam potabile appellatur, propterea, quod morbis internis adhibebatur in mixturis etc.; acre vero etiam cicatricans nominatur, quia in morbis externis prout cauterium potentiale ad cicatrices bene formandas erat in usu. —

„Porro in recte cocto lixivio morbi sedatio“ etc. (p. 22.). Perversam lixivii caustici parationem, atque indicationes et contraindicationes in variis morbis, personis, ac reliquis circumstantiis noster plane dilucideque explicat. —

Ad Cap. XII.

„Lixivio caustico gravior ignis (agni) in operationibus demonstratus est“ etc. (p. 53.). Ignis (cauterium actuale) extremum est medicamentum in Áyurvéda demonstratum, propterea, quod morbos, imprimis chirurgicos, aliis remediis et ipso cauterio potentiali incurabiles vi quadam funditus tollit. Cauterium actuale quibus morbis, corporis regionibus ac partibus sit adhibendum, — per quas substantias ignis humano corpori ejusque partibus sit applicandus, — quo tempore denique urendi usus contraindicatus sit, — hic clare apparet.

„Anulus, instillatio, linealis ustio et impressa ustio — sunt ustionis genera“ (p. 24.). Anularis (valaya = armilla, brachiale) ustio nihil aliud esse videtur, ac moxae applicatio; quamquam et circumferens ferri candentis ustio esse potest. — Instillatio quid sit, per se intelligitur; pariterque linealis atque impressa ustio

„Exsistit vero ustio simplex“ etc. (ibid.). Cauterium actuale (agni) suos habet gradus, cum simplex, fortius, fortissimumque potest esse, prout morbi indicatio postulat; at nimia ustio semper est contraindicata. —

Reliquum hoc caput, quomodo locus cauterizatus sit curandus, et quomodo fumo laesus fulmineque ictus sit sanandus, propter permagnam quae inter haec et illa phaenomena intercedit similitudinem, explicat. —

Ad Cap. XIII.

Quam sit antiquus hirudinum usus in medicina, ex Áyurvéda intelligunt ii, qui hujus operis antiquitatem non pertinaciter pernegent. —

„Regum, opulentorum, infantium, senum, timidorum etc. gratia mitissimum sanguinis detrahendi subsidium hirudo (jalauka) indicata est“ p 25.). Singulis Áyurvédae locis harum personarum rationem habet Suśrutas ita, ut omnino mitior illis medela videatur necessaria; id quod et nostris temporibus est respiciendum!

Quae igitur impedimenta inferantur medicinae faciendae, tam esse vetera, quam ipsam hujus artis historiam, hoc ex loco facile cerni potest. — Hirudinum et venenosarum et veneni expertium genera tam sunt hic incerta, ut decerni non possint. Earum vero culturam, capturam, conservationem, indicationem et applicationem, ut paucis dicam, totum hunc locum, noster praeclare pertexuit. —

Ad Cap. XIV.

De sanguinis (śońita, rakta) origine et ejus metamorphosi usque ad semen virile (rétas, śukra), confr. Fasc. I. p. 22. Sanguinem ipsum ex chylo (rasa), chylum rursus ex alimentis, alimenta ex quinque elementorum (mahább'hútáni) essentiis orta esse, multis ex Áyurvédae locis manifeste apparet. —

„Perquam subtilis succus (sára), vi vitali (téjas) effectus, chylus appellatur“ (p. 28.). Non praetermittendum est illud Suśrutae effatum: chylum esse vi vitali ex alimentis effectum. Vocabulo téjas enim (a radice tij, acuere) semper hanc vim in Áyurvéda esse subjectam, solis luce clarius videtur; etsi illud alibi etiam lucem, lumen et vim significat. —

„Hujus (chyli) vero locus cor est“ (ibid.). Chylus, hepar et lien assecutus, ibique ruborem adeptus sanguisque factus, ad cor procedit. Itaque hoc loco noster sanguinis nomen cum chyli nomine commutat.

„Is ex corde viginti quatuor arterias cum emiserit“ etc. (ibid.). De fabulosa vasorum arteriarumque origine et distributione suo loco (in Anatomia) edisseritur.

„Haec corporis elementa (d'hátu), quia corpus sustentant, sic appellantur“ (p. 29.). De corporis elementis cfr. sequens caput. — In reliquo hoc capite noster phlebotomiam tractat, et de phlebotomandi ratione, de sanguinis ultra modum profluentis restrictione, de minus profluentis incitatione, et de variis corrupti sanguinis morbis ita praecipit, ut nullius ultra indigeat interpretationis. —

Ad Cap. XV.

„Corruptorum (dosha) corporis elementorum (d'hátu) et secretionum origo corpus est" (p. 31.). Ut mihi nunc quidem videtur, τὸ dosha per totum hoc caput significat humores (aërem = váta, bilem = pitta, et phlegma = kapha). Illa igitur sententia haec est: corporis vis vitalis efficit humores, corporis elementa (chylum = rasa, sanguinem = śońita, rakta, carnem = mánsa, telam cellulosam = médas, ossa = ast'hi, medullam = majja et semen virile = śukra), et secretiones (mala, i. e. faeces, urinam, lacrymas, sudorem, menstrua, salivam et lac). —

Humores organici, bilis, aër et phlegma, magnum habent momentum in universam Áyurvédae pathologiam, nimirum cum primitus quinque naturae elementa vim habent ad illos. Humoribus vero corruptis, corporis elementa statim vitiantur. — De corporis elementis (d'hátu) et secretionibus (mala) vid. Fasc. prior. p. 22. —

Quae sit humorum. corporis elementorum et secretionum natura, quae sit hominis valetudo vel bona vel adversa in illorum bona vel mala affectione, quantum denique valeat vis vitalis ad corporis constitutionem, hic locus uberius fusiusque disserit. —

Nunc primum explicantur trium humorum facultates, qui maximum exercent influxum in universum Áyurvédam (cfr. Fasc. prior. p. 7.). —

„Motionis, turgoris, expletionis" etc. (p. 32.). Quid „vinéka" (distinctio, judicium, dijudicatio) hoc loco esse vult, non apparet. Eodem modo se habet „méd'ha" (intellectus), qui a bile exoriri, et „ropańa" (perturbatio, confusio), quod a phlegmate provenire dicitur. Difficile enim est intellectu, aërem, bilem et phlegma habere talem vim ad animum, ut meras animi mentisque affectiones valeant producere! —

„Chylus — sanguinis nutrimentum efficit" etc. (ibid.). Universus nisus formativus in nutritione esse versatus Suśrutae videtur; ex alimentis chylus fit; chylus deinde nutrit sanguinem; sanguis carnem; caro telam cellulosam; tela cellulosa ossa; ossa medullam; medulla semen virile. —

„Horum (humorum, corporis elementorum et secretionum) aequalitas" etc. (p. 36.). Monet jam Suśrutas, aequalitatem omnium corporis conditionum tantummodo ex sanitate posse concludi; et rursus ex sanitatis definitione, morbus quid sit, optime intelligi (cfr. Fasc. prior. p. 8.). —

Ad Cap. XVI.

Jam primis annis aetatis lobulos aurium infantium transforabant veteres Indi, et morbosarum materiarum derivandarum, et inaurium gerendarum causâ. Qua vero in operatione magnam et constellationum, et divinarum observationum habebant rationem. Aures rite perforatas deligabant multimodis (cfr. p. 37.), prout res postulabat. Sed tamen clare non apparet, quomodo quodvis ligaturarum genus applicabatur, quia in oculorum obtutu illae nobis non sunt; id, quod pari modo se habet de instrumentis chirurgicis, quamvis plane descriptis. —

„A gena cum inciderit medicus" etc. (p. 38.). De Otoplastice hic est sermo. Indos enim fuisse primos, qui perditas corporis partes quasdam externas reficere et in integrum restituere sint conati, jam dudum neminem fugit. Hic primum de hujus operationis methodo noster agit; deinde fusius tractat morbos in aurium lobulis sitos, ex bile, aëre et phlegmate, tribus his humoribus in toto Áyurvéda dominantibus, exortos; denique et chirurgicam et medicam curationem, quae his morbis sit adhibenda, praecipit. —

„Nunc vero fissi (dilacerati) nasi" etc. (p. 40.). De Rhinoplastice instituenda noster hoc loco breviter agit. Quamquam τὸ viśléshita (particip. perf. pass.) usitatius disjunctum significat, tamen hic etiam dilaceratum denotare potest.

„Fulti folii" etc. (ibid.). Est genitivus τοῦ „pro hac mensura". Nasi mensuram habens folium — cum medicus sumserit, — tum pro hujus folii mensura a genae latere partem excidat, nasi apicem radat etc. —

„Ad labii defecti unionem" etc. (p. 41.). Agit ibi de Cheiloplastice, ad Rhinoplastices similitudinem conficienda. —

„ — ille reges facere potest" (ibid.), i. e. reges curare potest et debet. —

Ex his multisque aliis locis cernitur, quanto in honore apud veteres Indos fuerint medici ii, qui cum medica arte chirurgicam conjungerent, cum illi medicinam internam a Chirurgia sejungi noluerint. —

Ad Cap. XVII.

Universi tumores (sopha) hic tractantur. Omnis vero tumor, vel a singulis, vel ab omnibus simul corruptis humoribus (aëre, bile, et phlegmate), vel a vitiato sanguine, vel ab aliis accidentibus ortus, in malignam affectionem abire potest, ita, ut tumor varius, amplus, nodosus, iniquus etc. fiat. De tumorum origine ex dictis causis, de eorum symptomatibus, maturandi

rationibus, sectionibus et curationibus ita dilucide noster disserit praecipitque, ut haec res quavis interpretatione nec clarius explicari, nec planius exprimi possit; quo fit, ut ad hoc caput de universis tumoribus illustrandum nihil prorsus habeam quod addam.

Post „phlegmonae internae“ (p. 41. l. 12.) inserendum est „oculi inflammatio“ (alají). —

„Sine aëre non existit morbus“ etc. (p. 42.). Haec sententia memoratu est dignissima, cum ibi Suśrutas manifeste doceat: aërem (váta) esse primam orientis morbi causam; bilem esse ad coquendum maturandumque morbum aptam; et phlegma esse criseos materiam. De tumoribus cfr. Nidán. cap. XI. Tom. I. p. 192.; et Chikitsit. cap. XVIII, Tom. II. p 120. et cap. XXIII. p. 138. —

Veteribus Indis jam omnia pseudoplasmata fuisse nota, ex his Áyurvédae locis facile colligi potest. —

Ad Cap. XVIII.

Suśrutas solo vocabulo vraṅa utitur pro vulneribus simul atque ulceribus, quibus passionibus inunctiones, vincturas et medicamina adhibet.

„Unguentum triplex est: linimentum (pralépa), malagma (pradéha) et unguentum proprie sic dictum (álépa), quae unguenti genera tantummodo in suis densationibus, nec vero in suis substantiis inter se differunt Unguentorum materiae autem sunt multae atque variae in Áyurvéda indicatae (cfr. Sútrast'hán. cap. XXXVI. Tom. I. p. 86.; Chikits. c. XVII. Tom. II. p. 118. etc.), prout curatio postulat. —

„Qui morbi in organorum vitalium“ etc. (p. 44.). Quae sint organa sive membra vitalia (marma), vid. Śárírast'hán. c. VI. Tom. II. p. 24

„Tres partes continens oleamen“ etc. (ibid.). „Tres“ hoc loco est error typographicus, pro quo lege „sex“. Oleamen (snéha), pingue oleamentum, est unguentum, saepius compositum ex oleoso sedimento et aliis curationi inservientibus substantiis, id quod permultis Áyurvedae locis offendimus. —

„Ibi ovata, restiformia“ etc. (ibid.). Quatuordecim haec vinculorum (band'ha) genera qualia sint, etsi vinculorum nominibus plerumque etiam formas eorum esse explicatas censet auctor, tamen potius conjicere, quam pro certo scire possumus. Sed solis ex his vinculorum chirurgicorum nominibus clare apparet, diligentissime a priscis Indis studium chirurgicarum vincturarum (band'hana) esse cultum. Sed de vinculorum materiis, indicationibus et ligandi rationibus minutius et scrupulosius praecepisse illi videntur. —

Ad Cap. XIX.

In hoc capite de ulcerosorum et vulneratorum habitatione et cura agitur. Subjecta est enim vocabulo sanskrito upásana duplex vis; significat sedem sive habitationem, et curam. Domus, lecti confectio et collocatio, aegrotorum curationes et famuli quales esse debeant; quae sint his aegrotis evitanda, quae facienda, ita accurate sunt indicata, ut nullum verbum ad has res illustrandas habeam quod addam. —

Ad Cap. XX.

De Diaeta, imprimis circa alimenta (áhára), hic dantur praecepta subtiliora, quam quomodo res postulare videatur.

„Oryza sativa, Oryza praecox" etc. (p. 49.). Quae alimenta suapte naturâ in omnibus hominum conditionibus salubria sint, hic indicantur. Alia verum etiam multa sunt, quae in bilioso morbi statu salubria, aëri autem et phlegmati sint insalubria, et vice versa; id quod in doctrina de cibis potibusque (Sútrast'hán. c. XLV. Tom. I. p. 114 sqq., et c. XLVI. p. 134. sqq.) fusius uberiusque edisseritur. —

„Secundum compositionem vero aliae substantiae veneno similes sunt" (ibid.). Multa alimenta propter perversas compositiones non modo insalubria fieri, verum etiam in veneni quasi naturam transire, stabilem et firmam auctor habet sententiam, id quod nonnullis Áyurvédae locis comperimus. —

„Inde vero alios secundum compositionem insalubres subtantias indicaturi sumus" (p. 50.). Quaecumque hoc loco dicta sint, quodammodo etiam, mutatis mutandis, in nostra coquinaria arte valere, nemo negare potest. Hac enim hisque similes compositiones gustui hominum adversantur. —

„Inde secundum praeparationem" etc. (ibid.). Alimentum quodcumque insalubre fieri posse perversa praeparatione, fugit neminem. Pari modo res se habet, si substantiarum partes pro portione mixtae non sunt. —

„Inde gustuum copulationes" etc. (p. 51.). Aptorum saporum mistio maximi momenti et ponderis est, propterea, quod e. g. dulce et amarum etc. non modo gustui, sed etiam digestioni adversatur.

„Nunc ventorum qualitates" etc. (ibid.). Minime noster dubitat, quin aëris constitutio ventorumque tractus plurimum conferat ad bonam adversamve valetudinem. Sed aërem ventosque in meridiana plaga non esse judicandos ex illis in temperatione nostri coeli, ne dici quidem opus est. —

Ad Cap. XXI.

Hujus capitis titulus „de ulcerum inquisitione (vraṅa — praśna)“ non apte cohaerere cum materia ibi tractata videtur. Agitur enim ibidem de humorum natura, eorum corruptione, accumulatione, irritatione et eruptione; porro de humorum sedibus et conjunctionibus inter se; etiam corruptorum humorum quinque stadia sive tempora usque ad ortos tumores varios indicantur. Tumores denique in exulcerationem transgressos, suam materiam, i. e. corruptos humores, secernere, noster docet. Hoc est totius capitis argumentum. —

„Ulcerum inquisitio“ igitur hoc loco significat inquisitionem omnium rerum conditionumque, ex quibus ulcera exoriantur. —

„Aër, bilis et phlegma procreati corporis causae sunt“ (p. 52.). Tres scil. hi humores et sanguis, ut Suśrutae quidem videtur, efficiunt elementa (d'hátu) corporis inde a chylo usque ad semen virile; qua de causa illi etiam corporis columnae nuncupantur. —

„Porro in illorum motione“ etc. (ibid.). Sensus est: per motionem et actionem tres humores et sanguis efficiunt elementa corporis (chylum scil., sanguinem, carnem, telam cellulosam cum adipe, ossa, medullam et semen virile), quae a sanguine (alibi a chylo) incipiunt, et in semen virile desinunt. His humoribus calefactis, calor vitalis oritur. Si illi invicem se penetrant, corporis cohaerentia (ślisha, amplexus) generatur. —

„Horum (humorum) activis mediis“ etc. (ibid.). Sensus est: his operantibus, per actionem trium humorum iidem, scil. aër, bilis et phlegma, procreant finguntque formas, e. g. formas oculorum, aurium, pedum, pulmonum etc. —

„Hic — aër in coxa et ano asylum habet“ etc. (ibid.). In stomacho et duodeno esse locum phlegmatis; in hepatis lienisque regione esse bilis sedem; inter coxam et anum esse aëris domicilium, auctor ubique demonstrat. Inde ab his primariis sedibus unumquemque horum humorum propriis corporis partibus praeesse credit. Sin vero unus aut alter horum humorum suam sedem relinquit, et alterius humoris sedem hostiliter irruit, morbi varii, ex illius opinione, exoriuntur. —

„Aëris sedem in aëris morbo indicaturi sumus“ (ibid.). Cfr. Nidán. cap. I. Tom. I. p. 169. sqq. —

Phlegmatis sedes etiam cruditatis sedes, bilis sedes quoque coctionis sedes, et aëris sedes maturitatis sedes esse, hique tres humores sic universam digestionem, inde a chylificatione usque ad semen virile, efficere, et omnes corporis partes regere, multis Áyurvédae locis dicuntur. —

„Exsistente adhuc spiritus absentia" etc. (p. 55.). Sensus verisimilis et quasi probabilis est: Spiritu nondum exsistente, aërem jam instinctu (rajas) plenissimum fuisse. Rajas enim secundam mundi indolem conditionemque in Cosmologia Indica significat. Hoc vocabulum sanskritum quidem usitatius affectum, cupidinem, perturbationem indicat. Dubium vero esse non potest, quin illud hoc loco instinctum sive nisum (aëris) ad morbosas affectiones efficiendas notet, eoque magis, cum idem etiam hoc loco omnium creaturarum (sarvab'háva) principium (pravartaka = auctor et actor, instigator) appelletur. — Reliquum hoc caput nullam habere difficultatem videtur. —

Ad Cap. XXII.

Curiosius hic agitur de variorum profluviorum (sráva) ex quolibet ulcere ortorum natura et colore, ita, ut ad hoc caput illustrandum nihil prorsus habeam, quod addam. —

„Organa vitalia" etc. (p. 56.). Cfr. Śárír. c. VI. Tom. II. p. 24. sqq. —

„A maturitatis sede (ortum puris profluvium) incurabile" etc. (p. 57.). Ubi sit maturitatis sedes, vid. supra dict. —

Ad Cap. XXIII.

Quae ulcera sanabilia, quae dubia et quae insanabilia sint credita, uberius hic edisseruntur. Accurate diligenterque indicatur, quibus de causis et quibus in locis ulcera faciliora difficiliorave sint curatu. Juvenum, firmorum, bene respirantium animosorumque hominum ulcera facilius posse curari, quam senum etc., per se intelligitur. —

Ad Cap. XXIV.

Sane antiquissimam morborum distributionem ante oculos hic habemus. Morbos omnes autem Suśrutas non secundum eorum manifestationem, vel symptomata, sed secundum eorum originem ordinat. —

„ — a contactu orti et per atmosphaeram illati" etc. (p. 61.) Akasmika si derivatur ab akasmát, significat repentinus, subitus (morbus), id quod hoc loco vix probabilem habet sensum. Mihi quidem videtur hoc vocabulum derivandum esse ab ákáśa (aether, sive atmosphaera), et pro Ákasmika legendum esse ákáśmika, id quod tollerabilem reddit sensum.

Morbi enim, orti a contactu, sunt contagiosi; morbi autem, illati per atmosphaeram, sunt morbi míasmatici. —

„Ob corruptorum humorum, corporis elementorum“ etc. (ibid.). Morbos distribuere secundum eorum causas, difficile esse, hoc ex loco intelligi potest. —

„Sicut omne, a commutatione ortum, per universi formam perstans est“ etc. (ibid.). Sicut universi forma semper eadem permanet, sic etiam humani corporis forma suum statum tenet, tam in humoribus, quam in organis et singulis partibus. — Qualitates (g u ń a) s a t v a (veritas, perfectio, integritas, germanice V o l l k o m m e n h e i t), r a j a s (ignorantia, affectus, turbidus instinctus), et t a m a s (obscuritas, caligo, nequitia) inhaerescunt tam in universo mundo, quam in singulis creaturis inde ab ortu usque ad occasum rerum; operanturque et in animo, et in corpore, et in hujus humoribus (d o s h a), elementis (d'h á t u) ex secretionibus (m a l a). Sunt illae qualitates igitur ultimae et psychicae et physicae conditiones sanitatis, morbi et mortis.

„Corporis elementis per humorum vitia nimis corruptis“ etc. (ibid.). Per quinque naturae elementa (m a h á b'h ú t á n i) corrumpuntur primitus alimenta; per haec humores (aër, bilis et phlegma); per hos vitiantur corporis elementa (d'h á t u) et excretiones (m a l a); his corruptis, varia generantur morbi, ut reliquum caput docet. —

„Ubi enim irritatorum (kupita) corruptorum humorum (d o s h a) in corpore circumerrantium accumulatio est“ etc. (p. 62.). Jam supra dictum est (ad cap. XXI.), humores singuli in alterius humoris sedem si h o s t i l i t e r irruant, varios exoriri morbos. —

Ad Cap. XXV.

Quod spectat ad hujus capitis inscriptionem: „de octuplice scalpellorum (ś a s t r a = culter) operatione (karma)“ cfr. cap. VIII. —

„Incidendae sunt ani fistulae“ etc (p. 63.). Ani fistulae (b'h a g a n d a r a) quomodo sint incidendae curandaeque, cfr. C h i k i t s. cap. VIII. Tom. I. p. 87. —

„Nodus (g r a n t'h i) phlegmaticus (ś l a i s h m i k a)“ quivis tumor, phlegmatica indole praeditus, appellatur. Omnia igitur p s e u d o p l a s m a t a, sanguine carneque magis destituta, albidoque colore praedita, in Á y u r v é d a phlegmatici nodi nuncupantur. — „Melanosis (t i l a k á l a k a) quid sit, liquido non patet. Tila est Sesamum orientale, et k á l a k a est macula; sed macula seminibus Sesami orientalis similis hic intelligi non potest; nec enim talis macula incidi solet. K á l a k a interdum etiam significat hepar (Hém. 3, 268.).

Idcirco mihi videtur hic tumor esse tuberculum hepaticum, melanosi simile.

„Cutis aculeus (charmakíla)" quid sit, magis incertum est. Kíla designat usitatius aculeum, saepe quoque flammam. Cutaneam igitur etiam flammam, id est, erysipelaceam inflammationem, in suppurationes transgressam, notare potest; at recepi priorem significationem, aculeum, propterea, quod proxime post de spina (śalya) ingressa sermo est; Suśrutas autem similibus similia libenter adponit.

„Furunculus (jatumańi)" pari modo dubitanter interpretatus est. Jatu — mańi, laccae — gemma, quod certe spectat ad colorem et formam, sane furunculum significare potest, eoque magis, cum et Vegetus de re veterinaria I. 27., III. 19. tumorem quendam, in gambis situm, laccam appellat. Cfr. et Nidán. c. XIII. Tom. I. p. 198, ubi hunc morbum laccae gemmam ad verbum interpretatus sum.

„Morbus venereus (upadanśa — syphilis)"; cfr. Nidán. c. XII. Tom. I. p. 194., Chikits. c. XIX. Tom. II. p. 125.; — et annotationes ad illa capita. —

„Resecandae sunt — saepius minores (kshudra) morbi" etc. (ibid.). Qui sint morbi minores, vid. Nidán. c. XIII. Tom. I p. 196., et Chikits. c. XX. Tom. II. p. 128., ubi etiam hi morbi turpes ob eorum turpem naturam, suut appellati. —

Omnino jam nunc notandum est, nomina morborum, tam externorum sic dictorum, quam internorum, non secundum nomenclaturam hodiernam a me esse explicata, ne in vituperationem eorum incurrerem, qui archetypum ad verbum reddi mallent. Ea nomenclatura etiam lectorem Sanskritae ignarum in errorem inducere posset. —

„Deinceps vulnus correctum" etc. (p. 64.). Bene praecipit auctor in reliquo hoc capite, quomodo vulnus per operationem chirurgicam illatum, purgandum, reuniendum, suendum, deligandum et curandum sit; et quae sint evitanda. —

„Deo Indrae regi similis ortus sanguis profluere potest" etc. (ibid.), i. e. mortiferum sanguinis profluvium homo, quasi ab Indrae fulmine ictus, adipiscitur, vasis fissis dissectisque. — Videntur igitur antiquissimi Indi vasorum ligationem non cognovisse. —

Ad Cap. XXVI.

„Radix etymologica (śal)" etc. (p. 65.). Remotissimis temporibus Indi grammaticas vocabulorum radices (d'hátu) jam novisse videntur; — aut hic locus, ni fallor, subdititius ac spurius esse potest.

„Accidentalis vero“ etc. (ibid.). Omnis sagitta (śalya) quidem laedit corpus, et hac de causa a Suśruta corporalis vocatur; sed una aut altera sagittarum materies majorem hominibus potest incutere dolorem, quapropter sagitta accidentalis esse potest. —

„Omnium vero sagittarum, magnarum vel minutarum“ etc. (p. 66.). Sagittam quamlibet posse tam varia motione in auras abire, verisimile non est, qualiscunque sit ejus constructio. Tales enim flexus sagitta proprie confecta in corpore transfixo facere solummodo posse videtur. —

„Hoc signum vero duplex est“ etc. (ibid.). De signis et generalibus et specialibus sagittarum corpori infixarum auctor subtiliter et copiose disserit, ita, ut ne unum quidem verbum ad hanc rem illustrandam nobis addere opus sit. —

Pag. 67. post lin. 9. insere: Si in articulis occulta est sagitta, oleamentis et calidis vaporibus adhibitis, articulos protensionibus, inflexionibus, ligationibus et agitationibus valde medicus adminstret; ubi irritatio vel dolor sit, ibi sagittam esse sciat. —

Ad Cap. XXVII.

De sagittis simul ac spiculis extrahendis et amovendis, vulneribusque curandis, hic clare et dilucide, quamquam certis locis sane mirandum in modum, noster praecipit. —

„Directam, non fixam“ etc. (p. 68.). Sagittae spiculaque non fixe in corpore insidentia quin magnete lapide (áyaskánta) extrahi possint, dubitandum esse non videtur. —

„Medicus, manu extrahi sagittam non posse ratus“ etc. (ibid.). Machinamentum (yantra) hoc loco pro apto forcipe dictum esse videtur. —

„A fortibus hominibus“ etc. (p. 69.). Rudes excipiendarum magnarum ac pennigerarum sagittarum operationes!! —

Ad Cap. XXVIII.

Ex profluentium materiarum natura recte dijudicat auctor vulnera ulceraque maligna et bona. — Odor foetidus, color furvus et consistentia tenuis praecipua sunt malignorum ulcerum signa. Praeterea tam sedes, calor, crepitus et dolor, quam forma indicant bonam malamve ulcerum affectionem. — Maligna vulnera atque ulcera medico, gloriam expetenti, esse derelinquenda, incurabilique morbo cuilibet nullam curationem esse adhibendam, multis Áyurvédae locis Suśrutas admonet. —

Ad Cap. XXIX.

Omina, sive fausta, sive infausta, in Áyurvèda maximi sunt momenti, nimirum ex quibus vita futura, aut mors cognoscitur; quae vero inter omina nuntii (dúta), aves (śakuna), insomnia et visiones (svapna — nidarśana) semper praenuntiant futurum morbi eventum. Multa alia insuper his praedicantur omina ac praestigiae, quae aut vitae exitum, aut bonam valetudinem portendere dicuntur. Sed singula haec hisque similia perlustrare taedet, et etiam opus non est, cum clare atque evidenter sint efficta. —

Ad Cap. XXX.

Perturbatio sensuum, et magna sensuum (indriya) confusio (vipratipatti) indicat proximam mortem, id quod noster demonstrat multis exemplis, quae magis dilucidam reddant hanc rem. Quam ignea vero sit omnibus temporibus orientalium imago, inter omnes satis constat. Itaque soni monstruosi ab illis, gravi morbo aegris, audiuntur, spectra aliaque phantasmata conspiciuntur, falsos sapores odoresque sentiuntur etc., quae omnia in hoc capite signa instantis mortis auctor ostendit. — Quodammodo igitur hoc caput antecedenti apte adjungitur. — Quae vero pertinent ad mythos, hic et ubique consulto omisi, quoniam, ut jam dixi, ab aliis Mythologia Indica affatim est tractata. —

Ad Cap. XXXI.

Hujus capitis titulus „de umbrarum (ch'háya) commutatione" (vipratipatti — confusione) solummodo ad capitis initium spectare potest. Reliquum caput talia prognostica mortis proxime instantis signa enumerat, qualia et nostris temporibus maximam partem animadverti possint. —

Ad Cap. XXXII.

Prognostica symptomata infausta et proxime subsequentem mortem indicantia etiam per totum hoc caput continuantur. —

„Coralliorum colore praeditarum guttarum repentina in facie apparentia" etc. (p. 77.). Coralliorum colores cum esse possint varii, quem sudoris guttarum colorem hoc loco auctor describere velit, omnino manifestum non

est. Verisimilius tamen est, Corallium rubrum hic intelligi. Interdum enim apud veteres de sanguineis sudoris guttis mentio fit. Hoc symptoma an sit possibile, quaesitum est. —

Ad Cap. XXXIII.

Morbi ex Suśrutae quidem opinione letales hic tractantur. —

„Aëris morbus“ (p. 79.). Non tam tympanites, quam universi morbi, superante aëre, hic intelligi videntur. Dominantiore enim bile, aut phlegmate, morbi non tam perniciosi fieri multis Áyurvédae locis dicuntur. —

„Quinque corporalium actionum functiones (karmaguńa)“ etc. (ibid.). Haec quinque corporalia organa functoria sunt: vox, superiores inferioresque extremitates, et digestioni, secretioni et generationi inservientia organa. —

„Ex hujus fistulis in ano aër, urina“ etc. (ibid.). Si ex ani fistula (b'hagandara) urina provenit, haec fistula haud dubie complicata est cum fistula vesicaria. —

„Tumidum umbilicum habentem et praeclusâ urina laborantem“ etc. (ibid.), i. e. lithiasis cum stranguria complicata. —

„Foetus et ovi retrogressus“ etc. (ibid.). Ovum (kosha), compositum cum foetu (garb'ha), foetus vaginam, i. e. uterum significare videtur. Uterus enim, in pelvem superiorem magnam retrogressus, ibique spasmo vexatus, orificio clauso et foetu torpente, maximum puerperae periculum adfert. —

„Qui — in corde ex congerie (sang'háta)“ etc. (ibid.). Hydrops cordis hic morbus esse videtur. Vocabulum vero sang'háta etiam phlegma denotat. Idcirco etiam phlegmatis impletio in thorace sive empyema, hic intelligi potest. —

Ad Cap. XXXIV.

Rex, cum exercitu conjunctus, a quoque periculo, praesertim a veneficio hostium quomodo sit custodiendus, hoc loco demonstratur. —

„Viam, aquam, umbram, nutrimentum — corrumpunt hostes“ (p. 80.). Quomodo umbra (ch'háyá) corrumpi, sive venenari possit, magis incomprehensibile est, quam ut Averna loca spatium coeli (Lucret. lib. VI. v. 820.) venenare possint. Vocabulum ch'háyà etiam nutrimentum alibi significat; id quod hic vero impossibile videtur, propterea, quod bakta (bukta?), nutrimentum, proxime subsequitur. —

„Centum et unum mortis genera At'harváńas indicat; unum vero mortis genus Kálas appellatum est“ etc. (ibid.). At'harváńas, i. e. At'harvavédas. Nec vero quartus hic Védas, sed ejus Upángas

(membrum additicium), Áyurvédas vocatus, hic intelligitur. Kálas, tempus, temporum Deus, alibi Yamas, mortis Deus vocatus, mortem creaturis adfert, remotis aliis morborum causis. —

„ — fluidorum (rasa) et mysteriorum (mantra) periti“ etc. (ibid.), id est, medici et sacerdotes. —

„Brahmá Védángam, octo Angas habentem Áyurvédam demonstravit“ etc. (ibid.). Nostri neoterici hunc locum, spurium videlicet et suppositicium, removeant, quo facilius commodiusque Indorum veterum medicam artem serioribus temporibus adjudicare possint!!

„Octo Angas“ etc., — vid. Tom. I. p. 1 et 2.

„Hominum et regum certe aequalis est corporalitas; sed praeceptum“ etc. (ibid.). Corpora quidem inter reges et ceteros homines communia sunt; sed in regibus profecto animi virtus atque sapientia major, quam in reliquis hominibus, esse debet. Praeceptis enim imperiisque, patientia, firmitate et fortitudine, quae modum virium humanarum superent, instructus ille et exornatus sit, et res privatas relinquat donaque (tyága) det, oportet. Quum vero rex non aeque, ac Deus immortalis, aeternus sit, diligentissime ille custodiendus est, ut ex ejus vita longiori quam maximus utilitatis fructus capi possit. —

„Medicus, morbo subjectus aeger, remedium, famulus“ etc. (ibid.) Maxima medici laus, inprimis vero illius, qui in theoria simul et praxi aequaliter bene versatus sit! Praeterea aegroti curator sive famulus, et ipse aegrotus, apta indole praediti, medicamenta vero fausta et efficacia esse debent. Hae sunt quatuor bene sanandi conditiones. —

„Longaevus, mente praeditus, curabilis, aptus“ etc. (p. 81.). Longaevus (áyushmán) est, qui ea, qua natus sit conditione vivat, nihilque, quod homini accidere possit, recusare debeat, imo vero omnia humana, labores, pericula, dubias asperasque res tolerare possit, corpore animoque recte constitutus. Mente praeditus (satvaván) ille est, qui qualitate, satva dicta, i. e. animi et corporis excellentia quadam ac praestantia exornatus sit. — Aptus, i. e. apte temperatus (dravyaván), novem res inter se bene temperatas habere debet: terram, aquam, ignem, aërem, aetherem, tempus, spatium, animum et intelligentiam. —

Ad Cap. XXXV.

Quae omnia in morbis curandis generatim sint circumspicienda, plane hic exponuntur. —

„A medico“ etc. (p. 81.). De vitae duratione (Áyus) superiori capite jam mentio inchoata est. Hoc loco omnes conditiones, hominem longaevum (dírg'háyus — macrobium) efficientes, edisseruntur. —

„At rursus longaevitatis cognitionem“ etc. (p. 82.). Scrupulosius et ultra veritatem hanc rem noster tractat. — Membra vitalia quae sint, vid. Śárír. c. VI. Tom. II. p. 24. sqq.; percipiendi organa, ibid. cap. V. p. 20.

„Morborum genera supra exposita sunt.“ (Tom. I. c. I. p. 3., et c. XXIV. p. 60.). De morborum origine et divisione, vid. Fasc. I. p. 8.

„Anni tempora supra exposita sunt“ etc. (p. 84.). Cfr. Tom. I. c. VI. p. 10. sqq., et Fasc. I. p. 6. —

„Supra expositus est ignis“ etc. (ibid.). Non praetermittendum est, quantam vim ignis organicus (agni) non solum ad alimenta coquenda, sed etiam ad universam vitam temperandam sustentandamque, ex Suśrutae opinione, habeat. —

„Naturam remediumque“ etc. (p. 85.). Hominis naturam (prakriti) vid. in Śárír. Tom. II. Remedia (b'hésliaja) in triginta septem classes disposita cfr. Sútrast'hán. cap. XXXVIII. Tom. I. p. 90. sqq. —

Ad Cap. XXXVI.

Aliquot materiae medicae apte inter se conjungendae hic demonstrantur, quae videlicet formulas pharmaceuticas immutabiles adversus certos morbos sistunt. —

„Totam classem“ etc. (p. 88). „In praxi“, ad verbum: sicut in indicatis (uddishtéshu) operationibus (karmasu). —

Ad Cap. XXXVII.

Multum interesse, qua in terra plantae medicae nascantur, et quo anni tempore colligantur, Suśrutas hoc capite uberius explanat. —

„Foraminibus, — sepulcretis et diurnis Deorum altaribus“ etc. (p. 89.). In sepulcretis et circa altaria, ubi hominum atque animalium reliquiae jacent, herbae medicae nimirum non colligendae sunt. — Terrae qualitates, quinque elementis plus minusve praevalentibus effectae, memoratu dignissimae sunt.

„Reges, ascetae, venatores“ etc. (p. 90.). Qui mollem aut splendidam vitae rationem tenent, aliter sunt curandi aliaque poscunt medicamina, quam qui exercitatione et ciborum asperitate sunt robusti. —

Ad Cap. XXXVIII.

In conspectu bene disposito hic ponuntur praestantissima priscorum Indorum medicamina (dravya, b'hésliaja; aushad'ha speciatim vocantur remedia ex regno vegetabili recepta), eaque simul cum viribus suis plane

describuntur. Sed diutius hoc loco lectores non sum celaturus, quantam dubitationem plantae hic definitae habeant; quam vero ab omni parte tollere nequeo! Apud alios enim auctores iisdem plantis alia nomina saepius esse indita, inter omnes Sanskrĭtae peritos satis constat. Si quando dubitatio accidit, quae esset planta, de qua consideraretur, omnes ejus qualitates, et physicas et pharmaceuticas, et pharmacodynamicas perpendi, i. e. materias et sapores singularum plantarum viresque pro virili parte dijudicavi. Praeterea ad aliud tanquam adminiculum adnixus sum! In una alterave enim formula pharmaceutica, permultas plantas saepius continente, eandem plantam semel tantummodo inveniri oportet, sin aliter, recte non est definita. Itaque in meo plantarum arborumque in Áyurvéda obviarum indice (Tom. III. in fin.), ubi Sanskrĭta nomina apud alios auctores alias habent interpretationes, ibi primam, Sanskrĭtas voces in illo indice proxime subsequentem, interpretationem per totum opus retinui; reliquas autem interpretationes omnes etiam recepi, ne lectorem potestate dijudicandi privarem. —

„Medicus in domo" etc. (p. 96.). Materiae medicae si non perfectionem, primum tamen ejus perficiendae conatum veteribus Indis adjudicare debemus; certe quidem primi sunt, qui in hac re ex artis lege laborarint, et medicamentorum officinas instruxerint. —

Ad Cap. XXXIX.

„Nunc vero de ablutione" etc. (p. 96.). Vocabulum sanskrĭtum sanśod'hana proprie significat ablutionem, quam vocabuli vim in hujus capitis inscriptione et in contextu retinui, quamquam hic de substantiis alvum et caput purgantibus agitur, velut interiora abluentibus. Quapropter et śod'hana hanc significationem habere videtur. Sed si purgatio magis placet, minime repugnabo. — Purgativas substantias proprie sic dictas (viréchana — dravya) cfr. Sútrast'hán. cap XLIV. Tom. I. p. 109. Jam vero illam purgantium substantiarum quasi luxuriam quisquis mirari desinet, qui nostrarum farraginem hodie examinet! Praeterea apud veteres Indos purgativa remedia latius, quam apud nos, patent, quippe cum illa non solum inferiorem alvum, sed etiam superiorem et caput deorsum purgent, id quod hic in conspicuo habemus. —

„Deinceps sedativa" etc. (p. 97.). Si, ut jam supra dictum est, trium humorum (aër, bilis et phlegma) unus aut alter quasi seditiosus in alterius sedem irruit, sedari oportet; — unde medicamenta sedativa (sanśamanáni), quorum magnum hic numerum invenimus. —

Ad Cap. XL.

Persubtilem inquisitionem et investigationem rerum eximie et unice veteres Indi dilexerunt. Controversiam inter eorum sententias de materia medica in illo jam fuisse, ut quaererent, utrum subtantia, i. e. materia ipsa (dravya), an materiae sapor (rasa), an vis (vírya), an maturitas (vipáka) esset praestantissimum (prad'hána), hoc loco conspicimus. Inter has qualitates praestantissimum esse substantiam sive materiam ipsam probabilibus ex argumentis concluditur. —

„Quidam literati (áchárya) dicunt" etc. (p. 98.). Áchárya est doctus ille praeceptor, qui literas sacras discipulos edocet, viamque recte vivendi monstrat. Itaque et medicinae praeceptor áchárya vocatur, propterea, quod et medicina ad sacras doctrinas spectat. Ceterum hic est videndum, ante Susrutam jam exstitisse doctos medicos, id quod etiam ex Śárirast'hán. c. III. Tom. II. p. 11. et 12., ubi Śaunaka, Krĭtavírya, Párásarya, Márkańdéya, Sub'húti et Gautama (cfr. Fasc. I. p. 3.) citantur, colligi potest. —

„ — plantas medicas ne ratiocinationibus (hétu) exploret — medicus" etc. (p. 101.). Ne concludat unquam medicus vires medicaminum ex argumentis (hétu), neve ratiocinetur, quomodo similia in similibus operentur, sed has vires ex sacra doctrina (Áyurvéda) solummodo compertas habeat! De scrutanda videlicet medicaminum natura per experimenta nullibi in Áyurvéda sermo esse potest, nimirum quod medicina sacram exhibet institutionem, ab omni parte, ut opinantur, perfectam, quae non futurae indigeat progressionis ad majorem perfectionem. —

Ad Cap. XLI.

Omnis materia, ut Suśrutae quidem videtur, suas elementicias substantias ex quinque naturae elementis ducit, eaque de causa rursus in haec resolvitur. Materiarum autem differentia ponitur in eo, utrum majorem, an minorem de uno alterove naturae elemento partem habeant (cfr. Fasc. I. p. 17. in fin.). — Quae igitur indoles in aliqua materia insit, pendet ex ejus praevalentibus elementiciis partibus. —

„Porro purgationis substantiae" etc. (p. 102.) Ex materiae cujuslibet medicae elementicia indole etiam ejus medica vis potissimum derivatur. Exempli causâ: purgativa substantia quia plurimas terrae et aquae partes habet, idcirco ab inferiore parte purgat ex sua gravitate; et vice versa substantia vomitoria, igne et aëre praevalentibus, se habet etc. —

„Sic hoc qualitatis superfluum“ etc. (ibid.). Sensus est: sic hanc qualitatis redundantiam, in quaque substantia demonstratam, bis pluriesve meditatus (medicus), vitio humorum curationem adhibeat. —

„Rebus aequales qualitates habentibus“ etc. (p. 103.); i. e., ubi qualitates elementiciae aequales in substantiis sunt, ibi sapores in harum viribus dijudicandis juvant. Cfr. saporum qualitates eorumque vires in capite proximo. —

„Qualitates quae dictae sunt in substantiis“ etc. (ibid.). Elementa naturae scilicet ab alimentis, alimenta rursus ab hominibus assimilantur; homo igitur elementorum qualitates habet, quae illius causam formativam corporisque constitutionem efficiunt. — Sed ut paucis absolvam totum hoc caput: omnium substantiarum vires pendent maximam partem ex earum elementiciis qualitatibus quantitatibusque; sed quodammodo etiam ex earum saporibus. —

Ad Cap. XLII.

In hoc capite sex gustuum sive saporum (rasa) differentiae (visésha), signa (lakshańa), qualitates (guńa), substantiae (dravya) et compositiones (sanyoga) breviter perlustrantur. —

„In aethere, aëre, igne, aqua et terra“ etc. (p. 103.). Aether sonos, aër tactum, ignis (lumen) formas, aqua sapores et terra odores gignit (cfr. Fasc. I. p. 18.). Si quando autem unum aut alterum elementum semel pluriesve in ullo corpore reduplicatur, tum etiam ejus efficientia, i. e. sonus, aut tactus etc, augetur. —

„Ideo aquarius gustus, ob mutuam unionem“ etc. (ibid.). Aqua est reliquorum naturae elementorum receptaculum, et in mutua vicinitate et penetratione cum illis versatur. Sin vero aqua cetera elementa superat, haec quasi rapiuntur, i. e. suam perdunt liberalitatem, vim et vitam. —

„Quidam dicunt: Ex ignis et aëris qualitate“ etc. (ibid.). Cfr. Sútrast'hán. c. I. Tom. I. p. 3 in med. — Chemia hodierna et pharmacodynamice sane, quid esset veri his in rebus, ab antiquisssimi populi instinctu magis, quam a periculo profectis, inquirere posset. —

„Porro ipsorum gustuum conjunctiones“ etc. (p. 106). Saporum compositiones fusius descriptae sunt in Uttaratantr. cap. LIII. Tom. III p. 160 sqq. —

Ad Cap. XLIII.

De vomitoriis substantiis (vamana — dravya) hic agitur, ita quidem, ut magis earum praeparatio et compositio nauseam vomitumque, quam materia ipsa, facere videatur.

„ — hac incantatione (mantra — hymus sacer) utens“ etc. (p. 107.). Dii protoplasti et primipotentes hic sunt invocati, ut pejora averterent, meliora ferrent.

„Elixirium vitae quasi“ etc. (ibid). Rasáyana elixirium vitae, sensu Alchymistarum, hoc loco significare mihi videtur, quamquam hoc sanskrĭtum vocabulum hanc vim non plane aequat, quoniam quodvis medicamentum praevalenti vi praditum, et vitam prolongans, etiam rasáyana appellari licet. — De formulis pharmaceuticis permulta ingredientia continentibus, hic et saepius in Áyurvéda occurrentibus, jam supra quodam respectu fuit sermo (cfr. adn. ad cap. XXXVI.). —

Ad Cap. XLIV.

Ditissime exornata est a Suśruta purgantium classis (viréchana, viréka, vairéchana — dravya). Omnes enim illo tempore notae radices, cortices, fructus, olea, succi, et aquae ad purgandum aptae memorantur. Haec vero purgantia latius patent, ut jam est dictum, et non modo alvum ducentia, verum etiam alias corporis partes (praesertim etiam caput) purgantia intelliguntur. —

„In Prast'ha de hujus radicis fluido“ etc. (p. 109.). Pondera pharmaceutica, in Áyurvéda usitata, sunt Indorum antiquissima. Cum haec pondera alio loco sint exposita (Tom. II. Tab. I. II.), amplius de illis agi opus non est. —

„Haec sunt breviter decoctorum praecepta“ (p. 110.). Quod pertinet ad purgantium formas, in quibus illa applicantur, eadem sunt, atque in reliquis remediis (cfr. Fasc I. p. 15.). — Tam varia sunt in Áyurvéda purgantia medicamenta, quam morborum genera, quibus illa sunt adhibenda.

„Solani melongenae, ad quinas radices pertinentis“ etc. (p. 113.). Quinae radices quae sint, cfr. Sútrast'hán. cap. XXXVIII. Tom I. p. 95. num. XXXIII. —

„Convolvuli turpethi albi Śáńas tres pensatos“ etc. (p. 114.). Pondus

pharmaceuticum Śáńas aequale est quatuor Máshis, i. e. circiter drachmae uni. —

„In butyris — purgativa medicamenta — porrigat“ (ibid.) I. e. ingrato fastidiosoque sapore praedita. —

Ad Cap. XLV.

Fluidae (mobiles) substantiae (drava — dravya), quae ad medicamina et alimenta pertinent, hic tractantur, — turbâ solidarum materiarum (dravyagańa) supra jam recensitâ. —

„Aqua aërea, inexplicabili gustu praedita“ etc. (p. 114.). Páníya est potabilis aqua, quae nullo sapore praedita esse debet. Magnum vero discrimen inter aquas noster facit; multum enim interesse credit, utrum aqua ab aëre, an a terra oriatur. Ab aëre autem profectam aquam, sive pluvitatilem, sive niveam, sive a nebulis, sive a pruinis ortam, ceteris aquarum generibus semper praeoptat. Pluviatilem aquam tamen, quae a maris exhalationibus proveniat, insalubrem esse censet; idcirco etiam hujus aquae inquirendae rationem describit. —

„Varium gustum adipiscitur aqua“ etc. (ibid.). Saporem vero, si quem habeat aqua, semper a terrae natura esse profectum, contra alios auctores noster contendit. Ceterum et hoc loco elementiciae qualitates suum tenent imperium, quum aqua, sive e terra scaturiens, sive in terra fluens vel stagnans, semper elementiciam terrae indolem recipiat; ex qua etiam aquae medica vis pendeat. —

„Deinceps fluvii in Sahya-, Malaya-, Mahéndra-, Himaván-, Páripátra monte orti“ etc. (p. 116.). Omnes hi montes in Indiae regionibus, inter occasum et septentrionem sitis, adsurgunt. Si verum est, quod literati, iique perdocti, non dubitant, duce geographia sedes veterum Indorum, et ex horum sedibus historicam eorum aetatem colligi posse, quum priscam hanc gentem longa annorum serie de sua septentrionali et occidentali regione ad meridionalem et orientalem sensim migravisse constet, — non est infitiandum, Suśrutae aetatem esse pervetustam, quum ipse illo tempore, quo haec gens adhuc septentrionales regiones circa dictos montes, et circa fluvios ex iis profluentes, accoleret, floruisse videatur. —

„Vaccinum lac, camelinum“ etc. (p. 118.). Lac dulce (kshíra) initio generatim, deinde ejus singulae species percensentur; pari modo agitur de lacte coagulato (dad'hi), lacte ebutyrato (takra), butyro recenti (navaníta) et butyro clarificato (g'hrĭta). — Butyrum clarificatum vero in Áyurvéda maximi esse momenti hic memoratu dignum est, praesertim, quum etiam ad id notandum aptus hic sit locus. —

„Undecies centum annos coctum butyrum clarificatum“ etc. (p. 122.). Fabulosum hoc butyrum est, sicut „daemoniacum“ butyrum clarificatum (kumb'hasarpis), quod malignos daemones perdere valet. Kumb'ha hoc loco daemonem quendam malignum (rakshas), nec vero ollam significare mihi veri similius videtur. Si quis vero mythicum hunc sensum neget, hunc locum interpretari potest hoc modo: Ollae inditum butyrum clarificatum, permagnum (praestantissimum) butyrum, bibendum est hominibus (b'húta-creatura) aëris nimietate praeditis etc. —

„Nunc olea“ etc. (p. 123.). Multiplex fuit oleorum (taila) usus apud priscam gentem Indorum; inprimis vero oleum de seminibus Sesami orientalis (tila) confectum saepissime adhibebant. Ricini communis oleum etiam magno apud illos honore, praecipueque vero inter purgantia medicamina primo loco fuit. —

„Nunc mellis classis“ (p. 124.). Varia mellis (mad'hu) genera oriuntur partim a variis apum generibus in India exsistentibus, maximam vero partem ab herbis, plantis et arboribus earumque floribus tam immodice luxuriantibus, ut vix credibile sit dictu. Vis igitur medica jam per se melli adscripta augeri credebatur, si mel ex herbis efficacioribus medicis pararetur. —

„Nunc saccharorum classis“ (p. 126). Sacchari (ikshu) sensus apud priscos Indos latius, quam apud nos, patebat. Nam omnibus extractis solubilibus dulci sapore praeditis nomen Sacchari fuisse videtur, id quod apparet ex eo, quod Śacchara tam multiplicem efficaciam habuisse dicuntur.

„Nunc vinorum classis“ (p. 127.). Sensus τοῦ madya (vinum) latissime patet; ad madyam enim pertinent omnia vina et ex uvis Vitis viniferae, et ex palmarum succis confecta; spirituosi liquores et vinosi spiritus, tam ex frumentis, quam ex saccharis, fructibus, radicibus etc. parati; siccera etc.; — quorum vires positae sunt in materiis, ex quibus sint confecta. —

„In Therapia (chikitsita) spirituosi liquores — separatim edisserentur“ (p. 129.). Separatim, i. e. non in uno, vel singulis Chikitsitae capitibus (ad'hyáya) proprie et peculiariter tractantur, sed in singulis morbis singulatim ibi indicantur. —

„Nunc de urinis“ (p. 130). Quamquam forma medicae materiae multis in locis apud Suśrutam admodum impolita et plane rudis apparet, attamen ille in suis principiis quasi semina futurorum fructuum sparsisse videtur. Huc pertinere doctrinam de urinae (mútra) usu in medicina velim. Urinam enim veteres Indi ita ad curandos morbos adhibuisse videntur, ut nostrates sal alcali urinosum, id quod ex urinae natura vi et adhibitione descripta facile intelligi potest. —

„Fluidae substantiae —; has temporum, regionum et dosium gnarus medicus regi porrigere debet“ (p. 131.). Hoc loco vocabulum kála (tempus)

significare non modo anni tempus, quo singulae substantiae fluidae sint sumendae, sed etiam morborum stadium, in quo sint dandae, videtur. Pariter dé́sa (regio) non modo regionem notare, in qua illae oriantur, sed etiam regionem corporis, in qua morbi locales siti sint, apparet; id quod etiam ex sequenti vib'hága (distributio, dosis) cerni potest. — Archiater, sive princeps regis medicus, summo honore usus est, nimirum, quod tunc temporis, sicut hodie, artis peritissimus habebatur a populo. —

Ad Cap. XLVI.

Diaeta (vrittam), illa medicinae pars, quae victu morbos curat, latissime in Áyurvéda se extendit. Amplectitur enim non modo alimenta, i. e. cibos potusque ad sanandum morbum bonamque valetudinem sustentandam aptos, verum etiam reliquas vitae rationes jam ab ineunte aetate suscipiendas, quae inprimis hominibus praescribant, ne a salubri moderatoque cultu et moribus bene compositis temperatisque abhorreant. — Hoc loco duntaxat cibos (anna) potusque (pána) noster uberius tractat; reliquam vero Diaetae partem per totum Áyurvédam dispersit. —

„Supra relata — radix rursus alimentum est". (p. 131.). Cfr. Sútrast'hán. cap. I. Tom. I p. 3. —

„Gustus porro substantiarum inhabitatores sunt. In substantiarum" etc. (ibid). Cfr. Sútrast'hán. cap. XL. Tom. I. p. 98. sqq., et annotationes ad hunc locum. —

„Brahmae et ceterorum animantium" etc. (ibid.). Hunc locum, antehac non recte a me translatum, lege nunc sic: A Brahma incipientis mundi (hominis) alimentum est causa exsistentiae, ortus et obitus, i. e. hominum et omnium animantium, a Brahma tanquam principio ortorum, alimentum est conditio, sub qua illi oriuntur, subsistunt et intereunt. —

„Rubra oryza sativa" etc. (ibid.). Oryzae (śáli) species permultae, in Áyurvéda descriptae, hodie ignotae sunt. Quae vero oryza in Kédára (p. 132), Himálayae montis parte, crescit, eximie laudatur; simulque docemur, Suśrutae tempore priscos Indos circa Himálayam habitasse, id quod Suśrutae aetatem antiquissimam prodere videtur. Cfr. annot. ad Sútrast'hán. c. XLIII. —

„Nunc frumentorum classis" (ibid.) Frumenta (kud'hánya) hoc loco tam cerealia, quam legumina et alia grana frumentaria sunt. —

„Protinus carnis (mánsa) classem" etc. (p. 135.). Vetus opinio erat jam usque ab antiquissimis ducta temporibus, magis vero conjecturâ, quam veris literarum monumentis accepta, priscam gentem Indorum omnibus cibis e carne paratis abstinuisse; quam vero opinionem, tam penitus usque ad

seriora tempora insitam, hic locus funditus ex animis hominum evellere debet. —

„Aquatica vero classis est quintuplex“ etc. (p. 137.). Non possum praetermittere, quin hanc animalium quasi aquaticorum (ánúpa) partitionem designem ineptam, nimirum quod hic animalia diversorum generum in unam classem congerantur. Nec solum in aqua vitam degentia animalia, verum etiam in aquis natantia et in aquarum vicinitate viventia creduntur aquatica. At discrimen facit noster inter aquatica (ánúpa) sic dicta, et „aquigena“ (jalaja) animalia (p. 140.). — His quoque animalibus, sicut aliis, systematica nomina imponi non potuit. Praeterea nonnulla omnino tam sunt ignota, ut eorum sanskrĭta nomina in mea interpretatione retinere sim coactus. —

„Corporis elementis, — superioribus exsistentibus“ etc. (p. 140.). Uttarottarásu (in plur. locat feminin.), ad verbum: „in superioribus superioribus“, mihi nunc neque superiores corporis regiones, nec superiora corporis elementa (a sanguine incipientia et cum semine finientia), sed terrae regiones superiores, i. e. septentrionales, significare videtur, ita, ut, quo magis animalia in septentrionalibus regionibus (uttarottarásu, in septentrionalibus, subintellige díkshu, regionibus) vivant, eo gravior eorum caro fiat. —

„Porro fructuum (p'hala) classis“ etc. (ibid.). Omnia poma, baccae, uvae et acini in arboribus, fruticibus, sarmentis et plantis enascentia huc pertinent. Latissime igitur, uti apud alias priscas gentes, haec alimentorum classis etiam apud veteres Indos patuit. —

„Olera (śáka) posthac“ etc. (p. 145.). Hic olerum natura et usus consideratur. Ad olera etiam condimenta et aromata spectant. Sed non possum, quin plane confitear, quantam in difficultatem incurrerem, si coquinariam explicare Indicam conarer. Silentio igitur res universas ad culinam pertinentes praeterire liceat, quae scilicet propter antiquitatis obscuritatem satis dilucideque exponi nequeant. Pari modo res se habet de floribus (p. 150.), partim quoque de salibus (p. 152.), de factorum ciborum formis et qualitatibus (p. 154., 164. et 165.), de ciborum paratorum saporibus, facultatibus et digestione (p. 157.). Quae vero omnia quam difficiles, ne dicam impossibiles, habeant explicatus, quis est, quin cernat? —

„Porro omnia fluida vehicula (anupána)“ etc. (p. 159.) Anupána (ex anu, post, et pána, potus.) est omne fluidum vehiculum, omne humidum, quod recipit stomachus; est igitur potus, qui post medicinam vel cibum sumtum potatur, quo facilius medicina vel cibus ad digestionem praeparetur. Aqua, e. g., lac, juscula, ptisanae, vina, spiritus vinosi, cremores, olea etc. in hoc sensu sunt fluida vehicula. —

„ — magni Indrae aqua“ etc. (p. 160.), i. e. aqua pluvia.

„Utensilibus instructa — culina“ etc. (p. 161.). In culina (mahánasa) quam multa et speciosa vasa et supellectilia (ápta, apta) habuerint veteres Indi, hoc ex loco apparet. Sed quae fuerint omnium vasorum etc. verae formae, non satis clarum est, cum singula in sculptilibus operibus antiquis vix conspici possint. —

„Prius dulcem cibum comedat“ etc. (ibid.). Restat, ut ciborum potionumque tempus, quo ii sint sumendi, et ordo, ex quo sint capiendi, et efficacia, qualis sit, consideretur; id quod affatim ab auctore est factum. — (Pro injucundam sitim faciens (p. 164.) lege voluptatem subsequentem habens.)

In Sútrasťhánae fine notandum est, Suśrutam in hoc libro morbos tantum nominasse, omnibus autem morborum accuratioribus abstinuisse descriptionibus; quas vero in sequens Nidánasťhánam (Pathologiam), Chikitsitasťhánam (Therapiam) et Uttaratantram (ultimum tractatum) distulit. —

„Sic in Suśruta, composito a — Suśruta“ etc. (p. 165.). Notandum hic est, Suśrutam esse operis simul et auctoris nomen. —

Annotationes

ad

Tomum primum.

II. Ad Nidánast'hánam (p. 169—206.).

Nidánast'hána (e nidána, causa primaria, et st'hána, locus, statio liber.) morborum singulorum causas, symptomata et signa continet, et tam Aetiologiam et Pathologiam, quam Symptomatologiam et Semioticam amplectitur. Quapropter Nidánast'hánam Pathologiam (specialem) interpretatus sum. —

Magnam Nidánast'hánae partem esse perditam, facile colligi potest ex eo, quod ejus capita correspondent Chikitsitast'hánae capitibus usque ad hujus dimidium, ulterius autem non continuantur. —

Ad Cap. I.

De aëris (váta) natura, et vi in bonam adversamque valetudinem hic agitur. —

„Svayamb'hús hic venerabilis Aër appellatus est" etc. (p. 169.). Poëtice Suśrutas loquitur et sublimiori sono, quam res postulat. Ut

Anaximines, noster aërem Deum esse statuit. Aërem enim esse Svayamb'hum (e svayam, ipse, et b'hú esse, exsistere, = ex se ipso exsistens), i. e. Deum maximum Brahmam, docet. — Aër igitur, elementum e Brahma in mundum universum emanans, hoc loco ceu Brahmá ipse demonstratur. Imo vero aërem esse spiritum universi, qui sit causa efficiens, qua omnia oriantur, sustententur et intereant, hic locus prae se fert, nimirum quod aër pars operativa e Brahmae spiritu esse creditur. Homines et animalia aërem ducunt respiratione in pulmones, qui tum, ut noster opinatur, in universum corpus diffunditur. —

„Aër spiralis, aër cephalicus“ etc. (ibid.). Respiratione ductus aër fit in corpore organicus, qui quinque has notatas sedes tenet, et a quaque sua sede nomen trahit. Hi quinque aëres vitales (máruta) vocantur, propterea, quod si sunt bene compositi, universum corpus sustentant, vivificant et movent; sin vero irritantur, aut ex suis locis erumpunt aliasque sedes aggrediuntur, morbos et mortem efficere possunt. Porro irritatus et a sua sede erumpens aër, cum bile, aut phlegmate, aut sanguine consociatus, varios complicatos sic dictos morbos affert hominibus. —

„Cujus pedes gaudent et dormientes fiunt“ etc. (p. 173.) Hrĭsh (gaudere, exsultare) hoc loco „spasmo vexari“ significat. Triste videlicet gaudium!

„Qui dolor deorsum it“ etc. (ibid.). Hic dolor, túńi appellatus, tenesmus esse videtur, id quod ex radice grammatica túń efficitur, quae significat implere (scil. sagittis, aculeis, sive spiculis), vel contrahi (scil. spastice). Sin vero hic dolor ab ano et genitalibus incipit, et sursum adscendit, intestinaque vexat, pratitúńi vocatur, id quod ileum sive coli dolorem designare videtur. —

„Latus et cor liberantem“ etc. (ibid.) Ad verbum: liberatum latus et cor habentem (latus et cor non tangentem) illam, scilicet ex cruditatis sede exortam, oppositam inflationem (pratyád'hmánam) agnoscat (medicus) aërem, a phlegmatis perturbatione (ortum.). — Ád'hmána videtur inflatio abdominis esse, cum thoracis emphysemate complicata; Pratyád'hmáná vero flatulentus tumor abdominis, intacto pectore. —

„Osseum, durum nodum“ etc. (ibid.) Asht'hílá et Pratyasht'hílá per errorem antea „osseam inflationem et oppositam inflationem interpretatus sum. Asht'hílá quidem et Pratyasht'hílá in lexicis non inveniuntur, sed globosos tumores supra et infra umbilicum significare, ex aliis locis apparet. Ad verbum: globosi tumoris (circa umbilicum) more durum nodum, sursum versus longum et altum, globosum aëris (ab aëre ortum) tumorem (vatásht'hílá) dignoscat (medicus).

Tympanites supra umbilicum, sive tumor abdominis fixus et quasi in saccum ingestus, durus quidem, sed tamen aequabilis, esse videtur. „Hunc

autem cum morbo conjunctum, aërem, faeces et urinam includentem, superiori oppositum tumorem (pratyashṫ'hílá) medicus appellet" etc. Videtur haec morbosa affectio esse tympanites infra umbilicum. —

Ad Cap. II.

Haemorrhois (arśas) strictiori ac frequentiori sensu medicis significat sanguinis profluvium ex venis, quae sunt in ano; Suśrutae autem denotat tumores sive tubercula illarum venarum absque sanguinis eruptione (cfr. paulo inferius). De caecis igitur, nec vero de apertis haemorrhoidibus in Áyurvéda agitur. —

„Hic dictis sui non compotum irritationibus" etc. (p. 173.). Retrogressus (prishṫ'hayána) denotare videtur, vel si quis retrorsus in curru sedens vehitur, vel retrorsus versum tergum dans incedit. — Virudd'ha — ad'hyáśana perversis alimentis interpretatus sum. Sed virudd'ha potius cohibitus significat. Ad verbum nunc interpretor: „cohibito et nimio esu", cfr. Chikits. cap. XXXIX. Tom. II. p. 202., et Sútrasṫ'hán. c. XLVI. Tom. I. p. 164.: quod vero usque ad Indigestionem (ajírńa) comeditur, id ingurgitatio (ad'hyáśana) appellatur. — Utkuṫa, dormitationem erecto capite denotat. — Véga significat quidem omnem impetum et vehementiam, sive celerem vehementemque motionem; sed hoc loco proprie alvi profusionem designare videtur; quem sensum si quis reciperet, non facile hoc loco erraret. Sin vero de aliis morbis, praecipue vero de febribus mentio incidit, saepius accessionem sive paroxysmum τὸ véga significat (cfr. Uttaratantr. cap. XXXIX. Tom III. p. 66.). — Vid'háraṅa (a d'hri, tenere, retinere), quod vocabulum in lexicis non venit obvium, a regione τοῦ véga significare obstructionem apparet. — Vasa tubulata (d'hamaní) quae sint, cfr. quae infra circa Anatomiam de his adnotantur.

Plicaturae (balí) et carnis capitula, sive nodi, sive edita tubercula (mánsa — praroha) in ano sunt vera signa haemorrhoidum, in Áyurvéda descripta. —

„Sic post torpidum calorem" etc. (p. 174.). Pro ushṫra nunc lego loshṫa, et interpretor hunc locum sic: post diminutum calorem (organicum) per gramina, ligna, lapides, terrae glebas, vestes (frigidas) etc. —

„ — bulbi incrementum adsequuntur" (ibid.). Bulbus (kanda), idem, quod carnis capitula. —

„In eo (ano) sunt plicaturae tres" etc. (ibid.). De inferiore parte intestini recti usque ad anum hic sermonem esse apparet, praecipue vero de illa parte, quae non amplius peritonaeo sit circumdata. Ibi profecto sunt

aliquot plicaturae, sphincterem ani supervenientes et quasi supertegentes, et venae haemorrhoidales, hunc illumve varicem intrinsecus ibi sistentes, extrinsecus vero tubercula haemorrhoidalia dura formantes. —

„Porro ab aëre (ortae haemorrhoides) exsiccatae" etc. (ibid.). Discrimen, quod Suśrutas facit inter tubercula haemorrhoidalia, utrum sint ab aëre, bile, phlegmate, sanguine, ab omnibus his humoribus simul corruptis orta, an innata, non in haemorrhoidum natura inest; quod qui funditus tollit, auctorem ad veritatem jam proprius accessisse, et hac quidem in re a communibus nostrorum praeceptis non valde abhorruisse, intelligit. —

„Irritata humorum vitia, penem aggressa" etc. (p. 175.). — „testes et vulvam aggressa" etc (ibid.). Duobus his in locis haud est dubium, quin morbosa symptomata describantur, quae magis ad morbos venereos et ulcera syphilitica, quam ad haemorrhoides pertinere videantur. De morbis venereis attamen separatim agitur (cfr. Nidán. cap. XII. Tom. I. p. 195., et Chikits. cap. XIX. Tom. II. p. 124. sqq). —

Ad Cap. III.

Suśrutam in viris epigastricam calculi (aśmarí) vesicae (vasti) sectionem, in feminis autem urethro-vesicalem lithotomiam perfecisse, ante omnia hoc loco mihi esse commemorandum videtur. —

„Quatuor calculi fiunt" etc. (p. 176.). Phlegma inhabitantes; ad verbum: phlegmatis sedem (ad'hist'hána) habentes, i. e. calculi, qui in phlegmatis sede (cfr. supra, annot. ad cap XXI) oriuntur. —

„ — phlegma —, ventrem ingrediendo, calculos generat" (ibid.). Vasti in lexicis ventrem significat, quam significationem hic retinui, quippe quia non satis constat, utrum sola in vesica, an etiam in aliis abdominis regionibus calculos oriri Suśrutas censeat. At mihi veri similius est, hoc loco et aliis locis permultis vasti vesicam urinariam denotare; quam conjecturam ex eo etiam feci, quod paulo inferius et postea saepenumero de vesicae orificio (vasti — muk'ha) sermo est. Quodsi vero abdominis orificium noster ibi designare voluisset, certe anum (guda) scribere maluisset. — Cfr. et Śárírast'hán. c. VI Tom. II. p. 25., ubi legimus: „In abdomine et pectore sunt: anus, abdomen etc." Ibi manifeste abdomen (udara), primo loco positum, aliud denotat, quam secundo loco interpretatum abdomem (vasti), quod vesicam necessario significare videtur. Quam ob rem in parte therapeutica (Chikitsitast'hán. cap. VII. Tom. II. p. 85 et 86.) ad „abdomen inferius" etiam „vesicam" per interclusionem posui. Quam τοῦ vasti significationem qui et hoc loco recipit, profecto longius a veritate discedere nequit. —

„ — ventris orificium (vasti — muk'ha)“ etc. (ibid.). Manifeste hic et postea saepius de calculo, qui in fundo et collo vesicae haeret, sermo est, ubi vasti semper vesicam significat. Sed nullum dubium relinquit ille locus (p. 177.): „in umbilici, dorsi — medio abdomen (vasti = vesica) est, uno exitu — praeditum, deorsum versum orificium (muk'ha) habens, sicut Cucurbita lagenaris formatum“ etc, quin vasti toto hoc in capite non abdomen sive ventrem, sed vesicam urinariam significet. — Sanskrĭtam hanc vocem vasti quoque clysterem et clysma notare vid. in Chikits. cap. XXXV. Tom. II. p. 179. sqq —

Ceterum Suśrutae sententia, ex phlegmate, quod cum aëre, bile aut semine compositum esse possit, oriri quatuor calculorum species, satis declarat, quanta in obscuritate apud veteres Indos versetur doctrina de calculorum subtantiis. —

„ — tubuli uriniferi (nádyo mútravahás,“ (ibid.), nihil aliud, nisi ureteres esse possunt. — De calculis secandis sive de lithotomia cfr. Chikits. c. VII. Tom. II. p. 83. —

Ad Cap. IV.

Ani fistulas (b'hagandara) hic et in Chikits. cap. VIII. Tom. II. p. 87. Suśrutas uberius tractavit clariusque exposuit, quam quae indigerent meae explicationis. —

„Earum vero priores formae“ etc. (p. 178.). Priores formae, i. e. prima morbi symptomata. —

„ — aër irritatus, retrogradus“ etc. (ibid.). Varias fistularum ani formas ita, ut permulta alia morborum genera, a tribus humoribus corruptis proxime esse profectas, auctor nos toto in hoc capite edocet. —

„In ani fistula prior morbi forma in lumbo est“ (p. 179.). Mihi quidem hic Áyurvédae locus memoratu dignior videtur, quam quem silentio praeterire possim. Ipse enim antehac virum quendam, aetate jam provectum, curavi, qui multos annos vehementissimis in regione lumbali doloribus erat affectus prius, quam fistulae in ano exorirentur. —

Ad Cap. V.

Lepram (kusht'ha), veteribus medicis satis notum morbum, nullibi tam accurate diligenterque descriptam invenimus, quam in Áyurvéda. Jam penitus enim, ut hic et in Chikitsitast'hán. c. IX. Tom II. p. 190. apparet, perspectam habebant prisci Indi lepram, ceu morbum a corruptis humoribus ortum, sistentem cutis mutationes in habitum praeternaturalem,

cum asperitate, pruritu et doloribus. In cute eruptus hic morbus, serius interna organa corripit et corrumpit. —

„Porro septem magnae leprae" etc. (p. 180). Describuntur hic variae cutis eruptiones earumque formae, quae cum similibus corporibus naturalibus, partim ex regno animali, partim ex regno vegetabili sumtis, nec vero satis perspicuis, comparantur. Veras quidem leprae formas, eruptionum figuras et colores cogitatione nobis fingere ex Áyurvéda non possumus, attamen de ipsa hujus morbi natura Suśrutas omnem nobis tollit dubitationem. — Discrimen auctor facit inter magnas et parvas lepras, quae tamen non in ipsa natura, sed in forma inter se tantummodo differunt. —

„Majorque insanabilitas a corporis elementorum penetratione pendet" (ibid.). Si nimirum, humoribus corruptis, lepra in cute apparet, ibique aliquandiu versatur, morbosa leprae materia resorbetur et in partes internas postea intrat (anupravéśa), ubi corporis elementa (d'hátu) corrumpit. —

„Kákańae fructui similes — Kákańacae (leprae) sunt" (ibid.). Kákańa Abrus precatorius esse videtur, nisi est Ardisia solanacea, aut Leea hirta. —

„Harum quatuor (leprarum) calor, fumi via, — vermium generatio" etc. (ibid.). Fumi via (d'húmáyana) nihil aliud esse hic videtur, nisi fissura, fumario similis. —

Vermes exoriri posse in leprae ulceribus, satis inter doctos constat. —

„Sicut arbor exorta, nacta temporis interruptionem" etc. (p. 181), i. e., si lepra in cute erumpens disturbatur, retrocedit, invaditque corporis elementa, primum videlicet sanguinem, deinde carnem, telam cellulosam et adipem, tum ossa et medullam, denique semen virile et menstrua. Inde a sanguine usque ad semen virile progrediens lepra horribilior in suo progressu fit, id quod hic in Áyurvéda cerni potest. — Saepius lepra credebatur poena inhoneste actae superioris aetatis, a Diis immissa. —

„Copulatione, corporis contactu" etc. (ibid.). Quin hic morbus contactu (sansparśa) transeat in alios, et contagiosus sit, minime Suśrutas dubitat. —

De leprae curatione, vid. Chikits. c. IX. et X. Tom. II. p. 90. sqq. —

Ad Cap. VI.

„Nunc vero urinalium affectionum (praméha)" etc (p. 182.). Praméha omnes urinae mutationes morbosas significat, sive in colore, sive in quantitate, sive in consistentia et substantiis versatas. — Plane exponuntur in hoc capite viginti urinalium affectionum formae et morbosae accumulationes

urinosae in variis corporis regionibus et organis, inde multiplicia symptomata exoriuntur. —

„ — accumulationes decem generantur hoc modo: Śarávika“ etc. (p. 183.). Describuntur hic decem eruptiones urinariae, et nodi in cute apparentes, ab urinariis morbis profecti. Quae vero urinariae eruptiones et accumulationes in ano, capite, humero, dorso et in organis vitalibus (vide de his supra) appareant, inprimis noster incurabiles credit.

„ — ad mellitum urinae statum“ etc. (p. 184.). Mellitus urinae status (mad'hu — méhatva) hoc loco nihil aliud esse videtur, nisi urinae dulcedo, quam in diabete mellito animadvertimus; ad quem statum morbosum omnes affectiones urinarias suo tempore pervenire Suśrutas sua auctoritate affirmat. —

Ad Cap. VII.

In hoc capite de octo abdominis tumoribus (udara) agitur.

„Brahmarshis filium“ etc. (p. 185.). Brahmarshis hic est Viśvámitras, Suśrutae pater, qui fuit sacrosanctus praeceptor, cujus nomini jam in Védis occurrimus (cfr. Fasc I. p. 1.).

„Singulatim omnibus humorum vitiis“ etc. (p. 185.). Hanc sententiam corrige hoc modo: „singulis humoribus corruptis (ortam intumescentiam), omnibus humoribus simul corruptis (ortam), lienis intumescentiâ (ortam), ano restricto (ortam), adventiciam septimam, octavamque aquosam abdominalem intumescentiam medici indicant“. Descripti sunt igitur hic octo abdominis tumores, ab octo causis exorti; — 1. 2. 3. ex singulis (prǐt'hak) humoribus (aëre, bile et phlegmate) orti tres abdominis tumores; 4. ex his tribus simul (samasta) corruptis humoribus ortus abdominis tumor; 5. ex lienis (plíha) intumescentia ortus; 6. ex restrictione ani (bad'ha — guda) ortus; 7. adventicius (ágantuka), i. e. extrinsecus effectus; et 8. aquosus abdominis tumor (kadodara), i. e. ascites. —

Ad Cap. VIII.

„Nunc vero perturbati embryonis“ etc. (p. 186.). Perturbatus foetus (múd'ha — garb'ha), i. e. partus praeternaturalis. Primum de abortu, deinde de partu irregulari, denique de foetu mortuo hic disseritur. Accurate indicantur octo irregulares situs partium infantilium ad partum. — Ex hujus capitis fine intelligi potest, veteres Indos, matre mortua, caesaream sic dictam sectionem peregisse, ventrem incidendo (kukshim páťayitvá). —

Ad Cap. IX.

„Nunc vero phlegmonarum“ etc. (p. 188.). Phlegmone (vidrad'hi) apud Suśrutam est omnis tumor, profundiorem sedem habens. Sextuplicem phlegmonen statuit: a singulis humoribus (1 — 3. a bile, aëre et phlegmate) ortam, — 4. ab omnibus humoribus simul corruptis ortam, — 5. ab ulcere (vel vulnere) ortam, — et 6. a sanguine ortam (Pro „laesoque sanguine“ lege „ulcere et sanguine“). —

„Manifestam phlegmonarum et glandularum indurationum (gulma) differentiam“ etc. (p. 189.). Rationes ita sunt perscriptae scite, cur phlegmone maturitatem adeat, glandularum induratio autem non maturescat, ut nihil prorsus habeam, quod ad hoc locum illustrandum addere possim. —

Diagnosin et prognosin phlegmonarum intelligenter accurateque ita docet noster, ut et hodie suam habeant praestantiam. —

Ad Cap. X.

„Nunc vero abscessuum, fistularum“ etc. (p. 190.). Recte definiendo abscessum auctor explicat intumescentiam (sopha), a corruptis humoribus irritatis, sive inflammatis, generatam, a qua definitione nostri quoque non longe abhorrent. —

„Intumescentiam (sopha) immaturam qui intuitur tanquam maturam“ etc. (ibid.). Qui medici imperiti abscessus hauddum maturos incidant, variis locis multa in eos Suśrutas invehitur; „is (medicus) tum lustrandus (púyas) est,“ i. e. religiosis ritibus a peccato purgandus est! —

„ — alia (fistula — nádí) autem animi deliquio, a sagittis orto“ (p. 191.). Corrigendum est; torpentibus (sanmúrchch'hitair) quoque (humoribus corruptis) sagittae causâ (a sagitta orta) alia (fistula fit.). —

„ — sicut quinque vitalium spirituum exitium efficientem summam senectutem (kálarátri)“ (ibid.). Quinque spiritus vitales (asu) hoc loco nihil aliud, ac quinque aëres (Nidán. c. I) significare videntur. — Kálarátri (a kála tempus, et rátri, nox) extremam aetatem denotat (cfr. Wilson, Lexic. sanskrit. sub hoc vocabulo: „a particular night, one which occurs on the 7th day of the 7th month of every 77th year; after such a period of life, a man is exempt from attention to the usual ordinances“. —

„Sapori jucunda dulcedo“ etc. (ibid.). Memoratu digna est haec comparatio lactis materni cum semine virili, ad quam animum lectoris advertam. Mammillares feminarum morbi (ibid.) saepius sistunt, humoribus lacteque corruptis, tubulata ulcera, sive fistulas; qua de causa etiam abscessibus et fistulis hic adjunguntur. —

Ad Cap. XI.

„Aër et cetera“ etc. (p. 192), i. e. aër, bilis, et phlegma. —

„Inde nodus arthriticus“ etc. (ibid.). Nodus arthriticus (granťhi) quid sit, clare exponitur. —

„Hic vero nodus arthriticus, a vasis tubulatis ortus“ etc. (ibid.). Vasorum tubulatorum (sirá) fabulosam descriptionem vide in Śárirasťhán. cap. VII. Tom. II. p. 31. sqq. —

Anne hoc loco nodi arthritici sint arthriticae arteriarum ossificationes, quaeri potest? — At vocabulum sanskritum sirá non arterias solummodo, verum etiam venas, et nervos tubulatos quoque creditos, significat. Quid enim intersit inter arterias et reliqua vasa nervosque, veteribus Indis satis clarum fuisse non videtur. —

„Tumorem incoctum vocant“ (ibid.). Tumores incocti (apachí) steatomata, scrophulosi nodi etc., ad maturitatem vix pervenientia, esse videntur, in quibus materia sevo similis inclusa, quaeque foliculis membranisque circumdata et arthritica indole praedita sunt. —

„ — indolorem tumorem (arvuda) vocant“ (p. 193.). Dubitandum esse non videtur, quin hic de sarcomatibus et scirrhis, partim in ulcera transgressis, partim duris, sermo sit, nisi forte mihi accidit, ut aliqua signa ab auctore dubie data pro certis accipiam. Sed subsequens auctoris sententia: „in sanabilibus quoque (tumoribus) hos tumores relinquat (ibid.)“ meum hoc judicium probare videtur, ubi nimirum agitur de profluente (sanprasruta) et de secundario (ad'hyarvuda — tumor super tumorem crescens) tumore, i. e. si e tumore priori novus malignus tumor enascitur. Itaque corrigendum est illud: „Qui (tumor) oritur alius in priori ortu, is cognosci debet primarius tumor“, in: „Qui (tumor) oritur in prius exorto tumore, is cognosci debet secundarius (sive supernatus) tumor.“ Saepissime enim exoritur juxta unum aut alterum tumorem scirrhosum novus tumor, qui cum priori copulatur, quem duplicem (sive copulative ortum — dvandva — játa) tumorem Suśrutas nuncupat. —

„Non maturitatem subeunt omnes tumores insensiles“ etc. (ibid.); nimirum si phlegma, adeps, aut rigiditas tam praevalens, sanguis autem tam exiguus est, ut ad coctionem, auctore Suśruta, ii pervenire nequeant. —

„Hunc colli tumorem vocant“ (ibid.). Colli tumores (gala — ganda) hoc loco nihil aliud, nisi glandularum cervicalium tumores denotare videntur.

„Cujus constricta intumescentia testiculorum instar dependet in collo“ etc. (ibid.). — Haec colli intumescentia (svayaťhu), testiculis similis (mushkavat), tonsillarum etiam uvulaeque tumor inflammatioque esse potest. —

Ad Cap. XII.

In hoc capite de morbis, verisimiliter eadem ex causa oriundis, agitur. Testiculorum enim, vel scroti intumescentia (v r i d d'h i), morbus venereus (u p a d a n ś a) et elephantiasis (ś l i p a d a) quasi cognatione quadam inter se contineri S u ś r u t a e quidem videntur, quam ob rem et hos morbos simul in uno capite (a d'h y á y a) tractat. —

„Septem sunt testiculorum (vel scroti) augmenta“ (p. 194.) Augmentum scroti ab urina ortum significare h y d r o c e l e n; ab intestinis ortum h e r n i a m denotare videtur; id quod paulo post apparet. Itaque his duobus morbis cum s y p h i l i d e nihil est commune. —

„ — quem morbum venereum appellant“ etc. (p. 195.). Sanskritae voci u p a d a n ś a vim luis venereae subjectam esse, non solum ex his allatis morbi causis, sed etiam ex hujus morbi curandi ratione (cfr. C h i k i t s. cap. XIX. Tom. II. p. 125.). cernitur. — Quam vetus igitur sit v e n e r e u s m o r b u s, et quam valde haec vetustas recentiorem hujus morbi historiam destruat, id apparet etiam caeco!

„Irritata humorum vitia — tarde intumescentiam (s o p'h a) procreant, quam elephantiasin appellant“ etc. (ibid.) Quam brevi in conspectu noster posuit elephantiasis veras causas, naturam et symptomata!

Pro: „a formicis albis orta“ (ibid.), lege: „formicetum quasi orta (elephantiasis),“ i. e. magnis tuberibus instructa.

Ad Cap. XIII.

„Nunc vero turpium morborum“ etc. (p. 196.). Sanskritae vocis k s h u d r a significatio non t u r p i s, sed p a r v u s est. Cum vero hi morbi potius t u r p e s, i. e. impuri, quam p a r v i mihi sunt visi, eos t u r p e s nominavi, etsi iis nomen p a r v i m o r b i (k s h u d r a — r o g a) est. — Quoniam vero hi morbi magna ex parte parvulos invadunt, etiam morbos p a r v u l o r u m k s h u d r a — r o g a significare potest. — Majore ex parte illi morbi nostris temporibus non modo in nostris terris, sed ne in India ipsa quidem existere videntur; quapropter nomina certa, nostris morborum nomenclaturis systematicis convenientia, indere non potui, sed ad verbum transtuli, ut lectoribus conjecturas facere permitterem; quo etiam factum est, ut nullos adjecerim adnotatiunculas. Quia autem alii singulos hos morbos aliter interpretantur, idcirco hic breviori in conspectu posui eorum nomina S a n s k r i t a, simul cum magis conjecturali significatione:

1. Ajagalliká, mentagra.
2. Yavaprak'hyá, grano hordei similis eruptio.
3. And'hálají, obcaecans oculi tuberculum, panno simile.
4. Vivrĭtá, rotundum ulcus.
5. Kachch'hapiká, testudinata pustula.
6. Valmíka, formiceto similis nodus.
7. Indravridd'há, pustula, Nelumbii speciosi bulbo similis.
8. Panasiká, pustula, Artocarpi integrifoliae fructui similis.
9. Páshánagardab'ha, lapidi simile tuber.
10. Jálagardab'ha, reticulatum tuberculum.
11. Kakshá, axillare tuber.
12. Visp'hoṫaka, pustula (quoddam variolae species?).
13. Agnirohiní, ignea inflammatio.
14. Chippa, paronychia, — reduvia.
15. Kunak'ha, deformis unguis.
16. Anuśayí, capitis pustula, — pedis tumor.
17. Vidáriká, bubo.
18. Śarkará — arvuda, calculosus tumor.
19. Pámá, impetigo.
20. Vicharchiká, scabies.
21. Rakasá, videtur leprae esse forma (cfr. p. 181.).
22. Pádadáriká, pedum dilaceratio.
23. Kadara, nodi dilaceratio.
24. Alasá, intumescentia elephantiaca inter pedum digitos.
25. Indralupta, alopecia.
26. Dárunaka, caesaries horrida.
27. Arunshiká, porrigo in capite.
28. Palita, canities.
29. Masúriká, variolae.
30. Yauvanapiḋaká, juvenum papulae.
31. Padminikanṫaka, macula, Nelumbii speciosi spinis similis.
32. Jatumani, laccae gemma, — macula.
33. Maśaka, verruca, vel huic simile cutis tuber.
34. Charmakila, ad verbum: cutis flamma.
35. Tilakálaka, Petechiae, eruptio, nigris seminibus Sesami orientalis similis.
36. Nyachch'ha, ecchymosis, naevus.
37. Vyanga, nigrae maculae faciei.
38. Parivarticá, paraphimosis.
39. Avapáṫiká, penis laesio.
40. Nirudd'haprakáśa, phimosis,

41. Nirudd'haguda, ani praeclusio.
42. Ahipútana, prurigo infantilis in ano, a Daemonibus (Ahi et Pútana) effecta.
43. Vrishańakuchch'hu, scroti prurigo.
44. Gudab'hranśa, ani prolapsus.

„Hic morbus in infantis ano" etc. (p. 199.). Hic locus, non ad „ani praeclusionem" sed ad „Ahipútanicam" referendus, sententiam inchoare et a linea typis exscribi debet. —

Ad Cap. XIV.

Ad hos octodecim morbos, a spiculis (śúka) variis in corpus penetratis ortos, nihil ultra adjicere possum, errore typographico „venerata" (p. 200. lin. 17) in „venenata" mutato. Quid enim de morbis superioris capitis est dictum, maximam partem et huc pertinet. Sunt enim ipsi hi morbi pari modo dubii. Quorum vero nomina Sanskrita eadem de causa simul cum eorum simplici interpretatione hic apposui:

1. Sarshapiká, Sinapis albae seminibus similis tumor.
2. Ashťhiliká, ossiculis similis tumor.
3. Grat'hita, nodosus tumor.
4. Kumb'híká, hordeolus (?).
5. Alají, oculi inflammatio quaedam.
6. Mrĭdita, tormen.
7. Sammúd'hapiďaká, torpidus tumor.
8. Avamant'ha, agitatio, commotio.
9. Pushkariká, Costo similis tumor.
10. Sparśaháni, tactus inopia.
11. Uttamá, tumor principalis.
12. Śataponaka, penis fistula (centuplicibus foraminibus perforatus penis.).
13. Tvakpáka, cutis coctio.
14. Śońitárvuda, sanguinosus tumor.
15. Mánsárvuda, carnosus tumor.
16. Mánsapáka, carnis coctio.
17. Vidrad'hi, phlegmone.
18. Tilaká, Petechiae (seminibus Sesami orientalis similis eruptio). —

Ad Cap. XV.

De fracturis (b'hagna) luxationibusque (sand'himukta) variis hic agitur tam particulariter, ut, cujusne generis sit unaquaelibet illarum forma,

in dubium venire nequeat. Saepius enim auctor chirurgicas praesertim materias lucidius definiat, quam quae aliorum interpretatione planius exprimi possint. — Pari modo etiam se habet sequens caput. —

Ad Cap. XVI.

Hoc caput de oris morbis (muk'haroga) hujus doctrinae (Nidánast'hánae, Pathologiae) ultimum est, ad cujus intelligentiam, nullo docente, res ipsa plurimum confert. —

Annotationes

ad

Tomum secundum.

III. Ad Śárírast'hánam (p. 1 — 48.).

Somatologia (Śárírast'hána. e śaríra, corpus, et st'hána, codex, liber, doctrina) totam corporalitatem, ut ita dicam, sive corporis totalitatem, sive omnia ad corpus humanum pertinentia, una comprehensione complectitur; ejusque significatio igitur apud veteres Indos laxior est ac longius patet latiusque, quam apud alias gentes priscas. Nam nec solum Anatomiam, verum etiam Embryologiam et Physiologiam sensu recentiorum, imo vero et Cosmologiam, quatenus haec spectet ad hominum generationem generalem et naturam, continet. De quibus vero doctrinis cum generatim jam satis in fasciculo commentariorum meorum priori (p. 17—22) egisse videar, nunc ad singulos transiturus sum locos illos, quorum difficiliores hic sunt explicationes, quam quas plerique fortasse suspicentur. —

Ad Cap. I.

„ — omnium creaturarum somatologiam ad cogitationes pertinentem" etc. (p. 3.). Agitur hoc loco de illis partibus corporis humani, quae ad quinque sensus, sive ad cogitandi sentiendique actionem (chintá) spectant. Quam vero doctrinam noster inde ab ultimo rerum initio repetit, et omnia haec a Brahma ipso ducenda asserit. Sed obscuriora mihi sunt haec vestigia Indicae philosophiae, ac prope incunabula, quam quae satis explicare valeam. Omnino vero multae res in philosophia priscarum gentium, inprimis vero Indorum, nequaquam satis adhuc explicatae sunt. —

„Omnium creaturarum causa, causae expers" etc. (ibid.). Brahma (generis neutr.) summum Ens, numen supremum invisibile (avyakta), esse causam (kárańa) omnium rerum, ipsum vero a nulla superiori causa esse ortum (akárańa — causae expers), philosophiae veterum Indorum principium est. —

„Satva, Rajas, Tamas" quas naturae qualitates conditionesque exprimant significentque, cfr. Fasc. I. p. 18. —

„Brahma (avyakta) illis signis (lakshańa) instructus," i. e. illarum qualitatum in omnium rerum natura obviarum causa est. — „Octupliciter formatus," i. e. in octuplici evolutione sive emanatione se manifestans. Primum enim τὸ Bráhma est Avyakta (invisibile supremum numen, nondum manifestatum); dein Mahán (magnum rerum spiritualium et materialium principium); tum Ahankára (sui ipsius factor, i. e. singulorum procreator, et individualitatem efficiens), et quinque naturae elementa (aetherem, aërem, ignem sive lumen, aquam et terram) gignens (cfr. paulo infra). —

„Multarum animarum moderator" etc. (ibid.). Ad verbum: multarum animarum dominus (ad'hist'hana). — „elementa procreans"; ad verbum: elementorum initium (ádi). —

„ — quinque elementorum principia" etc. (ibid.). Est enim subtile discrimen inter quinque elementorum principia (tanmátráńi) et ipsa elementa (maháb'hútáni), quippe quia haec ex illis suam habent vim movendi, efficiendi et generandi —

„Proprium unicuique horum objectum" etc. (p. 4.). Vishaya (omnis res sensibus obvia sive subjecta), vocabulum latinum objectum, sensu recentiorum, significare mihi placuit, quamquam illius sanskritae vocis vis et significatio latius patet, praesertim in philosophica dictione. —

„ — summum Ens" etc. (ibid.). Ad'hib'húta (gen. neut.) idem est, atque Avyakta (invisibile numen supremum), et Brahma (gen. neutr.), et At'hyátma (gen. neutr.), supremus spiritus, et Ad'hidaivata (gen.

neutr.) supremum numen divinum. Quid vero esset illud, quo Brahma (gen. neutr.) a Brahma (gen. masc.) differret, philosophis ad inquirendum reliqui. —

„ — excretionis Mitra“ etc. (ibid.). — Ad verbum: ani (objectum est) Mitra. —

„Haec est omnis inscia classis et spiritus“ etc. (ibid.). Purusha significat hominem, animum, spiritum. Quam vero significationem hoc loco habeat, difficile est dictu. Mihi quidem in hac philosophica scriptione purusha potius spiritum, quam hominem denotare videtur. —

„In creatura, adeo inanimata“ etc. (ibid.). Ad verbum: Exsistente adhuc cogitandi absentia (achaitanya), i. e. absente mente sive cogitandi vi. Sensus est: mente naturae (prad'hána) et cogitatione adhuc deficiente, propter spiritus (purusha) universalitatem evolutionem (pravritti) fieri docent. —

„ — et causas aquas etc. pronuntiant.“ Aqua scilicet et cetera naturae elementa evolutionem mundique perfectionem absolvunt, operante spiritu. —

„Una est natura (prakrĭti) inscia“ etc. (ibid.). Prakriti est materialis natura naturans; prad'hána, natura naturata (prakrĭti) est per se inscia, etsi seminandi pariendique facultatem habet; in centro autem versari haud valet, ubi solus spiritus versatur. Mundus materialis (prakrĭti) igitur est quasi superficialis; spiritus autem centralis. —

„ — omnes quoque differentiae sunt Satvae etc. phaenomena“ etc. (ibid.). Ad verbum: omnes differentiae (i. e. singulae in rerum natura res) e naturae qualitatibus, Satva, Rajas et Tamas sic dictis (cfr. Fasc. I. p. 18.(profectae sunt, ut quidam falso dictitant. —

„Dominum (Iśvara) a se exsistentem, tempus“ etc. (ibid.). Ad verbum: Iśvaram (Brahma) esse ex se existentiam (svab'háva), tempus (kála), spontaneitatem (yadrichch'ha), praedestinationem (niyati), transformationem (parińáma) et naturae evolutionem (prakrĭti, germanice Herausbildung) credunt longius videntes Itaque Brahma (Iśvara, Avyakta, Ad'hib'húta, Svaya, Ad'hyátma, Ad'hidaivata), nec vero naturae qualitates (guńa) tres (Satva, Rajas, Tamas) sunt rerum creatores. (Post fatum insere transformationem.). —

„Naturae activa elementa naturae qualitatibus instructa“ etc. (ibid.). E naturae activis (tanmaya) elementis (b'húta), naturae qualitates (Satva, Rajas, Tamas) solummodo habentibus, materialis, nec vero spiritualis, mundus exit. —

„ — ultra naturae elementa non exsistit“ etc. (ibid.). Memoratu dignum est, quod hoc loco auctor praecipit. Medicinae speculationes ne quis ultra naturae elementa extendat, recte admonet. —

„Materialia sentiendi instrumenta“ etc. (ibid.). Materialia, i. e. a quin-

que naturae elementis pendentia et ad illa se referentia (b'hautika) sentiendi instrumenta (indriya, germanice: die 5 Sinneswerkzeuge). —

„Sentiendi instrumento prehendit homo materiam" etc. (ibid.). Unusquisque sensus solummodo ea objecta prehendit, quae ei conveniunt et eandem habent elementiciam originem. — Materia (art'ha) hoc loco est res, sive objectum, sensibus materialibus obvium. —

„Nec vero in Áyurvédae dogmatibus" etc. (ibid.) Sensus est: Animae (in humanis corporibus) neque universum penetrantes, nec aeternae esse in Áyurvêda demonstrantur, quia ullum habent ortum. (Pag. 5. lin. 1 corrige sed in et; et lin. 3 ante sempiternae insere et). Earum autem ortus a sempiternis spiritibus divinis ducitur. —

Reliquum hoc caput difficiles explicatus habere non videtur. —

Ad Cap. II.

„Nunc vero seminis virilis" etc. (p. 6.), i. e. eam Somatologiae partem expondituri sumus, qui purgationem (sudd'hi) seminis virilis (śukra) et menstrui sanguinis (śoṅita) docet. —

Hoc in capite praecepta dantur de semine virili menstruoque sanguine purgando; de coitu exercendo; de pueris puellisve ad libidinem generandis etc.: quae omnia mere orientalium in modum peraguntur. — In hujus capitis fine commemoratur Metempsychosis, Platonicorum Pythagoricorumque more. —

Ad Cap. III.

„Placidum semen virile, menstruum igneum" etc. (p. 9.) Sensus est: in generandi functione semen virile, menstruum, et quinque naturae elementa exiguam differentiam habent, quippe quia illa sibi vicissim auxiliantur, favent et se mutuo penetrant, usque eo, ut quaevis differentia paene tollatur. De generatione embryonisque incremento, de gravidae immutationibus etc., de influxu matris in foetum etc., satis clare, sed orientalium more mirum in modum disseritur.

„Śaunaka —; Krĭtavirya" etc. (p. 12.). Cur hos solummodo auctor citat? nullibi vero Charakam reliquosque memorat? Nimirum quod illos solos, nec vero hos veluti seriores cognoscere videtur (cfr. Fasc. I. p. 3.).

Ad Cap. IV.

„— expansibiles septem membranae“ etc. (p. 13.). Ex septem membranis cutem constare et earum unamquamque esse sedem quorundam morborum cutaneorum, sive exanthematum sic dictorum, hoc loco contenditur.

„Segmenta reapse septem oriuntur“ etc. (ibid.) Hanc sententiam nunc mallim hoc modo interpretari: Segmenta (humani corporis) revera septem sunt, quae ejus elementa (d'hátu), sedes (áśaya), intervalla (antara) et terminos (maryáda) continent. — Quae sint segmenta, cfr. paulo post; elementa et sedes supra jam exposita sunt; intervalla et termini esse corporis cavamina et eorum fines, nunc mihi videntur. —

„Embryonis hepar et lien e sanguine nata sunt“ etc. (p. 15.) Ex quibus partibus constent embryonis singula organa, mirum in modum excogitatum est. — Reliquo in hoc capite clarius quidem, sed quasi prodigialiter variae hominum physicae et psychicae sic dictae indoles exponuntur. —

Ad Cap. V.

In anatomicis rebus Suśrutas quidem plurimum posuit, sed his accuratius inquirendis suum tempus et religio obfuit (cfr. Fasc. I. p. 18.); quo fiebat, ut enumerationem magis, quam solertem subtilemque corporis partium descriptionem confecerit. —

„Hunc mente constantem aër distribuit“ etc. (p. 19.). Semen virile et menstruum parem partem in generatione habent. Ab initio quamquam embryo est inscius sui ipsius, attamen in primis jam seminibus tam inest mens animusque, quam vis earum rerum, quae ex his, elementis adjuvantibus, progignuntur. Sed si verum est, quod dubitari non potest, ut elementa in foetu conformando multum conferant, non est tamen infitiandum, Suśrutam veritatem excessisse eo, ut singulis elementis singulas functiones hac in re adscriberet. —

„Porro percipiendi organa indicabuntur“ etc. (p. 20). Percipiendi organa (pratyangáńi) omnia ea sunt, quae, extrinsecus sita, omnino externas res percipiunt. Idcirco huc pertinent quinque sensuum organa (indriyáni, et quatenus sunt canales, srotánsi), et tota corporis superficies, sive omnes partes, quae hanc superficiem constituunt, et quasi tactus sensum sistunt. —

„Aures, oculi, os, nares“ etc. (ibid.). Praeter aures, oculos, os et nares, anus etiam, urethra, menstruorum ductus (vagina) et feminarum mammae

vocantur sensuum organa; ex quo simul intelligitur, haec organa quasi canales esse, sive flumina (srotansi). —

„Carnis (mánsa), vasorum (sirá), tendinum (snáyu) et ossium (ast'hi), retia (jála)" etc. (ibid.). Retia quasi cribriformia a cutis poris incipere et totum corpus penetrare creduntur, per quae naturae elementa in universum corpus descendant. —

„Capitula sex sunt" etc. (ibid.)., scil. capitula (kurchcha) in manibus, malleoli in pedibus; in collo carthylago thyreoidea; et glans penis. —

„Magna carnis ligamenta quatuor sunt" etc. (ibid.). Haec ligamenta (rajju) carnis nihil aliud esse videntur, nisi magnae nervorum, a medulla spinali ortorum, restes, quas noster ligamenta esse censet. —

„Trecenta ossa sic supplentur" etc. (p. 21.). Quam accurate diligenterque omnia totius corporis humani ossa hic sunt enumerata, intelliget is, qui haec numerando velit examinare. —

„Articuli vere duplices sunt: mobiles et immobiles" etc. (ibid.).

Articuli (sand'hi) hoc loco non solum sunt diarthrorses (chéshťavan-mobilis), verum quoque synarthroses et symphyses (st'hira — immobilis). Omnem igitur ossium syntaxin vel compositionem, sive laxiorem sive strictiorem, vocabulum sand'hi significat. —

„Nongentae sunt tendines" (p. 22.). Snáyu hoc loco tendinem haud dubie denotat, id quod ex numero musculorum (cfr. paulo post — p. 23.) colligi potest. Musculos (péśí) enim quingentos (quem numerum circiter et nostri constituunt) Suśrutas memorat. Multo enim plures musculi duas habent tendines; quo fit, ut hic numerus tendinum fere huic musculorum numero convenire videatur. —

„Propterea medicus hominem integro corpore instructum" etc. (p. 24.). Interdictam fuisse priscis Indorum gentibus humani cadaveris sectionem, ex hac partium corporis explorandarum ratione satis apparet; quo magis illam musculorum, tendinum et ossium fere accuratam enumerationem admirari debemus. —

Ad Cap. VI.

Membra vitalia (marman) sunt, quae ad valetudinem tuendam vitamque servandam necessaria sunt. His autem vulneratis vel perditis, homo aut magnis doloribus, aut morbis periculosis, aut ipsi morti succumbere creditur.

„Superiorum extremitatum membra vitalia sunt: membrum celere" etc. (p. 25.). Quid sit membrum celere (kshipra), vix conjici potest. — Singula hic percurrere opus non esse videtur, quippe quia singuli loci nihil habent dubitationis in eo, quidnam dicere velit auctor. Omnia autem ibi

exposita produnt rudem adhuc et imperfectam partium corporis humani et functionum cognitionem; quae tamen ad Anatomiae historiam certe multum afferunt. —

Ad Cap. VII.

De vasorum (sirá) ortu, natura, situ, procursu et distributione fabulose multa auctor refert, ex quo simul colligi potest, angiologiam universam in profundis tenebris apud veteres Indos jacuisse; nimirum qui mera hic deliramenta, — vasa, aërem, bilem et phlegma ferentia, — fingunt. —

Ad Cap. VIII.

„Nunc vero de vasorum sectione" etc. (p. 33.) Vasorum sectionem (sirávyad'hi) jam antiquissimis Indis notam fuisse, inficiandum igitur non est. —

„ — acutis febribus — confectorum vasa medicus ne secet" (ibid.). Hae contraindicationes non omnes possunt probari; minime vero illud, quod ab auctore dictum est, esse vasorum sectionem in acutis (pravrĭdd'ha — auctis) febribus (jvara) non instituendam, assentiri possumus.

„ — illaque, quae non secanda" etc. (ibid.). Cfr. pag. anteced., cap. VII. — Recte praeparationes, conditiones et secandi modos usque ad hunc diem magna ex parte valentes auctor per reliquum hoc caput indicat, si quasdam minoris momenti res praetermittas, et multorum ad vasa secanda indicatorum locorum nullam habeas rationem. —

„Vasorum sectionem in Śalyatantra etc. (p. 36.). Salyatantra (cfr. Sútrast'hán. c. I. Tom. I. p. 1—2.) est Chirurgia, Káyachikitsita (cfr. ibid.) est curatio internorum morborum, sive Medicina proprie sic dicta. Sensus est: in Chirurgia vasorum sectio, in medicina autem alvi purgatio summa est. —

„Vasculis, cornibus, cucurbitulis, hirudinibus, pariterque punctionibus" etc. (p. 37.). Varia haec detrahendi sanguinis genera, jam apud antiquissimos Indos usitata, scientiam historicorum fugere haud debent. —

Ad Cap. IX.

„Vasorum, nervorum canaliumque individuitas" etc. (p. 37.). Sunt, qui dicant, vasa (sirá) transire in nervos (d'hamaní) et canales (srotas), quibus vero noster non assentitur. Qua quidem ex dissentione certe colligi potest, illarum partium differentias a priscis Indis non satis fuisse distinctas ac dignotas. —

„Certe vero propter mutuam propinquitatem" etc. (ibid.). Sensus est: quia vasa, nervi et canales se mutuo tangunt et adjuvant in suis functionibus, idcirco in eorum operationibus, quamvis diversis divisisque, quasi nulla diversitas conspicitur. Quippe quia et ipse Suśrutas neque situs formasque, nec harum partium functiones satis habeat perspectas, hanc tulit sententiam. — De nervorum ortu, natura, situ et processu eadem valent, quae de vasis supra sunt dicta. —

„Deinceps canalium, eorumque" etc. (p. 38). Vocabulum srotas non modo canales sentiendi instrumentorum (aurium, narium, oculorum et aoris), verum quoque ani, urethrae, mammarum muliebrium et vaginae saepissime significat (cfr. annot. ad Śárírast'hán. cap. V. p. 20.); hoc loco autem et alibi saepius denotat canales, respirationem, cibum, aquam, chylum, sanguinem, semen virile, menstrua etc. ferentes, quorum ortus et iter aeque mirum in modum explicatur. —

Ad Cap. X.

Hoc caput nihil continet, quod ad gravidarum Anatomiam vel Physiologiam spectet. Solummodo enim hoc loco est sermo de puerperarum diaeta ante et post partum; de praeparando partu; de neonati nutricisque alimentis, et de ipsis adhibenda cura. — Ceterum nec minus dilucide haec omnia, quam mire sunt explicata. —

„Timorem et Śankaram — evitet" etc. (p. 39.). Śankara, juxta timorem positus, videtur Śivae nomen attributivum esse, excidii et mortis symbolum, quod a puerperis sit amovendum.

„Porro, embryone causis antea dictis delapsuro" etc. (p. 46.), i. e. abortu instante. —

„Decidente embryone" etc. (ibid.), i. e. abortu facto.

Annotationes

ad

Tomum secundum.

IV. Ad Chikitsitast'hánam (p. 49 — 208.).

Chikitsa non modo Therapiam proprie sic dictam, verum quoque Chirurgiam significat (cfr. Fasc. I. p. 9.). — De apparatu chirurgico in Sútrast'hán. cap. VII. et VIII. Tom. I. p. 14 — 18.; de materia medica sparsim in toto Áyurvéda, generatim vero in Sútrast'hán. cap. XXXVIII, Tom. I. p. 90 — 96. agitur. — Chirurgia in Áyurvéda praestantissima est pars. Inter omnes enim medicas doctrinas Chirurgia ibi palmam fert (cf. Fasc. I. p. 9. de Chirurgia). —

Admiratione vero quadam afficientur certe ii, qui totum hunc Áyurvédam lectione transcurrant, ibique septingentas medicas materias, et quae hunc numerum excedunt, reperiant. Nonne id magno argumento esse debet, permultis saeculis antea praeterlapsis, tum demum praesentem Áyarvédae formam apparere, ejusque speciem in conspectum venire potuisse? — Partem hanc therapeuticam, experientiâ multorum saeculorum fundatam, primordium Áyurvédam fuisse, ob vetustatem autem divinitus traditum a Brahma

ipso creditum, serius a Suśruta in hanc formam redactum esse suspicari licet; quod vero Áyurvédae antiquitatem et Suśrutae auctoritatem nullo modo valet imminuere. —

Ad Cap. I.

„Duo ulcera exsistunt" etc. (p. 51.). Vocabulum vraṅa ulcus simul et vulnus significat; quorum totum discrimen in eo positum putat noster, ut ulcera intrinsecus, vulnera autem extrinsecus oriantur. —

„Corruptorum humorum impetus" etc. (ibid.). De trium humorum (aëris, bilis et phlegmatis) vi in omnem Pathologiam et Therapiam jam saepius ita est dictum, ut amplius de illis agere opus non esse videatur (cfr. et Fasc. I. p. 7.). Quem vero influxum ii exerceant speciatim in ulcerum vulnerumque ortum, naturam et secretionem, noster curiosius hoc loco explicat (cfr. et Sútrast'hán. c. XXII. Tom. I. p. 56 — 58.). —

„Ulcerum (vulnerumque) sexaginta medelae exsistunt" etc. (p. 52.). Ex hoc loco jam clare apparet, quantam perfectionem Chirurgia apud priscos Indos sit consecuta. —

„Sextuplex antea demonstratus est tumor" etc. (p. 53.). Cfr. Sútrast'hán. c. XVII. Tom. I. p. 41. sqq.; et Nidán. c. XI. Tom. I. p. 192. sqq. — Tumoris curatio poscit ex supradictis sexaginta medelis undecim priores, i. e. remedia ad maturandos tumores apta. — Reliquae supradictae curationes usque ad hujus capitis finem ita singulis ulceribus adhibentur, ut non sit dubitandum, jam priscis Indis nexum organicum inter morbos internos et externos, sive inter Medicinam et Chirurgiam, fuisse notum.

„ — pariterque ex turba medicamentorum a Kákolí incipiente" etc. (p. 55.). Cfr. Sùtrast'hán. c. XXXVIII. Tom. I. p. 93. nr. XVII. —

Ad Cap. II.

Peculiariter hoc loco de recentibus vulneribus, eorumque curationibus agitur. —

„D'hanvantaris — linguarum peritus, Viśvámitrae filium" etc. (p. 60.). Priscas Indorum gentes non institutis solum et legibus, id quod nemo dubitat, verum quoque linguis inter se distulisse, efficitur et cogitur uno jam ex hoc loco, qui D'hanvantarem linguarum peritum (vágviśárada) perhibet; — nisi quis fortasse vocabulum vág (vách) in hoc attributivo nomine composito pro linguarum vertere malit linguae (in genitivo singul.). Sed utcunque hoc se habeat, facile ex eo intelligi potest, quid

medicis noster praescribere velit. Scito enim sermone loqui, nec vero inopi lingua uti debent medici. — Suśrutas saepius Viśvámitrae filius átmaja, (i. e. ex se ipso genitus) et D'hanvantaris discipulus vocatur (cfr. et Fasc. I. p. 1.). Suśrutae aevum igitur in dubium vocari non potest, nisi hos horumque similes locos funditus ex Áyurvédae tollere ac delere libebit, quod non licet. —

„ — vulnus hoc adventicium (differt ab ulcere) — sextuplex relatum est" etc. (ibid.). Vulnerum recentiorum genera satis scite et commode hic sunt perscripta, ita, ut et nostris temporibus haec divisio valeat. —

„Sedes cruditatis, digestionis et coctionis, urinae et sanguinis (lienis)" etc. (p. 60 — 61), i. e. vulnera abdominalia varia. —

„Protenus exsequar dissectorum" etc. (p. 61.). Vulneribus omnino curationes ad eorum naturam aptas noster admovet, exceptis quibusdam rebus minus necessariis. —

„Fissus oculus incurabilis; qui vero — nervo optico imperfosso" etc. (p. 62.). Vocabulum sirá etsi saepissime vas designat, hoc tamen loco nervum (nervum opticum) denotare mihi visum est. —

„ — quasi turunda telae cellulosae egressa" etc. (ibid.). Turundam (vartti) telae cellulosae (médas) adipe impletam, interdum ex vulneribus abdominalibus prolabi ipse identidem vidi. Ad hanc vero curandi rationem experientia Suśrutae plus, quam ejus commentatio et meditatio contulisse videtur. —

„Cujus hominis faeces, urina et vapores suas vias ingressa sunt" etc. (p. 63.). Sensus est: intestinis vesicaque urinali, quamvis penetratis, sed faecibus urinaque in cavum abdominis non effusis, homo pericula mortis non obit. — Omnino autem vulnera abdominalia perfecte noster explicat, eaque optimo, quo par est, artificio curat. Quod vero hic de abdominalibus vulneribus dictum est, id et de ceteris vulnerum recentiorum generibus dici potest, quippe quae pari artificio describuntur et curantur, omnibus rebus minoris momenti posthabitis. —

„Quod sextuplex recentiorum vulnerum curandorum praeceptum edoctum est antea" etc. (p. 65.). Hic locus usque ad hujus capitis finem spurius interpolatusque esse videtur, praesertim, qui Suśrutae illustre ingenium scribendique rationem plane offendat. —

Ad Cap. III.

(Cfr. Nidán, cap. XV. Tom. I. p. 200.).

Primum de rebus, quae sint observandae circa fracturas (b'hagna), in universum agitur; deinde nominatim hae tractantur. In omnibus autem

praeceptis, quae Suśrutas hoc loco de fracturarum curationibus, sive de earum repositionibus, sive de ligationibus ceterisque rebus auxiliaribus dat, vestigia certa sunt, quae significent, ejus artem mero usu experientiaque esse fundatam (cfr. Nidán. c. XV. Tom, I. p. 200.). —

„Porro declarabimus oleum Sesami orientalis“ etc. (p. 68.). Hoc oleum in primis medicaminibus apud vetustos Indos numeratur; praecipue vero omnes ab aëre organico ortos morbos pellere creditur. —

Ad Cap. IV.

(Cfr. Nidán. cap. I. Tom. I. p. 169. sqq.).

„Nunc vero morborum ab aëre (váta) ortorum“ etc. (p. 69.). Horum morborum numerus maximus est, propterea, quod aër organicus corruptus plurimos morbos hominibus adfert. —

„Cruditatis sedem ingressus aër“ etc. (ibid.), i. e. inflatio stomachi et praecordiorum, ubi cruditatis sedem esse credit auctor. Recte adversus hunc morbum vomitoria esse commendanda indicat. —

„Coctionis sedem ingresso aëre“ etc. (ibid.). Ubi sit cruditatis, coctionis et maturitatis sedes in abdomine, cfr. Sútrast'hánam c. XXI. Tom. I. p. 52. Aër in maturitatis sede, bilis in coctionis sede, phlegma in cruditatis sede suum habet domicilium; sin vero unus aut alter horum humorum ex sua sede erumpit et in alterius sedem aut in ceteras corporis partes irruit, varios, ut jam dictum est, morbos efficit. —

„Cum quinque radicibus coctum lac“ etc. (ibid.). Quinque radices quae sint, vid. Sútrast'hán. c. XXXVIII. Tom. I. p. 95. nr. XXXIII. et XXXIV. —

„Kákoli“ etc. (ibid.). Medicaminum classem a Kákoli incipientem vid. ibid. nr. XVII.

„ — cum omnibus acidis substantiis“ etc. (ibid.). Acidae substantiae enumeratae sunt in Sútrast'hán. c. XLII. Tom I. p. 106 —

„ — cum omnibus oleis praedita“ etc. (ibid.), vid. Sútrast'hán. c. XLV. Tom. I. p. 123. —

„Caput ingredientem aërem discutit Śirovasti“ etc. (ibid.). Śiras significat caput; vasti usitatius denotat vestem et ventrem, inusitatius vero clysterem, rarissime vesicam urinariam, ut supra jam est dictum. Quid sit capitis vestimentum, ante oculos versatur et per se intelligitur; quid vero sit capitis clyster, nescio, nisi fere aurium injectio? At quoque herba medica sic dicta, vel medicamentum aliud esse potest Śirovasti. —

„ — Aksham — Vilvae“ (p. 70.). Pondera pharmaceutica, cfr. Tab. I. et II. in fin. Tom. II. —

„ — millecoctum — centicoctum“ (ibid.). Indiciis monstrare recentibus abdita rerum dabitur licentia sumta pudenter! Hor. art. poëtic. —

„Himavantica — odoramenta“ (ibid.). Vestigia geographica permulta reperiuntur in Áyurvéda, quae significent, priscam gentem Indorum illo tempore, quo Suśrutas vixerit, Áyurvédamque in praesentem formam redegerit, meridionales regiones circa Himálayam montem inhabitasse; quod maximo argumento esse potest, Áyurvédam esse pervetustum; qua de re jam supra feci mentionem. —

Ad Cap. V.

Vátaśońita (váta, aër, et śońita, sanguis) significat rheumarthritidem, cujus morbi natura in aëris organici sanguinisque morbosis quibusdam affectionibus posita esse censetur. Aërosanguis, ad verbum ex Sanskrĭta in Latinum versus, hujus morbi vim optime notare videtur. Differt autem hic morbus a nodis arthriticis (grant'hi), in Nidán. cap. XI. Tom. I. p. 192. jam descriptis. —

„ — bis quinque radicibus paratum“ etc. (p. 72.). Ne identidem medicaminum classes citare coactus videar, ad integrum cap. XXXVIII., Sùtrast'hán. relego. —

„Tympaniticum“ (p. 75.), sic vocabulum apatánakí interpretandum est. Aër enim intendit cava internasque partes (cfr. Nidán. cap. I. Tom. I. p. 171. in fin.), quae tum tympanitica vocantur. Quando autem aër tendinum nervorumque (snáyu) extensionem (pratána) efficit, tum spasmus procreatur (cfr. ibid.). —

„Drona — Prast'ham“ (p. 76.) sunt pondera pharmaceutica, quae vid. Tab I. et II. in fin. Tom. II. — Ne vero in his identidem citandis tempus terram spatiumque perdam, ad illas tabulas lectores nunc relego. —

„In arthritide, in rheumatismo“ etc. (ibid.). Grĭd'hrasi arthritidem in coxa usitatius designat; sed hoc loco etiam coxarthrocacen, vel ischiadem notare potest. — Viśváchí rheumatismus brachialis (a viśva, omnis, universus, et ach, ire?) esse videtur. — Kroshtuśiras, i. e. rheumatismus occipitalis, Canis aurei capiti similem tumorem in occipite sistens (cfr. de his in Nidán. cap. I. Tom. I. p. 172. in fin.). — Páda — harsha nihil aliud hoc loco, ac podagra esse potest (cfr. Nidán. cap. I. Tom. I. p. 173., ubi ad verbum satyrice dictum „pedum gaudium“ verti.). —

„Hunc morbum alii femoris columnam“ etc. (pag. 77.). Uru (femur) — stamb'ha (columna, sopor), ut ex symptomatibus hic expositis effici cogique potest, femorum paralysis arthritica tremula est. —

Ad Cap. VI.

(Cfr. Nidán. cap. II. Tom. I. p. 173. sqq.).

Tuberculorum haemorrhoidalium (arśas) quae et quot sint genera, quaeque curationes, tam internae, quam chirurgicae, ipsis adhibeantur, singulari auctor egregiaque arte docet. —

„Medicamentis curandorum tuberculorum haemorrhoidalium“ etc. (p. 79.). Post „haemorrhoidalium“ insere „invisibilium“ (adriśya), i. e. caecorum, quod vocabulum incuriâ typothetae excidit. De haemorrhoidibus caecis primo sermonem esse, deinde de operationibus chirurgicis tuberculorum haemorrhoidalium, apparet. Has vero operationes, vel per cauterium potentiale (per lixivium causticum siccum — kshára), vel per cauterium actuale (per ignem, sive per materias ignitas quasdam — cfr. Sútrast'hán. c. XII. Tom. I. p. 23.) instituendas ita dilucide auctor explicat, ut et nostris tam accuratae operationum harum descriptiones sint memoratu dignae. — Inprimis vero partium speculi ani descriptio (p. 80. in fin.) solertior est, quam quae ampliorem desideret demonstrationem. — Medicamenta et interiori usui commendata, et in formis unguentorum, emplastrorum etc. adhibenda, tam multa hic nobis sunt oblata, quam et alioquin exstant exempla medicaminum quasi innumerorum. —

Ad Cap. VII.

(Cfr. Nidán. cap. III. Tom. I. p. 176.).

Calculorum morbum (aśmarí) et sectionem (ch'hédana) jam antiquissimi Indi noverunt, primique fere inter priscas gentes fuerunt, qui hanc operationem instituere solebant. —

„In calculi prioribus formis oleamenti“ etc. (p. 83.). Calculorum prior (púrva) forma (rúpa) nihil aliud, nisi arena vesicalis (śarkara) esse videtur; cujus elementa (múla — radix) jam hic antiquissimus auctor ad maturitatem (ápachaya), i. e. ad solutionem, traducere conatur. —

Inter lithontriptica (aśmaríb'hédana) jam indicatas terras salinas (úsha), et lixivia (kshára) et kalia memoratu dignissima sunt (p. 84.). (Cfr. infra, cap. XIII. p. 106, ubi adversus calculos bitumen etiam commendatur.). —

„Aegrotum inunctum, vitiis humorum privatum“ etc. (p 85.). De lithotomia jam in Fasc. I. p. 10. egi, quo loco jam dictum est, priscos Indos viris epigastricam, feminis autem urethrovesicalem calculi sectionem adhibuisse. — Descriptio ipsa haec de operandi via et ratione tam perspicua est, ut omnia huc pertinentia oculis quasi cerni possint. —

„Illum, cujus calculus extractus est“ etc. (p. 86.). Praecepta quoque de rebus circa operationem vitandis et de curis lithotomiam subsequentibus tradita artem tam rationalem, quam empiricam sistunt. —

„Spisso sanguine vexatum superioribus vestimentis curet“ etc. (ibid.). A vera hujus et paulo inferioris loci sententia aberravi. Vocabulum vasti enim, cujus diversae significationes jam supra sunt expositae, me in hunc errorem induxit. Nullis enim in lexicis id clysterem designare videmus (cfr. de clysteribus in Tom. II. cap. XXXV. et XXXVI.). Sensus est: Spisso sanguine vexatum subsequentibus clysteribus curet — Clysteres etiam in lithiasi adhibendos cfr. in Chikits. p. 180. ab initio. —

Ad Cap. VIII.

(Cfr. Nidán. c. IV. Tom. I. p. 178.).

Hoc caput de ani fistulis (b'hagandara) operandis iterato argumento esse debet, quantam dexteritatem audaciamque vetusti Indi in Chirurgia operativa habuerint. —

„ — sagittae similis“ etc. (p. 87.). Śalyanimittae, ad verbum: (ani fistula) sagittam causam habens, i. e. a sagitta effecta. Quoniam vero sagitta fistulam efficere vix possit, mea interpretatio praeferenda videtur. —

„ — a jejuniis incipiente et cum purgationibus finiente“ etc. (ibid.). Vide undecim priores curandi rationes in ulcerum therapia (Chikits. c. l. Tom. II. p. 52. in fin.). —

„ — ani fistulam inspiciat, aut universam“ etc. (ibid.). Apta declarari potest haec quadripartita ani fistularum divisio, et digna, de qua mentio fiat. Fistula aversa (parâchîna) ea est, quae quidem ab ano incipit, sed de intestino recto declinat; deorsum versa fistula (avâchîna) est ea, quae ad sacralem regionem tendit; reliquae duae vel internum (antarmuk'ha), vel externum (vahirmuk'ha) habent orificium. — Operandi autem hac methodo ipsa, quid est evidentius? —

„Quoquoversus effluentes vias medicus igne urat“ (ibid.), i. e. vias fistularum incisas et sanguinis vel morbosae materiae profluvium (srâva) habentes ferro candente adurat. Omnino in incidendo et exurendo per cauterium, sive actuale, sive potentiale, consistit praecipua ani fistularum operatio. —

„ — deinde tubi vapore medicus eliciat vaporem vulneris“ (p. 88.). Ferventis infusionis, ex indicatis substantiis paratae, vapor (svéda) per tubum (nádí) in vulnus intromittendus est, vulneris vaporandi causâ. —

„ — aut ex spiritu Sauvírensi“ etc. (ibid.). Quid sit spiritus Sauvírensis, utrum sit spiritus ex fructibus Zizyphi jujubae confectus, an alius in regione Suvíra paratus liquor, nescio (cfr. plur. loc. subsequent.). —

„Aegroti multiforis fistulis affecti“ etc. (ibid.). Ani fistulae saepius multa (centum) habent foramina quoquoversus, sive laterales fistulas; saepius quoque incurvatae (camelino collo similes = ushťragríva) sunt. —

„A cavo sursum ferat medicus —, dein hoc semilunare instrumentum“ (etc. (p. 90.). Haemorrhoidale instrumentum (arśoyantra) et semilunare instrumentum (ardd'héndusannib'ha) scalpelli incurvi esse videntur. —

Ad reliquam harum ani fistularum curandarum rationem nihil plus contulisse, quam experientiam, negari non potest; quippe quia haec omnia non sunt commenticia, sed ex veritate et usu deprompta. —

Ad Cap. IX.

(Cfr. Nidán. cap. V. Tom. I. p. 179.).

Lepra (kusťha), in parvam lepram et magnam divisa (cfr. Nidán. c. V. Tom. I. p. 180.), primam sedem suam in cute habet. Sensim sensimque, humoribus magis corruptis, sanguinem, carnem, telam cellulosam, ossa medullamque et seminalia organa invadit. Quo fit, ut quinque formae secundariae oriantur (cfr. Nidán. c. V. Tom. I. p. 181 — 182.). — In hoc capite primum de videndi ratione, deinde de curatione leprae agitur. In omnibus autem leprae formis tres humores maximam partem habent (p. 91.). —

Remedia adversus lepram quidem tot sunt, ut vix enumerari queant; sed ejusmodi sunt, ut ulla interpretatione planius exprimi non possint. Inter quae vero ferri praeparata (ayaskrĭti), sulphas cupri (tutťha) et auripigmentum (ála) reperiuntur (p. 91 et 93 in fin.), id quod nos in admirationem quandam traducere valet. —

Praetermittendae non esse videntur curationes leprae per vomitoria, purgativa et per sanguinis missiones (cfr. p. 94.).

Ad Cap. X.

Magna lepra (mahákushťha) summus leprae gradus esse videtur. In cute enim incipiens parva lepra (kshudra — kushťha) se per resorptio-

nem extendit ad sanguinem et cetera quinque corporis elementa (cfr. Nidán. c. V. Tom. I. p. 182.), ea corrumpit, usque adeo donec in intumescentias et tabem transit, ac magnam lepram sistit. —

Omnino medicaminum farrago dubitationem significare hoc loco potest quodammodo, quam ipse Suśrutas de curandae leprae ratione habuerit. — Praecipue vero magnae leprae sic dictae adhibentur ferri praeparata (ayaskrĭti), quorum jam in parvae leprae formis mentio est facta (cfr. ayaskrĭti in p. 91. Tom. II.). —

„Prakuńcham unum adhibeat" etc. (p. 99.). Hoc pondus pharmaceuticum mihi quidem prorsus ignotum est. —

Ad Cap. XI.

(Cfr. Nidán. c. VI. Tom. I. p. 182. sqq.).

„Duo urinales sunt morbi" etc. (p. 100.). Urinales morbi (praméha) aut ingeniti (sahaja), aut insalubribus (apat'hya) effecti sunt. Perniciosae, sive insalubres, sive inconvenientes res autem, urinalem morbum progenerantes, sunt corrupti, insalubres, inconvenientes cibi praesertim et potus, et reliqua aptae diaetae non convenientia. —

Embryonem ex maris semine simul et feminae sanguine menstruali generari, auctor pluribus locis docet (cfr. Śárírast'hán. c. IV. ab init., Tom. II. p. 13. — et cap. V. p. 19. etc.). —

„Ibi macrum curationibus" etc. —, „corpulentum autem" etc. (ibid.). Ut in curationibus ubique, sic etiam in diaeta noster contraria contrariis persequi, i. e. Allopathiae deditus esse videtur. —

„ — saccharatâ urina affecto" etc. (p. 101.). Inter varia urinae genera hic exposita (cfr. Nidán. c. VI. Tom. I. p. 183.) memoratu dignissima est saccharata urina (ikshu — méhina = sacchari urinam reddens), quae mihi diabeten mellitum reducit in memoriam (cfr. paulo post in cap. XIII.). —

„ — post anni spatium ab urinae" etc. (p. 103.). Post spatium insere aut (anni) intervallo. —

Ad Cap. XII.

Tumores (pidaká), ex urinalibus passionibus (praméha) orti, saepius ad maturitatem perducuntur et dirumpuntur, saepius quoque internas partes invadere, et abscessus, usque ad lumbum progredientes, efficere possunt. — De dulci urina per totum hoc caput identidem incidit mentio. — Curatio,

Suśrutae propria, etiam hoc loco tam varia, quam ipsa morbi natura est; de qua vero uberius agere non est in animo, quippe quae nullius indigeat explicationis. —

Ad Cap. XIII.

Nihil hic locus habere dubitationis videtur, quin dulcis urinae passio (mad'hu, dulcis, méha, urina et urinae passio) sit diabetes mellitus; mihi quidem hic locus hac de re omnem tollit dubitationem. —

„Bitumen (petrarum lacca) sic dictum omnes morbos delet“ (p. 105.). Id quod auctor de bituminis (śilájatu) ortu, natura et virtute fabulatur, dignum plane existimari potest, quod legatur. —

„Quinque actionum qualitates praetergressum“ etc. (p. 106). Quamquam me semper est pertaesum philosophiae veterum Indorum, attamen non possum, quin eam hoc loco paucis attingam, vocabulo composito pancha — karma — — guńa (quinque — functionum — qualitates) coactus. Inter omnes scilicet jam satis constat, ex quinque naturae principiis (pancha — tanmátráńi) procreari quinque naturae elementa (pancha — maháb'hútáńi), et ex his rursus quinque sensuum organa (panchéndriyáńi). Pari modo ex quinque naturae principiis exoriuntur quinque functionum organa (pancha — karméndriyani (vox, pedes, manus, digestionis organa, et secretionis generationisque organa). Horum organorum quinque functiones (pancha — karma) si bona qualitate (guńa) praeditae sunt, homo salvus est; sin vero disturbatae, morbo is implicatur. Itaque homo quinque actionum sive functionum qualitates (bonas) praetergressus ille est, cujus quinque supra dicta functionum organa suas functiones sive munera explere administrareque amplius nequeunt. —

„ — quae sunt in occidentalis maris terris“ etc. (ibid.). Utrum hoc loco vocabulum arńava flumen magnum, an mare significet, non satis clare apparet; probabilius autem denotat occidentale mare, quod terrae adjacent quae proferre possint arbores, adstringentibus salsisque fructibus refertas. Ex hoc loco, si res ita se habeat, iterum efficitur, Suśrutae tempore Indos vetustos illas Indiae partes inter occasum et septentriones sitas incoluisse, nec vero terras Gangem adjacentes, quas illi serioribus temporibus inhabitasse dicuntur. Ex quo simul argumentum iterato sumere liceat, Áyurvédam esse pervetustum. —

Ad Cap. XIV.

(Cfr. Nidán. cap. VII. Tom. I. p. 185.). —

„Octo abdominales intumescentiae antea demonstratae sunt“ etc. (p. 107.). De octo abdominalibus intumescentiis (udara) antea demonstratis cfr. Nidán. cap. VI. Tom. I. p. 185., et adnotationem ad illud caput in hocce fasciculo. —

„Inter illas prima ex quatuor“ etc. (ibid., i. e. intumescentiae tres ex tribus singulis humoribus singulatim corruptis, et quarta intumescentia, ab omnibus humoribus simul corruptis orta, medicamentis curabiles sunt; reliquae vero quatuor, lienis scilicet intumescentia (plíhodara), restrictus anus (baddha — guda, convolvulus, intussusceptio, ileus?), adventitia (laesionibus effecta?) et aquosa intumescentia (dakodara — aquae abdomen = hydrops abdominis, ascites) chronicae (e kála, tempus, et prakarsha, i. e. tempore excusa, infossa) sunt, et scalpellis curantur, aut incurabiles derelinquuntur. — Omnes vero hae intumescentiae aut aëris, aut bilis, aut phlegmatis habent indolem, sicut fere omnes Áyurvédae morbi, quippe qui tribus illis humoribus effecti sint, et ex iis pendeant. Itaque et medendi ratio ubique illos respicit tres humores. —

„Eo enim homo sanus fit, aut in aliam naturam transit“ etc. (p. 108.), i. e his veneno similibus medicamentis homo aut sanari potest, aut in aliam naturam transit, i. e. moritur, et in aliam exsistentiam, in supermundialem regionem transmigrat. —

„ — aut cum Sind'hico Caro carvi commixtum oleum“ etc. (ibid.). Saepissime de plantis ad Sind'hum flumen et in Sind'huica regione nascentibus mentio in Áyurvéda incidit, ex quo probabiliter effici potest, Indos Suśruta florente ex illis sedibus adhuc non emigrasse. —

„Haec est turundarum operatio“ etc. (p. 109.). In alvi retentionibus (ánáha) turundas sive balanos (vartti) jam antiquissimis temporibus fuisse in usu, hoc ex loco apparet. —

„Constricto ano — alvum — indicat“ etc. (p. 110.). Quam audax haec sit operatio, nemo non videt; quibus vero de causis instituebatur, nos in admirationem jure debet traducere. —

„In circumfluo ano (parisráva) pariter etiam medicus extrahat sagittam“ etc. (ibid.). Pro ano lege alvo. Quod pertinet ad reunienda intestinorum vulnera harum formicarum ope, dubitari potest, utrum haec operatio prospere eveniat, nec ne? Ceterum tota haec operandi ratio audacissima est declaranda, et documento esse debet, antiquos Indos fuisse Chirurgiae

peritissimos, sine subtiliori Anatomiae scientia (cfr. Fasc. I. pag. 9. in fin.). —

„Ascite autem affecti hominis" etc. (ibid.). Hoc ex loco intelligi potest, primum abdomen incisum, deinde in hoc vulnus tubum sive fistulam ingestam esse ad derivandam aquam; punctionem autem omnino veteribus Indis fuisse ignotam. — Fistula ad derivandam aquam clare quidem descripta est; sed conjecturale est instrumentum (vríhimuk'ha) ad incidenda abdominis integumenta. —

Ad Cap. XV.

„Nunc vero perturbati embryonis" etc. (p. 111.). Quotuplex sit embryonis perturbatio (múd'hagarb'ha), cerni potest ex Nidán. c. VIII. Tom. I. p. 187. in med. —; cfr. et Fasc. prior. p. 11. — Quam vero difficilis sit embryonis perturbati extractio, et quibus de causis, hoc ex capite comperimus. —

„Idcirco protomedicum consulendo" etc. (ibid.). Vocabulum ad'hipati superiorem (ad'hi) dominum (pati) denotat. Quis vero in medendi arte summus sit dominus, facile est intellectu. Mihi quidem nemo alius, nisi protomedicus esse videtur. Alibi ad'hipati est princeps, penes quem est summa civitatis potestas; imo vero et summus Deus ipse. Si quis igitur Ad'hipatim hoc loco summum Deum (Brahma) esse mavult, qui sit invocandus, equidem hanc sententiam non prorsus impugnabo. —

„Octuplex perturbati embryonis" etc. (ibid.) Parturientis adjutor primum foeti situm inquirat, qui octuplici modo exsistere indicatus est; dein deficiente pariendi facultate, sacrum hunc hymnum (mantra) recitet; tum, foetu non progrediente, medicamenta partum pellentia adhibeat; denique, his rursus nihil proficientibus, ad operationes obstetricias, indicationibus certe oblatis, pergat. —

„Si embryo educi non potest, medicus" etc. (p. 112.). Animo adhuc praeditus, i. e. vivens embryo in utero, neque perforari, nec secari ullo modo debet. —

„Ibi uxorem consolatus, disci mucrone vel cultro digitis prehenso, caput dissecet" etc. (ibid.). Embryonem in utero jam mortuum solummodo medicus perforare, dissecare et indicato modo extrahere debet. — Disci mucro (mańd́alágra) instrumentum ad secandum aptum chirurgicum est, quod disci instar rotundam aciem habuisse videtur; incurvatus culter sive scalpellus etiam fuisse creditur. —

„Piper longum, Piperis longi radicem" etc. (ibid.). Curationem puerperis multiplicem, ut ceteris in morbis ubique, auctor adhibet. —

Ad Çap. XVI.

(Cfr. Nidán. cap. IX. et annotat. ad hoc caput.).

„In his vero insanabilis est illa ex omnibus“ etc. (p. 114.). Utrum haec phlegmone (vidrad'hi) et reliqui ab omnibus tumoribus simul corruptis orti tumores (sarvaja), saepius in Áyurvéda obvii, scirrhi essent veri, qui in cancrum apertum transirent, an simplices tantummodo indurationes et tubercula majora sisterent, diu multumque eo magis dubitavi, quod omnes hae hisque similes extuberationes, variis in corporis partibus sitae, prorsus insanabiles declarantur; singulis vero humoribus corruptis exortae sanabiles indicantur. —

Ad Cap. XVII.

(Cfr. Nidán. c. IX. et X.).

Trium morborum, abscessuum (visarpa), fistularum (nádí) et mammalium morborum (stana — roga) curationes simul in hoc capite componuntur conjunguntur que, quippe quae similitudinem quandam habeant inter se.

„Pustulas (visp'hoťa), corrupta ulcera (dushťa — vraňa), capitis morbos (śírsha — roga) et coctionem faciei (páka — ásyasya)“ etc. (p. 117.). Cur auctor hos morbos huc pertinere credat, intelligi non potest, propterea, quod hi nullam cum illis habere cognationem videantur. — Visp'hota etiam variolas significat, sicut masúriká. — Corrupta ulcera quidem affinitatem quandam habent cum fistulis et malignis abscessibus. —

„Infanti autem planetis vexato“ etc. (ibid.). Graha hoc loco utrum planetam designet, dubitare licet. Mihi nunc vero potius daemonem malignum, ut Pútana etc., quam planetam denotare videtur. Daemones novem maligni enim parvulos vexant daemoniacis sic dictis morbis (cfr. Uttarantr. c. XXVII. — XXXVII. Tom. III. p. 51. — 60.).

„Fistula ex tribus simul corruptis humoribus orta“ etc. (p. 118.). Ut omnes morbi, tribus humoribus simul corruptis orti, sic etiam fistulae tales putantur incurabiles. —

„Fistulam vero a sagitta ortam“ etc. (p. 119.). Possitne fistula laesione per sagittam oriri, quaerere licet; vix possibile esse videtur. Ulcus excavatum quidem, insidente adhuc sagittâ, adesse, nec vero fistula potest. — Curationes has ipsas, ut ubique, nec fusius explicare, nec eas probare, neque laudare et vituperare in animo est. Si quis enim universam medicinalem historiam percurrere conaretur, per omnia saecula aliis morbis alias medendi rationes aliaque ipsa remedia esse adhibita, facile cerni posset. —

Ad Cap. XVIII.

(Cfr. Nidán. cap. XI.).

Omnia pseudoplasmata, sive tumores, sive nodos sistentia, vel aëris, vel bilis, vel phlegmatis naturam habentia, his tribus humoribus convenientem desiderant curandi rationem, quam noster consequenter, sicut in ceteris morbis, indicat. —

De causis, naturis et medendi viis omnium tumorum et pseudoplasmatum non minus usque adhuc recentiores, quam Suśrutas, incerta dant praecepta. —

Ad Cap. XIX.

(Cfr. Nidán. c. XII.).

„Dolorosum scroti augmentum — raphen“ etc. (p. 124.). Sévaní significat in Anatomia omnes suturas; quapropter hoc loco nihil aliud, nisi scroti raphe esse videtur. —

„In scroti augmento adipato“ etc. (p. 125.). Méda — samutt'há, scil. vrĭdd'hi, ad verbum: adipe (telâ cellulosa) exortum scroti augmentum (vrĭdd'hi). Hic morbus aut fungus medularis testiculi, vel tunicae albugineae, cum hydrocele complicatus, aut etiam hydrosarcocele esse videtur, id quod ex hujus morbi chirurgica curatione colligi potest. —

„Ab urina ortum (mútrajá) scroti augmentum“ etc. (ibid.)., i. e. hydocele. Haec operandi methodus non multum differt ab illa circa asciten descripta (cfr. annotat. ad cap. XIV.). „Evitet augmentum ab intestinis ortum“ etc. (ibid.). Interdum hydrocele cum hernia inguinali complicata est, ubi in operando magna cautio est habenda. —

„ — praeceptum de nodo arthritico aëreo“ etc. (ibid.). Vocabulum váta — vrĭdd'hi non arthriticum nodum, sed scroti aëreum augmentum (vid. paulo ante — ab init. hujus cap.) designat, quod ita corrigendum est. —

„Si augmentum in inguine“ etc. (ibid.). Hic tumor non hydrocele, sed hernia inguinalis esse videtur. — Si quis quaereret, utrum mobilis hernia inguinalis, praesertim recens, curari possit cauterio actuali, ut Suśrutas hoc loco praescribit, nec ne, sane non quasi artis imperitus quaereret! Ex quo simul videre licet, quantum munus sit medici historia medicinalis!

„Omnino ob canalis abdominalis“ etc. (ibid.). Márga, via, hoc loco canalis abdominalis esse videtur. Kosa significat ovum, hic vero nihil aliud, ac testiculum designare potest. —

„ — quia tendinum consectio in his immodica est“ (ibid.). Vocabulum snáyu tendinem significare, hic vix est possibile; mihi funiculum spermaticum cum vasis denotare videtur. Imo vero res anatomicas prisci medici minime exploratas habuere, et arterias, venas, nervos tendinesque persaepe confunderunt. —

„In morbis (ulceribus) venereis curabilibus“ (ibid.). Ex hujus morbi curatione ipsa cogi quasi et effici potest, upadanśa esse morbum venereum (cfr. annot. ad Nidán. cap. XII.). Nam sanguinis missio in pene vehementer inflammato, hirudinum applicatio ad bubones (sop'ha), linimentorum mitium etc., carbonatis sodae impurae (sarjjiká), sulphatis cupri (tutt'ha), vitrioli martis (kásísa), et arsenici rubri (manaśila) flavique (haritála) etc. adhibitiones sententiam atque opinionem hanc meam affirmare videntur. —

„In elephantiasi autem ab aëre orta“ etc (p. 127.). Pro perforatum locum lege ordinatum corpus. Cum vero vasti, ut jam ante dictum est, non solum vestem, abdomen et vesicam urinalem, verum etiam clysterem significet, etiam „clysteribus curet (opus aggrediatur) pro pannis circumdet“ verti potest. Nec facile vero hoc loco de ligaturis applicandis post venaesectionem sermo esse potest, quippe quas nullibi Suśrutas, nimirum quod per se intelligantur, nominatim praescribat. Quo fit, ut hic locus sit incertus. —

„Hoc lixivium potabile elephantiasin depellit“ etc. (p. 128.). Cfr. Sútrast'hán. c. XI. Tom. I. p. 29., ubi lixivium (kshára) potabile (pániya) memoratur. —

Ad Cap. XX.

(Cfr. Nidán. c. XIII., et annot. ad illud cap.). —

„Mentagra, hirudinibus medicus curet“ (p. 128.). Ajagalliká (caprae — gena) est impetiginis quaedam forma, quae cum mentagra magnam habet similitudinem, id quod colligi potest ex hujus morbi epithetis: unguinosus (snigd'há), nodosus (grat'hitá); cfr. Nidán. cap. XIII. Tom. I. p. 196. Qua de causa hunc morbum mentagram sine ulla dubitatione appellavi. —

Ceterum curationes horum tuberculorum, pustularum, impetiginum, reliquarum cutanearum eruptionum etc. perdifficilem habent explicatum, propterea quod et ipsa horum morborum natura adhuc jacet in tenebris. Vix enim, aut ne vix quidem, mens nostra horum morborum species imaginesque cogitatione depingere valet. Praeterea omnibus saeculis morbi in cute siti maxime variantur; novi exoriuntur; veteres evanescunt; praesertim vero orientalibus in regionibus, ubi horum morborum vera est patria. —

„Bubonem oblinat“ etc (p. 129.). . Vidáriká non venereum bubonem,

qui sop'ha vocatur, sed quemlibet tumorem, buboni venereo similem, designare videtur. —

„In alopecia" etc. (ibid.). Qua de causa alopecia (indralupta) hoc loco tractetur, non facile est intellectu, nisi forte suspicari velimus, hunc morbum morbos cutis impetiginosos quosdam esse secutum; id quod etiam fit probabile ac intelligi potest ex medicaminibus, quae huic morbo adhibentur, inter quae scilicet arsenicum, vitriolum martis et vitriolum caeruleum in unguentis memorantur. —

„Ad juvenum papulas praecipue" etc. (p. 130,). Piḍaká non variolas, sed alias papulas pustulasve significat; fortasse rubeolas potius, quam morbillos. Ex emeticorum usu colligi potest, illas fuisse cum statu bilioso complicatas. —

„Praeputii recessionem (paraphimosin)" etc. (ibid.). Unguenta oleosa et praeputii emphysema pellentia adhiberi, et leni reductione glandis, et praeputii protractione rem noster vult absolvi, quod vero non semper fieri potest; saepissime igitur chirurgica operatio desideratur. Pari modo etiam in phimosi res se habet. —

„Ani praeclusioni adhibenda est phimoseos curatio" (p. 131.). Si ani praeclusio (nirudd'ha — guda) phimoseos in modum sit curanda, ea non esse potest completa, sed foramen quoddam adesse necesse est, cui fistulae sensim crassiores ingerantur. —

„Atrophia infantilis Ahipútana" etc. (ibid.). Ahipútana est sive prurigo, sive porigo in infantium ano cum ulceribus complicata, quae atrophiam phthisinque adfert. Maligni daemones Ahi et Pútana hunc morbum parvulis adferunt. —

„In ani prolapsu" etc. (ibid.). Chirurgica hujus morbi curandi via digna est, quae et nostris temporibus adhibeatur. —

Ad Cap. XXI.

(Cfr. Nidán. c. XIV. Tom. I. p. 199.).

Śúka omnia acuta corpuscula, seu spicula, seu spinas, seu aculeos cujuslibet generis significat, nec vero sagittas, quas śalya vocant. —

„ — ut nodum arthriticum phlegmaticum" etc. (p. 132.). Cfr. Tom. II. p. 121. —

„Ophthalmiam hirudinibus tollat" etc. (ibid.). Est discrimen inter hanc ophthalmiam (alají), et obcaecantem ophthalmiam (and'ha alají) hoc, ut alají simplicem oculi inflammationem aculeis ortam, and'hálají vero pannum oculorum cum inflammatione complicatum denotet, qui tunicis oculorum adhaereat, visumque impediat; qui vero cum ungue oculorum non sit confundendus. —

Ad Cap. XXII.

(Cfr. Nidán. c. XVI.).

„Quadruplici unguento, cum cera composito“ etc. (p. 133.). Quadruplex unguentum, i. e. tollens aërem, bilem, phlegma et hos humores simul corruptos; cfr. Sútrasth. c. XXXVI. Tom. I. p. 86. in fin., et p. 87. ab init., ubi tria priora unguenta tumores a singulis humoribus corruptis ortos, quartum vero tumores a tribus humoribus simul corruptis ortos delere dicuntur. Haec vero unguenta, mitigandi causâ, cum cera sunt conjungenda. —

„ — Śálvanum in emplastro adhibeat“ etc. (ibid.). Śálvana, a septentrionali Indiae regione Śalva sic dictum oleum, sive unguentum, sive jusculum, sive emplastrum, saepius in Áyurvéda obvium, cfr. Tom. II. p. 76. et 107. — Tom. III. p. 13. et alibi. —

„Capitis purgatio, fumigium, — nasale remedium,“ vid. Chikits. cap. XL. et annot. ad hoc cap. —

„Quinque salia et lixivium cum melle sunt remedium“ (ibid.). Ad verbum: cum quinque salibus et melle (compositum) lixivium. Cfr. Sútrasthán. c. XLII. Tom. I. p. 106. sub salina classe, et cap. XLVI. p. 152. sub salium classe, ubi plura memorantur salia. Hoc loco autem intelligi videntur sal fossile, sal marinum, murias sodae impurae, sal culinarium et natron, quae nobis saepissime in Áyurvéda sunt obvia. —

„Omnium labii, gingivae, alveoli, dentium, linguae, palati, gutturis etc. morborum curatio hic ita dilucide est indicata, ut nihil ad hunc locum illustrandum addi possit. —

Ad Cap. XXIII.

De generalibus intumescentiis (sop'ha), certam sedem non habentibus, hic agitur. Saepius quidem auctor de variis tumoribus, e. g. arthriticis, venereis, indoloribus, haemorrhoidalibus, scrophulosis, tuberculosis, aliisque pseudoplasmatibus, in certis corporis partibus exortis, uberius disseruit; nunc vero de generalibus intumescentiis, quibus primitus nulla degenratio, nulla massa quasi pseudorganica subest, quae et non certam corporis habent sedem. —

„Sextuplex intumescentia est; in artubus“ etc. (p. 138.). Hic locus multo aliter est interpretandus. Ad verbum: „Sextuplex in membris (variis corporis partibus) orta intumescentia relata est quoad symptomata et cura-

tiones; universalis (sarvasara = quoquoversus procedens) autem quintuplex est hoc modo: ab aëre, bile, phlegmate, tribus humoribus simul corruptis et a veneno orta. Sensus est: Antehac noster de singulorum sex corporis membrorum, scil. quatuor extremitatum, capitis et trunci (cfr. Śárir. c. V.) tumoribus sextuplicis generis disseruit; nunc vero generalem intumescentiam (sop'ha), quae quintuplex est ex quinque relatis suis causis (aëre, bile, phlegmate etc.), quae vero ob generalem indolem in qualibet corporis parte oriri potest, brevius tractat. —

Ad Cap. XXIV.

Quas sanus homo, qui adhuc bene valet, vitae rationes ab ineunte aetate suscipere, quomodo is quotidie vivere, quas res vitare aut adhibere debeat, conspicuo hoc in conspectu auctor ponit; quae omnia vero, uti orientalibus omnino est mos, tractat uberius fusiusque, quam quae ampliorem requirant explicationem, quippe qui res minimi momenti, e. g. dentiscalpii usum, scipionis gestationem, muscarium flagellum, flabellum, coitus circumstantias etc. religiosissime quasi commemorat. Nullum omnino momentum, quod quidem ad recte vivendi viam pertinet, praeteriisse Suśrutas videtur. Haec vero praescripta, de Diaeta data, priscis Indis in religionem venere; religione igitur ad ea servanda obstricti fuere. —

Ad Cap. XXV.

Hoc caput nihil habet, quod difficile sit explicatu. —

Ad Cap. XXVI.

De aphrodisiacis (vájíkarańa), sive Veneris oestum excitantibus medicaminibus hic agitur Orientalium more. Quae vero veteres omnino de suis medicaminibus, amatorium stimulum efficientibus, referunt, magis fabulae, quam veritati convenit, nimirum cum specifica nulla, neque illis, nec nostris, praesto sint. —

Ad Cap. XXVII. — XXX.

„Nunc vero omnium morborum sedativum elixirium“ etc. (p. 152.).
Vocabulum rasáyana (elixirium) in his quatuor capitibus fere illum

Chymicorum habet sensum. In Áyurvéda enim „elixirium vitae" est medicamentum admirabile, quod vitam conservet et multos pellat morbos. Itaque medicamentum praecipuum significat, ex optimis ingredientibus substantiis compositum. —

„Impuro corpori non utile est" etc. (p. 152.). Impuro corpori alvum moventia antea sunt danda; dein elixirium, propterea, quod impurum corpus elixiria non assimilat, sicut sordida vestis colore fucari nequit. —

„Eorum praeservationem (prophyllaxin)" etc. (ibid.). Vox várańa latius patet, quam praeservatio sive prophyllaxis; nam significat non modo sanitatis tutelam, verum quoque imminentis morbi impedimentum (a radice vri, impedire). —

„Aqua frigida, lac, mel et butyrum" etc. (ibid.). Post composita insere antea. Sensus est: Prius, quam cibi vel medicamenta sumuntur, haec praeservativa sunt sumenda. —

„ — affectuum impetum (rajas) et obscuritatem (tamas)" etc. (ibid.). Quamquam naturae qualitates (guńa), satva, rajas et tamas, supra jam explicatae inde a mundi creatione usque ad naturae interitum (pralaya) se extendunt, ita, ut ab initio rerum mundus fuerit perfectus (satva), deinde in pejorem transierit statum (rajas), denique in pessimam (tamas) conditionem, et interitum (pralaya) transgressurus sit; attamen omnibus temporibus et homines et reliquae creaturae has naturae qualitates vel anticipare, vel posticipare possunt; quo fit, ut e. g. in rajas sic dicta mundi indole homo unus aut alter perfectam qualitatem (satva) assequi aut etiam in pessimam (tamas) delabi queat. De his qualitatibus cfr. etiam Fasc. I. p. 18., et annot. ad Sútrasth. c. XXIV. —

„ — in Bútis et Grahis aliisque magnis morbis" etc. (p. 155.). Morbos a malignis daemonibus allatos vid. in Uttaratantra, c. XXVII. — XXXVII. Tom. III. p. 51 — 60. —

„ — tum cognitio Védáńgae" etc. (p. 156.). De Śikshá refert Wilson in Lex. Sanscrit.: One of the six Védáńgas or sciences attached to the Védas etc. —

„ — tripes carmen mysticum (Gáyatri)" (ibid.). Sublime illud et sanctum carmen, a Viśvámitra, Suśrutae patre, revelatum, cfr. Fasc. I. pag. 1. —

„Nunc vero propriae naturae morbis" etc. (p. 157.). Qui sint morbi, a propria natura (svab'háva) orti, vid. Sútrast'hán. c. XXIV. —

„Brahma — Asclepiadem acidam (soma) decrepitudinis mortisque delendae" etc. (ibid.). Ex hoc loco intelligi potest, priscis Indis jam nota fuisse non solum genera, verum etiam species varietasque plantarum. Quas vero herbas omnes generi Asclepiadum noster adnumerat, sane aliis plantarum generibus partim inserendae esse videntur.

„Gáyatri, Trishťub'h, Panktae, Jágatae et Śánkarae“ etc. (ibid.). Haec sunt nomina versuum, quibusdam carminibus propriorum. Quoniam vero hi versus et carmina quasdam sistunt formas ex eorum vario numero et longitudine, quaedam plantae herbaeque et earum ramuli illis non dissimiles esse dicuntur. —

Sub quibus curiosis conditionibus; et quanta cum superstitione elixiria vitae de Asclepiadis acidae varietatibus parata adhibenda sint, Suśrutas accuratissime, ut Orientalium utique est mos, describit. —

„Harum vero sesquitertiae Mushťi pro dosi dentur“ etc. (p. 159.). Mushťi est pondus pharmaceuticum, Palae aequale, et continet tantam herbarum quantitatem, quanta manu clausa potest capi. —

„— in Himavate, in Arvuda, Sahya, Mahéndra, Malaya —, in Káśmíris“ etc. (p. 159 — 160). Ex his nominibus geographicis rursus intelligi potest, Indos tempore Suśrutae septentrionalem Indiae regionem adhuc incoluisse; ex quo denuo Áyurvédae ejusque auctoris vetustatem, ut supra identidem, colligere possumus. —

„ — has herbas medicamentosas“ etc. (p. 160.), i. e. Asclepiadis acidae viginti quatuor varietates, in capite XXIX. enumeratae, et duodeviginti in hoc cap. XXX. demonstratae herbae, Asclepiadi acidae aequalem vim habentes. —

„Śvétakápotí, Krĭsńakápotí, Gonasí“ etc. (ibid.). Has plantas, adhuc quidem inexplicatas, sed ex descriptionibus paulo post subsequentibus fortasse explicabiles, rei herbariae peritis reliqui explicandas. —

„ — quae Rakshas (daemones) occidunt“ etc. (p. 161.), i. e. morbos a Rakshis adlatos (morbos daemoniacos) depellunt. —

Ceterum tantam occasionem ad antiquissimae Indiae Geographiam accuratius explicandam explanandamque hic et alibi in Áyurvéda oblatam, tacitus praeterire non possum. —

Ad Cap. XXXI.

De pinguibus oleisque parandis in hoc capite, de ponderibus pharmaceuticis, et de horum usu fusius agitur, contraindicationibus ubique datis. — Haec farrago materiarum, ex quibus pinguia sint conficienda, nihil memoratu dignum offert. — Pondera pharmaceutica vero jam antehac duabus Tabulis (vid. Tab. I. et II. in fin. Tom. II.) in claro posui conspectu. —

Ad Cap. XXXII.

Sudor (svéda) quatuor modis elicitur: aut sicco calore, ut sudor ex calefactione, e. g. per fornaces, vestes etc.; vel vaporatione, ut sudor ex calidis fomentationibus; vel inunctione calefacientium unguentorum; vel balneo de variis calefacientibus substantiis parato. — Has varias sudoris ciendi rationes, sive universo corpori, sive singulis ejus partibus adhibendas, et multiplices sudoriferas substantias earumque indicationes fusius uberiusque edisserit auctor, quippe qui sudorem maximi esse momenti suo tempore elicitum recte credat. —

„ — in sacra scriptura (śástra) indicabimus" etc. (p. 169.), i. e. in hoc Áyurvéda, in sacrorum scriptorum canonem recepto. —

„Anthydroticam quoque omnem methodum" etc. (p. 170.), i. e. quae profusos sudores restringere potest. Hunc sensum hoc loco vocabulum anab'hishyandi (non liquefaciens) habet. —

Ad Cap. XXXIII.

De vomitu (vamana) et alvi purgatione (viréchana) in hoc capite agitur

„Comminuti humores augendi sunt" etc. (p. 171.). Plurimos morbos ab alienatis humoribus oriri, affatim ex Áyurvéda apparet. Idcirco maxima illorum ratio est habenda: si sunt comminuti, augendi; si irritati, placandi; si corrupti vel acuti, extrahendi sunt. Tres igitur primariae medendi rationes apud Suśrutam inveniuntur: methodus additiva, sedativa et eductiva. Aequales humores, i. e. recte se habentes, sunt servandi, id quod docet Diaetetice, sive ea medicinae pars, quae victu medetur, et prophyllaxis, sive ea pars, quae a morbis praeservat. Hoc igitur est fundamentum, sive therapiae absolutus finis (sidd'hánta), Suśruta auctore. Inprimis vero alvi ductionem et vomitum noster maxime respicit tanquam summum methodorum, materias nocivas educentium; atque omnes alvi ductionis vomitusque indicationes et contraindicationes accurate cauteque exponit. —

„ — qui dulci aqua (urina) affecti sunt" etc. (p. 172.). Ambu (aqua) hoc loco urinam denotare, plane apparet ex suo epitheto mad'hu, dulcis. Illi igitur, qui diabeta mellito laboret, emeticum esse dandum noster admonet. —

Ad Cap. XXXIV.

Haec antecedentis capitis est continuatio, in qua Suśrutas de variis difficultatibus, ex perversa emeticorum purgativorumque adhibitione exortis, et de praecautionibus ac justis indicationibus horum remediorum subtiliter et copiose disserit. —

Ad Cap. XXXV — XXXVIII.

In his capitibus longe, lateque de clysteribus (vasti) clysmatibusque agitur. Quam vetus sit clysterum usus in medicina, facile hic cerni potest. Quum vero antiqui Indi in arte mechanica nondum ad altum eruditionis gradum pervenissent, imperfectus modo esse potuit eorum clyster (instrumentum), quippe qui omni fere notitia aëris comprimendi extendendique, i. e. antliae doctrina, privati fuisse videantur. Praeterea haec clysteris structura, quamvis imperfecta, facilis tamen est intellectu ex hac solerte ejus partium descriptione. — Indicationes porro, contraindicationes, praecautiones, applicandi viae et rationes, pariterque materiae clysmatum sive evacuantium, sive restaurantium, ita in his quatuor capitibus sunt definitae, ut medicinae systema, in Áyurvéda depositum, revera postulat; quo etiam factum est, ut nihil prorsus habeam, quod ad haec illustranda addere possim. —

„Udichya“ etc. (p. 188.), i. e. regio Indiae septentrionalis. —

„Protinus de clystere superiori“ etc. (p. 191.). De clysteribus ad fluida per urethram in vesicam urinalem injicienda, i. e. de tubulis sive siphonibus injectionalibus hic disseritur. —

Ad Cap. XXXIX.

„Nunc vero aegroti phaenomenorum“ etc. (p. 200.). Non tam de morborum phaenomenis (upadrava) in genere, quam de quibusdam symptomatibus, nimiam evacuationem et perversam vitae rationem sequentibus, et quomodo post haec restauratio per alimenta etc. sit efficienda, hoc loco non imperite tractatur. —

Ad Cap. XL.

Hoc caput omnino memoratu dignum est, quod rationes medicamentorum corpori applicandorum affert, quae reliquae antiquitati ignotae esse videntur.

Inprimis vero non modo via, per quam, sed quoque forma, in qua quaedam remedia quibusdam in morbis adhibeantur, sane est notanda. Forma enim fumi medicamentosi ore ducondi veteribus Indis saltem propria esse videtur. Etiam ratio viaque medicaminum per nares applicandorum, quae hic quidem apparet, reliquis gentibus priscis certe est inaudita. —

Si quis hanc Suśrutae Therapiam (Chikitsitast'hána) obiter tantummodo legerit, quaerere poterit, quid utilitatis sit in ea? — Si etiam medicina facienda minores ex illa percipere poterit fructus, — id quod vero adhuc minime constat, — attamen historia, nuntia vetustatis, quam plurimos maximosque ex ea certe percipiet!

Annotationes

ad

Tomum secundum.

V. Ad Kalpast'hánam (p. 209 — 248.).

Kalpast'hána, i. e. doctrina venenorum et antidotorum, sive Toxicologia, sensu latiori. — Tam copiosa, quam ambigua sunt multa venenorum genera hic enumerata. Certe enim, ut in omnibus coeli plagis australibus, sic quoque in India venenorum genera, ex tribus naturae regnis oriunda, latius, quam in nostris terrae regionibus, patent. — Alexander ille magnus jam agnovit praestantiam Indicorum medicorum in curandis passionibus a venenato morsu serpentum effectis, illosque suis medicis Graecis anteposuit (cfr. Arrian. hist. Indic. cap. XV.). —

Ad Cap. I.

„Quia hominum mens" etc. (p. 211.), i. e. quia hominum mens et animus inconstans est, hominesque jussa et vetita non sponte servant, idcirco, servandae justitiae causâ, reges semper esse debent constituti. —

„Culinarii gestatores sint Saupaudanici et Paupici" etc. (ibid.), i. e. qui septentrionales, ut opinor, Indiae regiones inhabitavere, et animo fideli in reges fuere. —

„Gestuum gnarus sapiens medicus" etc. (p. 212.). Maleficorum gestus hoc loco commemorati certe indicant, quam simplices adhuc fuerint illis temporibus homines, qui sua crimina tam manifestis signis proderent. Illos tamen summe versutos astutosque veneficos fuisse, pari modo hic apparet. —

„Cibo ignibus devorato" etc. (ibid.). Verte sic: „Cibo ignibus devorato, valde dividitur (frustulum), pavonis jugulo simile difficileque fit ad perferendum; fissa flamma et acer fumus non diu cessant (mox apparent)." —

„Perdicis rufae (chakora) oculorum vacuitas a desiderio" etc. (ibid.), i. e mors oritur, quae vacuat ab omnibus mundanis affectibus (vairágya). —

„Ibi nasale remedium" etc. (ibid.); quid sit, cfr. Chikits. c. XL. —

„ — cruditatis sedem ingressa" etc. (ibid.), — coctionis sedem ingressa" etc. (p. 213.). Quae sint hae sedes, etsi indentidem jam expositum est, nunc tamen rursus ad Sútrast'hán. c. XXI. relego. —

„ — atque exhilaratio Mágad'hanica" etc. (p. 214.). Vocabulum Magad'ha denotat regionem Indicam, hodie Behar vocatam; Mágad'hás hujus regionis incolae sunt appellati, in quibus cantores (bardi) exstiterunt, qui res gestas regum et nomina majorum suorum carminibus celebrabant, quibus maxime gaudebant auditores; — inde Mágad'hanica exhilaratio. —

Ad Cap. II. et III.

„Duplex venenum dicitur: stabile et mobile" etc. (p. 215.). Corporum naturalium generali divisioni (cfr. Sútrast'hán. c. I. Tom. I. p. 3 — 4.) convenit specialis haec venenorum (visha) partitio. Stabile (st'hávara) igitur venenum e regno vegetabilium et mineralium rerum; mobile (jangama) autem e regno animalium exoritur. Illa venena noster in singulas classes, ordines, genera et species in his duobus capitibus distribuit. — Multa vero corpora naturalia, quae venenis ibi adscribuntur, semper quidem in tenebris jacebunt, nisi quis naturae scrutator, simul Sanskrĭtae peritus, ea e caligine in lucem vocarit. — De venenorum tamen naturis effectisque, de veneficii symptomatibus stadiisque morbosis, et de antidotis eorumque usu, generatim quidem, sed ita plane fuseque auctor disserit, ut ampliorem explicationem laborem supervacuum habere possim. —

„ — in constellatione Yámyae cum patre" etc. (p. 222.), i. e. in secunda lunari constellatione, quae suam explicationem habet in Mythologia Indica. —

Ad Cap. IV.

„ — reliqui terram sustinentes serpentum dominatores“ etc. (p. 222.). Multi serpentes (sarpa) mythologicum habent sensum, id quod hoc loco denotandum est. — Serpentes nonnullos ita noster depinxit, ut quisque non mediocris eorum aestimator fortasse illos posset recognoscere. —

„Kshatriyae appellati serpentes“ etc. (p. 224.). Kshatriyae significant homines secundi ordinis, sive regiae militarisque tribus, quibuscum hi serpentes comparantur. —

„Vaiśyae vocati sunt“ etc (ibid.). Vaiśyae sunt homines tertii ordinis, sive agricolarum et mercatorum tribus. — Súdrae sunt homines quarti ordinis, sive infimae tribus, quae servos et opifices comprehendit. Serpentes igitur cum illis hominum tribubus conferuntur. —

„ — aërem diffusum (per universum corpus) valde irritat“ etc. (p. 226.). Vyána (aër diffusus) quid sit, vid. Nidán. c. I. Tom. I. p. 170. —

Quae septem segmenta in corporalium elementorum (d'hatu) intervallis“ etc. (p. 227.). Kalá, segmenta corporis, i. e. intervalla inter chylum, sanguinem, carnem, telam cellulosam, adipem, ossa, medullam et semen virile, quae sunt corporis elementa, supra jam identidem demonstrata. — Haec vero septem segmenta duntaxat imaginaria sunt ita, ut intervalla inter illa singula corporis elementa fingantur. Sensus hujus loci est: Si venenum chylum est transgressum, sanguinem invadit; tum carmen, deinde telam cellulosam, deinceps adipem etc. —

„Quo intervallo autem segmenti actio segmentum findit“ etc. (ibid.). Pro „segmenti actio“ lege „temporis (kála) actio“. Sensus est: temporis intervallum, quo venenum ex uno corporis elemento in aliud transit, paroxysmorum intervallum appellatur. —

Ad Cap. V.

„Ab initio super morsum omnium serpentum“ etc. (p. 227.). Sapindus saponaria et Cassia fistula super omnia vulnera morsibus serpentum inflicta sunt superimponendae, tanquam specifica antidota; paulo post vero tres hae curandi rationes illis vulneribus sunt adhibendae: vulneris dissectio, exustio (cauterium actuale) et potatio antidotorum. Reliquae speciales curationes suis locis indicantur. —

„A Diis et Brahmarshis“ etc. (p. 228.). Brahmarshis est Brahmanicus sapiens sanctusque divinus, qui Deorum naturae particeps quasi est habitus. —

„ — sed corrupti quoad accentuum colores“ etc. (ibid.). Sacer hymnus (mantra) instructus fuit coloratis accentibus, quibus congruenter veteres Indi illum recitabant, vel canebant. —

„ — olei piscium“ (p. 230.), i. e. adeps piscium fluidus. —

Ad Cap. VI.

„Qui mures, seminalibus venenis instructi“ etc. (p. 233.). De vocabulo múshika mihi dubium non est, quin murem significet, propterea, quoniam id nullibi in lexicis aliud animal designet; — etsi sit difficile intellectu, mures venenatum habere semen. —

Ut in serpentum morsibus, sic quoque in murium laesionibus vulnus secandum, urendum inungendumque est, et antidota adhibenda sunt. —

„Canis aurei, canis, hyaenae“ etc. (p. 235.). Hydrophobum (jalatrása) jam priscis Indiae gentibus fuisse notum, eosque symptomata rabiei ceu delirii a morsu canis rabidi, vel aliorum similium brutorum rabidorum, oborti, penitus cognovisse, satis clare hoc ex loco intelligi potest. Illis jam temporibus vulnus morsibus rabidarum bestiarum inflictum exurebatur. Nec vero curandae hydrophobiae deesse sacros hymnos (mantra) licebat. —

Ad Cap. VII.

Mirum in modum hoc loco quoddam lixivium, ex diversissimis substantiis paratum describitur, quo tympana (dundub'hi), vexilla (patáká) et portae (toraṅa) illinantur ad venenum auditu, visu et tactu depellendum. — Alia quoque remedia, quae sint veneficio aliisque morbis praesidia, hic enumerantur. —

Ad Cap. VIII.

„Nunc vero vermium antidota“ etc. (p. 239.). Vis Sanskṛ̆tae voci kíṫa subjecta latissime patet, nimirum quod non solum vermes et insecta, sed etiam omnia animalia inde a protozoois usque ad amphibia denotat. —

„Kumb'hi (elephantinus)“ etc. (p. 239.). Sequentium insectorum etc. nomina, quae quidem in lexicis non sunt obvia, Sanskṛ̆te exscripsi, etymologicam significationem, quantum potui, inserens. —

„ — duae Curcumae“ etc. (p. 242.). Etsi plures Curcumae species in Áyurvéda nobis occurunt, attamen duae Curcumae, alibi etiam in

hoc opere sic citatae, propter earum similitudinem, significare videntur Curcumam longam et Curcumam zerumbet. —

„Viśvámitras, regum excellentissimus" etc. (p. 245.). Non confundendus est hic Viśvámitras cum illo in Védis obvio, Suśrutae patre. Neque enim D'hanvantaris priscam traditionem (puráńam) de Suśrutae patre potest memorare! —

„Morsus hominis, a corvi ovo morsi" etc. (p. 247.). Pro „a corvi ovo" lege „a Kákańd́aka." Sensus est: morsus in homine a Kákańd́aka (sic dicta aranea) morso etc.

„ — anulorum injectio salubris" etc. (ibid.). Karńiká saepissimae quidem significat anulum, inaurem, quam significationem in mea interpretatione retinui, quia anuli insertio in tale vulnus salubris esse potest; sed hujus vocis metaphorice adhibita significatio, anulus vulnerarius (margo), i. e. anulus lividus venenata vulnera circumdans, probabilior nunc mihi apparet, propterea, quod hujus anuli deminutio et delapsus (pátana) salubris (hita) est. —

„Centum et viginti capita distribute" etc. (p. 248.), i. e. 46. capita continet Sútrast'hána, 16. capita Śárírast'hána, 40. capita Chikitsitast'hána, et 8. capita Kalpast'hána. Kalpast'hána igitur primores Áyurvédae libros concludit. —

Annotationes

ad

Tomum tertium.

VI. Ad Uttaratantram (p. 1—170.).

Uttaratantra (ab uttara, posterior, subsequens, praestantior, superior, — et tantra, tractatus, doctrina etc.), ultimus tractatus, qui et praestantissimus designatur (cfr. Sútrast'hán. c I. in fin., Tom. I. p. 4.; Uttaratantr. c. I. Tom. III. p. 1.), additicius liber seu appendix Áyurvédae est. Nam quinque libri tantummodo, centum viginti capita (ad'hyáya) comprehentes, aliis quoque Áyurvédae locis commemorantur (cfr. Sútrast'hán. c. I. Tom. I. p. 4.; — ibid. cap. III. p. 6. — Kalpast'hán. c. VIII. Tom II. p. 248. ab init.). —

Hic ultimus Áyurvédae liber omnes morbos, in superioribus quinque libris non tractatos, complectitur, praesertim vero oculorum, aurium, narium, capitis morbos, daemoniacas passiones, febres, diarrhoeas, consumtiones, indurationes glandularum internarum, cordis morbos, icterum, verminationem, ileum, ischuriam, epilepsiam etc. —

„In centesimo vicesimo capite" etc. (p. 1.); cfr. Tom. II. p. 248. ab init. —

„ — nunc hanc tractabo doctrinam ultimam (uttara) praestantissimamque (uttamam)“ etc. (ibid.). Disserendi tractandique ordo hujus libri minime a superioribus Áyurvédae libris abhorret; qua de causa etiam hic liber eidem auctori adscribendus esse videtur, etsi ab auctore ipso ultimus (uttara) est vocatus —

„ — a Vidéhae rege memorati“ etc. (ibid.). Vidéha, regio antiquae Indiae, inter septentriones et orientem sita. — Vidéhae rex est D'hanvantaris — P. 1. lin. 14. pro mantrae lege tantrae. —

„ — morbos in praestantissimo membro (oculo) exortos“ etc. (ibid.). Hic incipit Ophthalmologia Áyurvédica, quae diligentissime est tractata latiusque patet, quam in aliis antiquitatis operibus. —

„ — oculi bulbum duos pollices amplum“ etc. (ibid.). Nayanabudbuda sive nétra — budbuda bulbum oculi sine ulla dubitatione designat. Hic bulbus omnium rerum qualitates, i. e. quinque elementa naturae amplectitur. —

„Caro ejus ex terra“ etc. (ibid.). Caro, i. e. sex musculi, bulbum quoquoversus moventes. — Albuginea (śukla, sita), scil. tunica sclerotica cum conjunctiva. — Nigror seu niger orbis, i. e. cornea (kr̆ishńa). — Dr̆ishti non solum visum, verum etiam, ut hoc loco, pupillam significat. —

„Orbes (mańdala) quinque“ etc. (ibid.). Hi quinque orbes incipiunt a ciliis (pakshma), et desinunt in pupillam. — Haec oculorum descriptio, quamvis rudis et imperfecta, perspicua tamen, et observatione diuturna summaque veritate fundata apparet. —

„Ibi causam aggrediatur“ etc. (p. 2.). Hoc ex loco, et sexcentis ex aliis sane potest cerni, auctorem commendasse indicationem causalem, hancque symptomaticae indicationi praeposuisse. —

„Post introitum in aquam“ etc. (ibid.). Sequitur enumeratio morborum in oculis sitorum, ex aëre, bile, phlegmate, et ex his tribus humoribus simul corruptis exortorum. —

„Morbi duo extrinsecus orti“ etc. (p. 3.). Morbus extrinsecus ortus (váhyaja), causâque praeditus, i. e. causam habens (sanimitta), non exortus est ex humoribus corruptis, sed ex causis externis; — morbus vero extrinsecus ortus, sed causâ privatus (animitta), a Diis etc. incussus est (cfr. infr. p. 11. in fin.).

Ad Cap. II.

„ — morbos a compagibus oculorum profectos“ etc. (p. 4.). Compages (sand'hi), (quae et quot sint, vid. supr. c. 1. p. 2.) multis affectae esse possunt morbis. —

„Verminosum nodum“ etc. (ibid.). Dubium non est, quin ex talibus nodis exoriri possint vermiculi, praesertim in meridianis plagis. —

Ad Cap. III. — VII.

Palpebrarum (vartma), conjunctivae scleroticaeque (śukla), nigrae partis, i. e. corneae (krĭshńa), totius oculi (sarvagata) et pupillae (drĭshṫi) morbi in quinque sequentibus capitibus planissime definitionibus sunt explicati, ita, ut nostris quoque temporibus magna quidem ex parte recognosci possint, siquidem temporum, regionum aliarumque circumstantiarum reddere velis rationem. —

„ — carnis hypertrophiam“ etc. (p. 6.). Ad'hika — mánsa, ad verbum: superjecta (immodica, supernata) caro. Quum vero hypertrophia plane hanc significationem reddat, eam retinui. —

„ — oculi interitum per coctionem“ etc. (p. 7.). Oculi (akshi) coctio (páka) nihil aliud est, nisi vehemens ophthalmia, quae in suppurationem exit, qua oculus interit. —

„Perdere valet visum post septem noctes“ etc. (p 8.). Assiduus fere loquendi usus in lingua Sanskrĭta est, noctes (rátra) pro dies (ahan) usurpare; — intellige hoc loco ahorátra, i. e diem et noctem. —

„ — si in prima pupillae tunica collocatus est“ etc. (p. 9.). Quatuor tunicae (paṫala) auctore nostro circumdant pupillam, id quod a veritate haud longe aberrat. —

„Śakrae (Indrae) arcum“ etc. (p. 10.) Śakra — chápa, Indrae Dei arcus horribilis est. — Pro „splendidum nervum“ lege „fulmina (taḋit) et arcus nervum“. —

Porro hic intrinsecus orti duo morbi“ etc. (p. 11.). Pro intrinsecus lege extrinsecus (cfr. supra, Tom. III. p. 3., et annot. ad illum locum). —

Ad Cap. VIII.

Primis lineis solummodo noster hoc loco designat therapiam generalem morborum in oculis ortorum. —

„ — duo adventicii sic dicti“ etc. (p. 12.). Adventicii (ágantu) morbi, i. e. extrinsecus orti (váhyaja) morbi (cfr. Tom. III. p. 3., et annot. ad illum locum.). —

„sex guttae serenae, quae jam sunt demonstratae“ etc. (ibid.), i. e. quatuor in pupilla sitae, et duae extrinsecus ortae (cfr. cap. anteced.). —

Ad Cap. IX. — XIX.

Nono ab hoc capite noster singulas oculorum curationes tractare incipit, qua de operis parte ita subtiliter et copiose disserit, ut haec doctrina non minus subtilis, quam diffusa, postulat. Singulas quidem curandi rationes his in capitibus expositas persequi in mentem mihi venire non potest; difficiliores tamen quosdam locos, quam qui per se intelligi possint, enodare conabor. —

„Aggrediatur clysteribus oculos“ etc. (p. 13). Vasti vocabuli variae significationes jam identidem sunt a me explicatae; hoc loco vasti denotat clysterem. Hic oculorum morbus (ab'hishyanda) ophthalmia rheumatica esse videtur. Venaesectionem, clysteres, mites inunctiones etc. noster commendat. —

„Śálvańieis jusculis et emplastris“ etc. (ibid.), i. e. quae ex Indiae regione Śalva dicta apportantur. Cfr. Chikits. c. XXII. Tom. II. p. 133, et annot. ad illum locum; et alibi. —

Oleosus in vase coctus fumus“ etc. (ibid.), i. e. oleosus (snaihika) vapor (d'húma). Puta hoc loco vas operculatum quoddam significare necesse est. Alibi et pateram denotat. —

„Si morbus et aër alibi sunt“ etc. (ibid.). Morbus, ab aëre organico ortus, ab aëris sede ipsa remotus esse potest. Sin vero aër circumvagus ceu morbi causa non tollitur, morbus curari non potest. —

„In bilis destillatione biliosaque agitatione“ etc. (p. 14.). Ad'himant'ha designat agitationem, conquassationem oculi (cfr. Tom III. p. 8., ubi identidem haec commotio memorata est.) Haec quassatio oculi etiam in phlegmatica et sanguinosa ophthalmia locum habet (cfr. infr. cap. IX., et cap. X. init.). —

„ — profluviumque sanguinis delapsusque efficienda sunt“ etc. (ibid.), i. e. sanguinis missio et sanguinis destillatio (srańsa) per scarificationem (?) desideratur. —

„In vitio sub margarita sito“ etc. (p. 15.). Margarita (śukti) qualem oculorum morbum denotat, vid. supr. c. IV. Tom. III. p. 6.).

„Destillationis agitationisque methodum“ etc. (p. 16). Ex hoc loco colligi potest, maximam in omnibus ophthalmiis rationem destillationis (ab'-

hishyanda) et agitationis sive conquassationis (ad'himant'ha) esse habendam.

„In vasorum elatione" etc. (p. 17.). Siráharsha vasorum elationem, editionem, erectionem, evolutionem, hoc loco significat, propterea, quod de sanguineis affectionibus, sive de inflammatoriis oculorum passionibus sermo est. —

„ — inflammationi albugineae" etc. (p. 18.), i. e. scleroticae vel conjunctivae (cfr. sup. cap. IV. Tom. III. p. 6.). —

„ — classis medicamentorum sedativa" etc. (p. 18). Cfr. Sútrast'hán. c. XXXIX. Tom. I. p. 97. —

„ — in morbo duas (oculi) tunicas aggresso (dvi — tvag — gata)" etc. (ibid.). Cfr. supr. cap. VII. Tom. III. p. 9 — 10.). —

„Novem morbi sunt demonstrati" etc. p. 20.). Cfr. c. VIII. p. 12. in med.). — Omnis oculorum morbus, excrescentias sanguine impletas sistens, scarificandus est. Quam subtiliter, quantaque praecautione haec operatio sit instituenda, auctor docet. —

„Scarificet disci mucrone" etc. (p. 21.). Mańd́alágra, disci mucronem, instrumentum chirurgicum sic dictum, i. e ensiforme, sive scalpellum incurvatum, denotat. Cfr. Sútrast'hán. cap. VIII. Tom. I. p. 16., et alibi. —

„ — nodum, ubi hic stabilis est factus" etc. (p. 22.). Arma hoc loco nihil aliud est nisi nodus, excrescentia, tumor cujusdam generis, in ullo oculi loco situs, quippe qui hamulo, forcipe vel filo acus capi possit —

„Dubius morbus, qui a palpebris" etc. (p. 23.). Yapya, dubius, i. e. morbus, cujus sanatio est in dubio. Ciliorum irritatio (pakshma — prakopa) quid sit, vid. supr. c. III. Tom. III p. 6. init.). —

„Unius, videlicet fumum videntis, sanatio" etc. (p. 24.). Vid. supr. c. X. Tom. III. p. 15. —

„A fonte natum sal" etc. (p. 25.), i. e. aqua salsa, scaturigo salis, sal culinarius. —

„Patera sic dicta ex foliis confecta" etc. (p. 26.). Folia vesca, sive olera, circum varias substantias volvuntur et sic ad cibum coquuntur (cfr. infr. cap. XVIII. Tom. III. p. 32.). —

„Iterum in Kalpa collyrii praeceptum" (p. 27.). Vid. Kalpast'hán. cap. V. Tom. II. p. 229. in fin., et p. 232. in med. —

„In phlegmatica signorum destructione" etc. (p. 28.). Linga (indicium, signum etc.) — naśa (exitium) significat interitum visus, quippe quo rerum imagines et signa nondum percipiantur et internoscantur. —

„Vitium (oculi), nisi speciem dimidiae lunae" etc. (ibid.). Quomodo differat cataracta ab aliis oculorum morbis, breviter hic explicatur. —

„Inuncti sudabundique“ etc. (ibid.). Solers descriptio secandae extrahendaeque cataractae!

„ — deinde lancettâ“ etc. — oculum perforet“ etc. (ibid.). Hac sectione inter scleroticam et corneam confecta et scarificatione orbis (interni) pupillaris, lentis capsula aperitur, ut cataracta lenticularis exire possit. Sin vero cataracta non exit, leniter nasalis cavitas oculi constringenda est, ut haec cataracta, quam noster „phlegma a pupillae orbe profectum“ nuncupat, exire cogatur. — Quae diaeta, quaeque curatio post hanc operationem sit adhibenda, quae porro incommoda interdum subsequantur, tam apte auctor, quam clare disponit. —

„Qui homines in vasorum secandorum“ etc. (ibid.). Vid. Śárírast'hán. c. VIII. ab init., Tom. II. p. 33. —

„ — efficere potest Ṡakrae fuscum colorem“ etc. (p. 29.), i. e. color fulmine effectus niger, ut tristis bidentalis color, cataracta nigra. —

„Corruptus humor autem, innata vi praeditus“ etc. (ibid.). Cataracta haereditaria secanda est: aliter curari non potest. —

„Porro fusius indicabo praestantissima“ etc. (p. 30). Vid. seq. cap. XXIII. — Kalpa hoc loco non significat librum Kalpast'hánam, sed sacram curandi institutionem (kriyá — kalpa) in sequente capite notatam. —

„ — devotione sapientiaque praeditus“ etc. (ibid). Drĭshti denotat usitate visum, conspectum; rarius sapientiam; rarissime pupillam: omnes vero hae significationes fiunt obviae in Áyurvéda. —

„Káśi dominus“ etc. (ibid.). Káśi urbs antiquissima sanctaque ubi sita fuerit, cfr. annot. ad hoc vocabulum in Sútrast'hán. cap. I.

„Decoctio in foliis“ etc. (ibid.), jam supra explicata est. Cfr. et paulo post annot. ad cap. XVIII. Tom. III. p. 32. —

„Purgato corpore capiteque“ etc. (ibid). Quomodo oculorum morbi sine operatione chirurgica, sed solo fomento iis admovendo sint curandi, disponitur; praescribiturque tempus, quamdiu illud fomentum sit imponendum. —

„ — materiâ ad scarificandum apta“ etc. (p. 31.), i. e. metallicis substantiis. Neque enim scarificatio cultris solum, sed quoque asperis substantiis conficitur. —

„Porro indicabo parationem decoctionis in foliis“ (p. 32.). Persaepe hoc praeparatum pharmaceuticum memoratum est et usui medicinali in Áyurvéda commendatum. — Reliquae hujus capitis curationes, oculorum morbis adhibendae, multipliciores paene sunt, quam quas nostri constituere. —

Pro „arnam“ (p. 35. lin 31.). lege „armam“. —

„Ut mare profundum, ita therapia“ etc. (p. 37.). Magnifica vero vox! Indoctus enim millibus specialibus tractatibus instructus, nunquam tolerabilis fieri potest medicus. Omnis generalis institutio speciali est potentior! Semen

therapiae solummodo sparsum sufficit, ut doctis laetae proveniant segetes. Pauca doctis! Indoctis autem omnis instructio specialis manebit inanis; semperque medicas artes frustra atque infructuose indoctus exercebit. Sic est hujus loci sensus. Usque ad nostram aetatem etiam quidam medici adeo sunt stulti, ut inscitià sua, ne dicam ignorantià, eximie superbiant, in errorem rapti, doctrinarum vacuitatem plus medicinae faciendae, quam exquisitam doctrinam, proficere! Suśrutae tempore, ut ex multis Áyurvédae locis apparet, tales jam exstiterunt medici! Tempora igitur mutantur, sed homines omnino non mutantur in illis! —

Ad Cap. XX. et XXI.

Aurem (karńa) aggressi (gata) morbi (roga) non tam exculti, quam oculorum morbi apparent. Variae morborum in auribus sitorum formae partim ex subsequentibus a me ad verbum translatis interpretationibus, partim ex datis auctoris descriptionibus intelligi possunt: Karńa — śúla, auris dolor; prańada, sonitus; vád'hirya, perturbatio; kshvéd́a, tinnitus; karńa — sráva, aurium profluvium; karńa — kand́ú, aurium pruritus; karńa — gút'ha, aurium sordes; krimi, vermes; karńa — pratínáha, aurium compressio; vidrad'hi — dvivid'ha, phlegmone duplex; karńa — páka, auris coctio (inflammatio); púti — karńa, suppuratio aurium; arśas — chaturvid'ha, tuberculum haemorrhoidale quadruplex (in auribus); arvuda — saptavid'ha, indolens tumor septemplex; śopha — chaturvid'ha, intumescentia quadruplex. —

„Medicamina morbis aurium admovenda tam multa, tamque varia hic enumerantur, ut illa numero paene ea aequent, quibus nostri nunc utantur in his morbis. —

„ — in B'hadrae ligno“ etc. (p. 39). B'hadra = Méru, mons in septentrionali Indiae regione assurgens; nisi lectionem b'hadrá praeponas; tum esset sensus: „in Gmelinae arboreae ligno“; id quod probabilius mihi nunc apparet. B'hadra etiam felix, excellens, optimus significat, quod vero hoc loco tolerabilem non habet sensum. —

„ — una ex octo urinis“ etc. (p. 40.); vid. Sútrast'h. cap XLV. Tom. I. p. 130. —

„Aurium doloris praeceptum“ etc. (ibid). Vid. paulo supra. —

„Quod praeceptum de catarrho“ etc. (ibid). Vid. infr. cap. XXIV. Tom. III. p. 44.

„De aëris morbis quod traditum est“ etc. (ibid.). Vid. Chikits. c. IV. Tom. II. p. 69. —

„ — remediaque specifica“ etc. (pag. 41.). Medicamenta (yogya)

specifica (vaiséshika), vel curationes specificas paene innumerabiles fuisse priscis Indis notas, toto ex Áyurvéda cerni potest. —

„Reliquorum morborum (in aure sitorum) curatio antehac est emissa" etc. (p. 42.); cfr. Sútrast'hán. c. XVI. Tom. I. p. 36. sqq. —

Ad Cap. XXII. et XXIII.

Nasum (násá) aggressi (gata) morbi (roga) ad verbum translati hi sunt: Apínasa, gravedo; pútinasya, foetor nasi; násápáka, nasi coctio (inflammatio); śońita — pitta, sanguine bileque affectus (nasus); púya — śońita, pure sanguineque affectus (nasus); kshavat'hu, sternutatio; b'hranśat'hu, destillatio; dípta, inflammatio; násánáha, nasi constrictio; parisrava, profluvium; násá — sosha, nasi siccitas. — Subsequentes nasalium morborum descriptiones et quasi definitiones probant hanc meam interpretationem ad verbum expressam. —

„Sálákyae commentationem" etc. (p. 43.). De Śálákya, vid. Sútrast'hán., c. I. Tom. I. p. 2. —

„ — antibiliosa methodus" etc. (p. 44.). Disperse per totum Áyurvédam haec methodus indicata est; praesertim vero huc pertinent, quae in Chikits. c. XXXVII. p. 187. indicata sunt. —

„Exponam in posterum sanguinis" etc. (ibid.). Vid. infr. cap. XLV. Tom. III. p. 112. in med., et cap. XLIX. Tom. III. p. 124. in fin., et alibi. — Compressivum acrem fumum vid. in Chikits. c. XL. p. 206. —

„Post vomitum simul indicant" etc. (ibid.). De fumo per nares ducendo et de nasali remedio in universum, cfr. Chikits. cap. XL. Tom II. p. 202. sqq. —

„ — de substantiis caput purgantibus per fistulam" etc. (ibid.). De substantiis his cfr. Chikits. c. XL. Tom. II. p. 205., — et multos alios locos. — Multa inprimis per totum caput XL. Chikits Tom. II. p. 202. sqq. disseruntur de nasalibus remediis capitisque purgatoriis. —

Ad Cap. XXIV. — XXVI.

„Uxoris concubitus, capitis dolor" etc. (p. 44.). Brevi in conspectu noster ponit catarrhorum (pratiśyáya) aetiologiam (nidána) et symptomata. — Hoc loco, ne benevolus lector inducatur in errorem, praenotandum esse videtur, vocem pratiśyáya non tam late in Áyurvéda patere, quam vocabulum catarrhus in nostris libris pathologico — therapeuticis.

Nam nostris catarrhus in qualibet mucosa sive pituitosa membrana sive tunica sedem habere potest; antiqui Indi autem in solis respiratoriis viis catarrhos ponunt. —

„Sic etiam corruptus catarrhus oriri potest“ etc. (p 45.). Ad verbum: talem malignum catarrhum (dushta — pratisyáya) cognoscat (medicus). Ex maligno catarrho etiam alia morborom genera (rogajanana) oriri posse, noster paulo post probat. —

„ — eeligmatum sumtionibus removeat“ etc. (pag. 45.). Quid sit ecligma (kavala), auctore Suśruta, vid. Chikits. c. XL. Tom. II. p. 207. —

„ — ex praescripto cum quinque radicibus“ etc. (p. 46.). Salium classem cfr. Sútrast'hán. c. XLVI. Tom. I. p. 152 — 153, ubi tamen plura indicantur salia, ut jam supra est notata. —

„Prout nasale remedium id“ etc. (p. 47.). Hoc nasale remedium jam saepius indicatum atque explicatum est. Cfr. Tom. II. p. 204. etc. —

„ — ex infinito rheumatismo“ etc. (ibid.). Anta, finis, corrige in ananta, infinitus. —

„In capitis vexatione, tertium locum obtinente“ etc. (ibid.); ad verbum: trium numerum, sive trinitatem habente, i. e., si aër, bilis et phlegma simul sint corrupta. —

„Aërii morbi methodus“ etc. (p. 48.). Quae sit aërii morbi methodus, vid. Chikits. c. IV. Tom. II. p. 69. sqq. —

„In capitis morbo a phthisi orto“ etc. (p. 50.). A phthisi ortum (kshayaja) morbum vid. infr. c. XLI. Tom. III. p. 92. sqq. —

„In sacra commentatione (in sanhitá nostra, i. e. in Áyurvéda) expositi sunt“ etc. (p. 51.). Auctor hoc loco oris morbos, in Nidán. c. XVI. Tom. I. p. 202, et in Chikits. c. XXII Tom. II p. 133. jam tractatos, ideo citat, ut omnes morbos ad Śálákyam (vid. Tom. I. p. 2.) pertinentes, i. e. supra claviculam sedem habentes, nunc comprehendat et in hoc brevi conspectu ponat —

„Illi ex praestantissimo corpore“ etc. (ibid.). Uttama + anga + gata, i. e. a praestantissimo membro orti, — praestantissimam corporis partem aggressi morbi. Uttama anga, praestantissimum membrum igitur hic nihil aliud est, nisi caput (et in specie rursus oculus — cfr. Uttaratant. c. I. Tom. III. p. 1., ubi de morbis in praestantissimo membro — oculo — ortis sermo est), quia Śálákya supra claviculam sitos, i. e. capitis (et inprimis oculorum) morbos comprehendit. —

Ad Cap. XXVII. — XXXVII.

„Nunc vero novem daemonum actiones“ etc. (p. 51.). Ad verbum: nunc vero caput (a d'h y á y a), ad novem daemonum species (formas — genera — á k r ĭ t i) dignoscendas pertinens expondituri sumus, i. e. actiones, sive novem morborum formas ab illis effectas. —

Ex sequentibus undecim capitibus expositis intelligi potest, daemoniacos morbos apud veteres Indos maximi momenti fuisse ac ponderis; praesertim, cum parvuli a daemonibus maxime essent vexati. (Cfr. et infr. cap. LX. Tom III. p. 152.). —

„Ob nutricis matrisque perversam vitae rationem“ etc. (p. 51.). A p a c h á r a significat hic omne damnum, quod neonato facit mater aut nutrix (cfr. Ś á r í r a s t'h á n. c. X. Tom. II. p. 39 — 48 et alibi). —

„In divina omnipotentia“ etc. (ibid.). A i ś v a r y a est omnipotentia sive dominatio, qua instructus est supremus Dominus (I ś v a r a), B r a h m a. —

„T u m i d i s oculis affectus“ etc. (ibid.). Sequuntur symptomata morborum a daemonibus incussorum. —

„Infantibus a S k a n d a daemone captis“ etc. (p. 53.). Dehinc per decem capita curationes unicuique morbo, a daemonibus malignis allato, adhibendae indicantur; inter quas vero m a n t r a e (sacri hymni, sive precandi formulae et incantationes) maximi sunt momenti et ponderis. —

„A daemonibus autem vexati parvuli“ etc. (p. 60). Morbos daemoniacos vix curari posse, alibi etiam S u ś r u t a s asserit. —

Commodam idoneamque occasionem mihi ad plures adnotatiunculas his capitibus inserendas non oblatam esse puto. —

Ad Cap. XXXVIII.

„Nunc vero uteri corruptionis remediationem“ etc. (p. 60). Vocabulum y o n i non secus u t e r u m, ac v u l v a m significat; designat igitur omnes partes genitales muliebres, quae ad coitum, conceptionem, graviditatem et partum pertinent.

„ — demonstratae sunt in morborum compendio“ etc. (ibid), i. e. in hoc compendio; cfr. locum ibi paulo post. —

„A semine virili, menstruo etc. orti humores corrupti“ etc. (p. 62.). Inde ab hoc loco usque ad hujus capitis finem auctor repetit omnes materias antea jam tractatas (cfr. S ú t r a s t'h á n. c. XXIV. Tom. I. p. 60. in fin., — N i d á n. c. VIII. Tom. I. p. 186. — Ś á r í r á s t'h á n. c. II. — V.,

p. 6. sqq. — c. X. p. 39. sqq. — Chikit. c. XV. Tom. II. p. 111. sqq.), quippe quae ad generationem, graviditatem partumque, et ad puerperarum neonatorumque sanitatem, morbos, curas et curationes spectent, et quas Kanmárah'hrĭtya (vid. Sútrast'hán. c. I. Tom. I. p. 2) comprehendat. —

Ad Cap. XXXIX.

De febribus (jvara) longe lateque auctor disserit ita, ut clare appareat, febrem illi non esse primitivum, sed solummodo alios morbos comitantem morbum (cfr. Fasc. I. p. 9.). —

„A quo ambrosia (amrĭta) ex aquarum" etc. (p. 62.). Hic mythus satis est notus, comprobatque auctoritatem D'hanvantaris et gloriam medicinae. —

„Vulneris (et ulceris) phaenomena" etc. (ibid.). Cfr. Sútrast'hán. c. XVIII. Tom. I. p 43. — Cap. XXIII. p. 58. — Cap. XXVIII. p. 70. — Chikits. c. I. Tom. II p. 51. — Cap. II. p. 60. etc. — Phaenomena vulnerati igitur affatim jam sunt tractata; cum vero vulnera ulceraque febribus implicentur, idcirco ea noster hoc loco commemorat. —

„Agni similis, omnium animantium vexatrix" etc. (p. 63.). Agni, ignis Deus, et ignis. Fortasse hoc loco ignis (ut πυρετὸς a πῦρ, et febris a ferveo vel fervore) ceu febris principium intelligitur. —

„ — inde haec omnium morborum (vikára) regina (rex) est vocata" etc. (ibid.). Bene notandum est vocabulum vikára, quod potius morbosam mutationem, quam ipsum morbum significat. Febris igitur non solum morborum exercituum rex (roga — aníka — raj), verum etiam omnium morbosarum mutationum rex (sarva — vikáránám — rájá) designatur. Nulla igitur morbosa mutatio gravior sine febre; nulla febris sine morbosa mutatione oritur, auctore Suśruta. —

„Praeter divinos homines autem" etc. (ibid.). Pro divinos homines lege Deos et homines. Deos etiam morbis febribusque et aliis laesionibus implicari posse, a mythologia veterum Indorum non est alienum —

„Humoribus singulis, totis aut duobus corruptis" etc. (ibid.). Omnis morbus et febris oriri potest: 1. ab aëre corrupto; 2. a bile corrupta; 3. a phlegmate corrupto; 4. ab aëre, bile et phlegmate simul corruptis; 5. ab aëre et bile simul corruptis; 6. ab aëre et phlegmate simul corruptis; 7. a bile et phlegmate simul corruptis; 8. a variis externis causis. Itaque octuplex omnis febris vel morbus esse potest. —

„In cute situm phlegma et aër" etc. (p. 65.). Frigidus paroxysmus a phlegmate et aëre in cute sitis oritur; subsequens autem fervidum stadium bilis generat. —

„ — et ab animo profecta febris“ etc. (p. 65.), i. e. a moerore, angore, amore, irritatione, tremore etc. —

„In mediis autem corporis elementis sita etc. (p. 66.). Post paroxysmi solutionem febris in corporis elementis (d'h á t u) remanet. —

„Continuam febrem corruptus humor“ etc. (ibid.). Jam priscis Indis febrium genera et species pernota fuisse, plane ex hoc loco potest colligi. —

„Si febris ex varia laesione oritur“ etc. (ibid.). Laesiones irritant corrumpuntque humores; deinde ex corruptis humoribus febris exit, quae rursus ex qualibet humorum corruptione suam adipiscitur indolem. —

„Ex morborum autem ortu“ etc. (ibid.). Febris igitur semper ex aliis morbis progignitur. —

„Antecedentibus febris formis“ etc. (pag. 67.). Prima febris forma (p ú r v a — r ú p a) pendet a morborum, quos comitatur, indole; postea autem in pejorem transit statum. —

„Formae et prioris formae varietatem“ etc. (ibid.). Forma (r ú p a) est plenus febris paroxysmus; prior forma (p r á g r ú p a) autem levis antecedens est paroxysmus. Hic fumo, ille igni similis describitur. —

„Ex corruptorum humorum naturae mutatione“ etc. (p. 68.). D o s h a hoc loco, ut multis aliis locis, non c o r r u p t u m h u m o r e m, sed solummodo h u m o r e m significat. Ad verbum: Ex humorum (d o s h a) naturae (p r a - k r ĭ t i) morbosa mutatione (v a i k r ĭ t i) illorum coctionis (p a k v a) signum (l a k s h a ń a) oritur. Coctionis signum, i. e. effervescentia sive pyrexis. —

„ — cum aquae vortice complicata febre“ etc (p. 69.). U d á v a r t t a significat aquae verticem; metaph. hoc loco: profusum sudorem, vel urinam potius designat. — N i r ú h a ń a hoc loco est clyster evacuans (cfr. C h i - k i t s. c. XXXVIII. Tom. II. p. 193.), quae vero significatio nullis in lexicis est obvia. —

„Gravida femina destillandi tempore febricitans“ etc. (p. 70.). Non recte hunc locum transtuli. Ad verbum: femina gravida intempestive (a k á l é) profluens (a b'h i s h y a n d í) et febricitans. —

Reliquae curationes, febribus adhibendae, tam copiose et late sunt descriptae, tamque multa medicamina sunt indicata, ut singula perlustrare non sit opus, praesertim cum sint clare expressa. —

„A conchae bivalvulae ira“ etc. (p. 80.). Ś a m b'h u cum ś a m b u incuriosius confudi, quo falsa haec versio est orta. Verte: A B r a h m a e (ś a m b'h u) ira orta (febris.). Lectionem s a m b'h u (progenitor, parens) pro ś a m b'h u si quis praeferret, sensus hujus loci esset: a progenitorum ira etc —

Ad Cap. XL.

A t í s á r a dysenteriam, nec vero diarrhoeam simplicem denotare, non modo ex ipso hujus vocabuli etymo concludi posse videtur (a t i, ultra, ultra modum, valde, et s á r a, a s r ĭ, ire, profluere); sed multo magis hujus morbi causae et symptomata hoc loco descripta hanc vim illi voci subjectam comprobant. —

„Quia aquarum elementum“ etc. (p. 81.). Ad verbum: aquarum elementum, faecibus commixtum, aëre protusum et auctum, cohibendo internum ignem (digestionem), vehementer deorsum it etc. — Mechanica quidem, sed bene notanda dysenteriae definitio! —

„Ex singulatim simulque corruptis“ etc. (ibid), i. e. non solum ex ante relatis mechanicis causis, verum etiam ex humoribus corruptis etc. dysenteria exoriri potest. Nam porro tria dysenteriae genera ex tribus singulis humoribus, unum genus ex tribus humoribus simul corruptis, unum ex moerore, unumque ex crudis substantiis comesis, exoriri possunt. —

„Faecum accumulatio, inflatio et indigestio fient dysenteriae prodromi“ etc. (ibid.). Ex his symptomatibus effici cogique potest, hoc in capite a t i s á r a dysenteriam designare. Nam nostro etiam tempore hi prodromi (p u r a — s a r a) apparent. —

„ — ano calente caloris expertem“ etc. (p. 82.). Anus (g u d a) calens (p a k v a), tenesmus, adesse potest, calore vitali jam perdito —, quod instantis mortis signum est. —

„ — dysenteria corruptorum humorum signa nunquam praetergreditur“ etc. (ibid.). Omnis dysenteria, ipsis adeo externis causis orta, sine humorum corruptione exsistere nequit. —

„Cruditatis maturitatisque rationem deponendo“ etc. (ibid.). Illam theoriam de morborum cruditatis et coctionis stadio jam veteribus Indis pernotam fuisse, sexcenties ex Á y u r v é d a intelligi potest. —

„Porro vomere cum fecerit aegrotum“ etc. (ibid.). Non praetermittendus est hic locus, qui nos doceat, jam veteres Indos dysenteriae emetica adhibuisse. —

„Remedia autem ibi indicata“ etc. (p. 83.). Sequitur magnus numerus medicaminum antidysentericorum, cruditatem sedantium et coquentium, quae quidem et aliis morbis adhibentur. —

„Diarrhoeae ab aëre ortae dolorosae sunt“ (p. 89.). P r a v á h i k á non d y s e n t e r i a m, sed d i a r r h o e a m significare, dubitare non debet. Etiam ex symptomatibus, diarrhoeae magis convenientibus, hic morbus recognosci potest. Ceterum curationem amborum morborum fere eandem esse noster ait. —

Ad Cap. XLI.

Quid sit consumtio (śosha, kshaya), quibus ex causis exoriatur, quibuscum symptomatibus incedat, et quae curationes huic horribili morbo sint adhibendae, paucis quidem noster, sed claris verisque verbis demonstrat. Praesertim vero primus locus: „varios morbos secuta, multos morbos praeiens, difficilis dignotu et difficilis cohibitu est consumtio, morbus magna vi praeditus" sempiternam veritatem retinebit. —

„Quia regali lunae similis factus est hic morbus" (p. 92.). Ad verbum: „quia hic morbus similis factus est lunae, regis, idcirco hunc (morbum) regis phthisin (rájayakshma) quidam appellant sapientes medici. Luna hoc loco etiam rex apellatur, quia est Deus, qui noctem regit. Hic vero deus, Chandras (luna) vocatus, toties nanciscitur phthisin, quoties decrescit et senescit. Sic haec comparatio phthiseos cum luna. —

„Ex functionum privatione et ex inveterata etiam origine" etc. (ibid.). Ad verbum: ex functionum (kriyá) privatione (avib'hága, participitationis cessatione), et ex priori effectione (prág — utpadana). Haec prior effectio, sive origo, dicere vult: phthisis ex causis et morbis antecedentibus exoriri potest. —

„Succorum viis, per humores" etc. (p. 93.). Magis mechanica est haec de phthisi sententia, quam quae notari non debeat. —

„Si quorum consumtio actionibus diruptionem nacta est" etc. (p. 94.). Hunc difficilem locum nunc interpretor hoc modo: „si quorum consumtio per suas causas (efficientes) diversitatem adit, ibi non tota corruptorum humorum signa dilabuntur (absunt)", i. e. causae hujus morbi quaecunque sint, semper humores corrupti adsunt. —

„ — respiciendo sacram doctrinam (śástram)" etc. (p. 96.). Śástra est Áyurvéda, qui in sacrorum scriptorum canonem est receptus (cfr. Fasc. I. p. 2. et 3.). —

Ad Cap. XLII.

Gulma significare indurationem glandularum internarum dubitare is non potest, qui hujus morbi symptomata numerando percenseat. —

„In cordis et abdominis intervallo" etc. (p. 96.). Cordis et abdominis intervallum comprehendit dua magna corporis cavamina (alvi scil. et thoracis), quibus insunt splanchna et intestina (antra) glandulis circumdata. —

„Cordis et ventris dolor, oris" etc. (p. 97.). Ut fere omnibus in morbis, sic etiam in his glandularum internarum indurationibus quintuplicem noster morbi causam indicat, quatenus scil. morbus a corrupto aëre, vel bile, vel phlegmate, vel ab his humoribus simul corruptis, aut a corrupto sanguine aliisque causis ortus sit. His causis congruunt symptomata et medendi rationes. —

„ — spirituosos liquores omnes in Sútrasťhána" etc. (p. 100.). Cfr, Tom. I. p. 127. sqq. —

„Porro illius hominis — dolor" etc. (p. 101.). Post hominis insere symptomata. —

„ — secundum ślokarum conclusionem" etc. (ibid.), i. e. omnia medicamenta, quae antecedentia disticha (śloka) continent. —

„Sine induratione glandularum" etc. (ibid.), i. e. dolor in illis locis, in quibus induratio oriri solet, ubi nunc vero nulla induratio adest. Hic dolor in thoracis abdominisque cavis situs accurate describitur ita, ut cum induratione confundi nequeat. Hi dolores, uti indurationes, curandi sunt (cfr. hujus cap. finem.). —

Ad Cap. XLIII.

„Impetu, percussione, calidis asperisque cibis" etc (p. 105.). Véga non modo impetum, paroxysmum, accessionem celerem, sed etiam omnes naturales excretiones, e. g. urinae, faecum etc. denotat Ág'háta significat tam percussionem, vulnerationemque, quam violentam quamlibet retentionem et repressionem. Qua de re hunc locum nunc transferre sic libet: „excretionum naturalium retentione (sive repressione)." —

„Intenditur in morbo ab aëre orto cor" etc. (ibid.). Áyamyaté (intenditur), tudyaté (vexatur), nirmaťhyaté (agitatur), díryaté (laceratur) et sp'hoťyaté (commovetur), — haec verba sane non ad literam sunt interpretanda, sed sententiam istam continent, ut vehementem cordis affectionem significent. —

„Fumi via" etc. (ibid.), quid sit, nescio, nisi d'húma (fumus) — ayana (via, iter) designet vehementem vaporis proventum, sive profusam transpirationem. — Tali in dubitatione ubique ad verbum transferre soleo, reliquum judicium lectori permittens. —

„In corde siti (hrĭdayasťha) hominum vermes etiam deorsum cadunt" etc. (p. 106.). Non tam mechanica, quam fabulosa sententia!! —

Ad Cap. XLIV.

„Icterus morbus (páńduroga, páńdvámaya) demonstratus est octuplex“ etc. (p. 197.). Ut octo icteri formas colligamus, oportet, pro yugapat (simul, eodem tempore) legamus yugavat (dupliciter, bini, duplo modo). Tres enim humores singulatim (prĭt'hak) corrupti efficiunt tres icteri formas; omnibus humoribus simul corruptis (samastais) efficitur quarta forma; tres humores bini (yugavat) corrupti constituunt quintam, sextam et septimam formam; aliae causae externae octavam (cfr. annot. ad cap. XXXIX. p. 63., ubi octuplex etiam commemorata est febris. Ibi quoque octuplices morbi causae sunt a me expositae.).

„ — Mágad'hicos ignis“ etc. (p. 108.). Mágad'hicus est incola regionis Magad'ha appallatae. — Ignis hoc loco magnum illius plagae aestum significare videtur, nisi potius terribilem illum usum asceticorum designet, solis et ignis caloribus se exponentium. —

Ad Cap. XLIV.

Permulta symptomata, in hoc morbo obvia, in Cholera morbo quoque locum habent. Jam vero hujus morbi nomen rakta — pitta, i. e. sanguinis bilis, sive sanguinosa bilis, sive sanguinosa biliosaque diarrhoea, quodammodo Choleram morbum significare videtur. Quam vero sententiam et opinionem meam non modo symptomata hic descripta, sed etiam curandi methodus comprobare possunt. Reliqua etiam, quae sequuntur, in eadem sententia sunt. Morbi causae praesertim hoc judicium quasi exquirere videntur. Sed tamen hoc nomen „Cholera morbus“ evitandum esse putavi, quia nullibi morbis in Áyurvéda occurrentibus nomina, quibus nostri utuntur, indere mihi placuit, sed ad verbum transferre malui, systematica morborum nomina lectoribus permittens. —

„ — indurationem glandularum internarum et febrem tollit“ etc. (p. 110.). Pro tollit lege adfert. —

Ad Cap. XLVI.

Lipothymia (murchch'há), animi deliquium auctori primitivus est morbus. Neque enim suspicatus est, lipothymiam duntaxat esse alterius

morbi symptoma. Praeter usitatiores causas etiam venenum et vinum ceu hujus morbi causas adfert. —

„ — ex veneno autem lipothymiâ affectis antidota“ etc. (p. 114.). De veneficio curando agitur in Kalpast'hána. —

Ad Cap. XLVII.

Pánátyaya (pána + atyaya) crapulam morbosam haud dubie significat. Pána, potio, potus, et atyaya, transgressio, immoderatio, passio est. Illud vocabulum compositum primitus igitur potionem immodicam vel modum excedentem, designat. Atyaya vero etiam passionem ex qualibet immoderatione exortam denotat; quo fit, ut illud vocabulum compositum crapulam morbum, crapulam morbosam, significet; quae significatio etiam ex sequentibus morbi causis, symptomatibus et curationibus satis apparet. —

„ — sunt proximae in vino varie adhibito“ etc. (p. 115.). Pro varie lege ex praecepto. —

„ — igni similem efficit ebrietatem“ etc. (ibid.). Ignis (agni) hoc loco denotat ardorem febris, quo ebrietas (mada) efficitur, et aegri somnia, sive vanae species, finguntur. —

„Ob ebrietatem, alienatione sensuum“ etc. (ibid.). Hunc locum nunc interpretor ad verbum hoc modo: „Sensuum naturae alienatione effectâ per ebrietatem, homo absconditam naturam suam facit manifestam invitus. —

„A potatione ortos depellit medicus septem morbos totos“ (p. 118.). Scil. antecedentibus remediis depellit illos morbos. — Septem hos morbos vid. supr. c. XLVII. p. 115. in fin. —

„Vind'hya, Himavat, Malaya (p. 119.), montes in septentrionalibus Indiae regionibus siti, quas, ut jam dictum est, Indi Suśrutae tempore incolebant —

„Praeceptum de vulnere (et ulcere) datum“ etc. (p. 120.). Cfr. Chikits. c. I. Tom. II. p. 52. sqq. —

Ad Cap. XLVIII. — LIII.

Sex haec capita non tam primitivos, quam secundarios morbos, vel potius singulorum morborum symptomata continent. Neminem enim fugere potest, sitim (trishńá), vomitionem (ch'hardi), singultum hikká, suspirium (śvása), tussim (kása) et vocis interruptionem (k'hara — bhéda) non esse morbos primigenos. —

„Organis aquam ferentibus corruptis" etc. (p. 121.); vid. Śárírast'hán. Tom. II. p. 39. —

„Tria sitis genera haec commemorata" (ibid.). Haec sunt ex tribus singulis humoribus corruptis exorta; a vulnere ortum est quartum etc.; id quod paulo post apparet in hoc capite. —

„Nimis fluidis, oleosis, ingratis, salsis" etc. (p. 123.). Verae ad vomitionem (ch'hardí) excitandam causae hic indicatae sunt, quamvis non omnibus suis numeris et partibus expletae. —

„A cruditatis sedis vexatione omnes ortae sunt vomitiones" etc. (p. 124.). Cruditatis sedes etc. ubi sit, vid. Sútrast'hán. c. XXI. Tom. I. p. 52. sqq. —

„ — perturbatio ictibus acus (súchí — toda)" etc. (p. 126.). De acupunctura etiam sermo est in Sútrast'hán. c. X. Tom. I. p. 19., ubi vero acupunctura viśik'ha — anupravéśa vocatur. —

„In icteris — et intumescentiis quae medicamina sunt indicata" etc. (p. 130.). Vid. Uttaratantr. c. XLIV. Tom. III. p. 106., et Chikits. cap. XXIII. Tom. II. p. 138. —

„Sicut ignis ligni struibus incensus" etc. (p. 131.). Suspirium et tussis sane difficiles depulsu et tardi morbi sunt, quippe qui, ut supra est demonstratum, non tam primitivi morbi, quam consecutiva aliorum morborum symptomata sint. —

„ — devio alimenti itinere" etc. (ibid.), i. e. si quid cibi aut potus in asperam arteriam ingrediatur. —

Quam multis ex causis morbiferis tussis proveniat, in hoc capite videre licet; ex quo simul colligi potest, tussim esse, magna quidem ex parte, symptoma morbi, nec vero ipsum morbum. —

„Ambas Curcumas" etc. (p. 133.), i. e. Curcumam longam et Curcumam zerumbet, ut jam supra est demonstratum. —

„Vomitorium, corporis capitisque purgationes" etc. (ibid.). Vomitoria et purgativa vid. Chikits. cap. XXXIII. Tom. II. pag. 171. — et cap. XXXIV. p. 175. — Sútrast'hán. c. XLIII Tom. I. p. 107. — et c. XLIV. p. 109. — Capitis purgationes, vid. nasalia remedia in cap. XL. Chikits. Tom. II. p. 202. et alibi. — Ecligmatum adhibitiones, vid. Chikits. p. 207. — Pungentia medicamenta, quid efficiant, vid. Sútrast'hán. c. XLII. Tom I p. 105. — Pungentia medicamenta quae sint, vid. in eod. cap. p. 106. —

„In oleoso sedimento" etc. (ibid.). Oleosa sedimenta cfr. Sútrast'hán. c. XLV. Tom. I. p. 123. —

„ — cum dulcibus (medicaminum) classibus" etc. (p. 135.). Dulces classes sunt sacchari mellisque genera, quae vid. in Sútrast'hán. c. XLV. Tom. I. p. 124 — 127., et alia (cfr. c. XLII. p. 105. in fin. — Dulcium virtutes vid. ibid. p. 104. —

„ — in soniferentibus tubulis nactus“ etc. (ibid.). Non alibi in Áyurvéda de soniferentibus tubulis (śabdaváhid'hamaní) agitur. Hi tubuli vero nihil aliud esse videntur; atque aspera arteria, et asperae arteriae rami, sive bronchi, et reliquae partes tubulatae, ad loquendi instrumenta pertinentes. — In Śárírast'hán. c. VI. Tom. II. p. 28. noster bronchos, aërem ferentes, commemorat, qui sonum ferentes aliqua ex parte esse possunt. — Huc pertinere videntur etiam canales ad respirationem spectantes, quos vid. in Śárírast'hán. Tom. II. p. 38 in fin. et p. 39 ab init. —

„Voce privatum et invisibilibus pedibus praeditum“ etc. (p. 136.). Invisibiles pedes sunt tenues, exigui, emaciati, tabescentes. —

Ad Cap. LIV.

„Helminthiasin, sive verminationem, sive vermium morbum (krĭmi — roga). frequentissime in australibus oriri regionibus, satis inter medicos constat. Idcirco jam antiquissimis temporibus, ut hoc ex Áyurvéda videre licet, magna cura in illo morbo est posita. Vermium in variis corporis locis ortorum genera hic enumerata, non satis nota apparent, vixque unquam illa ad nostra systematica nomina reduci poterunt. —

Pag. 137. lin. 7. pro perversis nunc libentius transfero retentis. —

„Cruditatis coctionisque sedem“ etc. (p. 137.), i. e. vermes in superiori abdominis regione, ubi cruditatis et partim etiam coctionis sedes, jam identidem explicata, suum habet locum. — Etiam in aliis, ut paulo post apparet, corporis regionibus vermes possunt generari. — Praetergrediendum vero hic non est, vermes duntaxat ex corrupto phlegmate et bile et sanguine, nec vero, ut alii morbi, ex corrupto etiam aëre organico exoriri. —

Pag. 137. lin. 19. post Kippa insere Chipya.

„Febris, decoloratio“ etc. (p. 138.). Ut hoc loco, sic sexcentis in aliis manifestum et apertum est, febrem non esse per se morbum quendam, sed morbi comitem et quasi asseclam. —

„Spectandi tredecim primi vermes“ etc. (ibid.), i. e. conspicui sunt, cerni possunt, veniunt sub conspectum. Alii vero spectari non possunt, quia latent ita, ut ex symptomatibus solummodo eorum exsistentia colligi debeat, ut capillos, crines, ungues dentesque etc. arrodentes, paulo supra indicati; inter quos rursus vermes capillum crinesque arrodentes incurabiles esse designantur. Partim etiam ad hos invisibiles pertinent paulo infra relati, in capite, corde etc. siti. —

„Oleo indicato cum medicus curet“ etc. (ibid.). Hoc oleum saepissime

indicatum oleum Ricini communis esse videtur, quo etiam clystere oleoso noster est usus. — Reliqua anthelminthica hic indicata dubitationem afferunt, quin multum possint adversus vermes. —

„Praeceptum de calvitie“ etc. (p. 139.). Cfr. Chikits. cap. XX. Tom. II. p. 129. —

„De vermibus dentes arrodentibus“ etc. (ibid.). Vid. Chikits. c. XXII. Tom. II. p. 133. —

„Vermibus a sanguine ortis“ etc. (ibid.). Vid. Chikits. c. IX. et X. Tom. II. p. 90 — 100. —

Ad Cap. LV.

„In posterum de substantiis exortis“ etc. (p. 139.). Non recte versa haec sententia sic interpretanda est: „Motionibus naturalibus propriae indoli convenienter deorsum aut sursum progressis, evacuationes aëris reliquorumque ne retineat sapiens vivendi cupidus“. — Clare auctor de retentionibus spontaneis et ita plane agit, ut sit dignus, quem et nostri hac in re imitentur! Qua de causa etiam nihil habeo, quod prorsus ad hunc locum illustrandum addam, nisi forte medicaminum, inflationibus adhibitorum, magnum numerum, ut paene in pluribus Áyurvédae locis, castigandum esse censeam. —

Ad Cap. LVI.

„Visúchiká (a súchi, acus) sine dubio ileum, sive vehementissimum intestinorum spasmum, cum excrementorum retentione complicatum, significat, — id quod ex hujus morbi symptomatibus efficitur cogiturque. —

„ — sacramque doctrinam compertam habentes“ etc. (p. 143.). Ágama, sacra doctrina, i. e. Áyurvéda. —

„Animi deliquium, dysenteria“ etc. (ibid.). Sub dysenteria, quae minime cum praeclusione et alvi adstrictione consentit, intelligendus est tenesmus dysentericus. —

„ — docent antiquissimi sacrae doctrinae periti“ etc. (ibid.) Qui doctrinae periti (śástra — vid) sint veterrimi (puráńa), vid. in Śárírast'hán. c. III. Tom II. p. 11. in fin., et p. 12. init. —

„ — is rursus accedat ad sacram doctrinam“ etc. (ibid.). Post „exilique voce“ insere „et omnibus dissolutis articulis.“ — Sacra doctrina (ágama) etiam hoc loco designat Áyurvédam, qui sit consulendus in periculosissimis morbis. —

„ — hunc morbum supressionem“ etc. (p. 144.). Haec supressio (ánáha), sive retentio, sive restrictio excrementorum, differt solummodo in eo ab ileo, ut illa sit minus periculosa, spasmis intestinorum vehementissimis absentibus. —

Post peragat (p. 145. lin. 2.) insere „cum Convolvulo turpetho albo (trib'handi, tëorí) compositum sal fossile contusum det, et purgationis negotium persequatur.“ —

„Si negotium oleo Sesami orientalis“ etc. (ibid.), i. e. oleum Sesami orientalis cum substantiis purgatoriis commixtum det, et postea suffiat. —

Ad Cap. LVII.

Arochaka, ciborum fastidium, ex quinque causis exortum esse auctor censet, ex tribus singulis scil. humoribus corruptis; ex his omnibus simul corruptis; et ex animo a cibis declinante. —

„Opibus diminutis, iterum pro salute Pauráńicis“ etc. (p. 146.). Pro „pro salute“ etc. lege „recuperationem (opum) in memoriam reducat aegroto“ etc. Pauráńicae traditiones argumento esse possunt, opes fortunasque amissas saepius reversas esse, id quod Nalae regis exemplum probet. —

Ad Cap. LVIII. et LIX.

Mútra (urina) — ág'háta (retentio) denotat ischuriam, quae allatis ex causis undecim generum esse potest. Cfr. et Chikits. cap. XI. et XII., et Nidán. c. VI. —

„ — aër in abdomine urinam cum doloribus corripit“ etc. (p. 147.). Vasti hoc loco significat potius vesicam urinariam, quam abdomen, ut alibi etiam saepius. —

„Faecum abdominisque intervallum“ etc. (ibid.). Ad verbum: aër intervallum inter faecum viam et vesicam urinariam (vasti) progressus etc. Faecum via (śakrĭt — márga) est intestinum; vasti hoc loco rursus non abdomen, sed vesicam denotare, necesse est. — Sed ut paucis absolvam: in duobus his capitibus sine ulla exceptione pro „abdomen“ lege „vesica urinaria“ quo fit, ut rectam ibi claramque habeas τοῦ vasti sententiam, quam nullis in lexicis reperias. — Mútrauka (ex mútra urina, et oka, domus, habitatio) etiam vesicam, quasi urinae domum, denotat, et interdum τοῦ vasti loco usurpatur. —

Ingentem medicaminum turbam noster et his morbis adhibet. —

„A calculis orta urinae vexatio“ etc. (p. 150.). Cfr. Nidán. c. III. Tom. I. p. 176. sqq, et Chikits. c. VII. Tom. II. p. 82. sqq. —

„Phlegmate per bilem cocto et per aërem dilacerato“ etc. (ibid). Arenae vesicalis origo, tribus humoribus fabulose operantibus, memoratu sane non indigna apparet! —

„Sic in Suśruta — somatica Therapia peracta est“ (p. 151.). Therapiam tam universalem, quam specialem ad corpus humanum spectantem cum hoc capite esse finitam auctor indicat, reliqua operis parte ad psychicam medicinam pertinente. —

Ad Cap. LX.

„Morbos quosdam daemoniacos denuo auctor tractat, etsi de similibus jam affatim supra (cap. XXVII. — XXXVII. p. 51 — 59.) egit. Sed daemoniaci morbi hic amánusha, i. e. ab humana natura alieni, vocantur. — Sed hanc Daemonologiam latius exsequi in animo non est, quippe quae commodiorem suum habeat locum in Mythologia Indica. —

Ad Cap. LXI.

Epilepsia (apasmára) morbis psychicis ab auctore adnumeratur, nimirum, quod somaticis morbis in Uttaratantrae capite LIX. finem constituit —

„Memoria, rerum internotio“ etc. (p. 155.) Ante „rerum“ insere „animantium et.“ —

„ — ignorantiâ (rajas) obscuritateque (tamas“) (ibid.). Quid sit rajas et tamas, jam supra saepius a me est explicatum. —

„Haec epilepsia sic dicta et visa quadruplex est“ etc. (ibid.). Etsi epilepsiam noster psychicum esse credit morbum, attamen somaticis causis exortam demonstrat. — Inter alia huic morbo adhibenda medicamina etiam illis auctor utitur, quae circa daemones malignos sunt indicata. —

„Deo irrigante sicut in terra“ etc. (p. 156.), i. e. Indra Deus, quasi Jupiter pluvius. —

Ad Cap. LXII.

„Etiam delirium (unmáda) noster mentis morbum (mánaso — vyad'hi) appellat. Videre licet in hoc et antecedente capite, morbis psychicis materiales causas ab auctore esse subjectas, — daemoniacis passioni-

bus exceptis. — Ut sexcentis aliis in locis, rursus et hoc loco corrupti tres humores morbi causae apparent. —

„A furibus, regis ministris, hostibus" etc (p. 158.). Naréndra (a nara, vir, et indra, imperator, = i. e. virorum imperator) non modo regem sacro oleo inauguratum, sed etiam praestigatorem significat. Sed priorem hujus vocabuli significationem in meam interpretationem recepi. Purusha (homo), denotat igitur regis homines, i. e. regem circumdantes, eum administrantes, regis ministros. —

Ad Cap. LXIII.

Memoratu dignas hoc caput continet saporum commistiones. Non modo in medicamentis, verum quoque in cibis potibusque (cfr. sq. cap.) maximam saporum rationem esse habendam hoc ex loco cerni colligique potest. Scrupulosius tamen saporum conjungendorum rationes, et quasi mathematicorum in modum eos numerat et computat. —

„Corruptorum humorum proventus quindecim modis" etc. (p. 160.). Vid. Sútrast'hán. cap. XV. Tom. I. p 32., ubi de tribus humoribus et eorum qualitatibus fusius disseritur. —

„Eorum origo ex sexaginta tribus" etc. (p. 160.). Prayojana mihi nunc non „originem", sed „curationem" significare videtur, etsi haec significatio non invenitur in lexicis. Nunc igitur sic interpretor: „Eorum (humorum corruptorum) curatio sexaginta tribus saporum diversitatibus indicatur." Negotium peragat, i. e. corruptos humores, et morbos ex his exortos curet. —

Ad Cap. LXIV.

Jam partim de diaeta sive vitae ratione (vrĭtta) in Chikits. cap. XXIV. Tom. II. p. 140. sqq. disseruit auctor; nunc vero eandem rem denuo commemorat latiusque pertractat. Inprimis vero alimentorum sapores horumque combinationes respicit, quibus futurorum morborum praecautio sive prophyllaxis (rakshańa) constituatur. —

Permagni quoque refert, quo diei annive temporibus haec illave alimenta sumantur; quaeque quibus humoribus corruptis adhibeantur; quibus in morbis haec illave, his illisve saporibus praedita, dentur etc. — quae omnia hoc in capite edisseruntur. — Tempora medicamentorum praebendorum etiam docet, ita, ut praescribat, quae medicamenta ante coenam, quae inter coenam, quae post coenam, et quae cum cibis commixta sint danda etc.; id quod etiam sit diaetae et praeservationis pars. —

Ad Cap. LXV.

Equidem non possum, quin totum hoc caput ceu additicium designem; habet enim magnam cum serioribus disserendi rationibus similitudinem, et quasi scholastica inquirendi viâ progreditur. Id vero certe constat, hanc colligendi concludendique methodum longissime abhorrere ab Aristotelica disquisitione. —

Ad Cap. LXVI.

Etiam hoc caput ultimum, non apte cohaeret cum reliquis Áyurvédae argumentis, etsi continet recapitulationem materiarum quarundam in hoc opere pertractatarum. Quae vero jam saepius his in commentariis illustrata denuo recapitulare non libet. —



Sir. Wm. Jonesii
Sanskriti alphabeti systema et pronuntiatio.

Ordo.		Pronuntiatio.	Ordo.		Pronuntiatio.	Ordo.		Pronuntiatio.
a	—	ă	g'h	—	gh	d'h	—	dh
á	—	â	ń	—	n	n	—	n
i	—	ĭ	ch	—	tsch	p	—	p
í	—	î	ch'h	—	tschh	p'h	—	ph
u	—	ŭ	j	—	dsch	b	—	b
ú	—	û	j'h	—	dschh	b'h	—	bh
rĭ	—	rĭ	ń	—	n	m	—	m
rí	—	rî	t́	—	t	y	—	j
lrĭ	—	lrî	t́'h	—	th	r	—	r
é	—	ê	d́	—	d	l	—	l
ai	—	ai	d́'h	—	dh	v	—	w
o	—	ô	ń	—	n	ś	—	s
au	—	au	t	—	t	sh	—	sch
k	—	k	t'h	—	th	s	—	s
k'h	—	kh	d	—	d	h	—	h
g	—	g						

Corrigenda.

Pag. 4 lin 9 post pungens pone colon
„ 6 „ 11 ante verum pone colon
„ 17 „ 14 pro ex lege et
„ 18 „ 18 „ reseccandae lege resecandae
„ 20 „ 16 „ falsos lege falsi
„ 27 „ 27 „ eadem lege eaedem
„ 34 „ 1 „ Anaximines lege Anaximenes
„ 42 „ 32 „ nullos lege nullas
„ 46 „ 11 „ hominum lege hominum
„ 48 „ 18 pone post naturata punctum, et perge: Natura naturans
„ 53 „ 9 pro aoris lege oris
„ 59 „ 30 „ mńla lege múla
„ 66 „ 26 „ Uttarantr. lege Uttaratantr.
„ 67 „ 21 „ hydocele lege hydrocele
„ 68 „ 26 „ mentagra lege mentagram et dele subsequens colon
„ 70 „ 22 „ dele τὸ „
„ 70 „ 30 pro degenratio lege degeneratio
„ 82 „ 10 „ comprehentes lege comprehendentes.

In Fasc. I. p IV. lin. 4 pro peditam lege petitam

